UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv, Sacræ Theologiæ Professoris, Et sanctæ Inquisitionis Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtvtibvs, Et Vitiis Contrariis, In ...

De Censvris, In Qva Sex Dispvtationibvs De Poenis Ecclesiasticis, déque Irregularitate fusè tractatur, cum Indicibus necessariis

Castro Palao, Fernando de

Lugduni, 1669

Tractatvs XXIX. De Censuris aliísque Ecclesiasticis: déque irregularitate.

urn:nbn:de:hbz:466:1-76667

Visual Library

OPVS MORALE
DE VIRTVTIBVS,
ET VITIIS CONTRARIIS,
SEXTA PARS.
De virtute Religionis, eíque annexis.

TRACTATVS XXIX.
DE CENSVRIS.
ALIISQVE POENIS ECCLESIASTICIS,
Déque Irregularitate.

PROOEMIVM.

CVM Censura Sacramentorum vsu, bonorúmque spiritualium communicatione priuet, vt constabit ex dicendis; ideò explicatis Sacramentis, & Indulgentiis, aliísque bonis, quæ ex thesauro Ecclesiæ proueniunt, eius naturam explicare aggredimur. Sex Disputationes hic Tractatus continebit. Prima explicabit quæ communia sunt omnibus Censuris. Secunda Censuram Excommunicationis enodabit. Tertia excommunicationes à iure latas recensebit. Quarta Censuram Suspensionis. Quinta Interdicti. Sexta Irregularitatis pœnam.

DISPVTATIO I.
De Censuris in genere.

PVNCTVM I.
Quid sit censura, & quotuplex.

1 *Explicatur Censuræ nomen.*
2 *Explicatur qualiter sit pœna, eiusque definitio.*
3 *Triplex est censura.*
4 *Nulla alia est species censuræ præter supradictas.*

1 NOT à nomine sumamus exordium, Censura in primæua sua significatione dignitatem Censoris significat. Etenim in Romana Republica iudices erant constituti, qui mores corrigerent, quique punitione homines à delictis committendis arcerent, quique Censores appellabantur, quorum officium, & dignitas censura dicebatur, iuxta illud Plinij *lib.* 14 *cap.* 4. Catonum ille primus triumpho, & censura super cætera insignis. Hinc horum correctio, & punitio nomine censuræ significata est teste Plinio *in Panegyr.* Vita Principis censura est, eáque perpetua. Hac significatione vtens Ecclesia censuram appellat eam pœnam, quam suis fidelibus iniungit ad eorum mores corrigendos, ideóque communiter Doctores censuram definiunt, vt sit pœna Ecclesiastica, qua Ecclesia fideles suos punit in bonis spiritualibus ad eorum correctionem.

2. Est pœna, quia est priuatio pœnalis bonorum spiritualium, quorum, secluſa censura, fidelis particeps erat. Item est pœna Ecclesiastica, quia solùm à potestate Ecclesiastica prouenire potest; etenim sæcularis potestas nec ius, nec iurisdictionem habet in bona spiritualia, quorum censura est priuatio. Neque refert quòd censura bonis etiam temporalibus priuet, vt patet in excommunicatione, quæ priuat politico, & ciuili contractu, & in suspensione à beneficio, quæ fructibus beneficiorum priuat; quia hæc est secundaria priuatio, & minus principalis, & in ordine ad spirituale bonum, tum ligati censura, tum aliorum, sicuti ex communi sententia notauit Suar. *t.* 5. *de censur. disp.* 1. *sect.* 1. Ægid. de Coninck. *disp.* 13. *dub.* 1 *num.* 2. Stephan. Dauila 1. *p. dub.* 4. Gaspar Hurtado *tract. de censur. difficult.* 1. Pat Layman. *lib.* 1. *Sum. tract.* 5. *par.* 1. *cap.* 1. *num.* 1. Bona autem spiritualia

tualia, quibus per censuram fideles priuantur, sunt, quæ potestati Ecclesiæ subduntur, nempe sacramentorum vsus tam actiuus, quàm passiuus, publica Ecclesiæ suffragia, & satisfactiones, beneficia Ecclesiastica, spiritualis iurisdictio, & alia huiusmodi. Nam donis gratiæ, virtutibúsque infusis cùm Ecclesiæ iurisdictioni non subiiciantur neminem Ecclesia priuat, vt benè aduertit Layman. *dicto lib. 1. sum. tract. 5. par. 1. c. 1. n. 2.* Illis igitur bonis publicis, & Ecclesiæ potestati subiectis priuat censura fidelem, non tam in punitionem delicti commissi, quàm in illius emendationem, iuxta textum *in cap. ex litteris de constitutionib.* & *cap. 1. de sententia excommunicat. in 6.* Vnde emendatione posita, statim censura auferenda est, sicuti docuerunt Suar. Coninch. Auila, & alij *lor. allegat.* Neque inde fit censuram ferri non posse in eos qui nunquam reputantur corrigendi, quia id per accidens est, neque tollit eius naturam. Deinde censura esto principaliter habeat emendare delicta; simul etiam habet ea punire; ideóque essi finis correctionis cesset; quia non cessat punitionis finis, iustè aduersus non corrigendos ferri potest, vt notauit Coninch. *dicta disp. 13. num. 11.*

3. Censura au.em tripiex est ex omnium sententia, videlicet excommunicatio, suspensio, & interdictum. Constat ex *cap. statutum, & de sententia excommunicat. in 6.* vbi tres species censuræ enumerantur, & *ex cap. quaranti de verborum significat.* vbi consultus Innocent III. quid per censuram Ecclesiasticam intelligendum sit in litteris Apostolicis, respondet quod per eam non solùm interdicti, sed suspensionis, & excommunicationis sententia valeat intelligi. Quippè quælibet ex his censuris est pœna ab Ecclesia imposita ob delictum, & in eius correctionem, estque vna ab alia distincta, tum in bonis spiritualibus, quibus delinquentem priuat, tum in modo quo illum priuat, vti constabit cùm de qualibet censura fuerit sermo.

4. Sed an vltra tres species censuræ sint aliæ spectato iure, decretisque Pontificum enumerandæ? Variant Doctores. Nam Sotus *in 4 d. 22. q. 3. art. 1. in prine.* quem alii Thomistæ sequuntur, enumerat vltra supradictas, cessationem à diuinis & irregularitatem non omnem, sed eam, quæ ex delicto oritur. Alij his addunt depositionem, & degradationem, atque adeò septem esse species censuræ asseuerant.

Sed communis sententia, & verissima est, nullam aliam speciem censuræ esse præter supradictas tres, excommunicationem, suspensionem, & interdictum; sicuti docuerunt Nauarr. *cap. 27. num. 1.* Lambertin. *de iure patronat. 2. p. lib. 2. q. 9. art. 3. num. 3.* Vgolin. *de censuris tab. 1. cap. 26.* Nicolaus Garcio 7. *p. de benefic. cap. 13. num. 2.* Francisc. Suar. *tom. 5. in 3. par. disp. 1. sect. 3.* Stephan. Dauila *de censur. 1. p. dub. 5.* Coninch. *disp. 13. dub. 1. num. 3.* Paul. Layman. *lib. 1. tract. 5. part. 1. cap. 2. num. 1.* & alij apud ipsos. Colligitúrque manifestè ex *dicto cap. Quaranti de verborum significat.* Nam si Pontifex rogatus de censuris illas tres species tantùm enumerauit, signum manifestissimum est alias non esse, cùm illa responsio vtpote in materia doctrinali æquiualeat vniuersali; aliàs imperfectè, & diminutè Pontifex respondisset, sicut si rogaretur quot essent sacramenta, respondereturque non solùm esse Eucharistiam, sed Baptismum, & Pœnitentiam; diminuta esset responsio, vtpote quæ non comprehendit omnia sacramenta. Ratio ea est, quia nulli alteri speciei præter excommunicationem, suspensionem, & interdictum conuenit definitio censuræ communiter à Doctoribus assignata. Nam cessatio à diuinis vel est quædam species interdicti, & sub interdicto comprehensa, vel non est pœna fidelibus imposita, vt Sacramentorum, & sacrificiorum vsum euitent, sed est ipsamet omissio, & cessatio diuinorum officiorum in signum mœroris Ecclesiæ ob iniuriam sibi factam. Depositio verò, degradatio, & irregularitas non sunt pœnæ iudiciales, quæ delinquente emendato auferendæ sint, sed sunt ex se perpetuæ & in perpetuum duraturæ, ideóque priuant fideles bonorum spiritualium vsu, & potestate. At censuræ cùm pœnæ medicinales sint, & emendato delinquente auferendæ, essi bonorum spiritualium vsu priuent, relinquunt potestatem eum vsum recuperandi. Præterea depositio, degradatio, & irregularitas non absolutione, sicuti censuræ, sed dispensatione tolluntur, ideóque etsi in decretis Pontificis concedatur potestas absoluendi ab omnibus censuris, nullus intellexit sub ea potestate comprehendi depositionem, & degradationem, imo neque irregularitatem, siquidem aliquando præmissa hac facultate conceditur potestas dispensandi in irregularitate.

Punctvm II.

De forma, & modo, quo singulæ censuræ ferri possunt.

1 *Censura alia fertur à iure, alia ab homine.*
2 *Quod sit discrimen inter hos modos.*
3 *Alia speciales sunt, alia generales.*
4 *Alius à Pontifice, vt est ferre censuras pro futuris culpis.*
5 *Censura siue ab homine, siue à iure, alia est annexa delicto, alia per iudicem ferenda.*
6 *Quæ verba iudicent censuram ipso facto incurri, quæ iudicis officium exigant.*

1. VArij sunt modi ferendi censuras. Alius est à iure, alius ab homine. Censura à iure est, quæ à iure fertur, quod contingere non potest, nisi medio statuto, aut lege ius constituentibus. Censura ab homine est, quæ media sententia ab homine prolata procedit.

2. Discrimen autem inter hos modos ferendi censuras illud est, quod censura lata à iure mortuo legislatore perseueret, secùs verò quæ ab homine fertur. Nam cùm ius semper perseueret quousque abrogetur; quia nomine Dei, seu communitatis nunquam deficientis constituitur, censura eo iure lata perpetua est. At censura ab homine lata cùm ab eius iurisdictione, & authoritate pendeat, & hæc cessent eo mortuo, vel ab officio remoto, cessat ipsa censura. Deinde censura à iure lata nunquam ferri potest pro peccatis præteritis, sed semper pro futuris. At censura ab homine lata non solùm pro futuris, sed etiam pro præteritis in eorum satisfactionem, & emendationem fertur.

3. Rursus censura ab homine alia est specialis, alia generalis. Specialis est quæ ob particulare factum, & in determinatas personas fertur. Vt si Episcopus excommunicaret Petrum ob illius à beneficio absentiam, vel excommunicaret omnes illos qui furtum commiserunt, nisi intra tale tempus restituerint. Alia est generalis, vt si excommunicaret omnes illos, qui furtum commiserint, vel festum violauerint, &c.

4. Sed est dubium; an alius à Pontifice possit censuram pro culpis futuris ferre? eo quòd hic modus ferendi censuram videtur prohibitus in *cap. Romana, de Sententia excommunicat. in 6.* ibi; Caueant etiam, ne tales sententias excommunicationis siue specialiter, siue generaliter in aliquo pro culpis futuris, &c. proferre præsumant. Sed ibi tantùm prohibetur ille modus ferendi censuram per sententiam, nisi rationabilis causa subsistat, eaque in sententia exprimatur. Quinimo Suar. *disp. 3. sect. 4. num. 7* & Coninch *disp. 17. dub. 1. num. 15.* censent in eo textu non contineri præceptum, sed admonitionem, vt indicat verbum illud *caueant*, & esto præceptum contineretur, consuetudine tamen, vidente & consentiente Principe est abrogatum.

5. Præterea censura siue à iure, siue ab homine lata dupliciter ferri potest. Primò annexa ipsi iuri vel præcepto: quia ipso iure, vel præcepto infligitur. Secundò quæ ipsum ius, seu præceptum imponendum comminatur. Quod aliis verbis dicitur censura latæ sententiæ, vel ferendæ. Latæ sententiæ, quia ab ipsa sententia absque vllo iudicis officio fertur, ob quam causam in *cap. pastoralis. §. verum de appellationib.* dicitur secum trahere executionem. Sententia verò ferenda dicitur; quia non eo præcepto, & iure fertur, sed ferenda est per aliud ius, & præceptum.

Vt autem censura latæ sententiæ sit non ambiguis, sed manifestis verbis est exprimenda, aliàs non latæ sententiæ, sed ferendæ intelligi debet, vti ex omnium sententia tradit Siluester, *excommunicatio 1. num. 21.* Suar. *de censuris disp. 3. sect. 3. num. 5.* Stephan Dauila, *2. p. cap. 2. disp. vnic. dub. 2.* Laym. *d. tr. 5 par. 1. c. 2. in fine.* colligitúrque ex *Regula iuris 49.* In pœnis benignior est interpretatio facienda. Quapropter si iudex præciperet sub pœna excommunicationis, suspensionis, vel interdicti aliquid fieri nulla alia particula superaddita, censuram ferendam intelligere debes; quia verba illa *sub pœna excommunicationis* indifferentia sunt, vt de pœna annexa delicto, vel propter delictum à iudice imponenda intelligantur, vti docuit Siluest. Suar. Stephanus Dauila *suprà*. Coninch. *disp. 13. dub. 2. num. 22.* Quinimo Nauarr. *cap. 27. num. 12.* Sanch. *lib. 7. de matr. disp. 12. num. 2.* Paul. Layman. *lib. 1. tract. 5. par. 1. cap. 2. in fine.* censent ex illis verbis sit excommunicatus, sit anathema, non esse deducendum censuram esse annexam delicto, sed per sententiam ferendam; quia indifferentia sunt; tametsi contra sentiat Coninch. *dicto dub. 6. num. 20.* Ad idem videtur esse, si dicas, qui hoc fecerit, excommunicationem se nouerit incursurum, posita inquam sententia iudicis, vt dixit Felin. *in cap. Rodulphus de rescriptis, num. 28.* & vt probabile sentit Suar. *disp. 3. sect. 3. num. 3.* & generaliter quoties censura sub verbis de futuro fertur, non est latæ sententiæ, sed ferendæ, vt si dicas, qui hoc fecerit excommunicetur, suspendatur, scilicet à iudice, vti tradit Glossa *in cap. 2. §. 1.* verbo *incolatur de Hæreticis in 6.* Castro *lib. 2. de lege pœnali cap. 1.* Suar. *disp. 3. sect. 3. num. 9.* Coninch *disp. 13. dub. 2. num. 21.* Paul. Comitol. *lib. 6. respons. moral. q. 24.* Non enim ex illa forma indicant manifestè, sed dubiè censuram delicto annexi. Ergo iudicare debemus sententiam iudicis necessariam esse.

6. Quapropter ea verba indicant censuram ipso facto incurri, quæ nullum iudicis officium exigunt vt incurratur, vt si ius, vel iudex præcipiat factum sub excommunicatione incurrenda, addens ipso facto, vel latæ sententiæ; nam illa additio *ipso facto*, vel *latæ sententiæ* indicat non esse opus alia sententia, sed per ipsam legem, aut præceptum censuram imponi, vti tradunt omnes. Idem est, si diceret: Excommunicamus eum qui tale delictum committerit, aperte enim indicant illa verba censuram delicto annexi. Quod à fortiori procedit de illis verbis, subiacebat excommunicationi, excommunicationem incurrat, nouerit se esse excommunicatum.

tum, declaramus illum excommunicatum, vti colligitur ex *cap. vnico de iniurijs in 6. cap. 2. de hæreticis in 6.* Et *cap. præterea el 2. de appellationib.* Et tradunt ex communi sententia Suar. Auila, Conninch. Layman *locis alleg.*

Ex his infertur nullam in ferenda censura formam esse determinatam, sed illam necessariam, & sufficientem esse, quæ satis voluntatem imponentis exprimat circa censuram determinatam, & specialem. Nam cùm censura in genere nullus ligari possit, oportet imponens censuram, illius speciem determinare, vti benè aduertit Suar. *disp. 3. sect. 2. à n. 3. & seq.* Coninch. *disp. 13. dub. 2. num. 23.*

PVNCTVM III.

An sit in Ecclesia potestas ferendi censuras.

1. *Hæretici hanc potestatem negarunt.*
2. *Catholica veritas docet Christum Dominum hanc suæ Ecclesiæ reliquisse potestatem.*
3. *Hanc Christus potestatem reliquit, cùm dixit Ioann. 20.* Sicut misit me viuens Pater, &c.
4. *Modus imponendi censuras non immediatè à Christo, sed à Petro, eiusque successoribus emanauit.*

1. NOn defuerunt hæretici, qui hanc Ecclesiæ potestatem denegauerint. Constat ex Concilio Constantiensi *sess. 8. errore 30. sess 15. errore 19* Alii etsi hanc potestatem Ecclesiæ concedant, illam tamen concedunt diminutè; siquidem sola communicatione externa, & politica admittunt priuare fideles posse, non autem aliis bonis spiritualibus, sicuti ex illis refert Gregor. de Valencia *t. 4. disp. 7. q. 17. pun. 1.* Fundamentum hæreticorum negantium absolutè hanc potestatem, esse potest; quia ex nullo loco scripturæ colligitur hæc potestas. Nam esto *Matth. 16. & 18.* promiserit Christus Petro, eiusque successoribus claues regni cælorum, illisque promissis dixerit. Quoscunque ligaueris super terram, erunt ligati & in cœlo, & quoscunque solueris super terram erunt soluti & in cœlo; id sanè non videtur intelligendum de potestate ferendi censuras, ab illisque absoluendi, sed de potestate ligandi, & soluendi à peccatis in Sacramento pœnitentiæ. Quippè peccata tantùm sunt, quibus regnum cœlorum claudatur, ergo sola potestas absoluendi à peccatis, vel absolutionem detinendi sub nomine clauium regni cœlorum intelligenda est. Fundamento verò, quo moueri possunt hæretici hanc potestatem diminutam concedendo illud est, quia Ecclesia non est domina bonorum spiritualium, quibus per censuram fideles afficiuntur priuari. Neque ea priuatio est conueniens eorum saluti, cùm sit priuatio bonorum, quæ in salutem fidelium à Christo relicta sunt. Item non videtur rationi consonum, vt quis in se ipso pœnam exequatur, at per censuras compellitur quis abstinere à communicatione fidelium, ab vsu Sacramentorum, aliisque spiritualibus bonis. Non igitur est potestas Ecclesiæ concessa has pœnas ferendi.

2. Cæterùm veritas catholica est Christum Dominum hanc suæ Ecclesiæ reliquisse potestatem, vti tradunt omnes catholici, & definitur in supradicto Concilio Constantiensi *sess. 8. errore 30. & sess. 15. errore 19.* & constat ex vsu, & totius Ecclesiæ praxi, quæ nititur illis verbis Christi *Matth. 16. & 18.* vbi generaliter conceditur Petro, eiusque successoribus potestas ligandi, & soluendi, non tantùm in interiori foro, & pœnitentiali; sed etiam in foro externo, vt indicant illa verba; Quod si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus; quasi diceret qui Ecclesiæ contumax, inobediensque fuerit tanquam ethnicus, & publicanus tractari potest. At ethnicus, & publicanus priuatus est omnibus Ecclesiæ suffragiis, aliisque spiritualibus bonis, ergo eidem contumax Ecclesiæ priuari poterit quorum priuatio cœlum claudit, sicuti eorum concessione aperitur, media inquam impetratione, & satisfactione. Secundò probari potest hæc veritas ex illo *1. Corinth. 5.* vbi Paulus quemdam incestuosum. Satanæ tradidit in interitum carnis, vt spiritus saluus fieret. Nam vt testantur communiter *ibi* Patres, Chrysostom. Theophilact. Theodor. & alii quos referunt, & sequuntur Iustinian. Cornelius *in illum locum* Paulus cum simul traditione corporis incestuosi Sathanæ facta incestuosum excommunicauit, quinimo effectus excommunicationis erat illa traditio. Item ex illo *Actorum. 8.* vbi Petrus Simonem Magum excommunicauit illis verbis: Non est tibi pars, neque sors in sermone isto, vt constat ex his quæ adducit Lorinus *in supra dictum locum.* Tertiò probatur ex vsu Ecclesiæ à tempore Apostolorum, semper namque his armis Ecclesia vsa est aduersus peccatores, & hæreticos, vt constat ex variis decretis Conciliorum, maximè ex Trident. Ratio autem est manifesta. Negari non potest, Christum Dominum reliquisse suæ Ecclesiæ dispensationem, administrationemque Sacramentorum, sacrificij, suffragiorumque cõmunium, & bonorum spiritualium. Ergo credendum est, Pontifici qui huius Ecclesiæ princeps est, & supremus gubernator relictam esse à Christo Domino potestatem priuandi fideles inobedientes & rebelles his bonis; sicuti in qualibet republica bene instituta supremus Princeps potestatem habet priuandi subditos inobedientes bonis communibus reipublicæ. Neque his obstat quòd illa bona relicta sint Ecclesiæ in salutem fidelium, quominus his priuari non possint, sicuti priuantur ciues bonis reipublicæ in eorum vtilitatem concessis, quia non priuantur absolutè, sed ob culpam ipsorum fidelium, & in eorum correctionem, ideóque hæc priuatio non est censenda nociua, sed salutaris. Et esto alicui noceret; quia redditur obstinatior, id est per accidens, aliis tamen prodest, & per hæc soluuntur primum, & secundum fundamentum hæreticorum. Ad confirmationem respondeo, non esse alienum à ratione, vt quis aliquam pœnam sui delicti in se exequatur, vt notauit Lessius *cap. 31. numer. 38.* Coninch. *disput. 13. dub. 3. in fine*: quod à fortiori procedit, quum pœna eius conditionis sit, vt non possit commodè aliter executioni mandari; vti in censuris contingit, quæ obligant ipsum censura ligatum abstinere ab aliquibus actibus, qui alias essent permissi.

3. Quod si roges, quando Christus Dominus hanc potestatem ferendi censuras Petro, aliisque Apostolis communicauerit, siquidem illo loco *Math. 16. & 18.* solùm videtur illius promissionem fecisse? Respondeo post eius resurrectionem, cùm dixit *Ioann. 20.* Sicut misit me viuens Pater &c. Petro autem singulariter concessit *Ioann. 21.* dicens. Pasce oues meas. Etenim ad officium boni pastoris pertinebat posse oues morbidas communibus Ecclesiæ pascuis priuare, & à sanis separare ne has suo conuictu inficiant, vti notauit Coninch. *disput. 13. dubit. 3. num 19.*

4. Ad extremum aduerte Christum Dominum hanc potestatem ferendi censuras suæ Ecclesiæ reliquisse; ideóque hanc potestatem ex iure diuino esse. At modus imponendi censuras, illarúmque institutio, & differentia non à Christo, sed à Petro, eiusque successoribus ortum habuit. Neque vllus alius præter Pontificem eas variare, aut mutare poterit; sunt enim ritus generalis ordinati ad gubernationem, & regimen totius Ecclesiæ, ergo illi tantùm, cui data est potestas super omnem Ecclesiam concessa est potestas hos ritus instituendi; & non alteri.

PVNCTVM IV.

Penès quem sit potestas ferendi censuras.

1. *Alia est potestas ordinaria, alia delegata, & qua ha sint.*
2. *Qui possint ex potestate ordinaria ferre censuras referuntur.*
3. *Qui ex potestate delegata.*
4. *Plures censent fœminam iure diuino incapacem esse huius potestatis.*
5. *Verius est oppositum.*
6. *Soluuntur argumenta.*

1. LOqui possumus tam de potestate ordinaria, quàm delegata. Potestas ordinaria ea est, quæ alicui officio, vel dignitati Ecclesiasticæ, prout sunt ab Ecclesia instituta annectitur in perpetuum. Delegata verò, quæ personæ annectitur ex voluntate delegantis, sicuti ex communi sententia tradit Bart. *in leg. ambitiosa numer. 34 ff. de decretis ab ordine faciendis.* Bald. *cap. fin de officio ordinarii.* Et ibi Ioann And. *numer. 3.* Abbas *numer. 3.* Anton. *numer. 4* Felin. *cap fin. de officio deleg.* Nauar. *cap. 27. numer. 45.* Couarruu. *lib. 3. var. cap. 20 num. 6.*

2. Igitur ex officio, & munere, atque adeo ex potestate ordinaria ferre censuras potest summus Pontifex, vti omnes Catholici docent. Secundò Episcopus, & Archiepiscopus in sua diœcesi quoad sibi subditos, vt habetur *cap. 1. & aliis de officio ordinarij.* Et in Trident. *sess. 6. de reformat. cap. 3. & sess. 14. cap. 4.* Archiepiscopus autem comparatione subditorum sui suffraganei ferre censuras nequit, nisi dum suffraganei diœcesim visitat, vel causa subditorum suffraganei ad ipsum per appellationem deuoluitur, vt habetur in *cap. venerabilibus de sententia excommunicat. in 6.* Et ex omnium sententia tradit in præsenti Coninch. *disp. 13. dubit. 4. in princ.* Tertiò Cardinales in propriis Ecclesiis iuxta textum *in cap. his quæ de maiorit. & obedient.* & *ibi* Doctores communiter. Quartò Legati à latere in prouincia suæ legationis, *cap. legatus de officio legati in 6.* Quintò Vicarius Episcopi, seu prouisor generalis, quia constituit cum Episcopo idem tribunal, *cap. 2. de consuetud. in 6.* Et *cap. Romana de appellationib. in 6.* Idemque est de Vicario capituli sede vacante iuxta Trident. *sess. 24. de format. cap. 16.* & à fortiori ipsum capitulum hac potestate gaudet, *cap. vnico de maiorit. in 6.* Sextò Concilia generalia per omnem Ecclesiam, & Prouincialia in sua Prouincia. Septimò Abbates, Priores, & Præpositi Ecclesiarum collegiatarum, quique iurisdictionem in foro externo habent, Archidiaconi verò & Archipresbiteri in

primæua sua institutione hac carebant potestate, *cap. 5. de officio archipresbiteri*, ex consuetudine tamen aliqui eam obtinent, vt colligitur ex *cap. veniens de eo qui furtiuè ordines suscepit.* Et ex *cap. dubium 54. de electione.* Vers. *sed cum in iure.* Octauò ex priuilegio summi Pontificis eorum officio, & muneri in perpetuum annexo hac gaudent potestate Religiosorum Generales, Prouinciales, Præpositi, Rectores, Guardiani, aliique superiores locales quomodocunque nuncupentur. Parochus autem hac potestate ferendi censuras non gaudet; quia in foro externo iurisdictionem non exercet, sed tantum in foro pœnitentiæ, vti aduertit Siluest. verbo *excommunicatio 3. num. 5.* Nauarr. *cap. 27. num. 5.* Suar. *disp. 2. de censuris sect. 2.* Neque obstat textus *in cap. cùm ab Ecclesiarum de officio ordinarii*, vbi pro rato habetur excommunicatio lata à Plebano sancti Pancratii in suos subditos. Non inquam obstat; quia hic Plebanus, vt notauit Stephanus Dauila *2 p. de censuris cap. 3. dub. 2.* Præpositus erat Ecclesiæ collegiatæ, cui iurisdictio ferendi censuras conceditur, vel vt placuit Abbati *ibi num. 2.* ex priuilegio ea potestas illi competebat. Adde etiamsi iure communi parochis esset hæc potest concessa, contraria consuetudine est abrogata vt inquit Sotus *in 4. d. 22. quæst. 2. art. 1.* Quocirca Concilium Trident. *sess. 25. cap. 3 de format.* statuit excommunicationem pro furtis à solo Episcopo esse ferendam.

3. Ex delegatione autem hanc potestatem habere possunt omnes illi quibus supradicti ordinaria potestate gaudentes commiserint quia potestas ordinaria ex ipso quo ordinaria est delegari potest, vt constat ex *toto tit. de offic. ordinarii.* Et *cap. cum Episcopus 7. de officio ordinarii in 6* Debet autem is, cui hæc mandatur iurisdictio capax illius existere, vti aduerrunt omnes Doctores referendi. Vnde debet in primis rationis vsum habere, cùm ille alias accipiat; aliàs nulla erit acceptio, quæ ad accipiendam iurisdictionem requiritur ex communi omnium sententia. Secundò debet esse baptizatus; quia non potest exercere munera Ecclesiæ qui intra Ecclesiam nondum exist t. Tertiò debet primam tonsuram habere: hac enim constituitur cleri cus, *cap. cùm contingat de ætate, & qualit. ordinandor.* Vnde merè Laicus incapax est huius iurisdictionis suscipiendæ, *cap. Ecclesia sanctæ Mariæ de constitutionib.* Et *cap. decernimus de iudicijs*, vbi prohibentur Laicis Ecclesiastica negocia, & apertiùs colligitur *ex cap. indicatum 8 9. dist.* ibi, cauendum est ne sæcularibus viris, atque non sub regula nostra degentibus res Ecclesiasticæ committantur, sed probatis de vestro officio clericis. Et tradit Couarruu. *in cap. alma mater 1. p. §. 11. numer. 3.* Nauar. *cap. 27. numer. 9.* Coninch. *disp. 13. dubit. 4 numer. 32* Quinimo nec Religioso professo si Laïcus sit, committi ea iurisdictio potest, sicuti ex communi docet Suar. *disput. 2. sect. 2 numer. 11.* Paul. Layman. *lib. 1 sum. tract. 5. par. 1. cap. 3 numer. 2.* Quartò non debet esse coniugatus, hic enim tametsi minores ordines habeat, & obsequio alicuius Ecclesiæ addictus sit, habitúmque clericalem gestet, ob quæ priuilegio canonis, & fori gaudeat, *cap. vndecim. de clericis coniugat. in 6.* iuncto Trident. *sess. 23. cap. 6. de reformat.* attamen ordinum, beneficiorúmque susceptionis, iurisdictionisque Ecclesiasticæ administrationis incapax omnino existit ex expresso textu *in cap. sanè el. 1. de clericis coniugatis.* Et tradit ibi Abbas, Couarruu. *cap alma, 1. p. §. 11. num. 3.* Ægid. Coninch. *disp. 13. dub. 4. numer. 32* Suar. *disp. 2. sect. 3. num. 1.* Paul. Laym. an. *lib. 1 sum. tract. 5. par. 1. cap. 3. num. 2.* Quapropter neque ex dispensatione Episcopi prædictis Laïcis, aut coniugatis hæc potestas cõmitti potest, quia nemini alteri à Pontifice concessum est aduersus consuetudinem, & decreta vniuersalis Ecclesiæ procedere. vti rectè aduertit Paludan. *in 4. el. 19. quæst. 2. art. 1.* Suar. & Paul. Layman *loc. allegatu.* Ex his à fortiori constat fœminam incapacem esse huius iurisdictionis, vti dicitur in *cap. noua de pœnitentiis, & remissionibus*, & *cap. de monialibus de sententia excommunicat* Et apertius *cap. dilecti de maiorit. & obedient.* vbi, Abbatissæ contendentes clericos sibi subiectos ratione alicuius capellæ, seu beneficii ad ipsas pleno iure pertinentis propter inobedientiam, & culpas officio, & beneficio suspendere, præcepit Pontifex, earum mandatum obseruari, iniungítque cuidam Abbati, vt per censuras clericos supradictos compellat earum mandatis obtemperare. Signum ergo euidens est, ipsas non posse censuras ferre. Neque obest quod textus vtatur verbo *suspendere* Nam vt rectè Abbas *ibi numer. 5.* Siluest. *Abbatissa, numer. 6* Auila *1. p. dubit.* . Layman. *d. cap. 3. numer. 3* verbum *suspendere* ibidem accipitur in lata significatione, quatenus præceptum, & sententia Abbatissæ clericos suspendebat, seu impediebat, ne Missas celebrarent, néve reditus beneficii acciperent: non tamen quatenus censuram suspensionis significat, ex cuius violatione irregularitas incurritur.

4. Controuersia igitur est; an fœmina iure diuino incapax sit huius potestatis, ita vt nec Pontifex ex plenitudine iurisdictionis eam illi concedere possit? Affirmat Stephanus Dauila *1. p. dubit. 6.* Coninch. *disp. 13. dubitat. 4. numer. 33.* eo quòd hæc potestas ferendi censuras pertinet ad claues Ecclesiæ. At claues Ecclesiæ Christus soli Petro, aliísque Apostolis, eorúmque successoribus concessit, non autem fœminæ etiam Beatissimæ Virgini, vt adnertit Innocent. *in cap. noua de pœnitent. & remissionib.* Ergo. Et confirmatur ex illo *Corint. 1. cap. 14.* vbi Paulus præcepit mulieribus ne in Ecclesia docent; quia id indecens est. Ergo à fortiori indecens erit iurisdictione Ecclesiastica vti, & superiores le clericis ostendere. Deinde si fœminæ iure diuino incapaces non essent huius potestatis, aliquando illis à Sede Apostolica commissa esset; cùm autem nunquam legatur commissam fuisse, signum est iure diuino esse incapaces.

5. Nihilominus verius censeo iure diuino non esse censendam fœminam incapacem huius potestatis, vti docuit Paludan. *in 4. d. 19. quæst. 2. art. 1.* Nauuar. *lib. 3. cons. 1. de sententia excommunicat.* Sayrus, *lib. 1. de censuris cap. 5.* Fileucius *tract. 11. cap. 2. quæst. 8.* Gaspar Hurtado *tract. de censur. disput. 4. numer. 3.* Suar. *disp. 2. de censur. sect. 3. numer. 7.* Paul. Layman. *lib. 1 sum. tract. 5. par. 1. cap. 3. num. 4.* inclinat Thom. Sanch. *lib. 6. decalogi. cap. 1. numer. 23.* Et colligitur ex D. Thom. *in 4. d. 19. quæst. 1. art. 1. qq. 3. ad 4* admittente fœminis communicari posse aliquem clauium vsum, tametsi nec ordinis, nec iurisdictionis clauem habeat. Ratio verò est; quia potestas ferendi censuras est spiritualis sit, non est potestas ordinis, cùm ex omnium sententia laico communicari à Pontifice possit, sed est potestas iurisdictionis. At fœmina non videtur incapax iure, diuino potestatis iurisdictionis spiritualis; siquidem ex priuilegio Pontificis conferre clericis beneficia potest, eósque in Ecclesiis instituere, & possessionem conferre, ac tandem præcepta imponere, vt decidit *cap di ecta de maiorit. & obed.* quæ omnia sunt munia iurisdictionis spiritualis.

6. Argumentum verò oppositum non vrget. Fateor claues Ecclesiæ prout potestatem ordinis, & iurisdictionis continent; non communicari posse fœminis, imò nec clauem iurisdictionis per se & directè: benè tamen indirectè: & per accidens in vno, vel alio casu. Neque obstat, quod fœminæ non sint Apostolorum successores; nam etiam mere laicus, & non baptizatus non censetur Apostolorum successor, dum extra clerum, vel Ecclesiam existit; & tamen ei potest à Pontifice potestas ferendi censuras committi vna vel altera vice, vt docet Sayrus, Layman. & Gasp. Hurtado *suprà*. Ergo etiam fœminæ committi potest. Ad confirmationem admitto, per se, & communiter fœminæ hanc potestatem ferendi censuras committi non posse, sicut neque potestatem docendi. At sicut vrgente aliqua graui causa posset Pontifex permittere fœminæ aliàs eruditæ populum docere, sic posset permittere, vt censuras ferret Præterquam quòd censurarum impositio non ita dedecet fœminam, ac prædicatio. Vltima confirmatio solùm probat rarò vel nunquam euenire posse casum qui Pontificis commissionem honestet; ideóque Pontifices ab ea commissione abstinent.

PVNCTVM V.

De conditionibus necessariò requisitis pro censura ferenda.

1 *Ex parte ferentis requiritur potestas.*
2. *Item requiritur libertas, sed non ad valorem censuræ.*
3 *Tertiò debet intra proprium territorium existere.*
4 *Debet esse liber à censura.*
5 *Censuram præcedere debet monitio.*
6 *Si sub censura tibi aliqua actio prohibita est, affirmant plures non esse opus monitione.*
7 *Verius est oppositum.*
8 *Comminatio censuræ non qualiscunque sufficit, sed trina, vel vna pro tribus.*
9 *Item hac monitio debet fieri in scriptis continentibus causam pro qua censura fertur.*
10 *Prolationem censuræ verbo tenus aliqui censent esse inutilem. Verius est solùm illicitam esse.*
11 *Si censura contra determinatam personam feratur, debet nomine iudicis ipsi reo monitio fieri.*
12 *Prædictæ conditiones requisitæ sunt pro censura per modum sententiæ ferendæ.*
13 *Monitio non est opus vt præcedat denunciationem censuræ, si crimen est manifestum.*
15 *Quo tempore debeat ferri censura.*

1. EX parte ferentis censuras requiritur primò, vt habeat potestatem vel ordinariam, vel delegatam, vt de se constat. Quare si tempore quo delinquens censura ligandus erat, tu potestate careas, nulla est censuræ impositio.

2. Secundò debes procedere volùtarié, & humano modo iuxta textum *in cap. cum voluntate de sentent. excommunic.* quam voluntatem verbis, aut aliis signis exprimere debes. Sed an hæc voluntas sic debeat esse libera, vt metu graui interueniente nulla sit? Difficultate non caret. Quippe absolutio à censura ex huiusmodi metu nulla est, vt expresse decidit *cap. vnic. de his quæ vi, metúsve causa fiunt.* Et *ibi* communiter Doctores. At idem iudicium de impositione censuræ, ac de absolutione faciendum est, vt probat textus *in cap. verbum de sponsal. dist. 2.* ibi *par ius ligandi, & soluendi esse voluit.* Sed verius est metum non

non impedire valorem censuræ: quod docuit Abbas *in cap. 2. de hæret. quæ vi, num.* 11. Suar. *de censur. disp.2. sect.1. num.7.* Coninch. *disp.* 13. *dub.* 5. *num.*36. Gaspar Hurtado *de censuris difficult. 6. num.* 24. & alij. Ratio est, quia gesta per metum iure naturæ valida sunt, nisi aliunde iure positiuo irritentur, vti diximus *tract.* 2. *de peccatis disp.* 1. *p.* 8. quia metus etsi voluntarium diminuat, non tamen illud tollit. At iure positiuo latio censuræ per metum non reperitur irritata. Ex irritatione autem absolutionis non infertur latio censuræ irritari; quia est casus omnino diuersus, & in quo diuersa ratio militat. Quippe absolutio ex metu concessa irritatur ob fauorem Ecclesiasticæ potestatis, ne scilicet Prælati vexarentur; at impositionem censuræ esse irritam, non est fauor Ecclesiasticæ potestatis, sed eius in quem fertur. Præterea non sic committer, & frequenter timeri potest vexandos Prælatos, vt censuras imponerent, quàm vt ab illis absoluerent: ergo irritatio absolutionis extendenda, non est ad censuræ impositionem. Neque obest idem esse iudicium faciendum de potestate ligandi, ac soluendi: quia id intelligendum est per se, secùs si per accidens impediatur, sæpe enim contingit prælatum habere potestatem ligandi sua censura, at impeditum esse ab absolutione concedenda, vt patet in incendiario nominatim ab Episcopo excommunicato, quem solus Papa absoluit, *cap. Tua nos, de sententia excommunicat.*

3. Tertiò debet ferens censuram intra proprium territorium existere; nam extra etiam sibi subditum non potest ligare censura, vti docuit Glossa *in cap. Nouit.* Et ibi Panormit. *num.* 3. *de officio legati.* Nauarr. *cap.*27. *num.*6. Coninch. *disput.* 13. *dub.*5. *num.* 39 Stephanus Dauila *de censuris*, 2. *part. cap.*4. *disp.*3. *dub.*1. Sayrus *lib.*1. *cap.*14. *num.*4 Gaspar Hurtado *tract. de censuris difficult.*6. *num.*25. colligitúrque ex *can. Episcopum* 9. *quæst.*2. & ex Clement. *vnic. de foro competenti.* Rationem tradidit Couarruu. 3. *var. cap.*10. *num.*8. quia extra proprium territorium nemini datum est, iurisdictionem contentiosam exercere, ne iudici illius loci iniuriam inferat, vt probat textus *in leg.* 1. *ff. de officio Proconsulis* & *cap. nouit de officio legati.* At ferre censuras est actus iurisdictionis contentiosæ, vtpote quæ feruntur in inuitū, & cum cognitione causæ, *leg. inter stipulantem* §. 1. *ff. de verbor. obligationib.* Ergo Quamuis contrarium immeritò doceant Gonzalez *reg.*8. *cancellar. glos.*62. *num.*12. & August. Barbosa 2. *part. de potest. Episcopi allegat.*6. Ab hac regula excipe censuram latam absque causæ cognitione, qualis est quæ fertur per modum statuti, quæ cognitionem causæ non exigit, vt docet Geminian. *in cap. Romana.* §. *cæueant. num.*4. *de sententia excommunicat.* Ancharran, *ibi num.*6. Marian. Socinus Senior *in cap. Perpendimus num.*75 *de sententia excommunicat.* vel quæ fertur pro notoria, & manifesta contumacia, quæ causæ cognitionem non requirit, vt iidem Doctores tradunt, vel quæ fertur præmissa causæ cognitione in territorio proprio, vti aduertit Sayrus *lib.*1. *thesauri casuum. cap.*14. *num.*6. *vers. septimo.* Secundò excipe, nisi à suis expulsus esset; quia eo casu petita licentia ab Ordinario illius loci in quo residet, tametsi non obtenta poterit in sibi subditos censuras ferre, vt habetur dicta Clement. *vnica de foro competenti.* Et tradunt. Nauarr. Coninch. Hurtado, & alij *supra.*

4. Quartò vt iustè, & licitè quis ferat censuras non debet censura esse ligatus, nec aliqua lege aut superioris præcepto interdictus, vt de se constat. Item non debet prauo affectu odij, aut vindictæ duci, vt dixit Gregor. & Doctores *in c. de sentent. & re iudic. in* 6. Et tradunt omnes.

5. Quoad modum autem ferendi censuram necessariò præcelere debet monitio, seu illius comminatio, quia fertur ob contumaciam, & inobedientiam actualem: at qui monitus non est à ferente censuras, non est illi rebellis, & inobediens Ergo absque monitione ligari censura non potest. Et de censura excommunicationis expressè traditur *in cap. constitutam de Sententia excommunicat. in* 6. Et *in cap. sacro, eodem tit.* iuncta Glossa, De suspensione habetur in *cap. reprehensibilis de appellationib.* De interdicto, *cap. statutum de sentent. excommunicat. in* 6. Et vniuersaliter pro omnibus censuris prouisum est, vt admonitio præcedat vindictam. Atque ita ex omnium sententia tradunt Sotus *in* 4. *d.*22. *quæst.*1. *art.*2. *concl* 4. & 5. Nauarr. *cap.*27. *num.* 10. Suar. *disp.*3. *sect.*8. Coninch. *disp.*13. *de censur. dub.*9 *concl.*3. *num.* 82. Stephan. Dauila, 2. *part. de censur. cap.*5. *disp.*1. *dub.*10. Paul. Laym. *lib.*1. *tract.*5. *part.*1. *cap.*5. *num.*6.

Prædicta doctrina explicari potest in hunc modum: nulla censura fertur nisi pro præueniendo peccato futuro, vel in satisfactionem præteriti. At eo ipso, quo tibi præcipitur sub comminatione censuræ vitare peccatum, vel illius præstare satisfactionem, monitus ergo nunquam censura ferri potest absque monitione. Est tamen notandum discrimen inter excommunicationem, suspensionem, & interdictum, quod excommunicatio nunquam infligitur nisi vt censura, ideóque semper monitionem requirit; at Suspensio, & aliquod interdictum etsi censuræ sint, aliquando non vt censuræ, sed vt pœnæ, & vindictæ Ecclesiasticæ apponuntur, & tunc monitionem præuiam non requirunt. De suspensione habetur *cap. tam literis* 33. *de testibus, & attestationib.* Et *cap. cum in cunctis* 7. *de electione.* Et de interdicto est textus *in cap. sacro* 48. *de sententia excommunicat.* Et *in cap.*1. *eodem tit. in* 6.

6. Solùm est dubium; an si tibi sub excommunicatione, vel suspensione ferenda prohibeatur, vel præcipiatur aliquod factum, possit iudex nulla alia monitione excommunicationis, vel suspensionis sententiam in se inobedientem proferre? Affirmat satis probabiliter Abbas *in cap. cum sit Romana n.*28. *de appellationib.* Sanch. *lib.* 2. *de matrim. disput.*24. *num.*28. & *lib.*9. *disp.*32. *num.*13. Fileucius *de censuris cap.*3. *quæst.*3. *num.*95. Bonac. *disp* 1. *quæst.* 1. *punct.*9. *num.*4. Stephanus Dauila *de censuris.* 2. *part. cap.*5. *disp.*1. *dub.*5. eo quòd iam inobediens, & rebellis mandatis Ecclesiæ extitisti: alias nullius effectus erit comminatio censuræ ferendæ, si post patratum delictum inferri nequit, sed noua monitione indiget, qua posita poteris censuram effugere.

7. Sed longè verius est prædictam censuram comminatam tibi infligi non posse absque noua monitione, vti docuit Suar. *disp.*3. *de cens. sect.*10. *n* 19. Paul. Layman. *lib.* 1. *sum. tract.*5 *part.*1. *cap.*5. *num.*6. & indicat Couarruu. *in cap. almæ matris* 1. *part.* §. 9. *num.*5. Caietan. *in sum.* verbo *præcepti transgressio*, §. *pœnas*, & verbo *clericorum peccata.* Colligitúrque apertè ex *cap. reprehensibilis de appellationib.* ibi, Nec Prælati (nisi canonica commissione præmissa) suspensionis, vel excommunicationis sententiam proferant in sibi subiectos, nisi fortè talis sit culpa, quæ ipso suo genere suspensionis, vel excommunicationis sententiam inducat. Ergo pro culpa quæ ipso iure secum non trahit censuram, non potest Prælatus absque monitione eam infligere. Quod si dicas in culpis quæ secum trahunt censuram, iam est lata censura; ergo Prælatus illam proferre non potest. Respondeo: proferre debet non infligendo, sed declarando Ratio verò est; quia de ratione censuræ est, vt imponatur in delicti præseruationem, seu emendationem, quia est pœna medicinalis: at si ob delictum factum imponi posset, non tam medicina, quàm punitio, & vindicta esset, deliquentémque emendatum sæpè puniret, ideóque rectè aduertit Suar. *num.*21 & Layman. *supra num.*6. comminationem censuræ ferendæ nunquam esse faciendam, nisi delictis quæ tractum successiuum habeant, quæque relinquunt obligationem satisfaciendi, aliàs nullius effectus erit comminatio censuræ nisi fortè ad terrorem.

8. Hæc comminatio censuræ non qualiscunque sufficit, vt licitè censura feratur, sed necessariò debet esse trina, vel vna pro tribus concesso sufficiente interuallo temporis ad deliberandum secundùm circunstantias, & negocij qualitatem, vt si diceret iudex. Mandamus, vt intra sex vel tres dies, vel tres horas, quas tibi pro tribus monitionibus assignamus compareas: habetur *Cap. constitutionem de sententia excommunicat. in* 6. & *cap. sacro eodem tit. in* 6. iuncta Glossa, *cap. Reprehensibilis de appellationib.* Et apertiùs *cap. Romana. eodem tit. in* 6. vbi cauetur, ne iudices ferant sententiam excommunicationis, vel suspensionis absque competenti monitione; & si contra præsumpserint iniustas nouerint esse illas; vbi Glossa ponderat verbum *iniustas*, & aduertit non dixisse nullas, quia ex defectu trinæ monitionis (modò monitio adsit) censura non redditur nulla, sed iniusta, nisi fortè fuerit censura lata aduersus participantes, & communicantes cum excommunicato ab eodem iudice: hæc enim vt valida sit, requirit necessariò trinam monitionem, vt expressè cauetur *cap. statuimus.* & *cap. sta utum de sententia excommunicat. in* 6. vt aduertit Suar. ex communi sententia *disp.*3. *sect.*12. *num.*4. & 5. Gaspar Hurtado *tract. de censur. difficult.*20. *num.*86. Layman. *lib.* 1. *tract.*5. *par.*1. *cap.*6. *fine.* Oportet autem in ipsa sententia explicari tempus concessum ad deliberandum pro trina monitione concedi; aliàs reus non intelliget esse terminum vltimum, sed superesse alias monitiones. Sufficiet tamen, si iudex dicat, Mandamus, vt intra tot dies sequentes ab hac nostra publicatione compareas, sin minus excommunicatione ipso facto innoderis: tunc enim hæc monitio trinam virtualiter continet monitionem, & terminus designatus etsi vnus sit, est virtualiter triplex, vt dixit Suar. *n.*7.

9. Secundò hæc monitio debet fieri in scriptis continentibus causam, pro qua censura fertur, quæque tradi debet reo, cui censura imponitur. Quod si iudex (nisi fuerit Episcopus) absque vrgenti causa solo verbo, & non scripto excommunicationem protulerit ab ingressu Ecclesiæ, & diuinis officiis ipso iure suspenditur per mensem, etsi intra illud tempus se diuinis ingesserit, fit irregularis. Quæ omnia habentur in *cap.*1. *de sententia excommunicat. in* 6. Dixi *excepto Episcopo*, quia Episcopus sub prædicto decreto non comprehenditur, cùm illius non fuerit mentio expressè facta, iuxta textum *in cap. quia periculosam de sententia excommunicat. in* 6. Dixi *absque vrgente causa*, nam ea stante non solùm validè, sed licitè verbo tenus excommunicatio proferri potest; siquidem textus *in d. cap.*1. *cùm medicinalis de Sententia excommunicat. in* 6. temeritatem requirat, iniquit, enim. Si quis iudicum huiusmodi cōstitutionis temerarius extiterit violator. & notauit Glossa *ibi*: & Stephan. Dauila *de censur.*2. *p. c.*2. *dub.*3.

10. Aliquibus placuit prolationem censuræ verbo tenus non solùm illicitam, sed nullam esse, vti docuit Ripa *in Rub. de constitution num.* 18. motus ex *cap. fin. de sententia, & re iudic.* Et Sayrus *lib.* 1. *thesauri cap.* 7. *num.* 16. Sed longè verius est solùm esse illicitam, vt tradit Coninch. *disp.* 13. *dub.* 9. *conclus.* 5. *n.* 8. Stephan. Daulà *dicto dub.* 3. Layman. *lib.* 1. *sum. tract.* 5. *par.* 1. *cap.* 9. *num.* 1. Nam iure naturæ scriptura necessaria non est. Iure autem positiuo etsi scriptura requiratur in dicto *cap. cùm medicinalis*, non tamen sic necessariò exigitur, vt aliter prolata censura irritetur. Textus verò finalis *de sententia, & re iudic.* exigens necessariò scripturam, intelligendus est de sententia punitiua criminis, & decisiua litis, non verò de sententia quæ non tam ad puniendum delictum, quàm ad illud præcauendum, & emendandum ordinatur.

11. Tertiò debet nomine iudicis ipsi reo monitio fieri, si censura contra determinatam personam feratur. Quod si ipse latitet, sufficit fieri ad eius domum, vel in Ecclesia, seu platea, alióve loco publico, ex quo in eius notitiam deuenire possit. Itémque facienda est coram testibus qui de monitione testari possint, vt traditur *cap. sacro, de sententia excommunicat.* Et docuit Couarru. *cap. alma mater.* 1. *part.* §. 9. *num* 4 Coninch *disp.* 13. *dub.* 9. *conc.* 1. Suar. *t.* 5. *de censur. disp.* 3. *sect.* 11.

Aduerte prædictas conditiones pro latione censuræ per modum sententiæ requisitas esse. Nam censura, quæ à iure fertur per legem, vel statutum ea sola publicatione, & monitione contenta est, quæ ad constituendam legem, seu statutum requiritur, de qua latè dixi *tract. de legib. disp.* 10 9 *& seqq.*

12 Sed an monitio non solùm censuræ ligamen, sed etiam eius denunciationem præcedere debeat? non satis constat. V. G. commisisti delictum, cui est annexa censura, poteritne iudex te declarare, & denuntiare censura esse ligatum? Respondeo posse, dummodò delictum publicum sit, & notorium, neque illius pœnituerit, vt rectè docuit Abbas *cap. nostram* 1. *de iureiurando.* Nauarr. *lib.* 5. *consilior. cons.* 20. *de hæretic. num.* 5. *in* 2 *edit* Suar. *disp.* 3. *de censur. sect.* 10 *n.* 18. Paul. Layman. *lib.* 1. *sum. tract.* 5 *part.* 1. *cap.* 5. *num.* 6. colligiturque ex *cap. de manifesta* 2. *quæst.* 1. *cap. euidentia de accusat. c. bonæ memoriæ.* 1. *de Elect.* ibi, excessus notorius examinatione non indiget. Sed apertiùs constat conclusio ex *cap. reprehensibilis de appellation.* ibi. Præsenti decreto statuimus, vt nec Prælati nisi canonica monitione præmissa suspensionis, vel excommunicationis sententiam proferant in subiectos, nisi fortè talis sit culpa, quæ ipso suo genere suspensionis, vel excommunicationis pœnam inducat. Ecce qualiter potest iudex nulla præmissa monitione proferre sententiam, hoc est declaratoriam & denunciatoriam excommunicationis, vel suspensionis: quando scilicet ipso iure excommunicatio, vel suspensio incursa est. Et ratio videtur manifesta: quia denunciatio non est nouum vinculum, vt censura, vt dicitur *c. pastoralis* §. *verùm de appellationib.* Ergo non adest causa, ob quam monitio prærequiratur. Debet tamen delictum notorium esse vel per sententiam, vel ipso facto, ita vt nulla tergiuersatione celari possit, aut excusationem admittere: aliàs ea declaratio illicita esset contra ius naturæ, iuridicumque ordinem procedendi. Præterea requiritur, quod reus delicti non pœnituerit; nam si absolutionem à censura expostulauerit reus, satisfactionemve obtulerit, non est denunciandus, sed potius absoluendus iuxta textum *in cap. qua fronte, de appellation.* cùm finis censuræ obtentus sit, qui est delinquentis correctio, & emendatio.

13. Quoad tempus attinet nulla censura expedit die feriato proferri; quia plerunque causæ cognitionem prærequirit, à qua die feriato abstinendum est iuxta textum *in cap. fin. de Feriis.* Et ibi Panormit. *num.* 19. Quod si eo die feratur etiam absque necessitate valida est, vt aliis relatis comprobat Sayrus *lib.* 1. *thesauri casuum, c.* 14. *num.* 7. eo quòd ea quæ causæ cognitionem non exigunt necessariò ad sui valorem die feriato gesta valent *Leg. actus Cod. de Feriis.* Denunciatio autem censuræ frequenter die feriato fit si præcedat causæ cognitio die non feriato; quia eo tempore facta in plurium notitiam deuenire potest, vt notauit Sayrus *dicto capite* 14. *numero* 10

Punctum VI.

In quos censura ferenda est?

1 *Ferri debet in hominem baptizatum, viatorem, rationis compotem.*
2 *Sed an vltra vsum rationis requiratur pubertas, variant Doctores.*
3 *Item debet esse subditus ferentis censuram.*
4 *An omnes assistentes in diœcesi censuræ à Diœcesano latæ ligentur, & econtrà diœcesani extra existentes?*
4 *Remissiuè respondetur.*
5 *Propter diuersas causas duplici censura ligari quis potest.*
6 *Ob eandem causam duplici censura ligari potest, si à diuersis iudicibus lata sit, vel causa multiplicetur.*

1. Censura necessariò ferenda est in hominem, baptizatum viatorem, rationis compotem, & ferenti potestati subiectum Vti ex communi sententia tradit Nauarr. *cap.* 27. *num.* 13. Sotto. *5. de censur. disp.* 5. *sect.* 1. Coninch *disp.* 13. *dub.* 6. Paul. Layman. *lib.* 1. *sum. tract.* 5. *part.* 1. *cap.* 4. *num.* 1.

Primò debet esse homo: nam bruta animalia censuræ capacia non sunt, vtpote quæ nec potestati Ecclesiasticæ subduntur, nec culpam committere possunt, ob quam censura fertur. Quod si aliquando Ecclesia creaturas irrationales fidelibus nocentes anathematizat, non est, quia censuram in illas ferat, sed quia illas detestatur, & execratur, sicuti cùm quis proprias culpas, & errores anathematizat. Angeli verò censura ligari non possunt, quia subiecti non sunt Ecclesiæ. Damnati nunquam sunt corrigendi. Beati culpæ expertes sunt.

Secundò debet esse baptizatus, seu fidem in Ecclesia professus: non Paganus, Iudæus, aut Cathecumenus, quia vt inquit Paulus 1. *ad Corinth.* 5. Quid enim mihi de his, qui foris sunt iudicare: non enim Ecclesiæ potestati subiicitur qui Ecclesiam ingressus non est. Secùs verò dicendum est de Hæreticis, Apostatis & Schismaticis. Qui vtpote baptizati Ecclesiæ potestatem fugere non possunt, vt deciditur *cap. de Iudæis*, 45. *dist.*

Tertiò debet esse homo viator, nam mortuus censura ligari nequit, vti ex communi docet Nauarr. *c.* 27. *num.* 13. & *cap.* 28. *num.* 32 Couarruu. *in cap alma.* 1. *p.* §. 11. *num.* 8. Suar. *disput.* 5. *sect.* 1. Auila 2. *p. c.* 2. *disp. unica, dub.* 8. *concl.* 2. Layman. *tract.* 5. *p.* 1. *cap.* 4. *num.* 2. & alij communiter. Colligiturque ex illis verbis Christi *Matth.* 16. Quæcunque ligaueris super terram. Nam vt rectè expendit Gratian. 24. *a.* 2. Christus Dominus solùm concessit Petro potestatem ligandi & soluendi eos, qui sunt super terram; quia ipsi tantùm Ecclesiæ subiiciuntur. Explicarique potest in hunc modum; Defectus nec ratione corporis, neque ratione animæ ligari potest; non ratione corporis; quia est quid immutum incapax subiectionis; non ratione animæ; quia est quid spirituale, & inuisibile, subiicique nequit Ecclesiæ visibili. Et præterea si in cœlo, aut purgatorio existit non est in statu, quo mereatur censura affici, vt pote grata Deo; si verò existat in inferno corrigibilis non est. Ex quo manifestè infertur: si quis mandauit clericum occidere, & ante mandati executionem moriatur, censuram nullam incurrere, quia tempore quo illam incurrere erat incapax existit.

Neque his obstat textus *in cap. à nobis el* 2. *de sententia excommunicat.* vbi Innocent III. determinat excommunicatum absolui post mortem posse, reddítque rationem; quia Ecclesia potest soluere, & ligare defunctos. Quia vt benè Castro *lib.* 2. *de iusta hæretic. punit. ca.* 20. Couarruu. *in dicto c. Alma*, 1. §. 11. *num.* 8. Suar. *disp.* 5. *sect.* 1. *num* 11. textus intelligendus est de absolutione, & ligatione indirecta, non directa, quatenus Ecclesia præcipere potest fidelibus, ne corpus excommunicati, & absque signis pœnitentiæ decedentis sepulturæ faciæ tradant, neve suffragia offerant, vel è contrà si signa pœnitentiæ dederit, potest Ecclesia fidelibus concedere, vt hæc omnia beneficia defuncto impendant. Quod non est absoluere, vel ligare defunctum directe, sed vtuos ligare, vel absoluere ab obligatione, quæ illis inest ob censuram, qua defunctus ligatus erat.

Quartò debet esse rationis compos, saltem quando causam censuræ dedit, quia absque culpa, censuræ capax esse non potest. Si autem sui compos efficacem causam censuræ contrahendæ dederit, & tempore quo ligandus erat in ebrietatem, vel amentiam etiam perpetuam incidisset, sine dubio ligaretur; quia vtus rationis, liberaque voluntas solùm requiritur ad causam censuræ apponendam, non verò ad ipsam censuram contrahendam, vti docuit Suar. *disp.* 5. *sect.* 1. *n.* 20. Layman *lib.* 1. *sum tract.* 5. *par.* 11. *cap.* 4. *n.* 3. vnde mandans clericum interficere, & tempore interfectionis ebrius, vel amens existit, non obinde effugit censuram mandato annexam. Ab ea tamen censura (si amentia perpetua est) absolui debet; quia non expedit ligatum esse censura qui per eam corrigi non potest: cùm ipsa censura, vtpote medicinis pœna ad correctionem dirigatur, vti notarunt Suar. & Layman *loc. alleg.* Coninch *disp.* 13. *dub.* 6. *num.* 45. *& seqq.*

2. Sed an vltra vsum rationis requiratur pubertas? Non constat inter Doctores. Nam Vgolin. *de censur. cap.* 17. §. *num.* 5. affirmat, eo quòd ante illam ætatem non satis percipit ordinem iudiciarium, neque in iudicio admittitur ad se defendendum, vel agendum iuxta textum *in cap. vlt. de iudiciis in* 6. Sed dicendum est censuræ à iure latæ impuberem rationis compotem capacem esse; quia nullo iure eximitur, & cùm culpam committere possit, cui censura annectitur, non est cur à censura excusetur, supponítque textus *in cap.* 1. *& vlt. de sentent. excommunicat.* Et tradit Suar. *disp.* 5. *sect.* 1. *num.* 17. Coninch. *disp.* 13. *dub.* 6. *num.* 45. Gaspar Hurtado *tract. de censur. difficult.* 7. *n.* 30. Idem videtur dicendum de censura lata per statutum, nisi contrarium ex consuetudine constet; quia ad hanc censuram imponendam non est opus impuberem citari, nec in iudicio comparere, vt supponunt prædicti Doctores. At si censura sententia specialis ferenda sit, credo aduersus impuberem ferri posse, tametsi id non sit conueniens. Priorem partem mihi persuadet, quia ille impubes ordinem iudiciarium ignoret, de illo instrui potest, si-cuti alij pueri ordinem iudiciarium ignorantes instituuntur. Item medio procuratore, & tutore respondere in iudicio potest.

Secundum

Secundam partem probat mihi vsus,& consuetudo satis recepta, nunquam ferendi censuram directè contra impuberes. Notanter dixi *directè*,nam indirectè,& consequenter non est dubium, impuberes censura ligari,vt contingit interdicto generali populi, quòd impuberes vsum rationis habentes comprehendit.

3. Quinto debet esse subditus ferentis censuram, aliàs censura ab ipso lata ligari non poterit : non enim superior suam iurisdictionem, & superioritatem in alium quem in sibi subditum exercere valet,vti est manifestum, & colligitur ex *cap. à nobis 21.de sententia excommunicat.& cap.cùm inferior 16.de maioritat.& obedient.* & tradunt omnes Ex qua doctrina fit Pontificem nullatenus ligari censura posse, quia superiorem in terris non habet. Leges namque ab ipso latæ comparatione ipsius vim coërcitiuam non habent, quippe nullus sibimet præceptum imponere potest Extra Pontificem omnes alij fideles rationis vsum habentes ligari censura possunt, saltem comparatione Pontificis, quia Pontifici subiiciuntur. Rex verò, & Imperator ob eorum supremam dignitatem eximuntur à iurisdictione Episcopi, ne possint vlla censura ab ipsis lata ligari, vt dixit Siluest. verbo *excommunicatio. num.*10. Stephan. Dauila pluribus relatis 2 *p. de censur.cap.4. disp. vn. dub.*4. Episcopi generali iuris constitutione sententia, vel mandato non ligantur, nisi de illis fiat expressa mentio, iuxta textum *in cap.Quia periculosum de sententia excommunicat. in* 6 quod solùm de suspensione, & interdicto loquitur,non de excommunicatione,vt aduertit Suar.*t. disp.*5. *sect.*4 *n.*3.Deinde Concilium prouinciale,& generale,& quælibet alia communitas ligari potest censuris suspensionis, & interdicti, vtpote quæ non exigunt culpam in omnibus, sed in odium delinquentium innocentes suspenduntur, vel interdicuntur. Secùs verò in censura excommunicationis vtpote grauiori, & directè priuatiua vsu spiritualium bonorum ex *cap. Romana de sententia excommunicat. in* 6. Quocirca vt excommunicatio validè feratur,debent nocentes communitatis cognosci, & aduersus illos tantùm sigillatim promulgari, vti docuit Nauarr. *dicto cap.* 17.*n.*13. Auila *in* 6. & alij apud ipsos. Neque his obest, quod censura feratur aduersus quamcunque qui ex hac communitate deliquerit,vel delictum commisit,si non satisfecerit;quia ex ipso delicto determinatur persona censura liganda.

4. Controuersia autem grauis est, an omnes existentes in Diœcesi censura à Diocesano lata ligentur, & è contra, an existentes extra Diœcesim censurâ suæ Diœcesis afficiantur ? Sed hanc difficultatem resolui *tract.*3. *de legib. disp.*1.*pun.*24.§.3.4. & 5. ibi enim enumeraui qualiter teneantur peregrini legibus, & præcepris loci quâ transeunt, qualitérque ligentur legibus, & præcepris sui domicilij, pœnisque præcepto, & legibus annexis afficiposint. Neque occurrit aliquid noui addendum.

5. Superest dicendum, an possit quis duplici censura eiusdem rationis ligari, duplici inquam excommunicatione, suspensione, vel interdicto ? Ratio dubitandi est, quia priuatio non suscipit magis,& minus ; cùm igitur quælibet ex his censuris sit priuatio spiritualium bonorum,nequit posita vna censura alia eiusdem rationis succedere. Et confirmo, duæ priuationes eiusdem numero formæ esse nequeunt in eodem subjecto. Ergo nec duæ excommunicationes, nec duæ suspensiones, aliàs essent duæ priuationes formales eiusdem numero formæ.

Nihilominus communis est sententia propter diuersas causas posse aliquem diuersis censuris eiusdem rationis ligari:vti docuit Siluest. *excommunicatio.*1 *n.*10.Sotus *in* 4.*d.*22.*art.*2.*concl.*3. Couarruu. *in cap.alma.*1 *p.*§.11. *num.*13. Suar. *de censur.t.*1. *disput.*5. *sect.*3. Vgolin. *tab.*1. *de censuris cap.*15.§.3.Molina *tract.*3.*disp.*41.*num.*3.& 7. Nicolaus Garcia 8.*p.de benefic c.*3. *num* 85. Et colligitur ex variis textibus. Nam Clement. 2. *de sententia excommunicat* excommunicantur qui contra priorem excommunicationem, & denunciationem procedebant, scilicet sacris assistendo. Et *cap. cùm pro causa de sententia excommunicat.* declaratur duplici censura innodatum esse, qui violentas manus in clericum iniecit, & Ecclesiæ immunitatem violauit, duplicique absolutione indigere, vel vna vtramque causam respiciente, vt notat ibi Abbas, & Doctores communiter. Idem probatur ex *cap. sicut de sententia excommunicat.*& *cap.Capitulum sanctæ Crucis de rescriptis.Cap. Engeltrudam.*3.*q.*4. *cap.ita quorundam de iudæis,& aliis.* Ratio, quia excommunicatio, & quælibet alia censura non tam est priuatio, quàm vinculum morale causans priuationem : atqui vinculum morale multiplicari potest,tametsi priuatio non mulpliceiur, vt manifestè patet in peccatis mortalibus, quorum quodlibet ità priuat hominem gratia, vt etiam aliud quantum ex se est priuet. Quare si directè vnum peccatum remitteretur non conferendo gratiam aliud remissum non esset, sed adhuc homo gratia priuatus maneret. Sic in præsenti dicendum est. Fatemur namque priuationem in se non suscipere magis,& minus ; benè tamen in ordine ad causam, vt patet in suprà dicto exemplo de peccatis. Et in naturalibus est res manifesta. Cubiculum namque priuari luce potest ex multiplici ratione impediente, tametsi vnica lucis priuatio existat. Sic homo multiplici censura eiusdem rationis priuari potest bonis Ecclesiæ, tametsi vnicam priuationem habeat ; quia censura non est formaliter priuatio, sed priuationis causa.

6. Adde non solùm ob diuersas causas, sed etiam ob eandem te posse duplici censura eiusdem rationis ligari, si à diuersis iudicibus à iure, vel ab homine lata sit, adsitque respectu cuiuscunque iudicis specialis contumacia, & inobedientia, sicuti docuit Abbas *in cap. grauem.num.*5.*de sententia excommunicat.* Suar.*d.disp.*5.*sect.*2. *num.*11. Nam esto ibi sit eadem causa materialis,est tamen diuersa causa formalis, scilicet, diuersa contumacia, & inobedientia. Verùm quando ob contumaciam aggrauantur censuræ ab eodem iudice procedente inquam ad denunciationem,& anathema, diuersa censura non ligaris,neque duplici absolutione indiges ; vt aduertit Suar. *supra, n.*18.quamuis ante denunciationem excommunicatio reseruata non esset, quæ post denunciationem reseruata est.

Quinimo existimo,quotiescunque transgressiones eiudem censuræ multiplicantur, toties censuras multiplicari. Vnde si modò percutias clericum, & deinde alium duplici, excommunicatione innodaris;quia duplicem causam, quibus est annexa censura apposuisti,& tradit Suar. *disp.*5. *sect.*3.

Punctum VII.

Quam ob causam censura ferenda est.

1 *Pro culpa ferenda est censura.*
2 *Pro culpa veniali nec excommunicatio,nec suspensio,nequè interdictum ferri potest, vt communiter feruntur.*
3 *Aliqui censent peccatum mortale sufficere, si interiùs consummetur.*
4 *Verius est requiri exteriùs esse consummatum.*
5 *Satisfit oppositis fundam.*
6 *Non solùm debet esse peccatum mortale externum, sed specialiter ab Ecclesia prohibitum.*
7 *Quinimo debet esse prohibitum sub comminatione censuræ incurrendæ.*
8 *Non potest ferri pro peccato præterito in eius punitionem.*
9 *Proponuntur obiectiones,& soluuntur.*
10 *Peccatum ob quod censura contrahitur debet esse completum secundum proprietatem verborum.*
11 *Aliquibus placet censuram impositam contra facientes, seu committentes delictum comprehendere mandantem, & consulentem.*
12 *Verius est oppositum.*
13 *Temperatur doctrina, ne procedat, cùm lex inutilis redderetur.*
14 *Satisfit obiectis fundam.*
15 *Qualiter reuocato mandato, vel consilio incurrat censuram contra mandantem, vel consulentem impositam.*
16 *Delinquens aduersus præceptum sub censura impositum,non duplex peccatum,sed vnum tantùm committit.*

1. OMnes conueniunt censuram infligi non posse nisi pro culpa ; quia est pœna medicinalis, quæ necessariò supponit culpam corrigendam. Est tamen notandum discrimen inter excommunicationem, suspensionem, & interdictum, quòd excommunicatio, quia est grauissima pœna, nemini alteri à delinquente infligitur. Secùs verò est in suspensione, & interdicto, quæ vltra nocentes innocentes ligant, vt citius nocentes resipiscant, videntes sua causa innocentes grauari, sicuti notauit Couarruu. *cap. alma mater. 1. p §. 9. n.m. 3.* Deinde hæc culpa debet esse censuræ proportionata, aliàs committeretur iniustitia,vt colligitur *ex cap. fœlicis, De Pœnis, in* 6. ibi : iudex pœnam metietur ex culpa.

2. Dubitant tamen Doctores ; an ob culpam venialem censura inferri possit ? Et breuiter respondeo, neque excommunicationem maiorem, nec suspensionem, aut interdictum prout communiter feruntur ob culpam venialem iniungi posse ; quia sunt pœnæ grauissimæ, ac proinde culpæ leui improportionatæ, vti tradunt ex omnium sententia Coninch *disp.*13. *dub.* 8 *concl.*2. Suar.*disp.*4.*sect.*4. Sanch.*lib.*8.*moral. cap.*4. *num.*55. Paul Layman. *lib* 1.*Summ.tract.*5.*cap.*5. Vazq.*t.* 2.*disp.*138 *cap.* 5. Gaspar Hurtado *tract. de censuris disp.* 10. *num.* 43. & de excommunicatione maiori. Et idem fermè est de aliis censuris, colligitur apertè ex Trident. *sess.* 25. *cap.* 3. *de reformat.* Et *ex cap. Nemo Episcoporum. Cap nullus sacerdos.* 11. *quæst.* 3 & tradit vltra superiùs relatos Nauarr.*cap.*27.*num* 9.Couarruu.*cap alma mater.*1.*p.*§.9. Auila 2.*p de censur.cap.*5. *disp.*1.*dub.*2. Et licèt in aliquibus textibus videatur ob causam leuem excommunicatio ferri,vt in *cap. si qui* 23. *dist.* & aliis non est reputanda illa causa leuis absolutè, nam vt rectè explicat Coninch.*disp.* 13.*dub.* 8. *concl.* 2. causa quæ per se spectata leuis est sæpè ex circunstantiis grauis redditur. Ex quo fit manifestè quoties ex ignorantia, vel inaduertentia, vel alia de causa excusatur qui à grauitate culpæ, cui excommunicatio, suspensio, vel interdictum annexa sunt,excusari ab illis incurrendis,vt benè aduertit Layman. *d.cap* 4. *num.*1.

Notanter dixi excommunicationem maiorem, suspensionem, & interdictum prout frequenter feruntur non posse ob veniale

peccatum iniungi; quia excommunicationem minorem latam à iure conueniunt ferè omnes doctores; vt *disput sequenti* videbimus, ob peccatum veniale incurri; quia esto videatur maximis bonis priuare scilicet Sacramentorum receptione; at facillimo negocio tolli potest, cùm quilibet sacerdos facultatem habeat ab ea absoluendi. Et idem est de hac excommunicatione minori, si ab homine generaliter iniungeretur, nec reseruaretur, At dari potest aliqui suspensio, aliquòdque interdictum personale purum à iudice generaliter latum nec reseruatum minoribus commodis spiritualibus priuans, quàm excommunicatio minor, & æquè facilè absoluendum. Ergo potest ob culpam venialem iniungi, sicuti latè explicat Gasp. Hurtado *de censur. di ficult.* 10. *num.* 44. *& seqq.*

3. Sed an hoc peccatum mortale sufficiat, esse interius consummatum, vt censura ligari possis? discordant doctores. Nam Glossa *Clement. 1. de Hæretic.* & alij quos accuratè recensent Sanch. *lib. 1. in decalog cap.* 8. *num.* 2. Farinacius *de hæres. quæst.* 102. §. Barbosa 2. *p. de potest. Epis. allegat.* 40. *à numer.* 6. affirmant, quia Ecclesia habet iurisdictionem in actus merè internos, cùm eius potestas sit spiritualis. Ergo potest actus merè internos punire. Antecedens variis exemplis declaratur. Primò dispensat, irritáque votum purè mentale. Secundò absoluit à peccatis interius consummatis, eáque reseruat. Tertio obligat ad actum fidei supernaturalem, quando res fidei proponit, aut de fide quis examinatur. Quartò: iudex obligatus defendere clericum à percussione si id nolit incidit in excommunicationem, canon, *si quis suadente.* At hæc nolitio internum quid est. Quintò in Clement. *multorum de hæretic. §. verum*, excommunicantur inquisitores qui odio, vel amore ducti aliquid contra sui muneris obligationem omittunt, vel faciunt. Ad idem referuntur excommunicationes latæ sub hac conditione, si quis præsumpserit, si quis ausu temerario, si quis dixerit, vel crediderit, &c. quæ sunt conditiones, de quibus Ecclesiæ constare non potest, cùm interius consummentur.

4. Sed contraria sententia, scilicet ad incurrendam censuram non sufficere actum purè internum verior multò est, vt probant *Tract. 4. de fide. d sp. 3. p. sect. 3. in princ.* Et vltra Doctores ibi relatos eam docent Nauarr. *cap. 23. numer. 38.* & *cap. 27. numer. 66.* Couarruu. *reg. peccatum. 2. p. num.* 7. Suar., plures referens *disp 4. de censur. sect. 1.* Stephan. Dauila 1. *p dubit.* 10. Coninc. *disp. 13. dubit. 8. conclus. 4. numer. 71.* Gaspar Hurtado *tract. de censur. d fficult. 11. numer.* 49. Vasq. 1. 2. *disput.* 160. Paulus Layman. *lib. 1. sum. tract. 5. 1. p. cap. 5. numer.* 1. colligitúrque apertè ex *cap. cogitatio de pœnitent. disp.* 1. ibi, cogitatio non meretur pœnam lege ciuili cum suis terminis contenta est, vbi Glossa inquit, non meretur pœnam ab homine, secus à Deo. Et *cap. de simonia* dicitur dationem procedentem ex animo simoniaco, si hic non prodatur exteriùs ab Ecclesia non puniri. Ratio videtur manifesta: nam Ecclesia est sensibilis, & visibilis; non igitur potest ea habere potest in id quod insibile. & insensibile est, quale est peccatum interius consummatum. Et confirmo peccata interna, quæ exteriùs non prodeunt, Ecclesia non potest iudicare, vtpote quæ sibi ignota sunt, ergo neque de illis potest legem ferre. Nam vt inquit D. Thom. 1. 2. *quæst.* 91. *art.* 4. de his potest homo legem ferre, de quibus potest iudicare, & licèt aliqua peccata, quæ in actum externum prodeunt ita sint occulta, vt Ecclesia non possit de ipsis sententiam specialem ferre; id tamen est per accidens: ex se enim manifesta sunt, iudicióque Ecclesiæ subiecta; si quidem sensibus hominum subiiciuntur, ideóque Ecclesia ea per generalem sententiam punit: tametsi nominatim, & specialiter ea punire nequeat.

5 Fundamentum verò oppositæ sententiæ non vrget. Admitto namque potestatem Ecclesiæ esse spiritualem, sed quia in hominibus inest qui corporales sunt, non extenditur ad res purè spirituales sed quatenus per corporales manifestantur. Secundò respondeo potestatem Ecclesiæ esse spiritualem non physicè, sed moraliter, hoc est esse spiritualem, quatenus res pertinentes ad spiritum, & animarum salutem spectat. Ex quo non infertur respicere debere ea, quæ sunt physicè spiritualia, vt sunt actus interni. Ad primam probationem antecedentis dico parentem irritare posse vota filiorum, & superiorem vota illorum, qui pleno iure sibi subduntur, quia si subditi superiori, & filij parenti subiiciuntur integrè, & perfectè, atque adeò quoad propriam voluntatem, & vim se obligandi, & ratione huius dominij vota irritari possunt. Verùm hoc dominium non est sufficiens, vt pater filiis, & superior subditis præcipere actum purè internum possint, quin minus illud punire; quia ad obligationem præcepti, & pœnæ requisitum est, vt aliquo modo actus sit illis cognoscibilis. Adde dispensationem, & irritationem non versari propriè circa actus internos, ipsi enim transierunt, sed circa obligationem moralem inde resultantem, & moraliter perseuerantem, quam obligationem nunquam Ecclesia soluit quousque sibi manifestetur. Ad secundum absoluit Ecclesia à peccatis purè mentalibus, dummodò sibi fiant manifesta. Quando verò ea peccata reseruat, non, est quia iurisdictionem in ea exerceat, sed potiùs iurisdictionem circa ipsa negat, sicuti poterat negare iurisdictionem in omnia peccata. Ad tertium, non obligat Ecclesia ad actum fidei merè internum, sed hæc obligatio ex lege diuina, & naturali prouenit proposita veritate credenda. Ad quartum non defendere clericum omissio est externa, & sensibus cognoscibilis. Ad quintum sententia exterior iniusta illorum inquisitorum, qui in ea proferenda odio, vel amore ducti fuerunt, punitur. Et licèt illa praua intentio cognosci ab Ecclesia non posset, hoc non obest quin possit actum externum ei coniunctum punire; quia ea coniunctio solum est conditio ad actum externum puniendum, punitio autem in eam conditionem non fertur. Quod non est censuram ad actus interiores extendere, sed censuram in actus externos latam limitare, & coarctare. Poterat enim Ecclesia externum illum actum iniustitiæ, quomodocunque fieret, punire. Quod verò illum non puniat, nisi quando coniunctus est cum praua intentione benignitas est, & limitatio suæ potestatis, & rigoris. Ad vltimum respondeo illam particulam *vel*, si quis dixerit, vel crediderit positam frequenter in decretis intelligendam esse copulatiuè: hoc est si quis dixerit, atque crediderit. Si autem intelligatur disiunctiuè præstat hunc sensum. Si quis dixerit verbis, vel crediderit factis, vel nutibus, aliisque signis in facie Ecclesiæ manifestis, anathema sit.

6. Porrò non solùm debet esse peccatum mortale externum, sed necessarium est vt sit peccatum specialiter ab Ecclesia prohibitum, aliàs delinquens non esset Ecclesiæ contumax, & inobediens. Censuræ autem institutæ sunt ad medendam contumaciam, & inobedientiam Ecclesiæ, vti fatentur omnes. Ergo. Atque ita docent ex communi sententia Sotus *in 4. d. 22. quæst. 1. art. 2. conclus. 4.* Nauarr. *cap. 27. numer.* 9 Suar. *disp. 5. sect 5. numer. 6.* Ægid. *disp. 13. dubit. 8. concl. 6.* Layman. *lib. 1. sum. tract. 5. par. 1. cap. 5. numer* 2. Stephan. Dauila 2. *part. cap. 5. disp. 1. dub.* 10. Vasq. *de excommunicat. dubit.* 11. Gaspar Hurtado *de censur. difficult.* 12. *numer.* 54. Et colligitur apertè ex *cap. ex parte 4. de verborum significat.* Et *cap. 1. de sententia excommunicat. in 6.*

7. Quinimo existimo non solùm debere esse peccatum mortale ab Ecclesia prohibitum sub comminatione censuræ incurrendæ, vti docuerunt Suar. Anila, Ægid. Paul. Layman. *loc. alleg.* & communiter Doctores. Nam censura infligi non potest sine monitione, vt superiùs dictum est; aliàs non esset pœna medicinalis, vt deciditur *cap. 1. de sententia excommunicat. in 6.* Ergo infligi non potest, quin superior moneat de censura incurrenda, ergo quin præceptum imponat sub comminatione censuræ.

8. Hinc collige censuram ferri non posse pro peccato præterito in eius punitionem, sed necessariò ferendam esse pro peccato futuro præcauendo, vel in præteriti satisfactionem, vti docuit Nauarr. *cap. 27. numer. 9.* Vgolin. *de censur tab. 1. cap. 9. §. 5.* Couarruu. *in cap. alma 1. p. §. 9. numer. 4.* & *§. 10. num. 1. & seqq.* Suar. *disp. 4. sect. 5.* Coninch. *disp. 13. dub. 9. numer. 78.* Paul. Layman. *lib. 1 tract. 5. par. 1 cap. 5. numer. 3.* Et constat ex *dicto cap. 1. de sententia excommunicat. in 6.* Nam cum censura ex sua institutione habeat ex se medicinam præseruatiuam & coërciuam peccati, vti colligitur ex *toto lib. 5. & 6. decretalium, tit. de sententia excommunicat.* nequit pro peccato purè præterito iniungi. Nam illud, quatenus præteritum est, mederi non potest, sed punire.

9. Contrarium huius corollarii docuit Caietan. 2. 2. *quæst. 69. art. 2.* Almain. *de potestat. Ecclesiæ, cap.* 10. Cordoba *lib. 2. qq. quæst. 27. §. sed ad exaltationem.* Mouentur ex variis textibus, in quibus videtur censura ferri pro peccato præterito. Primò ex *cap. quidam, 5 quæst. 1.* vbi Gregor. excommunicauit libelli cuiusdam authorem, nisi se proderet, & malitiam fateretur, nec libelli veritatem probaret, ad quod nulla ratione videbatur obligatus, ne se periculo vitæ exponeret. Secundò ex *cap. inter querelas, 23. quæst. 4.* vbi reprehendit idem Gregor Episcopum eo quòd in sua causa excommunicationis sententiam tulerat pro vindicanda iniuria sibi facta, quam sententiam non censet fuisse nullam. Tertiò ex *cap. duo sunt 96. dist.* vbi refertur innocentium excommunicasse Arcadium, & Ambrosius Theodosium ob factum absolutè præteritum. Quartò ex *cap. Gallisarius 23. q. 4.* vbi, Siluerius Papa anthemarizauit eos, qui eum comprehenderunt, miserántque in exilium. Quinto ex *cap. 1. in quæst. 1.* vbi Nicolaus Papa duos Episcopos absque vlla monitione excommunicat; eo quòd Lothario in suis scelcribus faueret.

Sed hæc parum vrgent, vt à communi sententia recedamus. Quare ad primam respondeo, Gregorium ibi non excommunicasse libelli authorem, nisi se proderet, sed vsum sanctissimæ fidei christiæ sub excommunicatione interdixisse, donec se manifestaret; quia ad id videbatur obligatus, etiam cum periculo vitæ, cùm grauissima infamia irrogata aliter deleri non posset. Ad secundum. Episcopus ille non tulit sententiam excommunicationis pro iniuria sibi facta præcisè, sed vt sibi fieret competen satisfactio: reprehenditur tamen & merito à Pontifice, eo quòd in propria causa per modum sententiæ, & vindictæ sententiam excommunicationis tulerit; est enim id alienum à Pastore Ecclesiæ, cui solùm in defensionem propriam permittitur gladio excommunicationis vti. Ad tertium Innocentius excommu

excommunicauit Arcadium, & Ambrosius Theodosium nisi resipiscerent, & tanti facinoris satisfactionem exhibuerint, ideóque posita satisfactione, statim fuerunt absoluti. Ad quartum Silueriis. non tam excommunicauit qui eum comprehenderant, miserántque in exilium, quam declarauit esse excommunicatos. Vel dic excommunicasse; quia in exilio eum detinebant, vt constat ex ipso capite. Ad v. tinium illi Episcopi non excommunicantur in illo textu, sed deponuntur ab officio sacerdotali; quod ob culpam præteritam fieri potest, cùm depositio censura non sit.

10. Deinde peccatum illud externum, ob quod censura contrahenda est, debet esse completum in suo genere secundùm proprietatem verborum, quæ in præcepto, seu lege infligente censuram, continentur; quia leges pœnales strictè & propriè sumendæ sunt. Vti ex communi docet Nauarr. *lib. 5. consil. tit. de sententia excommunicat. conf. 37. num. 2.* Suar. *disp. 4. sect. 3. num. 7.* Auila 1 *part. de censur. dub. 11.* & 2. *part. cap. 5. disp. 1. dub. 5* Sanch. *lib. 3. de matrim. disp. 2. num. 5. sub finem.* Coninch. *disp. 13. dub. 8. concl 7.* Colligitúrque aperte ex *cap. perpetuo sanctionis. de Elect. in 6.* vbi dicitur eligentes indignum non incurrere iuris pœnas, nisi adeò in eo peristiterint, quod ex eorum voris communis electio subsequatur.

11. Hinc oritur quæstio; an censura imposita contra facientes, seu committentes aliquod delictum, comprehendat mandantes seu consulentes committi? Aliquibus nempè Siluestro verbo *excommunicatio 9. num. 79.* & Rosellæ *eodem 1. casu 43. num. vii.* placet comprehendi, quia mandans, seu consulens delictum absolutè dici potest delictum commitere, vti docent multi relati à Paciano *tract. crimin. lib. 9. cap. 32. num. 1.* nam esto illud physicè non committat; committit tamen moraliter, & secundùm communem æstimationem. Et fortè ob hanc causam in *cap. mulieres de sententia excommunicat* deciditur mandantes clericum percutere, eadem excommunicatione ligari, qua ligantur percutientes in *in cap. si quis suadente 17. quæst. 4.* & redditur ibi ratio. Cùm is committat verè cuius authoritate, & mandato delictum committi probatur. Et *cap. nuper eodem tit. in vers. in prim. quidem art.* inquit textus cum facientem, & consentientem pari pœna constringat. Et *regis damnum de Regul. iuris en 6.* vbi is damnum dat, qui iubet damnum dari, & *leg. nihil interest, ff. ad leg. Corneliam de Sicariis.* Nihil interest, ait textus, an quis occidat, an causam mortis præbeat. Et *cita quorundam de Iudæis* excommunicantur deferentes prohibita ad Sarracenos. Et *significauit eodem tit.* declarantur eam excommunicationem incurrere, siue propria persona, siue per nuncios deferant. Denique in *c. nuper.* Et *cap. si concubinæ de sententia excommunicat.* excommunicantur participantes in crimine criminoso cum excommunicato. At mandans, & consulens fieri delictum, cui est annexa excommunicatio participat in crimine, ob quod incurrit excommunicationem illud admittens. Ergo.

12. Nihilominus longè probabilius est, censuram latam aduersus committentem aliquod delictum non afficere mandantem, seu consulentem, nisi aliunde in lege, seu præcepto exprimantur. Sic docuit Siluest. sibi contrarius loquens de excommunicatione, verbo *excommunicatio vlt. quæst. 4. dicto* 3 Caiet. *eodem* paulò post *princ.* Armilla *num. 2.* Tabiena *5. casu 49. num. vii.* Nauarr. *cap 27. num 51.* Metina *lib. 1. sum. cap. 11. §. 2. in princ.* Henriq. *lib. 13. de excommunicat. cap. 17 num. 2.* & *cap 21. num 1.* Bartolom. de Ledesma *de excommunicat. dub. 6.* & generaliter de omnibus censuris id docent Sanch. *lib. 3. de matrim. disp. 49. num. 2.* Ægid. *disp. 14. n. 188* Auila 2 *part. cap. 5. disp. 1. dub. 2.* Gaspar Hurtado *tract. de censuris difficult. 14. nu. 5* & alii. Moueor; quia leges imponentes censuram, vtpote odiosæ, & pœnales strictè sumendæ sunt: at mandans & consulens delictum propriè, & in rigore dici nequit illud delictum facere, vt docet Bart. *leg. si is qui pro emptore à num. 56 ff. de Vsucapionib.* & melius *leg. sed si vnius §. seruus num. 2. ff. de iniuriis.* Iason *leg. si quis id. num. 16 ff. de iurisdict. omn. iudic.* Iulius Clarus *lib. 5. recept. §. fin quæst. 89* & alij plures quos refert, & sequitur Paciam. *de tract. crim. lib. 9. cap. 32. num. 2.* Et conuincitur ex eo quòd mandatum, & consilium præcedunt factum, & ad ipsum perpetrandum diriguntur, illáque sunt causæ morales. Non igitur sub facto comprehendi debent, atque ita vt diuersa, & distincta ponuntur in *c. si quis viduam 50. dist.* ideóque ius cùm censuram proferre intendit non solùm aduersus facientes, sed consulentes, seu mandantes id explicat, vt patet in *cap. felicis de Pœnis in 6.* & *Clem. si quis furiosus eodem tit.* & ex pluribus excommunicationibus Bullæ cœnæ.

13. Temperat autem Sanch. *d. disp. 48. num. 4. circa finem.* Et Ægid. *d. disp. 14. dub. 15. num. 178.* ne supradicta doctrina locum habeat, cùm lex redderetur fermè inutilis, & frustratoria, nisi mandantes comprehenderet, quæ fuit doctrina Glossæ finalis *cap. 2. de vsuris in 6.* Felini *c. translato. num. vlt. vers. tertio nota de constitutionib.* Et aliorum, quos refert, & sequitur Couarruu. *3. var. cap. 3. n. 9.* colligitúrque ex *cap. si quis de sententia excommunicat. in 6.* vbi declaratur interdictum generale ciuitatis extendi ad suburbia, ne sententia illa interdicti frustraretur; nam (vt inquit textus) licèt prædicta suburbia videantur aliàs mutorum ambitu terminari, hoc tamen casu ne vilipendi valeat sententia interdicti, expedit interpretationem fieri latiorem. Et notandum est verbum *interpretationem*, quod indicat non nouam legem constitui, sed interpretationem fieri constitutæ

14. Neque obstant opposita fundamenta: Fateor namque mandantem, & consulentem absolutè dici delictum committere, sed non proprio, & rigoroso sensu: hic enim non moralem factionem, sed physicam requirit. Vti colligitur tum ex supradictis, tum ex *cap. vt fama in fine de sententia excommunicat.* ibi: cum hoc non ipsi, sed illi quorum authoritate id faciunt facere videantur. Nam verbum *videantur* non proprietatem, sed fictionem importat iuxta Gloss. *leg. Nemo 5. ff. de restitutionib. in integrum*, verbo *pollicetur.* Et ibi Bart. *num. vnico* Tum ex *cap. 2 de clericis pugnantib. in duello*, vbi pugil verè homicida dicitur, non autem mandans. Ad textum *in c. mulieres* respondeo mandantem verè committere in legem prohibentem percussionem, non tamen verè percutere, ideóque sub lege statuente censuram percutientibus non comprehendi. Vt verò comprehendere-tur necessaria fuit noua illa lex & decretum *d. cap. Mulieres.* Ad textum *in cap. Nuper*, dic intelligendum esse non de eadem pœna secundùm proprietatem, sed secundùm similitudinem, cùm consentientes in legem verè delinquant. Eodem modo respondeo ad *regis damnum.* Et ad *leg. nihil interest*, fieri quidem delictum à mandante, vel consulente interpretatiuè, & moraliter, & secundùm communem æstimationem, sed non physicè, & propriè, vt latiùs dixit Pacian. *tract. crimin. lib. 9. cap. 32. num. 2.* Ad textum *in cap. ea quorundam, & cap. significauit*, respondeo excommunicationem latam aduersus deferentes arma Sarracenis extendi ad eos qui per interpositas personas ea arma detulerint: non quia idem sit deferre per se, vel per interpositam personam, vt benè aduertit Nauarr. *c. 27. num. 51.* sed ne lex pœnalis frustratoria redderetur, ob quam causam de vno casu ad alium extenditur, vt latè probaui *tractat. de legib. disput. 5. pun. 3. in cap. nuper*, & *cap. si concubinæ*, respondeo excommunicari participantes cum excommunicato postquam incidit in excommunicationem, & declaratus est; secùs qui cum illo ante excommunicationem incursam participarent.

15. Sed quid si mandatum, vel consilium reuocasti, antequam mandatarius, vel consiliarius mandatum, vel consilium exequerentur, incurres in censuram latam aduersus mandantem, vel consulentem? Certum est, si mandatum, vel consilium reuocasti efficaciter, ita vt causa moralis operis prudenter præsumi non possint, te liberum esse à censura; quia in tantum mandatum, vel consilium punientur censura, quatenus in delictum influunt, illiúsque sunt causa. Econtrà verò, si mandatum, vel consilium fictè reuocasti, censuram non effugis; quia verè in delictum influis, & illius es causa moralis, & in his ferè omnes Doctores conueniunt. Quocirca difficultas est; an incidas in censuram latam aduersus mandantem, vel consulentem, si reuocares mandatum, vel consilium quantum posses, cùm tamen de facto non reuocentur, vel quia mandati, seu consilij reuocationem notam facere mandatario, seu consiliario non potuisti; vel quia rationes allatæ ad reuocandum consilium inefficaces fuerunt? Affirmat Coninch. *disp. 14. dub. 15. concius. 3. num. 183* & alij relati à Suar. *disp. 44. sect. 3. num. 7* Mouentur, quia hæ censuræ latæ sunt aduersus eos, quorum consilio, vel mandato facinus est perpetratum, sicuti in præsenti contingit. Neque obest quod mandati, vel consilij non pœnitueris; si quidem pœnitentia efficaciam mandati, vel consilij non sustulit, altàs mandans, vel consulens homicidium, ex quo mandato, vel consilio homicidium fierer, vitaret irregularitatem, & obligationem restituendi, si ante factum pœniteret.

Sed rectiùs contrarium docuerunt Innocent, *in cap mulieres de sentent. excommun.* Tabiena *excommunicatio 5 casu 1. num 35.* Stephan. Dauila 2. *part. de censur. disp. 3. dub. 7.* Gaspar Hurtado *de censuris difficult. 15. num. 68.* eo quòd ea reuocatione, & pœnitentia posita non causas culpabiliter opus medio mandato, & consilio datò, sed omnino inculpabiliter, cùm culpa præterita media pœnitentia deleta sit. Ergo non incurris censuram, quæ vt pote pœna medicinalis solum afficere potest actu delinquentes inobedientes, & rebelles, non verò eos qui ab inobedientia rebellione, delictóque recesserunt. Secùs verò est de pœna irregularitatis, & de obligatione restituendi, quæ ob delictum præteritum actu innocentem efficere possint.

16 Ad extremum aduerte delinquentem aduersus præceptum sub censura impositum regulariter non duplex peccatum, sed vnum tantùm committere, quale cõmitteret, si res illa secluſa censura prohiberetur. v. g. prohibitum est furtum sub excommunicatione non ex alio motiuo quàm iustitiæ; furaris; peccatum tantùm iniustitiæ committis; quia solam iustitiam lædis. Nam esto Ecclesiæ inobedias; ea inobedientia non continet specialem malitiam, sed in iniustitia imbibitur, vti docuit Cordob. *in sum. quæst. 11.* Stephan. Dauila 2. *part. de censur. cap. 3. disput. 1. dub. 11.* Paul. Layman. *lib. 1. sum. tractat. 5. part. 1. cap. 5. numer. 1. vers. nota* Gaspar Hurtado *tract. de censur. diffic. 17. num. 73.*

PVNCTVM

PVNCTVM VIII.

Quibus ex causis à censura incurrenda excuseris.

1 *Excusaris, si deficiat ex parte ferentis potestas, quæ per appellationem suspendi potest.*
2 *Hæc appellatio interponi potest ante tempus signatum censuræ incursioni.*
3 *Vt appellatio hunc effectum suspendendi censuram habeat, debet esse legitima.*
4 *Item debet incursionem præcedere.*
5 *Secundò ex usaris à censura incurrenda ex consensu illius, in cuius fauorem lata est.*
6 *Transacto termino à creditore prorogato in censuram incidis; tamet si alij contrarium censeant.*
7 *Excusaris à censura, si illius ignorantiam habeas.*
8 *Stante dubio iuris, vel facti post debitam diligentiam non es reputandus censura ligatus.*
9 *Apponitur quadam limitatio pro obtinenda Ecclesiastica dignitate.*
10 *Excusaris à censura, ratione grauis metus.*
11 *Si sub censura tibi interdicatur quod alias iure naturali est prohibitum, negant, aliqui te excusari à censura ratione metus. Sed oppositum verius est.*
12 *Excusaris à censura, si innocens sis.*
13 *Affirmant plures si in foro externo proberis nocens ligari censura.*
14 *Alij oppositum censent.*
15 *Quæstio sub distinctione resoluitur.*
16 *Obligatio, quam habes abstinendi in publico ab actibus per censuram prohibitis, cum censura ligatus non es, ex iure naturali prouenit.*
17 *Satisfit argumentis* num. 13. *adductis.*
18 *Alia est censura valida, alia inualida, alia iusta, alia iniusta, & quæ hæ sint.*

1. VAriæ sunt causæ, ex quibus à censura incurrenda excusari potes Prima & præcipua, si ex parte ferentis censuram deficiat iurisdictio ante illius incursionem: quod contingere potest, si remoueatur ab officio, vel alio modo cesset eius potestas. Cessare autem communiter solet per interpositam appellationem legitimam, vt constat ex *cap. ad præsentiam 16.* Et *cap. Pastoralis 53. de appellationib.* Et *cap. licet 14. de sententia excommunicat. in 6.* Quia ea est vis appellationis, vt eam causam à iudice, à quo appellatum est, eximat, & ad superiorem illius deuoluat. Quando igitur appellatio hunc duplicem effectum habet suspensiuum scilicet, & deuolutiuum impedit omnino censuram; quia deficit in ferente potestas, vti dicitur in *cap. si à iudice. 10. de appellationib. Cap. per tuas de sententia excommunicat.* Secùs verò esset si solùm effectum deuolutiuum haberet, vt sæpè contingit; quia eo casu cùm non suspendatur iurisdictio iudicis à quo, ligari optimè potes ntn obstante appellatione.

2. Hæc autem appellatio interponi debet ante tempus signatum censuræ incursioni, totóque illo tempore interponi potest; quia ante illud tempus suspendere valet eius executionem. Cui non obstat esse statutum appellationem interponendam esse intra decem dies à sententia lata; quia intelligitur de sententia absolura, & pœnam simpliciter infligente, secùs verò de sententia pendente à conditione, vti notarunt Henriq. *Lib. 13. cap. 16.* Couarruu *cap. alma mater, 1. p. §. 10.* Suar *disp. 3. de censuris, sect. 8.* Gasp. Hurtado *de censur. difficult. 25 num. 107.*

3. Vt verò appellatio hunc effectum suspendendi censuram habeat, debet esse legitima, id est, ex rationabili causa facta; aliàs vt inutilis, & friuola repellenda est, neque excusabit censuram nisi forte iudex sua voluntate appellationem admittat. Vt benè aduertit Suar. *dist. 3. de censur. sect. 6. num. 3.* Auila *2. p. de censur. cap. 1. disp. 5. dub. 12.* Hurtado *difficult. 25. num. 109.* Quod si interposita appellatione arbitrio appellantis legitima, iudex repulsa appellatione vt friuola in causa prosequatur, in foro exteriori censura ligatus censeberis, quousque iudex appellationis declaret, appellationem legitimam fuisse. In foro tamen conscientiæ à censura excusatus eris, & ab irregularitate, esto illo intermedio tempore celebraueris, vt colligitur ex *c. ad præsentiam nostram de appellationib.* Et ibi Glossa. & *cap. solet. vers. in officio de sententia excommunicat. in 6.* Auila *dicto dub. 12.* Layman. *lib. 1. sum. tract 6. par. 1. cap. 6. num. 2. vers. quares.*

4 Item debet appellatio illius incursionem præcedere, vt censuram suspendat: nam ea incursa sola absolutione tolli potest, sed non appellatione suspendi, vt colligitur *ex cap. præterea.* Et *cap. pastoralis de appeilationib.* Et *cap. Ad reprimendam de officio iudicis ordinarij.* Et *cap. is cui de sententia excommunicat. in 6.* Quinimo neque ea appellatio vim habet suspendendi censuræ incursæ declarationem, vti decisum est *dicto cap. Pastoralis* quia denunciatio est quid accessorium censuræ. Quod intelligendum est quando nulla tergiuersatione celari potest censuram incursam esse. Nam si dubium aliquod sit, & appellans non obstante sententia declaratoria iudicis alleget, vel non commisisse delictum, vel non ea conditione, vt censuram contraxerit, sententiam censuræ declaratiuam suspendit, vt docuit Glossa *in cap. cupientes §. quod si per viginti*, verbo *priuatus de Electione in 6.* Nauarr. *lib. 5. consil. tit. de sententia excommunicat. cons. 6. n. 2 edit.* Auila 2. *cap 5. disp. 5. dub. 11.* Hurtado *difficult. 25. in fine.* Quod verò *ibi* Gaspar Hurtado subjungit, suspensionem à beneficio, & ab aliis (extra suspensionem ab officio, & ab ingressu Ecclesiæ) per sequentem appellationem suspendi, non videtur firmum. Nam esto in *cap. is cui de sententia excommunicat. in 6.* solùm dictum sit suspensionem ab officio, & ingressu Ecclesiæ per sesquentem appellationem nõ impediri, & taceatur de suspensione à beneficio, non inde inferendum est suspensionem à beneficio impediri per sequentem appellationem; argumentum namque negatiuum inefficax est in iure; maximè cum contrarium ex aliis textibus colligatur. Textus enim in *cap. Pastoralis* decidens per sequentem appellationem non impediri censuram excommunicationis mouetur; quia ea censura secum trahit executionem vt ibidem dicitur. Sed hæc ratio in omnibus censuris procedit, ergo nulla censura post illius incursionem suspendi potest per sequentem appellationem. Item nulla est specialis ratio ob quam appellatio sequens suspendat suspensionem ab officio, & ingressu Ecclesiæ. Ergo in omnibus censuris idem est dicendum per subsequentem appellationem impediri non posse, sicuti reliqui alij Doctores tradunt.

5. Secundò excusari potes ab incurrenda censura ex consensu illius in cuius fauorem lata est. V. G. ad petitionem creditoris lata est excommunicatio, nisi intra tres dies debitum solus, prorogat tibi terminum absque vllo iudicis consensu, excusaris à censura, vti ex communiori docet Henriq. *lib. 11. cap. 20.* Sua. *disp. 3 sect. 6. n. 8.* Gasp. Hurtado *tract. de censur. difficult. 26.* Quia cùm ea censura ad petitionem tui creditoris lata sit, non censetur iudex voluntatem habere te ligandi, creditore oppositum volente. Præterquam quòd iudex nequit voluntatem habere ligandi debitorem censura lata eb non solutionem debiti, quando debitor non est in mora, nec peccat non soluendo; aliàs contraheretur censura absque vllo peccato. At prorogato per creditorem termino, non peccas detinendo debitum, ergo non incuris censuram. Quare præceptum illud à iudice latum, vt intrà tres dies soluas sin minus censura ligeris, habet tacitam conditionem nisi creditor debitum absolutè, vel ad tempus remittat.

6. Sed an transacto eo termino à creditore prorogato incidas in censuram debitum non soluens? Non conueniunt Doctores. Nam Nauarr. *cap. 27. n. 15.* Henriq. pluribus relatis *lib. 13. cap. 20. in comment. litt. I.* censent te non incurrere; quia præceptum superioris imponentis censuram tempori alligatum erat. Cùm ergo non potuerit eo tempore habere effectum ex consensu tui creditoris finitum omnino est. Sed rectiùs Suarez & Gaspar Hurtado *locis allegat.* contrarium docent; quia illa designatio temporis à iudice facta non fuit ad finiendam obligationem, sed ne vltra illud tempus absque consensu creditoris prorogaretur, quare prorogato termino à creditore, & debito non remisso præceptum, & censura vim habent obligandi, cùm absolutè permaneant.

7. Tertiò excusaris à censura, si illius ignorantiam habeas; quia cùm censura ex sua institutione sit ad continendos, & coercendo rebelles, & inobedientes Ecclesiæ, nequit ignorata hanc vim habere, ideóque incurri non potest absque præuia monitione, vt latè probaui *1. p. tract. 2. de peccat. disp. 1. punct. 17. & 18.* ibique asserui quamlibet ignorantiam siue iuris, siue facti censuræ impositæ, modò non fuerit ignorantia crassa, & supina excusare ab incurrenda censura; quia censuræ sunt pœnæ, quæ contemptum legis virtualiter requirunt. Ex quo fit manifestè, si dubius existas, an censura aduersus aliquod delictum lata sit, vel an tale factum sub censura comprehendatur, & facta aliquali diligentia dubium vincere non potuisti, excusaris ab incurrenda censura delicto annexa; quia ea ignorantia nequit dici affectata, culpa, & supina, quæ dolo æquiparatur, tametsi non excuseris à culpa, & pluribus exornat Sanch. *lib. 2. de matr. disp 42. num. 31.* & in censuris latis ab inferioribus Prælatis docuit Auila *2. p. cap. 5. dis. 5. dub. 8. concl. 2.* Et colligitur apertè ex *cap. vt animarum 2. de constitutionib in 6.* ibi, statuta quorumcunque ordinariorum, ligare nolumus ignorantes, nisi eorum ignorantia crassa fuerit & supina. Nomine inquam ordinariorum etiam Pontifex videtur comprehensus; quia est ordinariorum ordinarius, & quamuis sub illo verbo non comprehenderetur, comprehenditur tamen ob rationem decidendi illius textus, scilicet vt periculum animarum euitetur, quæ in censuris à Pontifice latis efficacius procedit, vtpote quæ minus publicantur, minúsque notæ sunt, quam censuræ ab inferioribus latæ, vt latius prosequitur Thom. Sanch. *suprà.*

8. Hinc decidenda est quæstio, an te reputare debeas censuræ ligatum, quoties illius dubium habes? Et breuiter respondeo stante dubio iuris, vel facti, quod post debitam diligentiam vincere nequit, te non esse reputandum censura ligatum: nam cùm habeas

iib

jus,& potestatem ratione baptismi fruendi bonis communi bonis communibus Ecclesiæ,non debes ob dubium hac possessione cerra priuari,vti notauit Sanch.*lib.in decalog. c.*10.*num.*56. solum est difficultas, quando censearis verum dubium habere?Et quidem quando post factam diligentiam ignoras, an censura lata sit vel an ille casus sub censura comprehendatur; Certum est eo dubio te esse omnino excusatum; quia tunc censura non est satis tibi promulgata, neque enim dici potes censuram contemnere quam iustè ignoras positam,esse,vti docuit D.Thom.*quodlib.*4. *art.*14. Et tradit Sanch. *supra, num.*57. *&* 58. At si certus sis censuram esse positam, dubitas autem an ex animo lata fuerit, reputare te debes ligatum; quia credere debes ferentem censuram verba secundùm communem intellectum non ioco, sed seriò proferre, cùm latio censuræ res grauissima sit, vt dixit Sanch. *num.*57.Deinde si dubius es, an à censura fueris absolutus,cùm tamen certus sis ea fuisse ligatum, non potes stante hoc dubio te reputare absolutum,sed potiùs ligatum; quia pro censurâ,cuiusque ligamine stat possessio, vt apertè colligitur ex *cap. sicut de sententia excommunicat.* Et tradit Couarruu. *c. alma mater. 1.p.§.2.num.6.*Idem est si dubites, an appellationem præmiseris censuræ incursionem,vel an legitimè appellaueris, censura censeris es ligatus, quia exustatio dubia non potest certæ causæ obligationem tollere,vt colligitur ex *cap cùm tu,de testibus,& attestationib.* Et plùribus docuit Couarru. *dicto cap. alma.*1.*p.* §.2.*num.*4.Sayrus *de censur.*1.1.*lib.*1.*cap.*16.Sanch. *lib.*1.*in decal.cap.*10.*num.*59.

9. Moner autem Sanch.& benè *dicto cap.*10.*n.*61.ex Glossa *in cap.*1. verbo *sententiæ.*8.*q.*4. Quod etsi stante statuto legitimo dubio de censura incursa, non te debes reputare censuraligatum in foro conscientiæ & exteriori, id tamen verum non esse quoad obtinendum Episcopatum,seu aliam Ecclesiasticam dignitatem,à quibus turpe sit aliquando deturbari comperta censuræ veritate. Reuerentia dignitatis Ecclesiasticæ exigit ne eius collatio fiat cum periculo cassationis. Quare si id periculum cesset; quia moraliter loquendo censura cognosci non potest,nullum præstabit impedimentum dignitati Ecclesiasticæ recipiendæ.

10. Quartò à censura excusaris, si rem sub censura prohibitam graui metu inductus efficis; quia regulariter timor, & periculum grauis damni à præceptorum transgressione excusat, vt explicui *tract.*2. *de peccatis. disp.*1. *pun.*16. & tradunt in præsenti Suar. *disp.*4,*sect.* 3.*n.*14.& *disp.*6.*sect.*3.*n*7.Paul.Layman.*lib.*1.*sum. tract.*5.*par.*1. *cap.*5.*in fine.* Coninch.*disp.*13. *dub.*12.*num.*99.*& seq.* Sed quia ibi dixi aliquando præceptum Ecclesiasticum esse tanti momenti, vt etiam cum periculo mortis obseruandum sit, eo casu non excusaberis à censura tali delicto annexa, cùm non excuseris à peccato inobedientiæ,& contumaciæ Ecclesiæ,vti tradunt prædicti Doctores. Ex quo venit intelligendus textus in *cap.sacris* 5. *de his quæ vi,metúsve causa fiunt,*vbi Pontifex inquit communicantem cum excommunicato per vim, seu coactionem excusari,secus verò per metum;quia metus non excludit omninò culpam,etsi eam attenuet, cùm pro nullo metu debeat quis peccatum mortale incurrere, quasi dicere Pontifex: Vis, & coactio semper à censura excusant quia impediunt culpam sublata libertate; at metus cum voluntatem simpliciter relinquat,non semper à culpa liberat etiam aduersus ius Ecclesiasticum, & consequenter neque à censura. Sic explicuerunt prædictum textum Suar. *disp.*6.*sect.*3.Coninch. *disp.*12 *num.*97 Laym.*dicto cap* 5.*in fine.*

11.Solum est dubium; an si Ecclesia sub censura prohibeat, quod aliàs iure naturali prohibitum est,v.G.fornicationem,furtum, homicidium incidas in censuram illis delictis annexam; si metu coactus ea committas?Negat Coninch.*dicta disp.*13.*dub.* 11.*concl.*2.motus ea ratione; quia metus grauis ab obseruatione præcepti Ecclesiastici regulariter excusat. Ergo etiam in prædicto casu excusare debet. Sed rectiùs contrarium censuit Gaspar Hurtado *tract.de censur.difficult.*23 *num.*10.eo quòd nulla sit ratio, ob quam in illo casu debeamus affirmare præceptum Ecclesiasticum cessare, cùm ex illo præcepto non astringaris ad aliquid peragendum, vel omittendum,quod secluso eo præcepto peragi,vel omitti non deberet. Quando verò præcepto naturali adderet Ecclesiasticam aliquam circunstantiam; cui censuram annecteret,vti contingit,cùm furtum, & fornicationem in templo prohibet,censeo te à censura excusatum, si graui metu ea delicta in templo patrares; quia non es censendus delinquere aduersus ius Ecclesiasticum, sed solùm naturale, neque illa peccata haberentialtiam sacrilegii, sed iniusticiæ tantùm, & intemperantiæ.

12.Quinto excusaris à censura,si verè innocens sis, nam cùm censura nemini imponi possit absque culpa,si ab ea liber existis, liber eris à censura.Et quidè quando non solum quoad Deum, sed etiam in foro externo à culpa excusaris omnes conueniunt te censura ligari nõ posse;quia eo casu iudex sua potestate abutitur, cuiusque sententia vtpote intolerabilè errorem continès nulla est, nec timenda,iuxta textum *in c.solet.c.venerabilibus.§.potest de sententia excommunicat.in 6.*iuncto *c.irritam.cap. cui est.*11. *quæst.*3. At si verè culpam habeas,exterius tamen probata non sit,nequaquam ob illam affici censura potes, tametsi iudici priuatim notum sit te delinquentem esse; quia censuram nequit iudex ferre ex scientia priuata, sed publica, vtpote quæ est actus publici,& forensis iudicii;aliàs nulla erit eius sententia, vt benè tradit Nauarr.*cap.cum contingat, de Foro competenti, causa nullitat.*8.

quocirca controuersia inter Doctores est; an censura ligeris ob causam,seu culpam,quæ in te non existit;probatur tamen legitimè adesse.V.G.excommunicaris, nisi Petro centum restituas, quæ etsi non debeas, probatum tamen est, te debere. Item excommunicaris, nisi matrimonium contrahas cum Maria, quæ falsò probauit sibi à te fuisse promissum, vel casu quo fuit promissum excusaris ab sponsalibus implendis ob causam, quam nequis iuridicè probare, ligarisne censura?.Affirmat Giossa *in cap.*1.*de sententia excommunicat.in* 6 verbo *propter quam.*Durand.*in* 4. *d.*18.*q.*4. Corduba plures referens *lib.*1.*q.*43. Mouentur primò ex illo Gregor. *hom.*26. *in euang.*relati in *cap.* 1. & *c.non solum* 11.*q.*3 sententia pastoris siue iusta,siue iniusta timenda est;at sententia quæ secundùm allegata,& probata profertur esto iusta non sit in reo,est tamè in æstimatione, ergo timenda est,ergo seruanda.Secundò,iudex procedens secundùm allegata, & probata,iustè proceedit. Ergo eius sententia valet. Tertiò bona,quibus fideles per censuram priuantur,dispositioni Ecclesiæ subduntur, potest ergo Ecclesia fidelem innocentem probatum nocentem illis bonis priuare;tum vt iudicij integritas seruetur. tum ne Ecclesiæ authoritas contemnatur, ergo asserendum est censuram in hoc casu latam validam fore. Quartò:præcepto lato à iudice procedente secundùm iuris ordinem nequis resistere, sed potiùs obligaris obedire saltem in facie Ecclesiæ, vt docent S. Thom. *in* 4 *d.*18.*q* 2. *art.*1.*qq.*4 S.Antonin.3.*p.sit.*24. *cap.*73. Couarruu.*cap. alma.*1.*p.cap.* 11.*num.* 14. Nauarr. *cap.*9.*num* 4. Tolet.*lib.*1 *sum car.*10. Suar *disp.* 4. *sect.*7. *num.* 18. Coninch. *disp* 13. *dub.*13. *concluf* 2. Auila 2.*p.cap.*6. *disp.*1. *dub.*2 *&* 3. Paul. Layman. *lib.* 1. *sum. tract.* 5. *par.* 1. *cap.* 6. *num.* 3 alias authoritas iudicis contemneretur, & publica disciplina corrueret, cui bono vtpote communi bona particularia cuiuscunque quantumcunque grauia cedere debent. At transgressioni prædicti præcepti iudex annectit censuram, ergo validè annectit. Ergo ligaris.

14. Econtra alij grauissimi Doctores. Caiet.2 2.*q.* 70.*art.*4. *ad* 2.*&* 1. *opusc. tract.*19.*ad* 2 Sotus *in* 4.*d.*22.*q.*1. *art.*3.*corol.* 3.Couarr.*cap.alma.*1,*p.*§.7 *num.*5. Tolet. Nauarr. Suar. Auila, Layman. Ægid.negant te innocentem probatum,nocentem aliqua censura ligari posse Ducuntur; quia non est verisimile Christum Dominum suæ Ecclesiæ potestatem reliquisse priuandi innocentem tantis commodis spiritualibus,cum hæc priuatio nec publicæ disciplinæ, nec iudicis authoritati tuendæ expediat. Solùm namque expedit, & necessarium est authoritati iudicis, & publicæ disciplinæ, vt is in quem prædicta censuræ sententia fertur in facie Ecclesiæ,& coram scientibus censuram, & innocentiam ignorantibus se gerat, ac si verè censura ligatus esset,.ad quod ex vi prædictæ sententiæ videtur obligatus.

15. Ego verò distinguendum censeo; si res quæ tibi præcipitur sub comminatione censuræ iniqua sit, cuius iniquitas iudici ignota est, neque illius sententiæ parere teneris, imò nec potes, neque censuram illi annexam incurris, Exemplum est si impedimento dirimente ligatus, quod probare nequis, cogaris matrimonium contrahere, & consummare. In hac conclusione omnes Doctores conueniunt.Et ratio est manifesta, quia censura incurri nequit absque contumacia, & inobedientia Ecclesiæ, at omittens præstare quod eo casu ei Ecclesia præcepit, non est censendus Ecclesiæ inobediens,quippe Ecclesia non est præsumenda velle, vt illi contra legem diuinam, & naturalem obedias; neque enim authoritas Ecclesiæ authoritati diuinæ contradicere potest, ergo non est præsumenda velle, vt in eo casu illi pareas, ergo multò minus quod censura ligeris. Quapropter ea sententia necessariò imbibit tacitam conditionem, si iustum, & honestum sit quod tibi præcipitur; præstat enim potius obedire Deo, quàm hominibus.

At,si quod tibi præcipitur sub commi.atione censuræ, bonum est, nullique legi aduersum, satis probabile est ligari censura, si non pareas, vti docuit prior sententia; quia eo casu non es innocens,sed nocens, & inobediens iusto Ecclesiæ præcepto, ob quam inobedientiam incurris censuram. Sed contrarium credo multò probabilius esse cum Doctoribus secundæ sententiæ: nam cùm præceptum illud iudicis falsæ præsumptioni obligationis, errorique aperto nitatur, non est credendum vllam tibi in conscientia obligationem inducere. Durum namque est, & alienum ab Ecclesiæ benignitate cogere, & obligare sub censura ad soluendum, & exequendum tanquam debitum quod nullo modo debitum est. Et licèt in exteriori foro debitum esse demonstretur; id solùm probat te obligatum esse illud exequi, cùm prædictum præceptum absque scandalo subterfugere non potes, non ex vi prædicti præcepti, quod nullum est, sed ex vi iuris naturalis, quo teneris potestati publicæ iustè, & iuridicè præcipienti non contradicere,tametsi id quod præcipit minus iustum sit.

Quod si huic apparenti præcepto non solùm secretò, sed etiam,

etiam publicè inobedias, non obinde censura ligaris, quia non adueriùs præceptum, cui iudex censuram annexuit, deliquisti, sed contra præceptum iuris naturalis non resistendi potestati iustè, etsi non iustum indicanti. Præterquam quòd præsumi non debet Ecclesiam velle te suis censuris ligare ob transgressionem præcepti ex falsa præsumptione, & errore procedentis, quódque verum præceptum non est, vtpote quod non præcipit iustum, æquum, & rationabile.

16. Hinc fit obligationem, quam habes abstinendi in publico ab omnibus actibus, qui per censuram prohibentur non oriri ex vi censuræ, neque ex præcepto, cui iudex eam annectit, vt minus verè dixerunt Suar. Coninch. Laym. *locis alleg.* sed ex præcepto, & obligatione iuris naturalis, quo teneris censuram communi hominum sensu veram obseruare, ne potestatis Ecclesiasticæ videaris contemptor. Quod autem ex vi censuræ hanc non possis habere obligationem constat; quia illa censura nulla est, & quod nullum est, nullum præstat impedimentum. Item apparentiæ censuræ non possunt competere iidem effectus, qui censuræ veræ competunt. Minus oriri potest obligatio abstinendi ab actibus per censuram prohibitis ex præcepto, quo ipsa censura imponitur; quia præceptum illud nihil de hac priuatione censuram ipso iure subsequentem curat, quippè versatur circa obiectum longè diuersum, nempè solutionem debiti existimati, executionem matrimonij in foro externo promissi, quod censuram, & illius effectus antecedit.

Secundò fit ob prædictam censuram te non esse priuatum communione fidelium, Ecclesiæ suffragiis, iurisdictione spirituali, neque incapacem esse beneficii recipiendi, neque celebrantem fore irregularem; quia hi effectus censuræ veræ annectuntur, sed non illius existimationi; vti docuerunt Suar. *disp.* 4. *sect.* 7. *num.* 20. Coninch. *disp.* 13. *dub. concl.* 4. Auila 2. *p. cap.* 6. *disp.* 1. *dub.* 3. *concl.* 4. Layman. *dicto lib.* 1. *tract.* 5. *par* 1. *cap* 6. *corol.* 1. In foro autem externo censendus es omnibus iis bonis priuatus; quia in eo foro verè censura ligatus reputaris. Quapropter si collatio beneficij irrita declaretur, tenebit effectum, & beneficio priuatus ipso facto eris, non quidem ex vi censuræ, sed ob commune Ecclesiæ bonum, ne prædictum beneficium alteri inualidè conferatur, vti aduertunt Layman. Suar. & Auila *suprà*.

17. Restat satisfacere argumentis, *num.* 13. adductis. Ad primum ex D. Gregorio optimè respondet Gratian. *in cap. si Episcopus*, 11. q. 3 dicens, D. Gregorium non dixisse sententiam iniustè latam esse seruandam, sed timendam, timendam inquam, id est, non ex superbia contemnendam, vti contemneretur, si cum scandalo illam violares. Adde intelligi posse Gregorium de sententia iniusta valida, quæ verè, & in conscientia ligat. Ad secundum dic ad valorem sententiæ non esse sufficiens quod iudex iustè, id est, seruato iuris ordine procedat, sed insuper requiritur quòd iustum præcipiat, quæ conditio deficit sententiæ ex falsa præsumptione procedenti. Ad tertium admitto, posse Ecclesiam innocentem probatum nocentem iis commodis spiritualibus priuare, si ad tuendam suam authoritatem necessarium esset, vel expediret: sed ad prædictum effectum hæc priuatio necessaria non est, neque expediens, satis enim authoritati Ecclesiæ prouidetur obligatione orta ex iure naturali seruandi in facie Ecclesiæ censuram. Ad quartum constat ex probatione nostræ sententiæ.

18. Ex dictis in hoc, & præcedentibus punctis colliges censuram aliam esse validam, aliam inualidam, aliam iustam, aliam iniustam: & hæc alia est valida, alia inualida: censura valida, & iusta est, cui nullus defectus opponi potest. Iniusta valida, cui accidentalis defectus inest, qualis esset si ex odio procederet, aut in propria causa, & verbo tenus, nec præmissa canonica monitione. Censura verò iniusta, & inualida substantialem defectum exigit, nempe si in inferente censuram deficiat authoritas ob interpositam appellationem, vel officij remotionem, aut si absque citatione, ordinéque iudiciario feratur, aut ob causam non legitimam.

Punctum IX.

Quando iudex, aut executor possit, vel teneatur censura ligatum denunciare publicè.

1 *Potest iudex te declarare, cùm constat censura esse ligatum.*
2 *Verius est non teneri.*
3 *Per interpositam appellationem non suspenditur denunciatio censuræ latæ à iudice ordinario. Secus à delegato.*
4 *Quid post Extrauag.* Ad euitanda.

1. SI certum sit te in censuram suspensionis, vel interdicti incidisse, potest iudex quando sibi placuerit te declarare, non tamen ad id tenetur. Colligitur ex Clement. 2. *De pœnis*, vbi est sermo de suspensione. Et ex Clement. vlt. *de censibus*, vbi de interdicto agitur. Et tradit ex communi sententia Suar. *disp.* 3. *sect.* 13. *num.* 2. Quippe censura suspensionis, & interdicti non prohiberis cum aliis communicare. Quæ poterat esse ratio, ob quam tenetur prælati ad declarationem procedere. Si verò in excommunicationis maioris censuram incidas, non est dubium posse Prælatum te declarare, iuxta textum *in cap. pastoralis de appellationib.* Quod intelligendum est de excommunicatione lata ab ipso iudice; nam si in censuram latam à iure incidas, nequit iudex te denunciare, & declarare, quin prius proferat sententiam declaratoriam criminis, etiamsi crimen notorium sit. V.G. percussisti clericum, vel in monasterio monialium ingressus fuisti, non te poterit iudex denunciare vt excommunicatum, quin prius declaret te fuisse clerici percussorem, aut monasterium monialium ingressum esse. Qua declaratione posita ad denunciationem procedere poterit.

2. Teneri autem ad eam declarationem faciendam videntur colligi ex *cap. cura* 11. *quæst.* 3. vbi Honorius inquit: Curæ sit omnibus Episcopis excommunicatorum omninò nomina tam ipsis vicinis, quàm suis parochianis pariter indicare, eáque in celebri loco posita præ foribus Ecclesiæ cunctis conuenientibus inculcare, quatenus in vtraque diligentia excommunicatis Ecclesiasticus aditus excludatur, & excusationis causa omnibus auferatur. Verùm hoc de nominatim excommunicatis intelligitur. Excommunicationis enim pœnam dupliciter subimus, & dum reatum incurrimus, & dum sententia notamur. Hæc Pontifex. In quo textu nullum est verbum præceptum indicans. Nam verbum illud. Curæ sit omnibus Episcopis, idem significat, ac pro commendato habeant. Item solùm loqui videntur de excommunicatis nominatim iam declaratis; quia solos illos, & manifestos clerici percussores obligantur alij fideles vitare, iuxta Extrauag. Martini V. *ad euitanda scandala* editam in Concilio Constantiensi, illisque tantùm Ecclesiasticus aditus interdicitur. Quocirca censeo cum Suar. *loco allegato* nullum in iure esse latum præceptum, quo astringantur Episcopi excommunicatum declarare, & maximè ea forma, & tenore, qui præscribitur in *dicto cap. cura*. Sed hæc obligatio ex munere Episcopali oritur, quæ tunc obligabit, quando prudentis arbitrio fuerit necessarium, vel ad excommunicati correctionem, vel ad aliorum damnum præcauendum.

3. Sed inquires, an per interpositam appellationem impeditur iudex à denunciatione censuræ faciendæ. Respondeo in censuris ab ipsomet iudice latis, quásque certum est te contraxisse, non impeditur iudex si ordinarius est ab illarum denunciatione, tametsi appellationem accepter, vti decidit *cap. pastoralis de appellationib.* At si iudex sit delegatus nequit ad denunciationem procedere appellatione admissa, vt rectè aduertit Abbas *cap. pastoralis §. præterea.* Et *§. cum autem. num.* 13. *de officio delegat.* per textum ibi, quia admissa appellatione desinit esse iudex in illa causa. At in censuris à iure latis, tametsi sequatur sententia declaratoria criminis, nequit iudex siue ordinarius, siue delegatus interposita appellatione legitima ad denunciationem procedere: quia ea appellatione posita non constat formaliter te in censuram incidisse, sed solùm virtualiter, quatenus tali delicto est annexa censura: appellatio namque non est à censura clarè incursa, sed à declaratione delicti, cui censura annectitur, atque adeo à censura dubia, vt rectè notauit Couarruu. *cap. almæ mater.* 1. *p.* § 10. *num.* 4. Suar. *dict. p.* 3. *de cens. sect.* 14. *num.* 20.

4. Addit Nauarr. *in cap. cùm contingat de Rescriptis. rem.* 6. *num.* 7. appellationem semper impedire denunciationem excommunicationis post Extrauag. *Ad euitanda scandala*: qua facta denunciatione obligantur fideles excommunicatum vitare, qua obligatione ante denunciationem non tenebantur, ac proinde excommunicatus denunciatione videtur amplius ligari, cùm ob eam vitetur à fidelibus. Sed rectiùs Suar. *dicta sect.* 14. *num.* 20. contrarium censet, eo quòd vitatio excommunicati non tam est vinculum ipsius excommunicati, quàm aliorum fidelium, qui à communicatione cum excommunicato prohibentur. Ipse namque excommunicatus non amplius facta denunciatione ligatur excommunicatione, quàm antea, cùm æquè ante declarationem, ac ea posita obligetur à communione fidelium abstinere. Quæ est ratio *cap. pastoralis. §. verùm de appellat* ob quam denunciatio excommunicationem incursam subsequitur. At si posita denunciatione censuræ absolutio reseruaretur, quæ tamen ante denunciationem reseruata non esset, censet Suar. per interpositam appellationem denunciationem suspendi; quia eo casu cessat decisio dicti *cap. pastoralis*, siquidem posita denunciatione strictiùs ligaris censura, quàm antea.

Punctum X.

Qualiter effectus censuræ suspendi possit?

1 *Enumerantur effectus censuræ.*
2 *Explicatur, qualiter effectus censuræ suspendi possint.*

1. DVplicem effectum censuræ signare possumus: alium proprium, & immediatum; alterum remotum. Effectus proprius censuræ triplex est; primus, & formalis, & in quo

quo ipsa essentia censuræ consistit, est reddere hominem censura affectum, dignum priuatione bonorum Ecclesiæ, quibus media censura priuatur. Secundus est ipsorum bonorum realis priuatio. Tertius, obligatio censuræ ligato inducta abstinendi ab aliquibus actionibus, & vsu rerum spiritualium. Effectus remotus censuræ dici Potest, quem illius author media censura obtinere intendit, qui & spiritualis, & temporalis esse solet. Spiritualis quatenus intendit censura ligati correctionem. Temporalis, quatenus media censura obtinere intendit partis læsæ satisfactionem.

Si de effectu remoto censuræ loquamur, id est de fine per censuram intento, sanè ab ipsomet ligato censura pendet, cùm in eius voluntate situm sit à commisso delicto desistere, & parti læsæ, quantum in ipso est, satisfacere. Aliter si termo sit de effectibus censuræ propriis.

Primus. Nulla virtus impediri potest manente censura, cùm eius essentia sit in redendo hominem dignum, vt bonis spiritualibus Ecclesiæ priuetur. Secundus effectus censuræ manente censura solùm à Pontifice impediri potest; nam cùm à Pontifice habeat censura priuare ea affectum bonis communibus Ecclesiæ, nequit alius à Pontifice hanc mutare institutionem. Tertius verò effectus multipliciter potest suspendi. Primò ex ignorantia inuincibili censuræ, hæc enim suspendit obligationem, quæ tibi per censuram inducitur, sicuti suspendit obligationem quorumcunque præceptorum, quorum ignorantiam inuincibilem habes. Secundò suspenditur per vim, & coactionem, quia hæc tollit libertatem iuxta textum *in cap. sicut de his qua vi metúsve causa fiunt.* Tertiò ex metu cadente in constantem virum. Nam cùm hæc obligatio sit ex præcepto Ecclesiastico regulariter stante periculo grauis damni cessat, vti superiùs diximus, & tradit in præsenti Siluest. verbo *excommunicatio. 5. quæst. 14.* Nauarr. *cap. inter verba, præludio 3. numero. 4.* Suar. aliis realis *disput. 6. sect. 3. numero 7.* Dixi regulariter, nam sæpè metus obligationem non suspendit, vti si illatus esset in religionis contemptum, vel in extorsionem operis aliàs illiciti. Quartò impeditur ex graui scandalo, infamia, alióve damno ex obseruatione censuræ proueniente tibi, vel tertio, quod alia via auertere nequis, vt docuit D. Thom. 3. *p. quæst. 83. art. 6. ad 2.* Nauarr. *cap. 27. numero 239.* Sotus *in 4. d. 18. quæst. 2. art. 5.* Suar. *disp. sect. 3. numero 13. & seqq.* quia præcepta purè Ecclesiastica regulariter non videntur cum tanto detrimento obligationem inducere Si enim aliquorum diuinorum obligatio vt de integritate confessionis, de sumenda Eucharistia ob prædictum causam cessat, à fortiori præsumendum est præcepti Ecclesiastici obligationem de censura seruanda cessaturam. Quintò addunt aliqui suspendi censuræ obligationem ob commodum spirituale aliis prouenturum. V. g. es excommunicatus, suspensus, vel interdictus, si à celebratione abstineas maximè die festiuo, priuatur populus fructu sacrificij, & præcepti Ecclesiastici audiendi sacrum executione. Hoc autem videtur esse graue incommodum. Ergo ob illud præcauendum obligatio censuræ suspendi debet. Sed hanc non esse causam sufficientem, vt obligatio censuræ suspendatur meritò docuit Vgolin. *tab. 1. de censura. cap. 13. §. 4* Suar. alios referens *disp. 6. sect. 3. numero. 19.* Quippe fructum sacrificij alia via populus consequi potest, scilicet ardenti desiderio sacrum audiendi. Et quamuis prædictum effectum non obtineat, non obstat obligatio censuræ suspendi debet, cùm ex eius natura hanc inducat priuationem; aliàs posses, ne populus die feriali fructu sacrificij priuaretur, imo ne tu illo careres sacrum dicere, quod non est admittendum. Hæc procedunt in censura nota &, manifesta. Quid autem dicendum sit in censura non denunciata *disput. sequenti* videbimus. Sextò suspendi potest obligatio censuræ ex Pontificis dispensatione, nam cùm omnes effectus censuræ, eiúsque institutio à Romano Pontifice ortum habuerint, potest Pontifex manente censura hunc, vel illum effectum ab ea remouere, sicuti de facto à fidelibus sustulit obligationem vitandi excommunicatum non denunciatum, & sæpe beneficium Ecclesiasticum alicui ignoranti censuram conferens, absoluit ab inhabilitate per censuram inducta, ne ea collatio irrita sit. Alter verò à Pontifice potestatem non habet impediendi censuræ effectum, cùm neque ex iure, neque ex consuetudine vlli concessum sit. Quod aperte colligitur ex *cap. postulastis de clerico excommunicato ministrante*: vbi Episcopus grauiter punitur, si scienter clerico excommunicato beneficium conferat: at pœna dignus non esset, si manente excommunicatione illus effectus posset suspendere, cùm absolutè censendus esse suspendisse scienter excommunicato beneficium conferens. Vt rectè notauit Suar. *disp. 6. sect. 4. num. 4. & seqq.*

* *
*

Ferd. de Castro. Sum. Mor. Pars VI.

PVNCTVM XI.

De absolutione à censura.

§. I.

Censura semel incursa, non alia via tollitur quàm absolutione.

1 *Proponuntur euentus, in quibus videatur censuram semel incursam cessare, nulla absolutione præmissa.*
2 *Communis est sententia absolutionem necessariam esse.*
3 *Censura plenè, & perfectè nondum cessat morte censurati, nec ob mortem authoris.*
4 *Neque item sola satisfactione parti læsa præstita.*

1. IN triplici euentu dubium esse potest; an censura semel incursa cesset nulla absolutione præmissa. Primò mortuo authore censuræ, quia censura videtur esse quoddam mandatum obligationem censurato imponens, at mandatum mortuo mandante cessat. Secundò mortuo eo, qui censura ligatus est. Nam cùm censura sit quoddam accidens morale, pereunte subiecto cui inest, perire debet. Et explicatur amplius, censura subsistere nequit in anima à corpore separata, vtpote quæ Ecclesiæ iurisdictionem egressa est, neque etiam in corpore, vtpote re inanimata, & nullius obligationis capaci. Tertiò posito fine à censura intento, scilicet condigna satisfactione, quæ media censura procuratur, videtur censura cessare: etenim omnis censura cùm sit pœna medicinalis, solùm iniungitur pro tempore quo contumax, & inobedieris es. Ergo cessante contumacia, & inobedientia absque alia absolutione cessat; quia ligare non potest vltra voluntatem authoris.

2. Cæterum communis sententia est absolutionem necessariam esse, vt censura semel incursa auferatur. Etenim censura auferri nequit nisi à potestate concessa Petro soluendi ligatos: sed huius potestatis actus est absolutio, sicuti potestatis actus est ligatio. Ergo censura absolutione tantùm tolli potest.

Et imprimis cessare nequit ob mortem authoris, nam esto ab eo pendeat in fieri, non tamen in conseruari; non enim ipsa est præceptum, sed pœna iniuncta ob præcepti transgressionem, quæ pœna durat iure sic disponente, quousque legitimè tollatur, vt apertè colligitur ex *cap. si Episcopus. 11. quæst. 3.* & *cap. Pastoralis §. præterea de officio ordinarij.* Et tradit ex omnium sententia Suar. *disput. 7. sect. 1. in princ.* Coninch. *disput. 14. dub. 16. num. 198.* Paul. Layman. *lib. 1 sum. tract. 5. par. 1. cap. 7. num. 1.* Gaspar Hurtado *de excommunic. diffic. 1. disp. 14.*

3. Deinde censura plenè, & perfectè non cessat morte censurati. Nam cùm censura non tantùm afficiat delinquentem, sed aliis fidelibus obligationem imponat abstinendi à censurati communicatione, qua parte censura fideles viuos astringit, morte censurati non perit, siquidem eo mortuo nequeunt illius corpus tradere sepulturæ, & pro eius anima sacrificia offerre, & preces publicas fundere. Non igitur plenè, & perfectè censura cessat morte censurati, tametsi qua parte eum ligabat omninò pereat. Atque ita tradit Nauarr. *sum. cap. 27 num. 171.* Couarruu. *cap. alma mater. 1. p. §. 11. num. 8.* Paul. Layman. *lib. 1. sum. tract. 5. par. 1 cap 7. initio.* Coninch. *disp. 14. dub. 16. num. 201.* Suar *disp 7. sect. 7. num. 5 & 6.* Et indicatur satis *cap. à nobis el 2. Cap. sacris, de sententia excommunicat. & cap. is cui. eodem tit in 6.*

4. Tandem sola satisfactione parti læsæ facta, emendationéque delinquentis nequaquam censura absolutè lata cessat. Nam esto imponatur, vt parti fiat satisfactio, & delinquens corrigatur, id solum probat posita satisfactione, & correctione debere à iudice auferri, non tamen quod ipsa ex se cesset, vti deciditur *cap. cum desideres, de sententia excommunicationis Cap. qua fronte de appellation. Cap. ex literis de excommunicationibus & aliis.* Et tradunt Nauarr. Couuarr. Suar. Coninch. *loc. allegat.* At si censura non absolutè fertur, sed pro determinato tempore v. g. ad mensem, vel annum, censura non est, sed pœna; nam cùm censura ex sua institutione ad correctionem censurati dirigatur aliud tempus determinatum habere non potest præter tempus, quo censuris corrigitur, vti aduertit Layman. *de censuris, dicto capite 7. numer. 1. vers. neque hoc obstat.* Quod si feratur censura quousque satisfeceris. Vt si iudex sub hac forma ferit sententiam protulerit. Sub censura excommunicationis ipso facto incurrenda tibi præcipimus, vt debitum Petri intra tres dies soluas, sitque excommunicatus quousque satisfacias, verius est posita satisfactione te fore absolutum: vti docuit Couarruu. *cap. alma. 1. p. §. 11. num. 5.* Auila *2. p. de censur. cap. 7. disput. 2. dubit. 6.* Coninch. *disp. 14. dubit. 16. conclus. 1. numer. 128.* Vasq. *de excommunication. dubitat. 18.* Non quidem absque vlla absolutione, vt placuit Gaspari Hurtado *tract.*

de excommunication. disput. 14. difficult. 1. in fine, quia censura semel iniuncta non pendet in conseruari ab eius authore, sed ex se perpetuò durat, quousque ab eo qui potestatem soluendi habet dissoluatur, quare nequit iniungi pro hoc, vel illo tempore. Sed censura illis verbis absolutione tollitur; ea namque verba implicitè continent absolutionem, vt notauerunt Vazq. & Coninch. *supra*, præstántque hunc sensum; si intra tres dies non satisfeceris excommunicationem incurras, aqua sis absolutus posita satisfactione: nam illa verba quousque satisfeceris aliquem debent habere effectum, ne sint inutiliter posita. At perseuerantiam in excommunicatione non habent, cum excommunicatio semel inflicta semper perseueret. Neque item excommunicationis cessationem secluſa absolutione, quia est vinculum, quod dissolui non potest à potestate ligandi, sed à potestate soluendi, si autem absque vlla absolutione cessaret, ex eo quòd illius author eam pro determinato tempore scilicet quousque satisfacias imposuerit, sanè cessatio censuræ eo casu non à potestate soluendi, sed à potestate ligandi proueniret. Sit ergo certum nunquam censuram tolli nisi media absolutione. An autem dari possit absolutio sub aliqua conditione §. *sequenti* videbimus.

§. II.

Quibus modis conringat absolutionem fieri à censura.

1 *Alius est absolutus, alius conditionatus.*
2 *Sub conditione ferri absolutio potest.*
3 *Satisfit Doctoribus oppositum sententibus.*
4 *Qualiter absolutio ad cautelam contingat.*
5 *Qualiter absolutio ad cautelam in foro conscientia, & in externo præstanda sit.*
6 *Qui iudices possint hanc absolutionem ad cautelam præstare.*
7 *Absolutio à censura concedi potest ad reincidentiam. Et quæ hæc sit.*
8 *Absolutio à censura reseruata cùm de iure concedi non poterat, inducit obligationem comparendi cessante impedimento.*
9 *Secundus modus absoluendi ad reincidentiam est si absoluaris pro aliquo tempore determinato.*
10 *Eo transacto absque noua impositione censura reincidis, etsi plures contrarium censeant*
11 *Pontifex bene potest censura præterita absque noua culpæ delinquentem ligare.*
12 *Tertius modus absoluendi ad reincidentiam est si absoluaris in ordine ad aliquem tantùm effectum, quam absolutionem nullus alius prater Pontificem concedere potest.*
13 *Prædicti modi absoluendi à censuris præstari possunt in foro conscientiæ, & in externo.*

1. PRimus, & præcipuus modus absoluendi à censura est simplex, & absolutus, nempè cùm absolutè, & simpliciter absolutio conceditur reo emendato, & à contumacia decedenti. Secundus absolutionis modus est conditionalis, cùm absolutio sub aliqua datur conditione, ita vt ea conditione deficiente corruat absolutio. Hæc conditio potest esse de præsenti, de præterito, vel de futuro. Si conditio præsens, vel præteritum tempus spectet, non est propriè conditio cùm non suspendat actum, sed ea existente valet absolutio, & ea deficiente corruit. At si absolutio detur sub conditione de futuro. Vt si diceret iudex, absoluo Petrum ab excommunicatione incursa, cùm primùm satisfecerit, ea absolutio suspensa manet, quousque Petrus satisfactionem præstiterit. Posita autem satisfactione suum effectum habet, neque est iam conditionalis absolutio, sed redditur absoluta.

2. Posse autem hoc modo absolutionem concedi affirmant Couarruu. *in cap. alma mater. 1. p. §. 11. num. 6.* Nauarr. *cap. 26. num. 12.* & *de pœnit. dist. 6. cap. 1 in princ num. 64.* Suar. *disp. 7. sect. 8. num. 7.* Vasq. *de excommunicat. dub. 18.* Coninch. *disp. 14. dub. 16. numer. 218.* Paul. Layman. *lib. 1 sum. tract. 5. par. 1. cap. 7. numero 2.* Gaspar Hurtado *disp. 14. difficult. 2.* Etenim nec naturali iure, nec positiuo irritatur, aut prohibetur hic modus præstandi absolutionem; & sicut excommunicatio ferri sub conditione potest, *Cap. præterea*, & ibi Glossa de *appellation.* Et *cap. Romana*, verbo *caueant*, *de sententia excommunicat. in 6.* cur non absolutio: Quod adeò verum est, vt non solùm validè, sed etiam licitè si rationabi is causa vrgeat, præstari hoc modo absolutio possit, vti docuit Vgolin. *de censur. tab. 1. cap. 22. §. 1. & 2* Gregor. Sayrus *thesaur. conscient. lib. 2. cap. 19. numer 4.* Suar Hurtado, & Layman. *suprà*, ob rationem dictam, quia nullibi inuenitur prohibitum. Causa autem rationabilis (vt rectè explicat Coninch. 8. *dub. 16. num. 213.*) ea esset, si excommunicatus satisfactionem alibi sit præstiturus eáque facta diu absolutio differenda esset, nisi ei eo modo concederetur. At secluſa prædicta causa necessitatis expediens non est, absolutionem sub prædicta conditione præstare. Tum quia alienum est à praxi, vsúque recepto concedendi absolutionem. Tum quia non decet iudicem suæ absolutionis ipsúmmet reum constituere, vti constituitur cùm sub conditione ab ipso præstanda conceditur. Tum quia præstat Ecclesiæ disciplinæ, vt reus satisfactione exhibita se Prælato humiliter præsentet absolutionem consecuturus.

3 Contrarium huius doctrinæ docuerunt Antonin. 3 *par. tit. 24. cap. 77. §. 1. prope finem.* Angel. verbo *absolutio 3. initio* Siluest. *eodem. numero 1.* Et ex parte Auila. 2. *p. cap. 7. disput. 3. dub. 15.* ea ratione ducti, quia absolutio à peccatis nequit sub conditione futura contingenti præstari, ergo neque absolutio à censura. Deinde actus legitimi non recipiunt conditionem. *Leg. actus legitimi ff. de reg. iuris.* Et *reg. 50. de reg. iuris in 6.* Sed hæc leuia sunt, vt à proposita sententia recedamus; admitto absolutionem sacramentalem à peccatis dari non posse sub conditione; quia hæc absolutio non pendet immediatè à voluntate absoluentis, sed remotè quatenus ex illa voluntate apponitur materia, & forma sacramenti à Christo instituta: quibus positis non potest illarum effectus ex humana voluntate pendere: at absolutio à censura, aliisque pœnis immediatè pendet à voluntate absoluentis exteriùs expressa, ideóque suspendi eius effectus potest. Ad regulam *Actus legitimi*, respondeo illos actus, qui à die, vel tempore absoluuntur vitiari die vel tempore appositio: at censuræ absolutio etsi respicere nequeat diem, vel tempus determinatum, indeterminatum respicere potest, scilicet illud in quo reus à contumacia cessauerit.

4. Tertius modus absoluendi à censura vocatur ad cautelam; quia eo cauetur damnum, quod ex censura ignorantum censurato, tum aliis prouenire poterat, ideóque frequenter præmittitur tum absolutioni à peccatis ob vitandam Sacramenti irreuerentiam, tum ordinum receptioni, tum beneficiorum, aliorúmque priuilegiorum collationi ob vitandam eorum inualiditatem. Hic autem modus absoluendi præsupponit censuratum ignarum suæ censuræ esse, vel ad summum illius habere suspicionem non certitudinem, vti notant communiter Doctores in *cap. cùm desideres. Cap. pertus, de sententia excommunicat.* Et *cap. solet. Cap. præsenti, eodem tit. in 6.* stante prædicta ignorantia concedenda est absolutio ad cautluam petenti absolui à quacunque censura, si fortè aliqua ex illis ligatus sit.

5. Sed quia hæc absolutio peti in foro conscientiæ potest, vel in externo, diuersimodè in ea concedenda procedendum est. Nam si in foro conscientiæ petatur solo testimonio absoluendi facta promissione de satisfaciendo, si constiterit censura ligatum esse, concedenda est, vt notauit Sayrus *thesaur. casuum, lib. 2. cap. 16. numero 19.* Si verò in foro externo hæc absolutio præstatur; distinguendum est, si concedenda est absolutio generatim à censura, eo quòd nullius in particulari suspicionem habes, nulla præmissa causæ cognitione, neque vlla data cautione conceditur At si alicuius specialis censuræ absolutio est concedenda, probare vtique debet absoluendus saltem sem plenè se illa censura ligatum non esse, vel quia sententia continet errorem, vel lata fuit post appellationem legitimam interpositam iuxta textum *in cap. solet. Cap. venerabilibus. §. potest quoque de sententia excommunicationis. in 6.* vel quacunque alia de causa, vt tradit Innocent. *in d. cap. solet. numer. 2. & 3.* Ancharr. *numer. 6.* Francus ibi *in princ.* Abbas *cap. Apostolo. & de censib. numer. 10.* Et ibi Felin. *numer. 22.* Couarruu. *cap alma. 1. p. §. 12. numer. 7.* Vgolin. *de censur. tabula 1. cap. 22. §. 1. numer. 9. & 13.* Sayro *lib. 1. thesaur. casuum. cap. 17. numer. 8.* Insuper citandus est is ad cuius instantiam excommunicatio, lata est, vel iudex qui eam tulit, si ipse ex officio processit; quibus si opponant manifestam offensam, vel contumaciam concedendus est terminus octo dierum, vt id probent & interim ab absolutione supersedetur. Quod si in probatione defecerint, condemnati sunt ad expensas factas, & censuratus erit absoluendus. Secùs verò si interum probauerint, vti hæc omnia colliguntur ex *d. cap. solet*, & notarunt Couarruu. Vgolin. Sayrus *loc. allegat.* Expedit enim vt censuræ Ecclesiasticæ timeantur, ne aliter fiat earum etiam ad cautelam absolutio, vt pluribus comprobat Sayr. *d. cap. 16. numer. 11.*

6. Hanc absolutionem ad cautelam præstare poterit qui poterit ab ea censura absolutè absoluere. Sed an cuilibet iudici delegato competat potestas? variant Doctores, vt constat ex iis quæ adducit Couarruu. *cap. alma. 1. p. §. 12 n. 8.* Sayr. *lib. 2. thes. casuum. cap. 16. num. 15.* Alij negant hanc potestatem, nisi pro dicendo testimonio in aliqua causa quando alia via veritas comprobari non potest. Alii concedunt, quorum opiniones Couarruu. & Sayrus sic conciliant, vt prima opinio negatiua locum habeat in iudicibus delegatis, ad cognoscendas causas in Romana curia: ij enim non possunt censuratos ad cautelam

lam absoluere, excepto eo casu referendi testimonium, nisi specialiter ea potestas commissa fuerit. Secus verò est de iudicibus delegatis ad cognoscendas causas extra curiam, qui ex visu accepto hac potestate gaudent. Iudex autem ad quem censuratus pro absolutione ad cautelam adit, cessante oppositione aduersarij, vel censuræ authoris de manifesta iniuria, vel offensa concedere absolutionem debet, nisi iustissima aliqua causa moueatur. Argum. *cap. cum contingat. de Officio delegat. Cap. præterea. Cap. in nostra de testib. & atteſtationib.* & tradit Innocent. *in dicto cap. ſolet num. 7.* Et ibi Ioan. Andreas. Francus. Gemnian. & Ancharr. quos refert, & sequitur Sayrus *dicto cap. 16. num. 17.* Nec obest quod Pontifex consultus *in dicto cap. ſolet de ſententia excommunicat. in 6.* dixerint cessante contradictionis obstaculo absolutio petenti non negetur. Nam (vt rectè explicat Sayrus) intelligi debet, ne negetur ad instantiam aduersarij, non verò quod negari non possit ex alia rationabili, & iustissima causa, quæ iudici visa fuerit.

7. Quartus modus, & satis frequens absoluendi à censura appellatur ad reincidentiam, eo quòd absolutus in eam iterum incidit, si opus sub censura præceptum non exequitur. Quo modo absoluendi vtuntur sæpe iudices in debitis pecuniariis: absoluunt namque ex consensu creditoris debitorem ab excommunicatione incursa ob non solutum debitum, imposito præcepto, vt intra tot dies fiat solutio, sin minus eadem censura ligetur.

8. In iure sunt huius absolutionis aliqua exempla, videlicet in *cap. Quod de his de ſententia excommunicat.* & *cap. eos quidem tit. in 6.* vbi absolutus à censura reseruata ab eo, qui absoluere de iure, non poterat ob impedimentum legitimum iudicem adeundi, si postmodum cùm commodè posset, coram legitimo iudice non compareat illius mandatum paratus exequi, in eandem excommunicationem incidit. Et idem est si absolutus à Sede Apostolica, aut eius legato Nuntio cum mandato comparendi coram ordinario, vel alio à quo sit pœnitentiam accepturus, vel cum obligatione parti satisfaciendi; hæc adimplere contempseris; cùm commodè possis, vti habetur in *dicto cap. eos qui*, & tradunt omnes. Quando autem censendum sit impedimentum cessare, vt censeatur obligatus absolutus conditionem absolutionis exequi, in foro externo iudicis arbitrio relinquitur, iuxta Glossam *in Clem. 1. §. fin. De Pœnis*, quam sequitur Nauarr. *cap. 27. num. 113.* Henriq. *lib. 13. cap 29. n. 2.* At in foro conscientiæ iudicio ipsius absoluti remittitur, vt tradunt Glossa, & Nauarr. *suprà.*

Sed an huic obligationi comparendi satisfacias medio procuratore? Affirmant Caietan. verbo *excommunicatio, casu 69.* Nauarr. *cap. 27. num. 49.* Henriq. *lib. 13. de excommunicat. cap 29. num. 3.* ex regula quod per alium facis, per te ipsum facere videris. Et cùm res in foro externo tractatur id docent Geminian. *in cap. eos qui, num. 6. de ſententia excommunicat. in 6.* Stephanus Costa ibi *num. 16.* Sayr. *lib. 2. theſauri caſuum, cap. 16. num. 13.* Sed rectiùs contrarium censet Vgolin. *de censur. tab. 1. cap. 14. §. 5. num 4.* Tum quia Bonifacij const ituto in *dicto cap. eos qui*, est omnino similis constitutioni editæ à Clemente III. *in cap. quod de his de ſententia excommunic.* At Clemens III. expressè exigit personalem præsentationem, ibi: Caterùm ab his in forma sacramenti exigi consueuit, vt assumptis vitibus, opportunitate concessa Romanam Ecclesiam in propria persona debeant visitare. Ergo personalis præsentatio requiritur, & non sufficit per procuratorem. Tum quia si prædictæ obligationi comparendi medio procuratore fieri possit satis, vtquid impeditis hæc obligatio inducitur; vt cessante impedimento compareant, cùm durante impedimento possent medio procuratore comparere? Denique hac obligatione peractà aliter comparendi, vtpote onerosa redduntur excommunicati cautiores, ne iterum in excommunicationem incidant. Neque obstat illa regula iuris, *quod per alium facimus, &c.* cùm expressè cautum est, ne per alium, sed per propriam personam fiat.

9. Secundus modus absoluendi ad reincidentiam est, si absoluaris pro aliquo tempore absolutè, & pro reliquo sub conditione alicuius operis exequendi. V. g. absolutus es à iudice ad tres dies ex consensu creditoris, & in perpetuum si intra illos dies debitum soluas.

10. Controuersia igitur est; an ex hoc modo absoluendi præstito à Prælatis Pontifice inferioribus, reincidas in eandem censuram, tametsi nullam de nouo culpam committas? Affirmant te reincidere Suar. *dict. 7. sect. 8.* Fileucius *tract. 11. cap. 10. quæſt. 4* Gaspar Hurtado *disp. 10. de excommunicat difficult. 3.* Quia neque ex natura rei, neque ex iure positiuo hic modus absoluendi prælatis inferioribus est interdictus. Si enim possunt pœnam exilij, aliámve temporalem aliquibus diebus suspendere, cur non poterunt hanc spiritualem pœnam? Quod si dicas hæc pœna non contrahitur absque culpa: non inde infertur nouam culpam esse necessariam; cùm non sit noua pœna, sed eadem, quæ aliquibus diebus fuit suspensa, quæque redit ob priorem culpam, pro qua à principio contracta fuit. Sed rectiùs Nauarr. *cap. 27. num. 277.* Henriq. *lib. 13. cap. 29.*

Auila. *2. p. de censuris, cap. 7. disp. 3. dub. 14.* Coninch. *disp. 14. dub. 16. num. 216.* Layman. *lib. 1. ſum. tract. 5. part. 1. cap. 7. in fine*, asserunt te non ligari amplius ea censura, nisi nouam culpam committas. Moueor; quia censura ex sua institutione, habet esse pœnam medicinalem Ecclesiæ inobedienti. Ergo nulla stante inobedientia actuali, non potest nouo infligi, & inflicta auferenda est. Et explico, te absoluto à censura ex consensu creditoris, censura omninò destruitur, cùm nullibi sit, ergo vt iterum renascatur, nouam contumaciam, & inobedientiam exigit. Quod secùs est in pœna temporali exilij, vel alterius damni, quæ in punitionem peccati præteriti imponitur, & latitudinem habet: hæc enim cùm ad tempus suspenditur, non tollitur, sed ex parte remittitur. At censura sublata pro aliquo tempore omnino aboletur. Ergo ne postmodum renascatur nouam contumaciam, & inobedientiam requirit; aliàs censura in puram punitionem peccati præteriti imponeretur ei, qui à contumacia, & inobedientia recessit.

11. Notanter dixi hoc modo absoluendi vti non posse alium à Pontifice. Nam Pontifex vti eo poterit, si velit, cùm censurarum institutio ab eo pendeat; non est autem credendum eo vti, nisi manifestis verbis explicuerit. Quippe modus absoluendi à censura, & in illam denuò incidendi absque vlla noua causa obstat illius decretis statuentibus censuram esse pœnam medicinalem delinquentis contumacis, auferendámque contumacia cessante, vti notauit Coninch. *d. disput. 14. dub. 16. num. 217.*

12. Tertius modus absoluendi ad reincidentiam est, si absoluaris in ordine ad aliquem tantùm effectum nempè ad beneficij, seu alicuius priuilegij collationem ad testimonium ferendum, &c. Sed ex vi huius absolutionis non absolueris à censura, sed absolueris ab aliquo illius effectu. Quo modo absolutionis nullus alius à Pontifice vti potest, vno casu excepto: quia nemini concessum est stante censura, illius effectum impedire, habet enim censura suos effectus ex Pontificia institutione; quam nullus alius à Pontifice mutare potest. Dixi *vno casu excepto* quia is ab ipsómet Pontifice conceditur ob illius necessitatem. Etenim cuicunque iudici tam ordinario, quàm delegato, tametsi potestatem non habeat absoluendi à censuris datum est, vt possit excommunicatum absoluere non absolutè, sed ad effectum dicendi testimonium, quando alia via veritas cognosci non potest. Et *cap. veniens. 2. de teſtibus*, iuncto *cap. præterea. De officio delegati.* Sicuti notauit Paul. Laym. *lib 1. ſum. tract. 5. par. 1. cap. 7. in fine.* Sayr. *lib 2. theſ. caſuum. cap. 16. num. 15.*

13. Rursus omnes dicti modi absoluendi à censuris præstari possunt in foro interiori, & in foro exteriori, & iudiciali. Si pro foro tamen interiori præstentur, non potest sic absolutus se publicè immiscere actibus per censuram prohibitis. Quod si contra faciat, poterit à iudice, vt censuræ transgressor puniri, esto ipsi constet de absolutione; minus tamen, quàm si verè esset transgressor. Quinimo si velit, poterit prædictam absolutionem in foro externo admittere, & à punitione supersedere, nisi à parte vrgeatur, vti ex Nauarr. tradit Stephan. Dauila *2 p. de censur. cap. 7. disp. 3. dub. 12.* Sayrus *lib. 2. theſauri caſuum. cap. 20. num. 31.* Paul. Layman. *lib 1. ſum. tract. 5. par 1. cap. 7. circa finem.* Si autem pro foro externo absolutio concedatur, potest sic absolutus se gerere, ac si nunquam in censuram incidisset; quia est integra, & perfecta censuræ dissolutio.

§. III.

Qua forma, quo ritu, quibúsque conditionibus censuræ absolutio concedenda est.

1 *Nulla est in iure forma præscripta.*
2 *Vnica absolutione ab omnibus censuris liberari potes.*
3 *Verbis vel scriptura censura absolutio præstanda est.*
4 *Qualis ritus seruandus sit in absolutione.*
5 *Quoad conditiones attinet ex parte absoluentis requiritur potestas.*
6 *Qualiter iudici concessum sit absolutionem præstare parte non satisfacta, là è examinatur.*
7 *Item ex parte absoluentis requiritur libertas à coactione, & metu.*
8 *Item requiritur, ne in causa principali decipiatur.*
9 *Ex parte absoluendi requiritur regulariter petitio, etsi necessaria non sit.*
10 *Non est opus, vt sit absoluenti præsens, etsi expediat.*

1. NVlla est in iure forma præscripta, sed ea tantùm sufficit, quæ voluntatem absoluentis declaret. Vt si dicerес. Ego te absoluo à vinculo excommunicationis, suspensionis, vel interdicti, neque necessarium est exprimi causam, ob quam est incursa, tametsi id sit expediens. Quinimo ea verba tantùm, *te absoluo*, præmissa petitione absolutionis à censura sufficienter exprimunt voluntatem ab ea absoluendi, vt benè notauit Vgolin. *de censur. tab. 1. cap. 23.* Sayrus *lib. 2. theſ. caſuum. cap. 16. num. 3.*

2. Et quamuis ligatus pluribus censuris etiam eiusdem rationis ab vna absolui possit, alia non absoluta; quia vna ab alia non pendent, sicuti mortalia peccata; attamen ab omnibus illis vnica absolutione liberari poterit, si absoluens potestatem, & voluntatem habeat absoluendi, vti ex comuni tradit Sayrus, *lib.2. thesaur. casuum. cap.21. à num.16.* eam autem voluntatem ab omnibus absoluendi non censetur iudex, seu confessarius habere, cui vnicam tantùm censuram pœnitens manifestauit alias dolose cælans ex textu in *cap. cum pro causa*, & *cap. officij de sententia excommunicat.* Et tradit Glossa *in d. cap. cum pro causa.* Et ibi Panormitan. *num.6.* Couarruu. *cap. alma. 1 p §.num,13* Henriq. *lib.13. cap.30.num.2.* Sayrus alios referens *d. cap.21. num.2* .Vgolin. *de censuru. tab.1. cap. 9. §.1. num 20 & §.4.num.4.* quia æquum non est, vt ex dolo, & fraude commodum obtineat censuratus.

3. Verbis autem, vel scriptura censuræ absolutionem præstandam esse non solùm in foro exteriori, & iudiciali, sed in foro conscientiæ probat vsus, & colligitur ex *cap. cum desideres de sententia excommunicat.* & Clement. *vnica eodem tit.* vbi non censetur absolutus ab excommunicatione is, quocum summus Pontifex scienter communicat. Addit tamen Gaspar Hurtado *disput. 14. de excommunicat. difficult. 4.* non esse mortale aliis signis absolutionem conferre. Quod non credo maximè in absolutione iudiciali, tum quia aduersatur consuetudini receptæ in re graui. Tum quia est satis dubium, an ea absolutio subsistat.

4. Ritus seruandus in absolutione iudiciali à censura excommunicationis præscribitur in *cap. à nobis 28. de sententia excommunicat.* & habetur in Pontificiali Romano. Huius omissio neque absolutionem inutilidam reddit, vt omnes fatentur, neque illicitam grauiter, nisi in solemni aliqua absolutione ad satisfactionem Ecclesiæ facta, vt notauit Gaspar Hurtado *disp. 14. de excommunicat. difficult. 4.* in absolutione autem pœnitentiali, etsi exped at regulariter prædictas cæremonias seruari, vt censuratus cautior in posterum sit, certum est absque graui culpa omitti posse, vti viri timorati faciunt. Si excommunicatio ob graue delictum incursa est, v. g. ob incendium grauémque clerici percussionem necessariò sub graui culpa exigendum est iuramentum ab absoluendo, quod in simile delictum non incidet iuxta textum in *cap. ex tenore. Cap. de catero Cap. cum desideres de sententia excommunicat.* & tradunt ferè omnes Doctores. Procedit que tam in absolutione iudiciali, quàm pœnitentiali. In absolutione verò excommunicationis, alteriúsve censuræ incursæ ob delicta leuiora, non est prædictum iuramentum ex obligatione exigendum, vti docent Henriq. *lib. 13. cap.28. num. 4.* Auila *2.p. de censur. cap.7. disp.3. dub.2.* Coninch. *disp.14. dub.16. num.204.* Gaspar Hurtado *disp. 14. de excommunicat. difficult. 4.* Ab hac tamen obligatione iuramentum præstandi eximuntur impuberes, argum. *cap.1. & fin. de sententia excommunicat.* vbi pueri ob percussionem clerici iubentur absolui, nulla mentione iuramenti facta, & tradit Siluest. *absolutio.3. numero 3.* Henriq. *lib. 13. cap. 29. num.3.* Vgolin. *de censur. tab.1.cap.19. §.5.num.2.* Sayrus *lib.2. Thesauri casuum. cap.17. num.3.*

5. Quoad conditiones attinet aliquæ seruandæ sunt tam ex parte absoluentis, quàm ex parte absoluti, vt absolutio validè, & licitè præstetur. Ex parte absoluentis requiritur potestas, quæ nemini alteri à clerico etiam in mortis articulo concessa est, vt optimè tradit Paludan. *in 4.d.20 quæst.1.art. 2.* Nauarr. *cap.26. num.26. & cap.1.num,84. de pœnitent. dist.6.* Couarruu. *cap. alma. mater. 1.p.§.11.num.9.* Vgolin. *tab.1.cap.4.§.5. num.7.* Sayrus *lib.2. thesauri. cap.21. num.3.*

6. Sed an iudex cui committitur absolutio satisfacta parte censeatur potestatem habere absoluendi, parte non satisfacta. *Tract. de bulla cruciata. punct.8 §.5.* resoluimus, si impotens sit satisfaciendo absolui posse præstita cautione pignoratitia, vel fideiussoria, aut si hanc non possit iuratoria, vti tradunt Nauarr. *cap.17. num.48.* Hentiq. *de excommunicat. cap.28. n.1.* Sayrus *lib.2. thesauri cap.17. num.11.* Vasq. *de excommunicat. dub.20.* Auila *2.p.cap.7. disp.3 dub.8.* Ægid. Coninch. *disp.14. dub.16. num.206.* Haspar Hurtado *disp.14. de excommunicat. difficult. 5. n.20.* Quippe intentioni Ecclesiæ, & institutioni censuræ consonum est, vt sublata inobedientia ipsa censura auferatur. Quare potestas absoluendi concessa satisfacta parte, subintelligitur in quantum fieri potest seruato iuris ordine.

Quod si potente censurato satisfactionem præstare realem, contentus iudex sit cautione iuratoria, non est dubium grauiter peccatum, si absolutionem impendat, tum ob iniuriam parti factam; tum quia violat iuris ordinem præscribentis realem satisfactionem absolutioni præmitti, si fieri potest, *Cap.2. de sentent. excommunicat.in 6 & cap.ex parte 13. de verbor. significat.*

Difficultas grauis est, an validè absoluat in prædicto casu Communior sententia docet iudicis delegati absolutionem inualidam esse; quia non est censendus delegans concedere potestatem absoluendi contra iuris præscriptum, & in tertij præiudicium; sic docuit Vasq. *de excommunicat. dub.20.* Suar. *disput.7. sect. 5. num.42* Sayrus *cap.20. num. 33.* Coninch. *disput.24. dub.16.num.211.* Sanch. *lib.3. disp.33. num.2.* Sed prædictam absolutionem valere satis probabile esse diximus *dicto tract. de bulla, pun. 8. §.5.* & docet Sanch. *suprà*, & in præsenti Auila *2.p. cap.7. disp.3. dub.9.* Gaspar Hurtado *disp. 14. difficult. 5. num.22.* Quia illa verba *satisfacta parte* non restringunt potestatem, sed monet delegatum de conditione, quam seruare tenetur. Quippe illa conditio parti satisfaciendi non alia cautela apponitur in delegatione, quàm à iure communi apposita est. At à iure communi non apponitur vt conditio, cuius defectus irritet absolutionem. Ergo neque in delegatione censenda est apposita. Neque inde fit peccare delegantem concedendo facultatem delegato validè absoluendi parte non satisfacta; nam sicut Ecclesia non peccat concedens ordinario hanc potestatem, neque ipse ordinarius peccare poterit suam potestatem eo modo quo ipse habet alteri delegans. Satis enim iuri tertij cautum censetur dictæ absolutionis prohibitione.

7. Secundò ex parte absoluentis requiritur libertas à coactione, & metu ex expressa decisione textus in *cap. vnde hi qui vi, metúsve causa fiunt. lib.6.* ibi, viribus euacuamus. Quod procedit à quocunque, vis, aut metus inferatur, vt notauit Vgolin. *tab.1.cap.2. §.4. num.2. & cap.4. in princ. num.14.* Sayrus *lib 2. de excommunicat. cap.21. num.30.* Secundò procedit siue censura iustè, siue iniustè validè tamen lata sit, quia textus non distinguit; & quia iniustitia censuræ iuris remediis, non autem iniustitiis emendari debet, vt aduertit Sayrus *suprà.* Argum. *cap. sacr. §.caueant, de sententia excommunicat. & capitum contingat. de officio delegati.* Tertiò procedit, tametsi iudex sub conditione futura censuram imposuisset, & ante impletam conditionem cogeretur reuocare mandatum, ea reuocatio nulla esset, delinquentésque ligarentur, ac si nulla reuocatio præcessisset, vt aduertit Suar. *disp.7. sect.6. num.13.* Sayrus *lib.2 thesauri. cap. 21. num.30.* Quartò procedit etiam in absolutione à minori excommunicatione. Tum quia verè est censura. Tum quia ratio ob quam absolutio à maiori excommunicatione per vim extorta irritatur, scilicet ne authoritas, & efficacia potestatis Ecclesiasticæ diminuatur, procedit in hac absolutione. Atque itaet Gominian, & Felino *in cap. si quem num.4. de sentent. excommunicat.* aduertit Sayr. *dicto cap.21. num.30. & num.31.* optimè notat absolutionem sic extorquentes noua excommunicatione ligari ex *d. cap. vnico, de hu quæ vi, lib.6.*

8 Tertiò requiritur, ne absoluens in causa principali decipiatur. Si enim absoluendus fingit se parti satisfeciße, vel propositum satisfaciendi habere; cùm tamen non habeat: absolutio reppote per surreptionem obtenta non subsistit, vt expressè colligitur ex *cap. ex parte de officio ordinarij.* Et *cap. offitij de sentent. excommunicat.* & tradit Couarru. *cap. alma. 1.p.§.11.n.14.* Henriq. *lib.13. cap.30. num.4.* Sayrus *lib.2. thesauri. c.21. num.27.* Quippe non censetur iudex voluntatem absoluendi habere, esse enim voluntas irrationabilis, & contra iuris ordinem. Si tamen constaret (quod præsumi non debet) ipsum iudicem aliis potestate absoluendi gaudentem velle non obstante fraude absoluere, tenebit absolutio. Vti docuit Nauarr. *cap.27. num.38.* Vgolin. *tab.1. de censur. cap.19. §.4. num.4.* Sayrus *lib.2. cap.21. n.26.* Auila *2.p. cap.7. disp 2 dub.4.*

9. Ex parte absoluendi regulariter requiritur absolutionis petitio non ita necessariò, vt alias impensa non habeat effectum, sed vt conuenienter concedatur. Nam cùm censura imposita sit ad delinquentis correctionem, expedit postulatione humi demonstrare se correctum esse. Argum. *cap per suas de sentent. excommunic* & pluribus firmat Sayrus *lib.2. thesauri. c.21. n.26.* Idcóque potest inuito concedi. Cùm enim censura sit pœna nihil obstat quominus sine voluntate patientis auferatur; communiter tamen nunquam auferetur; quia id non expedit. Atsi in aliquo casu iudicaretur bono communi expedire ei qui per censuras non corrigitur, absolutionem impendi, præstari posset, vt latiùs tradit Suar. *disp.7. sect.7.* Sayrus *suprà.*

10. Non autem est opus (vt contendit Vgolin. *tab 1. de censur. cap.1. §.1. num.5.*) absoluendum præsentem esse iudici absoluenti. Nam sicut absens excommunicari per litteras potest, sic & absolui: vti colligitur ex *cap. de manifestis. 2. 31. & cap. quanto. 2. q.5 & cap. quisquis. 2. q.9.* Et tradit ibi Glossa. Siluest. *absolutio. 3. num.9.* Nauarr. *cap. 26. num.14.* Henriq. *lib.3. de excommunicat. cap 29. num. 1.* Sayrus *lib.2. de excommunicat. cap.21. num.12.* Debet autem causa vrgens adesse, vt licitè fiat. Frequenter enim expedit tum ad reuerentiam censurarum, tum ad maiorem humilitatem, & cautionem ipsius censurati, ne aliter quàm in præsentia absolutio concedatur. Idem dicendum est de absolutione concessa medio procuratore regulariter non expedire: causa tamen vrgente concedi posse, vt tradunt Siluest. Sayr. Suar Nauarr. & Henriq. *supra* Hic autem procurator speciale mandatum habere debet petendo absolutionem, vt sic constet censuratum à contumacia recessisse, vt bene docuit Glossa *in cap. qui ad agendum.* verbo *vel pacisci de Procuratorib. lib.6.* Speculator *tit. de procuratorib. §. item opponitur. vers.6.* Vgolin. *tab.1. c.2. §.1 n 3.* Qui & iurare debet & præstare ea omnia quæ absoluendus præstare, si præsens adesset tamen si ad iurandum, vel cautelam speciale mandatum non habeat,

nam

nam eò ipso quo habet mandatum ad impetrandam absolutionem virtute in eo mandato concessum intelligitur quidquid absolutioni impetrandæ necessarium fuerit. Argum *leg. ad rem mobilem. leg. ad legatum. ff. de procuratorib. leg. 2. ff. de iurisdictione omnium iudicum. & cap. præterea de officio deleg.*

§. IV.

Quibus competat potestas absoluendi à censuris ab homine latis.

1 *A censuris ab homine specialiter latis absolvere potest qui tulit.*
2 *Verum est, nisi domicilium reus mutauerit.*
3 *Item etiamsi appellationem interposuerit.*
4 *Excipiuntur plures casus, in quibus authori censura non permittitur absolutio.*
5 *Absoluit à censuris specialiter latis successor ferentis in munere, & dignitate.*
6 *Item superior ferentis censuras, si pleno iure superior sit.*
7 *Explicatur doctrina tradita.*
8 *Item absoluere potest delegatus cum causæ cognitione à censura lata à delegante.*
9 *Probatur nullum alium præter supradictos absolutionem concedere posse.*
10 *Omnes illi possunt absoluere à censura generaliter ab homine lata, qui possent ab ea absoluere, si à iure lata esset.*

1. Regula generalis est. A censuris ab homine specialiter latis absoluere potest qui tulit, nisi ei fuerit interdictum. Item eius successor, superior, vel delegatus, & nullus alius. Et in primis censuræ authorem posse absolutionem præstare colligitur ex *cap. verbum de pœnitent. dist. 1. & cap. pastoralis. §. præterea de officio ordinarij*: nam cùm hæc potestas salutem animarum respiciat non tam ad ligandum, quàm ad soluendum censenda est concessa; ideóque potestatem ligandi habens, & soluendi potestatem habere debet. Fauétque regula iuris 1. & *leg. nihil tam naturale ff. de regulis iuris*. Res per quascunque causas nascitur, per easdem dissoluitur, Atque ita tradit S. Thom. 3. p. *in additionib. q. 24. art. 1.* Bonauent. *in 4. d. 18. in olt. part dist. quæst. 6.* Durand. *ibi q. 4. num. 8.* Paludan. *q. 5. art. 2.* Gab. *q. 3. art. 3. dub. 6.* Sotus. *d. 22. q. 2. art. 3. concl. 2.* Henriq. *lib. 13. cap. 17. num. 1.* Suar. *di p. 7. sect. 2.* Coninch. *disp. 14. dub. 16. num. 254.* Layman. *lib. 1. sum. tract. 5. part. 1. cap. 7. n. 2.* Ex canonistis Hostiens. *in sum. lib. 5. tit. de sententia excommun. n 12.* Panorm. *in c. prudentiam, § finali*, & ibi Felin. *n. 19. de officio deleg.* Nauarr. *cap. 27. n. 40.* Couarruu *cap. alma. 1. p. § 12. n. 2.* & alij quos refert, & sequitur Sayrus *lib. 2. thesaur. cap. 20.*

2. Quod verum habet, tametsi reus domicilium mutet, adhuc ab eo, qui tulit sententiam, absoluendus est, argum. *cap. proposuisti.* Et ibi Glossa, verbo *citatus de foro competenti.* Nam mutatione domicilij subterfugere non potest authoris censuræ iurisdictionem; sicuti tradit Vgolin. *tab. 1. de censuris cap. 4. n. 7.* Angel. verbo *absolutio 1. num. 7.* Sayrus. *lib. 2. thesauri casuum, cap. 20. num. 4.* Suar. *disp. 7. sect. 2. num. 13.*

3. Item etiamsi appellationem interposuerit adhuc absolui potest à ferente censuram: quia per appellationem interpositam non priuatur iurisdictione quoad ea, quæ appellationi non obstant; at absolutio à censura potius iuuat appellationem, cùm sit id, quod per appellationem intenditur, colligitúrque apertè ex *cap. si à iudice de appellationib. in 6.* Et tradit Panormit. *in cap. quæstionis. n. 7.* Præpositus *ibi num. 8.* Immola *num. 5. de appellat.* Suar. *dicta sect. 2. num. 32.* Sayrus *dicto cap. 20. num. 3.* Est tamen notandum discrimen inter iudicem ordinarium, & delegatum. Nam iudex ordinarius interposita appellatione, & admissa potest absolutionem impendere appellanti, quia non desinit esse iudex: at delegatus ante admissam appellationem impendere absolutionem potest, quia adhuc est iudex in iis quæ appellationi non obstant. Secùs verò appellatione admissa; quia eo ipso à iurisdictione priuatur. Argum. *cap. cum appellationibus, de appellation. lib. 6.* sicuti notauit Panormit. *in dicto cap. quæstion. num. 7.* Sayrus *lib. 2. thesauri casuum. cap. 20. num 3.*

4 Dixi posse authorem censuræ ab ea absoluere, nisi fuerit specialiter interdictum, Sunt enim plures casus, in quibus authori censuræ non permittitur absolutio Primus haberur in *cap. graue de prebendis*, vbi à Concilio suspenduntur ij, qui post secundam monitionem non correcti Ecclesiastica beneficia indigne contulerunt; à qua suspensione nullus alius præter Pontificem, vel vnum ex quatuor præcipuis Patriarchis absoluere potest, sicuti notauit ibi Panormit. & Siluest. verbo *absolutio 1. num. 3.* Sed *hanc* Sayrus *lib. 2. cap. 20 n. 8.* Secundus colligitur ex *c. quærenti de officio delegati*, vbi excommunicatum à delegato Sedis Apostolicæ; eo quòd suæ sententiæ definitiuæ parere recusat, absoluere nequit post annum ab incursa excommunicatione. Secùs ante annum elapsum, vel ante definitiuam sententiam: sicuti notarunt Glossa, Innocent. & Panormit. *ibi.* Angel. verbo *absolutio 2. num. 1.* Nauarr. *cap. 27. n. 40.* Sayrus *lib. 2. cap. 20. num. 9.* Coninch. *disp. 14. dub. 16. n. 256.* Paul. Laym. *lib. 1. sum. tract. 5. par. 1. cap. 7. num. 2.* Suar. *disp. 7. sect. 2. num. 7.* Tertius continetur in *cap. tua nos de sententia excommunicat.* vbi cauetur incendiarium excommunicatum ab ordinario, & vt talem denunciatum remittendum esse Sedi Apostolicæ pro absolutione obtinenda, sicuti notarunt ibi Glossa. Siluest. verbo *absolutio 1. num 3.* Sayrus *d. cap. 20. n. 10.* Coninch. *dicto dub. 16. num. 256.* Paul. Layman. *cap. 7. num. 2.* Quartus colligitur ex *c. si celebrat de clerico excommun. ministr.* & *cap. duobus de sententia excommun. c. 3. de supplenda negligent. prælat.* Quoties excommunicans in excommunicationem denunciatam incidit, vel ob delictum depositus, vel ob aliam causam iurisdictione priuatus est, nequit à se excommunicatos absoluere; quia absolutio est actus iurisdictionis, vt tradit in præsenti Angel. dicto verbo *Absolutio in prine.* Siluest. *n. 3* Coninch. *n. 256.* Sayr. *n. 11.* Quintus sumitur ex *cap. ex frequentibus de institutionib.* & ibi Glossi. & Ioann. Andr. verbo *confirmantes.* & Panormit. *n. 12.* Nauarr. *cap. 27. n. 40.* Angel. verbo *absolutio. num. 4.* Siluest. *eodem. 3. n. 3.* Sayrus *n. 12.* Coninch. & Layman. *supra.* Si Pontifex ex certa scientia sententiam censuræ ab ordinario latam confirmet; eo ipso absolutionem sibi reseruat: quia ea confirmatione ordinarij sententiam suam esse facit: argum. *cap. de confirmat. vtili, vel inutili.* & *cap. Apostolica, de prebendis lib. 6.* Sextus potest colligi ex *cap. vlt. §. finali de officio delegati*: cui est commissa potestas excommunicandi, vel suspendendi rebelles absque causæ cognitione nequit à se censuratos absoluere; quia solùm illi nudum ministerium est delegatum, censuræque executio commissa. sicuti notarunt Angel. *absolutio. 2. n. 1.* Siluest. *eodem. n. 3.* Nauarr. *cap. 27. num. 44.* Henriq. *lib. 13. c. ap. 28. n. 6.* Vgolin. *de censuris. tab. 1. cap. 4. n. 13.* Sayr. *d. cap. 20. n. 13.* Coninch. *n. 256. fine.*

5. Secundò absoluit à censuris specialiter latis successor ferentis in munere, & dignitate, vti deciditur *cap. si Episcopus. 11. q. 3.* censetur nàmque eadem persona cum prædecessore. Argum. *cap. 1. de solutionib.* Quod procedit etiam in successore iudicis delegati, vt sumitur ex *cap. pastoralis. §. præterea de officio ordinarij.* Et notauit Sayrus *lib. 2. de excommunicat. cap. 20. n. 19.* Paul. Layman. *lib. 1. sum. tract. 5. par. 1. cap. 7. §. de successore.* Item procedit etiamsi sit successor ad tempus; quia ex iure communi eadem prædecessoris potestate potitur. Vnde capitulum sede vacante medio vicario à se electo absoluere poterit excommunicatos ab Episcopo. *Cap. 3. de supplenda neg. ig. prælat lib. 6.* Et *cap. vnico de maiorit. & obedient.* Trident. *sess 24. cap. 16. de reformat.* & tradunt omnes.

6. Tertiò absoluere potest superior ferenti censuras, si pleno iure superior sit, sicuti Pontifex est superior ordinariorum, & Generalis est superior Prouincialium, & Prouincialis rectorum, & Episcopus sui Vicarij, & Delegatus sui delegati Quippe iure proprio vtuntur, ideóque nullam inferiori irrogant iniuriam. Quod intelligendum est, nisi ex consuetudine contrarium habeatur, sicuti in regularibus Episcopo subiectis contingit, qui si excommunicati, vel suspensi fuerint à suo prælato regulari ex causa religiosam disciplinam spectante nequeunt ab Episcopo absolui, nisi media appellatione interposita; quia prima instantia regulari Prælato competit iuxta Glossam *in cap. quanto. vers. si prælati de officio ordinarij.* Panormit. *in cap. reprehensibilis de appellationib. n. 21.* Idem est in aliquibus Archidiaconis potentibus ferre censuras, qui licèt subdantur Episcopo, vti colligitur ex *cap. 1. de officio ordinarij*: at sæpe ex consuetudine, vel priuilegio concessum illis est, ne eorum censuras Episcopus relaxet, néve ab eorum sententiis appellari possit ad Episcopum, sed ad Archiepiscopum, vel Pontificem: quo casu nequit Episcopus se intromittere. Argum. *cap. dilecto de officio Archidiaconi.* Et notauit Paludan. *in d. 4. 18. quæst. 5. art. 2.* Sayrus alios referens, *d. cap. 20. num. 16.* Nunquam tamen superior absoluere debet ab inferiori censuratos etsi validè possit: quin priùs satisfactionem plenam exigat. & inferiorem prælatum moneat, ne eius authoritas contemni videatur, vt docuit Glossa *in cap. cum Ecclesiarum*, verbo *non relaxes*, & ibi Innocent. & Panormit. *de officio ordinarij* Idem Panormit. *cap. officium prope finem.* & *cap. dilecto num. 7. de officio Archidiaconi.* Couarruu. *cap. alma mater. §. 12. num. 3.* Vgolin. *tab. 1. de censuris cap. 4. § 1. num. 7.* Sayr. *lib. 2. de excommunicat. c. 20. num. 16.* Paul. Laym. *dicto cap. 7. vers. deinde.*

7. Dixi superior *pleno iure*, vt denotarem esse plures superiores non absolutè, sed certis in casibus: vti est Archiepiscopus comparatione suffraganeorum. Non enim pro libito absoluere à censuris inferiorum potest, sed solùm tempore visitationis. *Cap. cum ex officij de præscriptionib.* vel causa ad ipsum per appellationem deuoluta, & tunc vocatis partibus, & cognitione causæ præmissa; aliàs non tenebit absolutio, vt colligitur ex *c. Romana.* Et *cap. venerabilibus, de sententia excommun. lib. 6.* Quod si compererit censuram nullam esse, id nulla facta mora declaret; si autem iniquè latam esse, absoluat statim, si dubiter, cautione præstita absoluat. At si constiterit censuram iustam fuisse, etsi ab ea possit absoluere, expedit tamen appellantem authori censuræ remittere, nisi sit periculum in mora,

vel ille nolit absolutionem tribuere, vt sumitur ex *cap. Ad reprimendum de officio ordinarij*: Et tradit Abbas *in cap. cum ab excommunicato de rescript. num.* 14. Vgolin. *tab.* 2. *de censuris cap.* 4. §. 1. *num.* 11. Sayrus *lib.* 2. *thesauri casuum. cap.* 2. *n.* 17. & 23. Suar. *disp.* 7. *sect.* 2. *num.* 32. Idem est de Patriarchis computatione Archiepiscorum, nequeunt inquam excommunicatos ab Archiepiscopis absoluere nisi in gradu appellationis, vt in *dicto cap. venerabilibus de sententia excommunicat. lib.* 6. notant Doctores teste Sayro *d. cap.* 20. *num.* 18. Quinimo neque Legatus à latere quamuis omnium Prælatorum suæ prouinciæ iudex sit, & superior potest absoluere censuratos ab inferioribus Prælatis extra casum appellationis, vt docuit Felin. *in cap. ad eminentiam num* 2. *de sententia excommunic.* Villadiego *tract. de legato. qua l.* 8 & 13. Vgolin. *tab.* 1. *cap* 4. §. 1. *num.* 1. Sayrus *lib.* 2. *thesauri casuum. cap.* 20. *num.* 8. Paul. Layman. *lib.* 1. *sum tract.* 5. *part.* 1. *cap. num.* 2. *vers. de superiore.*

8. Quarto absoluere potest delegatus cum causæ cognitione à censura lata à delegante, modò delegans iurisdictione priuatus non sit, vti ex omnium sententia tradit Sayrus, *dicto cap* 20. *num.* 14. Delegatus verò, cui absque causæ cognitione potestas ferendi censuras concediture, nequit absolutionem præstare: quia nudum tantùm ministerium illi delegatum est: vti tradit Nauarr. *cap.* 27. *num.* 40. Vgolin. *tabula* 1. *cap.* 4. §. 4. Sayr. *cap.* 20. *num.* 24. Auila 2. *p. cap.* 7. *dis.* 1. *dub.* 9. *casu* 4. Suar. *disp* 7. *sect.* 2. *num.* 8. Paul. Layman. *lib.* 1. *sum tract.* 5. *par.* 1. *cap* 7. *vers. denique.*

9 Quod verò nullus alius præter authorem censuræ, eiúsque successorem, superiorem, vel delegatum absoluere possit à censura specialiter lata, pluribus comprobat Sayrus *d. cap.* 20. *à num.* 1. Coninch. *disp* 14 *dub.* 16. *num.* 255. Suar. *disp.* 7. *sect.* 2. *per totam.* Laym. *d. cap.* 7 *vers. Porro.* Gaspar Hurtado *disp.* 15. *de excommunicat. difficult.* 6. Ratio est manifesta, quia nemini alteri reperitur concessa huius vinculi dissolutio; & meritò, ne iudicum iuridictio turbetur, eorúmve authoritas contemnatur. Cùm enim hæ censuræ non ferantur, nisi reo nominatim citato, expedit ibi causam finiri, vbi cæpta est. quapropter etiamsi domicilium reus mutet, non obinde consequi poterit à prælato noui domicilij absolutionem, vt colligitur ex *cap. proposuisti.* Et ibi gloss. verbo *citatus, de foro competenti.* Et notauit Vgolin. *tab.* 1 *cap* 4. *num.* 7. Sayrus *d. cap.* 20 *num.* 4. Verùm si reus paratus sit satisfactionem præstare, & ob infirmitatem, aliúdve impedimentum adire non possit censuræ authorem, vt absoluatur; poterit ab æquali iudice, seu inferiori absolui præstito iuramento, quod quamprimùm poterit se præsentabit ei cui de iure competebat absolutio, iuxta textum *in cap. quod de hu. Cap. ea cognoscitur. Cap. quamuis de sentent. excommunicat.* Etenim cum censura sit pœna medicinalis multis spiritualibus commodis priuans, expediebat posita correctione auferri.

10. Verùm si de sententia ab homine generaliter lata loquamur, omnes illi possunt absoluere, qui possent ab ea sententia, si à iure lata esset, vti docent Couarruu. 1. *p.* §. 12 *num* 4. Sayrus *lib* 2. *de excommunicat. cap.* 19. *num.* 5. & *cap.* 20. *num.* 2. Nauarr. *cap.* 27. *num.* 44. Henriq. *lib.* 13. *de excommunicat. cap* 28. *num.* 5. Suar. *disp* 7. *sect.* 2. *num.* 23. Coninch. *d. sp.* 14. *dub.* 16. *num.* 257. Tolet. *lib* 1 *cap.* 16. *num.* 7. Paul. Layman. *lib.* 1. *sum tract.* 5. *par.* 1. *cap.* 7. *num.* 3. Auila 2. *p. de censur. cap.* 7. *dis p.* 1. *dub.* 9. Gasp. Hurtado *disp.* 15. *difficult.* 6. Colligitúrque ex *cap. ex frequentibus de institutionibus*, vbi supponitur excommunicationem contractam ratione sententiæ generalis ab Archiepiscopo latæ ab inferioribus Prælatis absolui posse. Ratio est; quia ex absolutione huius censuræ ab aliis prælatis facta non perturbatur tribunal iudicis ferentis, cùm reus non fuerit nominatim citatus. Neque his obstat quod in *c. nuper de sententia excommunicat.* solùm à censura iuris non reseruata concessum sit aliis à ferente censuram absoluere. Cùm ergo hæc non sit censura iuris, sed iudicis, solùm qui eam tulit, vel eius successor, superior, aut delegatus absoluet, vti docent Felin. *cap. pastoralis.* §. *præterea. num.* 9. *de officio ordinar.* Richard. *in* 4. *d.* 18. *art.* 5. *quæst.* 5. Summa Astiens. *par.* 1. *lib* 7 *tit.* 34. *q.* 5. Cajetan verbo *absoluti ab excommunicat.* Summa confessor. *lib.* 3. *tit.* 33. *quæst.* 86. Vgolin. *tab.* 1. *cap.* 4. *num.* 3. Vasq. *de excommunicat. dub.* 19. *num.* 9. Non inquam obstat, quia censura à iudice lata per generalem sententiam iuris censuræ æquiparatur, vt pote quæ lata sit per modum statuti, legis, seu præcepti, nulla Rei speciali citatione præmissa, atque adeò potens absoluere à censura iuris, & ab hac poterit. Vnde cùm in *dicto cap nuper* asseritur à sententia iudicis nullum alium absoluere posse præter illius authorem, intelligendum est de sententia speciali in speciales personas lata cum earum citatione. Secùs de sententia generali.

Hinc infero cum Coninch. & Paulo Layman *locis citatis*, si excommunicatus, seu suspensus sis generali sententia in hac diœcesi, & in aliam te transferas, vbi illa censura diœcesano reseruata est, non poteris ab alio, quàm à diœcesano absolui, quia per se in illa diœcesi nullius authoritatem habet. Econtrà verò si in illa diœcesi ea censura reseruata non est, tamet si vbi contraxisti; reseruata fuerit, poteris à quolibet sacerdote iurisdictionem absoluendi habente ibidem absolui, quia quiliber in eam censuram iurisdictionem habet.

§. V.

Qui possint absoluere à censura iuris.

1 *A censura non reseruata absoluere non possunt omnes illi, qui iurisdictionem in foro externo habent.*
2 *De Parocho, alióve sacerdote plures negant absoluere posse.*
3 *Verior est opposita sententia.*
4 *Satisfit opposito fundamento.*
5 *Censuram reseruatam nullus alius ab authore, vel eius successore, aut delegato absoluere potest, exceptis aliquibus casibus.*
6 *Qualiter concedatur inferioribus hæc potestas absoluendi impeditos.*

1. Censura iuris alia est reseruata ipsi authori, alia non reseruata. Censuram non reseruatam siue lata sit ab Episcopo, siue à Pontifice relaxare potest sibi subditis qui iurisdictionem in foro externo habet, ideóque non solùm Episcopus, sed Abbates, Guardiani, Rectores, Priores, & similes censuram excommunicationis, suspensionis, & interdicti relaxare suis subditis possunt; vti tradit Glossa, Panormit. Felin. & alij *in cap. nuper de sententia excommunicat.* Nauarr. *cap.* 27. *num.* 39. Couarruu. *cap. alma mater.* 1. *p.* §. 12. *num.* 4. Vgolin. *de cens. tab.* 1. *cap.* 10. *num.* 1. Henriq. *lib.* 13. *cap.* 27. *num.* 3. Suar. *disp.* 7. *sect.* Sayrus plures referens, *lib.* 2. *cap.* 19 *nu.* 2.

2. Difficultas autem est de parocho, alióve sacerdote potente absoluere à peccatis mortalibus, an possit absoluere à censura non reseruata? Negant Glossa *in cap. si Episcopus* verbo *reseruantur de pœnit. & remissionib.* Panormit. *in cap.* 2. *num.* 3. *Et cap. nuper. num.* 6. *de sentent. excommunicat.* Federic. Senens. *cons.* 14. *num.* 4. Richard. *in* 4. *d.* 18. *art.* 9. *q.* 1. *in fine.* Couarruu. plures referentes *in cap. alma mater.* 1. *p.* §. 12. *n.* 5. testatúrque in praxi esse receptum, & spectata consuetudine. Idem Affirmat Sayrus *lib.* 2. *thesauri casuum cap.* 19. *in fine.* Mouentur, quia ad censuræ absolutionem, sicuti ad excommunicationem ferendam requiritur iurisdictio in foro iudiciali. Cùm igitur parochus, aliíve sacerdotes hac forensi iurisdictione careant, & potestare absoluendi carere debent

3. Nihilominus communior est sententia, & inter Theologos magis recepta posse parochum, aliúmve sacerdotem proprium absoluere à censura iuris non reseruata: vti docuit Innocent. *in cap. nuper. num.* 6. *de sententia excommunicat.* Hostiens. *ibi.* S. Thom *in addit.* 3. *p. q.* 23. *art* 2. Bonauent. *in* 4. *d.* 18. *in vit. parte distinct. q.* 6. *num.* 84. Gab. *ibi quæst.* 1. *art.* 3. *dub.* 6. Sotus *d.* 22. *quæst.* 2. *art.* 2. *concl.* 3. Siluest. verbo *absolutio.* 1. *num.* 4. Armilla *num.* 36. Nauarr. *cap.* 27. *num.* 35. Henriq. *lib.* 13. *cap.* 28. *num.* 5 & *cap.* 35. *num.* 2. Stephan. Daula 2. *p. de censur. cap.* 7. *disp.* 1. *dub.* 4 Suar. *disp.* 7. *sect.* 3. Coninch. *disp.* 14. *dub.* 8. *concl.* 2. *num.* 230. Vasq. *de excommunicat. dub.* 19. Gaspar Hurtado *disp.* 15. *difficult.* 2. Vgolin. *tab.* 1. *de censur. cap.* 10. §. 5. *num.* 3. Colligitúrque ex *cap. nuper de sententia excommunicat.* vbi dicitur, quia conditor canonis specialiter absolutionem sibi non reseruauit, eo ipso aliis videtur facultatem concessisse relaxandi. Et licèt textus de excommunicatione minori loquatur: at ratio cui pro decisione nititur in omni censura procedit, vti Doctores relati notarunt. Et continuo, Pontifex reseruans sibi absolutionem ab aliquibus censuris tacitè concedit potestatem absoluendi ab aliis, quas non reseruat.

4. Fundamentum verò oppositæ sententiæ non vrget. Solum enim probat parochum, aliúmve sacerdotem non habere potestatem ex vi sui muneris absoluendi à censuris, sicut nec ligandi non tamen probat eam potestatem non habere ex delegatione iuris, vt rectè ponderauit Vgolin. *dicto cap.* 10. §. 5. *num.* 3. Quum potestatem parochus delegare alteri poterit; quia suo munere ex iuris dispositione annectitur, vti tradit Suarez & Coninch. *loc alleg.* Quinimo est potestas non solùm pro foro interno, & Pœnitentiali concessa, sed etiam pro foro externo, quia decreta Pontificia præcipuè forum externum spectare solent; & eum fauores principis ampliari debeant, nulla est causa, ob quam hæc potestas ad forum interius restringi debeat, vt benè notauit Suar. *d., sect.* 3. *num.* 19. Vgolin. *d.* § 5.

5. Si verò de censura reseruata loquamur nullus alius ab authore censuræ, vel eius successore, superiore vel delegato absoluere potest: vti expresè colligitur ex *dicto cap. nuper de sententia excommunicat.* & tradunt omnes. Verùm sunt aliqui casus, in quibus conditor canonis hanc potestatem aliis concedit. Primò pro excommunicatione lata in *can. si quis suadente Diabolo* 17. *quæst.* 4. conceditur facultas Episcopis absoluendi mulieres, & impuberes etiam post pubertatem, *cap. si verò. Cap. mulieres. Cap. quamuis de sententia excommunicat.* Item Abbatibus, Prælatisque regularibus eadem concedritur potestas absoluendi ex consilio Episcopi Religioso, qui se murò

percutie

perciſſerint, *Cap. Monachi. Cap. cum illorum, de ſententia excommunicat.*

De quo latiùs cùm de hac excommunicatione habeatur ſermo Secundò conceditur omnibus Epiſcopis in Trident. *ſeſſ.24. cap.6.de reformat.* Poteſtas abſoluendi ab omnibus cenſuris, & pœnis Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, modò non fuerint publicæ neque ad forum contentioſum deductæ. Tertiò Religioſis ordinum Mendicantium, & aliis qui in eorum privilegiis communicant, conceditur per modum privilegij perpetui poteſtas abſoluendi ab omnibus cenſuris Sedi Apoſtolicæ reſeruatis exceptis iis, quæ in bulla cœnæ Domini continentur, vt habetur *in noſtris privilegiis* verbo *abſolutio.1.* Quartò privilegio bullæ Cruciatæ facultas conceditur cuilibet ſacerdoti ab ordinario approbato abſoluendi à cenſuris non reſeruatis toties quoties; à reſeruatis verò etiam in bulla Cœnæ contentis ſemel in vita, & ſemel in morte. Et his abſolutionibus nulla cenſura tota obligatio comparendi coram authore cenſuræ relinquitur; quia nomine ipſius, & ex eius delegatione impenſa eſt. Quæ omnia latiùs explicui *tract 25. de bulla Cruciatæ punct.8. § 4. & 5.* vbi an hæc abſolutio virtute Cruciatæ prodeſſe poſſit pro foro externo.

6. Sub obligatione tamen comparendi coram cenſuræ authore conceditur Epiſcopis, imò ſacerdoti proprio facultas abſoluendi quoſlibet impeditos adire Pontificem ex quacunque cauſa hoc naſcitur impedimentum. Vti habetur in *cap. ea noſcitur.* Et *cap. quamuis de ſententia excommunicat.* In quibus textibus etſi ſolum ſit ſermo de excommunicatione incurſa ob percuſſionem clerici, Doctores tamen communiter extendunt ad quamlibet cenſuram Pontifici reſeruatam: ſicuti latiùs tradunt Nauar. *cap.27.num 8.* Vgolin. *ab.1 de cenſur.cap.4 §.9. num. 11.& ſeq.* Sayrus *lib.2.theſauri caſuum.cap. 20 num.25.* Coninch. *diſp.14.dub.16.num.240.* Gaſpar. Hurtado *diſp.11. difficult. 3.* Neque ſic impeditus tenetur medio procuratore comparere coram Pontifice, ſed ſolùm obligatur ceſſante impedimento comparere; aliàs in eandem excommunicationem incidet iuxta textum *in cap eos qui, de ſententia excommun in 6.*

7. Deinde pro articulo mortis omnibus ſacerdotibus etiam excommunicatis conceſſit Trident. *ſeſſ.14 cap. 7* facultatem abſoluendi ab omni cenſura ſiue iuris, ſiue hominis præſtito priùs iuramento quòd quamprimùm poſſit ſe præſentabit ei, à quo de iure abſolueudus erat, vti colligitur ex *d. cap. eos qui de ſentent. excommunicat in 6.* Vti notarunt Nauarr. Vgolin. Sayr. Coninch. & Hurtado *loc.cit.*

DISPVTATIO II.

De Excommunicationis cenſura.

EXplicatis iis quæ communia ſunt omnibus cenſuris, explicari debent quæ cuilibet cenſuræ ſunt propria. Cùm ergo excommunicatio ſit præcipua cenſura, ab ea exordium ſumimus.

PVNCTVM I.

1 *Vnde dicatur excommunicatio.*
2 *Qualiter definiatur.*
3 *Quibus bonis priuet excommunicatio.*
4 *Quatione ab aliis pœnis diſtinguatur.*
5 *Eſt omnium pœnarum grauiſſima.*

1. EXcommunicatio dicitur, quia à communione ſegregat. Etenim cùm fideles omnes tempore naſcentis Eccleſiæ perſeuerarent in doctrina Apoſtolorum, & communione corporis Chriſti, iuxta illud *Actorum 2.* qui ab hac communione arcebantur, dicebantur excommunicati, id eſt, extra communionem ſacti. At feruore fidelium erga communionem diminuto, & peccatis aggrauatis Eccleſia excommunicationis cenſuræ priuationem auxit, vt non ſolùm priuaret excommunicatum Euchariſtiæ receptione, ſed receptione aliorum Sacramentorum, illorumque adminiſtratione, aliiſque bonis: vt benè notauit Henrriq. *lib.13 de excommunicat.cap 2.num 1.*

2. Doctores communiter definiunt excommunicationem, vt ſit cenſura ab Eccleſia inſtituta, ſeparans excommunicatum à communione fidelium. Colligitur ex *cap.omnis Chriſtianus. Cap canonica.11.q.3.* Dicitur *cenſura*; quia cenſurat, & corrigit rebelles, & contumaces media bonorum Eccleſiaſticorum priuatione, ideóque regulariter ſolùm in eos, quorum correctio ſperatur, ferenda eſt, vti colligitur *ex cap.notandum. 24.q.3.cap. 1.de ſententia excommunicat.in 6.* & pluribus tradit Couarruu. *in cap. alma.1 p.initio.n.9.* Sayrus *lib.1. de excommunicat.cap. 3.num. 9.* Quod ſi aliquando in eum, qui non præſumitur emendandus, lata fuerit, id eſt, ne alii eius communione inficiantur iuxta textum *in cap reſecanda. Cap.corripiantur 24. q. 3.* Appellatur *Eccleſiaſtica*, quia ab Eccleſia fuit inſtituta, vt pluribus comprobat Sayrus *lib.1.theſauri caſuum.cap.4.num. 8.* & Suar. *diſp.2. ſect.* Neque contrarium colligitur ex illis verbis Chriſti. *Matth. 18.* Si Eccleſiã nõ audierit, ſit tibi ſicut ethnicus, & publicanus; ibi namque non priuatur rebellis Eccleſiæ bonis, ſed monentur rebelles, vt illius conſortium fugiant, cautéque cum illo communicent, ſicuti cum ethnico, & publicano. Deinde ſeparat excommunicatum à communione fidelium, id eſt, ſeparat excommunicatum, ne communicet cum aliis fidelibus.

3. Sed quia fideles pluribus in bonis communicare inter ſe poſſunt, videndum eſt quibuſnam excommunicatio priuet. Primò namque fideles excommunicant in fide, charitate, & gratia, doniſque, ſupernaturalibus, quibus Chriſto Domino tanquam capiti vnimur; non quia per fidem, & gratiam aliorum noſtra fides, & gratia augeatur, ſed quia ratione bonorum operum iuſtorum, quæ ab ipſa fide, & gratia proueniunt etiam abſque expreſſa ipſorum intentione concedit aliis Deus ſpecialia auxilia, ſingulariaque beneficia, vti colligitur ex Paulo *ad Rom. 12. 1. Cor. ad Epheſ. 4.* His namque bonis non priuat excommunicatio, ſed ſupponit excommunicatum priuatum medio peccato ad incurrendam excommunicationem requiſito: Eccleſia namque nec priuat, nec priuare poteſt fideles fide, gratia, aliiſque virtutibus ſupernaturalibus: hæc enim non niſi à volentibus deperduntur. Vnde exiſtente excommunicatione poteſt excommunicatus ea bona recuperare, ſi à contumacia reſipiſcat, colligíque videtur ex *c.Dixi. Cap Magna de pœn.diſt.1.* Secundò communicant fideles in conuictu purè externo, ſcilicet in colloquiis, contractibus, & commerciis. Tertiò in bonis ſpiritualibus, vt in Sacramentis, orationibus Eccleſiæ, aliiſque diuinis officiis. Excommunicatio igitur ſi pro maiori ſumatur priuat excommunicatum hac ſecunda, & tertia communicatione, vt tantis bonis priuatus ab inobedientia, & contumacia recedat iuxta textum *in cap. cum non ab homine de ſententia excommunicat.*

Notanter dixi orationibus Eccleſiæ, vt tacitè inſinuarem excommunicatum priuari tantùm bonis, quæ nomine Eccleſiæ præſtantur, non verò quæ præſtantur nomine ſingulorum fidelium. Non enim Eccleſia priuare intendit excommunicatum bonis ſpiritualibus, quæ ipſi ab aliis fidelibus nomine proprio communicari poſſunt. Nam hæc non ſunt bona Eccleſiæ, neque illius diſpoſitioni ſubduntur, ſed fidelium propria, & ex eorum voluntate applicantur. Quapropter pro excommunicatis etiam denunciatis priuata intentione, ſeu nomine proprio poteris orare & ſacrificij actum quatenus à te procedit offerre in illorum ſatisfactionem, & impetrationem, vt rectè aduertit Silueſt. verbo *excommunicatio.1.num.2.* Nauarr. *cap 27 num.36.* Couarruu. *cap. alma.1.p.§.6.num.4.* Auila *2.p. de cenſur.cap.6.diſp 4. dub. 1. concl.2.* Laym *lib.1. ſum.tract.5. part.2.cap.1.num 4.* Porrò excommunicatio ſæpè nomine anathematis ſignificatur, vt conſtat ex *cap Guilliſarius 23.7.4.* Nam eſto præciſè, & in rigore ſignificet ſeparationem à communi vſu, vt tradit S.Chryſoſt. *hom. 16. ad Roman.* S.Thom. *ad Galatas* vel vt placet Auguſt. *t.4. ſuorum operum.cap.40.& 41.in Numeros*, ſignificet maledictionem, ſeu execrationem iuxta illud *Marc.14.* cœpit anathematizare, & *Zachariæ. 14.* habitabimus in Hieruſalem, & anathema non erit amplius. At cùm excommunicatus à conſortio fidelium ſeparetur, & offeratur, & tanquam quid execrabile, & maledictum vitetur, meritò ſub hac voce anathema, excommunicatio maior intelligitur. In ſacris autem canonibus anathema partim vſurpatur ad ſignificandam excommunicationem incurſam propter hæreſim, vel illius ſuſpicionem, vtpote omnimodam, & præcipuam ab Eccleſia ſeparationem iuxta textum *in cap. cum non ab homine de Iudicius.* & Trident. *ſeſſ.25.cap.3. de reformat:* partim ad ſignificandas quaſdam excommunicationis ſolemnitates, videlicet cùm excommunicatio denuntiatur candelis incenſis, & poſtmodum extinctis, aliiſque cæremoniis ab Eccleſia inſtitutis iuxta textum *in cap.debent. 11.q.3.* Qua ratione *in c.Guilleſarius* anathemati addita eſt vox *Maranatha*, quæ Domini aduentum ſignificat. *1. Corinth,16.* qua denotatur excommunicatum, niſi pœniteat præciſum ab Eccleſia eſſe futurum vſque ad Domini aduentum, vbi ſuæ contumaciæ pœnas luet; ſicuti notauit Gloſſa *in dicto cap. Guilliſarius.* Partim anathema ſumitur ad diſtinctionem minoris excommunicationis, vt in *cap. Engeltrudam. 3.q.4.* vbi priùs lata fuit excommunicatio minor, & poſtmodum maior. Vnde Couarruu. *cap.alma.1.p. §. num.6.* Suar. *diſp. 8. ſect. 2. num. 9.* Sayrum *lib. 1. theſauri caſuum. cap.3.num. 6.* Coninch. *diſp.14. dub. num. 4.* Paul. Layman. *lib.1. ſum. tract. 5. par. 2. cap.1. in fine.*

4. Ex his conſtat, qua ratione excommunicatio ab aliis cenſuris, ſcilicet ſuſpenſione, & interdicto diſtinguatur. Diſtinguitur namque quia pluribus bonis priuat, & præcipue quia illis priuat, quatenus ſunt fidelium inter ſe communicatio; ſuſpenſio namque beneficij, & officij Eccleſiaſtici vſu priuat, interdum diuinis officiis ſecundùm eorum naturam: at excommunicatio directè, & per ſe illis, aliiſque bonis priuat, quatenus fideles per illa inter ſe communicant; vt benè aduertit Coninch. *diſput.14.dubit 1.numer.2.*

5. Secundò conſtat excommunicationem eſſe omnium pœnarum Eccleſiaſticarum grauiſſimam, vtpote quæ priuat maximis ſpiritualibus bonis, ideóque Cœleſtin. III. *in cap. cum non*

ab homine, de Iudiciis inquit, Ecclesiam post Anathema latum non habere vltra quid faciat. Quapropter monet Trident. *sess. 25. cap. 3.* ne hac censura Ecclesiastici iudices vtantur, nisi quando iam nullum aliud superest remedium; & ob eandem rationem numquam fertur in communitatem, vt talis est. *Cap. Romana de sententia excommunic. lib. 6.* ne contingat innocentem aliquem ligari, vt plures referens tradunt Nauarr. *cap. 27. num. 13.* Couarruu. *cap. alma. 1. p. §. 9. num. 3.* Hentiq. *lib. 13. cap. 25. num 3.* Vgolin. *de censur. tab. 2. cap. 16.* Sayrus *lib. 1. casuum. cap. 8. num. 16.*

Punctum II.

Quotuplex sit excommunicatio.

1 *Excommunicatio diuiditur in maiorem, & minorem.*
2 *Qualis sit hac diuisio.*
3 *Excommunicatio absolutè prolata de maiori intelligitur.*
4 *Alia est lata à iure, alia ab homine, & qua hæ sint.*

1. Diuiditur excommunicatio in maiorem, & minorem ex omnium sententia, iuxta textum *in cap. penult.* Et ibi Gloss. verbo *non tantùm, de sententia excommunicat. & cap. 1.* Et *ibi* Glossa verbo *speciem de exceptionibus in 6. & aliis.* Maior excommunicatio est, quæ priuat actiua, & passiua Sacramentorum receptione, suffragiis Ecclesiæ, & communione fidelium. Minor sola passiua Sacramentorum receptione priuat. Appellatur maior excommunicatio comparatione minoris, quia à communione plurium spiritualium bonorum arcet, quàm minor. Minor dicitur comparatione maioris, quia minori priuatione contenta est, vt rectè Sotus *in 4. d. 21. quæst. 1. art. 1. §. contra nomina.* Vel quia maior semper ob peccatum mortale contrahitur, minor verò sæpè ob veniale.

2. Hanc diuisionem esse analogi in sua analogata, eo quòd excommunicatio minor non sit simpliciter excommunicatio, docuit Henriq. *lib. 13. de excommunicat. cap. 2. num. 2.* consentit Sayrus *lib. 2. cap. 6. num. 18.* Et fauet D. Thom. *in addit. 3 p. q. 21 ar. 1. ad 4.* Sed rectiùs alij Doctores censent esse generis in species. Etenim cùm excommunicatio minor priuet communione passiua Sacramentorum, quæ sunt bona Ecclesiæ præcipua, propriè censura est.

3. Verùm etsi minor excommunicatio verè, & propriè excommunicatio sit, attamen absolutè prolata excommunicatio semper de maiori intelligitur, vt expresè definiuit Gregor. IX. *in cap. si quem penult. de sententia excommun.* Nam licèt ante ipsum Gregorium excommunicatio simpliciter sumpta sæpè pro minori intelligebatur, vt constat ex *cap. sacerdote de consecrat. dist. 1 & cap. Engeltrudam. 3. quæst. 4.* Attamen post ipsum Gregorium nunquam pro maiori, sed pro maiori sumitur, vt tradit Couarruu. *cap. alma. 1. p. §. 8. num. 5.* Hentiq. *lib. 13. cap. 2. n. 2.* Sayrus *lib. 1. cap. 4. num. 19.* Coninch. *disp. 14. dub. 1. circa finem.* Paul. Layman. *lib. 1. sum tract. 5. p. 2. cap. 1. num. 1.* & alij communiter.

Neque his obstat textus *in c. 1. de exception. in 6.* qui est post Gregor. vbi dicitur, si quis in iudicio excommunicationem opponat, illius speciem declarare debere. Quod dictum est (inquit Glossa) propter species excommunicationis maioris, vel minoris, ergo sub nomine excommunicationis absolutè prolato non venit excommunicatio maior intelligenda; aliàs non teneretur excommunicationis speciem declarare, cùm satis declarata esset. Non inquam obstat, nam vt ex communi sententia tradit Couarruu. *cap. alma. 1 p §. 8. num. 5.* Auila *2. p. c. 1. dub. vnico.* Decisio illius textus est specialis in fauorem causarum iudicialium, & iudicum; ne lites in infinitum his exceptionibus protrahantur: vel vt placuit rectius Suar. *disp. 8. sect. 3. num. 6.* Coninch. *disp. 14. dub. 1. in fine*, species excommunicationis, exprimenda est non quidem maior, aut minor, quia iam supponitur maiorem esse debere. Sed quæ species maioris sit, an violationis Ecclesiæ, an percutionis clerici. Quod non obscurè colligitur ex verbis textus, præcipuè ex *§. si verò*, probanda enim erat exceptio apertissimis documentis, quod nullatenus fieri posset allegata excommunicatione in genere, nisi illius causas, & circunstantias declararet.

4. Porrò excommunicatio alia est lata à iure, alia ab homine. Quæ à iure fertur durat in perpetuum, quæ verò ab homine solùm dum ipse viuit, vel in officio perseuerat, vt tradit Glossa *in cap. à nobis*, verbo *non nisi subditis, de sententia excommunicat.* Et *ibi* Panormit. Excommunicatio ab homine alia est generalis, alia specialis iuxta dictum textum *in cap. à nobis*, & communem sententiam. Generalis est quæ fertur per modum statuti nulla persona nominatim citata specialis, quæ præmissa Rei citatione iniungitur. Deinde alia est excommunicatio iusta, alia iniusta, alia valida, alia inualida, alia reseruata, alia non reseruata, de quibus diuisionibus *disp. præced. pun. 2.* dictum est.

Punctum III.

De causa efficiente, materiali, & formali excommunicationis.

1 *Ad ferendam excommunicationem requiritur iurisdictio, quæ clericalem ordinem supponit.*
2 *Nemo nisi qui baptizatus sit, & vsum rationis habeat ligari potest excommunicatione.*
3 *Qualiter debeant existere in territorio excommunicantis.*
4 *In vniuersitatem quâ talis est, excommunicatio ferri non potest.*
5 *Excommunicatio semper ob peccatum mortale ferenda est. Quinimo ob peccatum futurum.*
6 *Proponitur vulgaris casus de vineæ deuastatoribus, an singuli quantitatem leuem surripientes excommunicatione ligentur.*
7 *Deciditur obligatos esse ad leuis quantitatis restitutionem.*
8 *Qualiter obliget excommunicatio lata ad reuelandas scripturas.*
9 *Qualiter ab hac obligatione excusarij.*
10 *Nunquam ferenda est excommunicatio, quando alia via emendari delictum potest.*
11 *Si Episcopus deneget monitorias litteras, appellari ab eo potest.*
12 *Qualiter monitoria cessare debeant.*
13. *Testes vi monitoriarum deponentes, non coguntur iurare.*
14 *Modus ferendi excommunicationem nullus est præscriptus.*

1 Quæ in hoc puncto proponuntur *disp. præcedenti* explicata sunt, ideóque, breuiter perstringam. Ad ferendam excommunicationem primò requiritur clericalis ordo; quippe Laycus tractare Ecclesiastica negotia non potest, *cap. decernimus, de iudiciis.* Non tamen opus est ordinem sacrum habere, sed sufficit prima tonsura, vti indicat Celestin. III. *cap. transmissam de Electione.* Et tradit Couarruu. *cap. alma. 1. p. §. 11. num 2.* Requiritur tamen ne coniugatus sit. His enim ab alio quàm à Pontifice de plenitudine potestatis committi non potest potestas censuras ferendi, vt notauit Henriq. *lib. 13. cap. 24. num. 1.* & colligitur ex *cap. 1. de cleric. coniugat. lib. 6.* & Trident. *sess. 23. cap. 6. de reformat.* Secundò requiritur iurisdictio in foro externo in eos, qui excommunicandi sunt; vti docuit Glossa communiter recepta *in cap. transmissa de Electione & cap. cùm ab Ecclesiarum, de officio ordinarij.* Et ibi Panormit. *num. 45.* Couarruu. *dicto §. 11. num. 1.* Nauarr. *c. 27. num. 5.* Et colligitur expresè ex *cap. à nobis 1. de sententia excommunic. cap. finali de constitutionib. in 6. Cap. P. & G. de officio & potest. iudicis delegati.* Tertiò non debet prædicta iurisdictio esse impedita, vti tradit Panormit. *in cap. ad probandum numer. 2. & 11. de re iudic.* Nauarr. *num. 7.* Couarruu. *num. 4.*

2. Quoad causam materialem attinet, seu ad eos, qui excommunicationi subduntur, aduerte neminem excommunicari posse, qui baptizatus non sit, quia vt inquit Trident. *sess. 14. cap. 2.* Ecclesia in neminem iudicium exercet, qui non prius in ipsam per baptismi ianuam fuerit ingressus. Ex baptizatis autem non nisi rationis compotes aliàs delicti, ob quod excommunicatio contrahi debet capaces esse non possunt: vt benè Panormit. *in cap. ab excommunicato num. 5. de rescriptis, & cap. per tuas, num. 11. de sententia excommunicat.* Quinimo impuberes doli capaces etsi in excommunicationem iuris incidant. *cap. 1. & fin. de sententia excommunicat.* excommunicatione lata ab homine regulariter non afficiuntur, quamuis affici possent, vt tradit alius relatis Sayrus *lib. 1. thesaur. cap. 8. n. 4.*

3. Puberes verò, & doli compotes vt excommunicatione afficiantur debent delinquere in territorio excommunicantis; quia aliàs non sunt excommunicantis subiecti, neque illi rebelles & contumaces, vt probat textus *in cap. vt animarum.* Et ibi Glossa *de constitution. b. in 6* Et *cap. cum Episcopus, de officio ordinarij.* Contingit autem subditum esse corporaliter extra excommunicantis territorium, & delinquere in territorio excommunicantis, vt si lata esset excommunicatio in Diœcesi Vallisoletana aduersus parochos vltra duos menses à sua parochia absentes, vel aduersus eos qui ibidem ablata non restituunt, ligarentur parochi Diœcesis Vallisoletanæ, & non restituentes extra Diœcesim commorantes, quia moraliter in Diœcesi reputantur existere, siquidem ibi committunt delictum non residendi, vt optimè notauit Coninch. *disp. 13. dub. 7. concl. 6. & 7. n. 61. & 62.* Superiores verò Religiosorum vbilibet possunt suos subditos excommunicare; quia eorum iurisdictio non ex territorio in personas deriuatur, sicuti Episcopalis iurisdictio, sed immediatè ipsas personas spectat, vt benè aduertit Coninch. *suprà concl. 9. num. 64.*

4. In vniuersitatem, seu communitatem quâ talis est numquam

quam excommunicatio fertur, nec ferri potest, vt deciditur *cap. Romana. §. in vniuersitatem. de sententia excommunicat. in 6.* Ne contingat aliquem innocentem ligari. Sed ferenda est in omnes, & singulos illius communitatis, qui rebelles, & contumaces extiterint, vt ex dicto textu notat Glossa §. *vniuersitatem.* Henriquez *lib. 13. cap. 15. num. 4.* Vgolin. *de censur. tab. 1. cap. 2. §. 4.* Sayrus *lib. 1. thesauri casuum cap. 8. num. 18.*

5. Si verò de causa materiali, ob quam excommunicatio infligi possit, loquamur, necessarió est peccatum mortale; aliàs hæc pœna, quæ est omnium maxima non commensuraretur culpæ. Consonum enim est non priuare subsidiis regni cælestis qui per peccatum non se priuauit, vt dixit D. Thom. *in additionib. ... p. quæst. 21. art. 3.* Debet autem peccatum exterius prodire, vt ob illius causam excommunicatio infligatur, quia dum est mente retentum solus Deus iudex illius est. Imò debet esse peccatum futurum, quod comminatio excommunicationis præcedat, iuxta textum *in cap. sacro. cap. ber tuas de sententia excommuni. ar. & cap Romana §. porro.* Et *cap. constitutionem, eodem tit in 6.* alias excommunicatio non erit pœna medicinalis, sed vindicativa, neque rebelles, & inobedientes Ecclesiæ puniet.

6. Sed aduersus supradicta obstat vulgaris casus de vineæ deuastatoribus. Contingit enim sæpè plures diuisim deuastare vineam, quorum singuli quantitatem leuem surripuerunt, neque vnus in alterius damnificationem consensit: iudex verò Ecclesiasticus, vt prædictum damnum reparetur, promulgat excommunicationem aduersus omnes illos, qui vineam deuastarunt, nisi restituant, ecce qualiter ob culpam leuem excommunicatio ferri potest. Nauarr. *cap. 17. n. 130. & n. 4. vers. quarto quod excommunic.* Couarruu. *in cap. alma mater. 1. p. §. 9. num. 2. illat. quarta.* Petr. Nauarr. *lib. 2. de restitut. cap. 1. dub. 5. num. 49. & seqq.* & *dub. 8.* Certum censent prædictam excommunicationem nullo modo ligare eos qui solùm leuem quantitatem restituere tenentur. Ducuntur, quia esto finis, qui per excommunicationem obtineri intenditur grauis sit, scilicet grauis nocumenti reparatio: at quod singulis præcipitur, leue est in se vt patet, leuitérque conducit ad prædicti finis consecutionem. Non enim singulorum restitutio per se sumpta cum leuis quantitatis sit, reparare grauiter damnum potest. Quod si dicas, ergo nullius effectus est censura, quæ hoc modo expeditur, vtpote quæ ligare nequit omnes collectiuè, vt manifestum est, neque etiam diuisim ob materiæ leuitatem. Responderi potest admittendo nullius effectus esse, casu quo nullus esset qui grauem quantitatem obligatus esset restituere: sed quia id non præsumitur, ideò hæ excommunicationes feruntur

7. Nihilominus verius est singulos obligatos esse suam leuem quantitatem restituere, vti docuerunt Sotus *in 4. disp. 22. quæst. 1. art. 2. & argutur.* Et *lib. 4. de iustit. quæst. 7. art. 3. circa medium.* Ludouic. Lopez *1. p. instruct. cap. 93* Corduba *tract. de casibus conscientiæ. quæst. 70.* Michael Salon. *2. 2. quæst. 62. art. 7. controuersia. 5. de participante.* Ioann. Medina *Cod. de restitut. q. 10. vers. occurrit sic casus; in respons. ad 1.* Sayrus *lib. 1. thesauri casuum, ap. 9. num. 9. & 10.* Henriq. *lib. 13 de excommunicat. cap. 17. num. 4.* Lessius *lib. 2. de iustit. cap. 12. dub. 9. num 55.* Suar. *de censur. disp. 20. sect. 2. num 4. & seqq* Barbosa *3. de pot. Episc. allegat. 96. num. 29.* & alij. Moueor ea consideratione. Impossibile est damnum graue domino vineæ minutis singulorum furtis illatum reparare, nisi singuli ea minuta furta restituant. Ergo singulorum restitutio leuis quantitatis surreptæ grauiter conducit ad damni illati reparationē. At quoties finis præcepti grauis est, & res quæ præcipitur prædicti finis consecutioni est necessaria, grauis est obligatio illam exequendi, quia grauitas præcepti non desumitur solùm ex grauitate materiæ in se spectata, sed ex grauitate vel leui conuenientia, quam habet cum fine intento, vt dixi, & probaui *tract. 1. de peccat. disp. 2 pun 7.*

8. Ex his decidenda est quæstio de excommunicatione frequenter lata ad reuelandas scripturas, manifestandum delinquentem, qualiter inobedientes ligari possint. Pro cuius decisione aduerte dupliciter expediri prædictam excommunicationem posse. Primò, vt vi excommunicationis compellari, adimplere obligationem, quam aliàs hábes manifestandi tum scripturas tum delinquentem. Et tunc excommunicatio expeditur hoc tenore. Qui alienas scripturas apud se detinet, vel contra propriam conscientiam, & dei timorem delinquentem non manifestauerit, ipso facto excommunicatus sit. Secundò expediri excommunicatio potest nouam obligationem inducendo, quod colligitur, quando ex verbis præcepti non supponitur peccatum esse commissum in non reuelandis scripturis, vel manifestandis delinquentibus, quia nec dicuntur scripturæ esse alienæ, nec temerè, & contra propriam conscientiam delinquentem cælare. Si primo modo feratur excommunicatio solùm ligat, quando secluso illo præcepto ex iure naturali, vel diuino tenebaris. At si feratur secundo modo, nouam obligationem inducere potest.

9 Vt autem intelligas, quando ab hac obligatione manifestandi scripturas, vel delinquentem excuseris. Vide *tract. 6. de charit. disp. 3. pun. 13. & 14.* Rarò enim delinquentem teneris manifestare, si probare non potes; quia iudex, regulariter non solùm Rei emendationem, sed & punitionem intendere præsumitur, vt tradit aliis relatis Sayrus *lib. 1. thesau. casuum cap. 9. num. 36.* Barbosa *de potest. Episcopi alleg. 96. num. 51.*

Deinde scripturas alienas non obligaris reuelare, si ex earum reuelatione graue tibi damnum in rebus propriis imminet; quia præcepta Ecclesiastica cessante bono communi non censentur obligare cum graui dispendio; vti prædicto loco aduertit Suar. *de censur. disp. 20. sect. 3. num. 9.* Sayrus *loco citato.* Barbosa *alleg 96. num. 50.*

10. Porrò *Trident. sess. 25. cap. de reformat.* monet nunquam esse ferendam excommunicationem pro prædictis rebus temporalibus, nisi matura consideratione, & quando alia via non suppetit emendandi delictum, vti aduertit Sayrus *lib. 2. thesauri casuum. cap. 9. num. 33.* Et optimè Barbosa *3. p. de potest. Episcopi alleg. 69. an. 2.* vbi praxim monitorialium excommunicationum tradit, necessario videndus. Quapropter si veritas inuestigari potest, & debitum recuperari depositione testium, executione reali, vel personali, expediendæ non sunt hæ monitoriæ, quia solùm in subsidium permittuntur, vt pluribus tradit Gutierr. *lib. 1. canon. quæst. cap. 11. num. 59. & seqq.* Vnde nunquam contra determinatam personam hæ monitoriæ feruntur, quia cognita persona delicti potest à suo iudice compelli iudicio stare, vt benè tradit Aloy Ricius *in praxi fori Ecclesiast. resolut. 235.* ideóque persona, quæ præsumitur rem alienam detinere non exprimenda in dictis monitoriis, vt notauit idem Ricius *resolut. 242* Neque item dictæ monitoriæ sunt concedendæ nisi pro causa graui, arbitrio ordinarij, vt ex Trident. colligit Ricius *resolut. 238.* eáque exprimenda in dictis monitoriis, & ad instantiam partis, vel iudicis sæcularis petentis, nunquam tamen ex officio, nisi pro bonis Ecclesiæ, vti probat Vgolin. *de potest. Episc. cap 4. §. 1.*

11. Examinato igitur cuius interest monitorias litteras concedi, & deponente causam esse grauem, neque alia via intentum obtineri posse, concedit Episcopus eas litteras, alioquin pars à denegatione appellare poterit; nam esto earum concessio arbitrio Episcopi remittitur, ab iis, quæ iudicis arbitrio remittuntur appellatio permittitur parti grauatæ; vti ex Glossa *in cap. super his de accusationib.* & *cap. Romana*, verbo *minus legitimè de appellationib. in 6.* colligitur. Quaranta *in sum. Bullarij* verbo *Archiepiscopi authoritas, autor. 18. num. 18.*

12. Concessis litteris, si pars aduersus quam feruntur compareat in termino, asserátque se paratum esse respondere coram suo iudice, monitoriæ cessare debent vtpote non necessariæ, cùm supperat alia via debitum recuperandi, vel veritatem inuestigandi, vt notauit Vgolin. *de potest. Episc. cap. 45. §. 2.* Gutierr. *lib. 1. canon. qq. cap. 11. num. 82.* Marcus Anton. Genuens. *in pract. Archiepisc. Neapolit. cap. ... num. 11. in fine* Quod si termino elapso comparuerit, allegauerit que rem iusto titulo retinere, paratúmque esse coram suo iudice respondere, cogendus est in eo iudicio Ecclesiastico rationem reddere, aliàs, ab excommunicatione incursa absoluendus non est. Neque mirum esse debet, quod Ecclesiasticus eo casu de prædicta obligatione cognoscat, quia cognoscit accessoriè ob excommunicationem incursam. Quod limitandum venit, nisi responderet coram iudice layco, & monitoriæ concessæ essent pro habendis probationibus; quia tunc iudici sæculari vbi cæptum est negotium remitti debet, vti docet Gutierr. *dicto cap. 11. à n. 86.*

13. Testes vi monitoriarum deponentes non coguntur iurare, nisi in ipsis monitoris cautum esset, quod fieri posse testatur Barbosa alios referens *3. p. de potest. Episc. allegat. 96. num. 44.* Facta verò depositione testium, pars ad cuius instantiam monitoriæ sunt concessæ producit libellum in quo petit excommunicatum in genere cogi ad pœnitentiam, & nominatim excommunicari, neque absolui, quoúsque à peccato exeat. Iudex oblato libello testium depositiones examinat parte citata, aliàs fidem non facient Quod si nihil opponat cogendus est ad pœnitentiam, & consequenter ad restitutionem aggrauatione censuræ. Vide Gutierr. *dicto cap. 11.*

14. Quoad causam formalem, seu modum ferendi excommunicationem constat illum sufficientem esse, qui voluntatem ferentis censuram sufficienter exprimat. Expedit tamen seruare modum consuetum cuiúsque Diœcesis. Illud certum seruandas esse conditiones præscriptas in *cap sacro de sententia excommunicat. & cap. cum medicinalis, eodem tit. in 6.* quas *præcedenti disput.* explicuimus. Et videri potest Sayrus *lib. 1. thesauri, cap. 12. & 13.*

PVNCTVM IV.

Qui sint excommunicati vitandi, qui non, & quo iure.

1 *Aliqui censent iure diuino omnes esse vitandos.*

2 *Verissimum est solo iure Ecclesiastico prohibitam esse eorum communicationem.*

3 *Qualiter iure Ecclesiastico hæc communio excommunicantiũ denegetur. Et proponuntur decreta Concilij Constanc. & Basilien.*

4 *Plures inclinant standum esse decreto Concilij Basilien.*

§. Verùm

Verius est constitutionem Concilij Constantiensis retinendam integrè esse.

5

6 *Ex hac constitutione fit non teneri fideles excommunicatum vitare quantumuis notorium, nisi fuerit denunciatus*

8 *Qualiter fama de percussione notoria clerici, vel de excommunicationis denunciatione sufficiat ad vitandum excommunicatum.*

9 *Excommunicatum denunciatum in vno loco satis probabile est te non solùm posse, sed teneri vbilibet vitare.*

1. NOn desunt qui sentiant omnem excommunicatum iure diuino seiunctum esse à fidelium communione; ita vt neque ipse cum fidelibus communicare possit, neque alij fideles cum ipso saltem in rebus diuinis, quæ est communicatio Christianorum propria. Ducuntur ex illo *Matth.* 18. si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus. Et ex illo Pauli *ad Titum*, 3. hæreticum hominem post vnam, & secundam correctionem deuita. Et ex illo Ioann. *epist.* 2. Nolite eum domo recipere, neque Aue ei dixeritis.

2. Cæterùm verissimum est omnibus excommunicatis solo iure Ecclesiastico prohiberi communionem fidelium: docuit aliis relatis Suar. *disp.* 2. *de censur. sect.* 1. Ægid. Coninch. *disp.* 14. *dub* 2. *in princ.* Stephan. Dauila 2. *p. de censur. cap.* 3 *disp.* 1. *dub.* 6. Gaspar Hurtado *disp.* 2. *de excommunicat. difficult.* 2. Etenim vt ex *puncto* 1. constat, etsi potestas excommunicandi fuerit à Christo suæ Ecclesiæ concessa, at communicationis institutio à sola Ecclesia ortum habet; aliàs si priuatio communionis esset excommunicatis iure diuino indicta, non posset Ecclesia hanc priuationem restringere, vel extendere, aut aliquo modo mutare, sicuti pro varietate temporum factum esse colligitur ex *cap. quoniam multos* 11 *quæst.* 3. Ex verbis illis Matth. Pauli, & Ioannis non infertur hæreticum, & inobedientem necessariò esse vitandum; quia illa verba non præceptum continent; aliàs omnes rebelles Ecclesiæ, & incorrigibiles ipso iure essent excommunicati vitandi; sed consilium denotant, & admonitionem, ne cum hæreticis incorrigibilibus, & contumaciter inobedientibus communicemus, tum ob contagionis periculum, tum vt ipsi confusi resipiscant.

3. Posito autem iure diuino nullum peccatorem priuatum esse communione aliorum fidelium, neque alios fideles ab illius conuictu obligatos esse seiungi. Restat videndum qualiter positiuo iure excommunicatus à fidelibus, & fideles ab ipso segregentur? Olim ante Concilium Constantiense qui erat ab Ecclesia excommunicatus, tenebatur se separare à conuictu, & communicatione aliorum fideliums & fideles ab ipso; ita vt si excommunicatio publica esset, tenebantur in publico, si secreta secretò, sicuti constat ex *cap. cum non ab homine, de sententia excommunicat.* & tradit ibi Glossa & Panormit. *num.* 2. 3. & 7. *cap. cùm desideres, eodem tit.* & *ibi* Innocent. Panormit. Henriq. & Felin. At in Concilio Constantiensi anno Domini 1414. celebrato, & à Martino V. confirmato, edita est Constitutio, quæ incipit. *Ad euitanda scandala*, quæ licèt in tomis Conciliorum non extet, refertur à S. Antonin. 3. *p. tit.* 26. *cap* 3. *Ioann. Driedo de libert. Christiana, cap.* 88. Adriano *in* 4. *sentent. tract. de confess. quæst.* 9. & *tract. de claub. quæst.* 3. Et *tract. de Eucharist. quæst. vlt. Nauarro cap.* 27. *num.* 25. Dominico Soto in 4. *d.* 22. *quæst.* 1. *art.* 5. Gutierr. *lib* 1. *canon. qq. cap.* 1. *num.* 1. Sayro *lib.* 2. *thesauri casuum, c.* 12. *num.* 6. & alijs. Tenor constitutionis est. Ad euitanda scandala, & multa pericula, quæ conscientiis timoratis contingere possunt Christi fidelibus, tenore præsentium misericorditer indulgemus, quod nemo deinceps à communione alicuius, sacramentorum ad ministratione, aut aliis quibuscunque diuinis intus, & extra prætextu cuiusque sententiæ, aut censuræ Ecclesiasticæ à iure, vel ab homine generaliter promulgatæ tenentur abstinere, vel aliquem vitare, aut interdictum Ecclesiasticum obseruare, nisi sententia, vel censura huiusmodi fuerit illata contra personam, communitatem, aut locum certum, vel certam à iudice publicata, vel denunciata specialiter, & expressè constitutionibus Apostolicis, & aliis in contrarium facientibus, non obstantibus quibuscunque. Saluo si quem sacrilega manuum iniectione in Clericum, in sententiam latam à canone adeò notoriè constiterit incidisse, quod factum non possit aliqua tergiuersatione cælari, nec aliquo suffragio excusari, nam à communione illius licèt denunciatus non fuerit, volumus abstineri iuxta canonicas sanctiones. Et inferiùs subiungitur. Per hoc tamen huiusmodi excommunicatos, suspensos, interdictos, aut prohibitos non intendimus in aliquo releuare, nec quomodolibet suffragari. Hactenus Concilium Constantiense, prout à supradictis Doctoribus refertur. Huic constitutioni Concilium Basiliense, *sess.* 20. *in fine, sub. tit. de excommunicatis non vitandis.* moderationem adhibuit, vt non solùm notorius clerici percussor, sed quicunque notorius excommunicatus vitandus sit.

4. Hinc orta est inter Doctores controuersia, cui constitutioni standum sit, an Constantiensi, an Basiliensi? Inclinat standum esse Basiliensi Felinus in *cap. Rodulphus circa finem de Rescriptis.* Siluest. verbo *excommunicatio*, 5. *num.* Nauarr. *in cap.* 13. *laboret, de pœnit. dist.* 6. Albertinus repetit *Rot. de hæretic. n.* 44. Couarruu. *in cap. alma mater.* 1. *p. §.* 2. *num.* 7. Vgolin *de censur. Ecclesiast. tab.* 1. *cap.* 13. §. 7. *num.* 8. Mouentur, quia Basilienses constitutio expressè habetur in dicto Concilio, secus Constantienses, sed tantùm ex relatione D. Antonini, & aliorum Doctorum. Ergo illi standum est.

5. Cæterum longè verius est, Constantiensem constitutionem retinendam integrè esse absque vlla moderatione, vti docuit Siluest. mutans priorem sententiam *in epist. ad lectorem. in vlt. folio.* Et Nauarr. quod prius docuerat corrigens in posteriore edit. *sum. cap.* 9. *num.* 8. & *cap.* 27. *num.* 34 Victoria *de excommunic. num.* 20. Auila 2. *p. de censur. c.* 6. *dis.* 2 *dub.* 1. Henriq. *lib.* 8. *de excommunicat. n.* 1. Suar. *disp.* 9. *sect.* 2. *num.* 5. Gutierr. *canon. qq. cap.* 1. *num.* 14. Coninch. *dict.* 14. *dub* 2. *n.* 9. Sayrus. *lib.* 2. *thesaur. casuum. cap.* 12. *n.* 9 Paul. Layman. *lib.* 1. *sum tract.* 5. *par.* 2. *cap.* 4. *num.* 2 & alij communiter. Ratio est, quia concilium Basiliense omni authoritate fuit destitutum vepote acephalum, ideóque in Concilio Lateranensi sub Leone X. *sess.* 11. dicitur non fuisse Concilium, sed Conciliabulum, & in multis errauit, maximè in depositione Eugenij IV. Vnde ipse Eugenius illius decreta reuocauit, exceptis quibusdam pertinentibus ad beneficiorum collationes, dispensationes, censurarum absolutiones, sicuti idem fecit Nicolaus V. vt constat ex eius Bulla data Spoleti 4. Kalend. Iulij anno 1439. & refertur ad finem Concilij Basilienses. *sess.* 45. Præterea vsu, & consuetudine in Germania, Gallia, & Belgio, quæ est optima legum interpres habetur notorij hæretici, aliorúmque excommunicatorum conuictum non vitari, quousque eorum excommunicatio declaretur.

6. Ex hac constitutione infertur non esse obligatos fideles vitare excommunicatum notorium, siue facto, siue iure quousque denunciatus sit, nisi clerici percussor fuerit; quia contrarium expressè requirit censuræ denunciationem, quæ facienda est in Ecclesia, vel alio loco publico, iuxta regionis consuetudinem, vti docuit Nauarr. *cap.* 27. *num.* 3. Henriq. *lib.* 13. *cap.* 5. *à num.* 1. Gutierr. *canon. qq. cap.* 1. *n.* 29. *& seqq.* Auila 2. *p. cap.* 6. *disp.* 2. *dub.* 2. Sayrus. *lib.* 2. *thesauri casuum, cap.* 12. *num.* 16. *&* 17. Coninch. *disp.* 14. *de excommunicat. dub.* 2. *num.* 11. Paul Layman *lib.* 1. *sum. tract.* 5 *par.* 2. *cap.* 4. *num.* 2. Vasq. *de excommunicat. dub.* 2. Gaspar Hurtado *disp.* 2. *de excommunicat. difficult.* 3. *& alij.* Tametsi contrarium sentiant Adrian. *in* 4. *tract. de sacram. Eucharist. cap. vlto, de impedimentis*, vers. *quantum ad tertium.* Et *tract. de sacram. confess. dub.* 9. *vers. secunda propositio.* Felin. *in cap. Rodulphus. num.* 73. *de Rescriptis.* Dominic. Sotus in 4. *d.* 1. *q.* 5. *art.* 6. *pag.* 107. Gutierr. *canon. qq. cap.* 1. *num.* 42. Et in hæreticis docet Sayrus *lib.* 2. *thesauri casuum, cap.* 12. *num.* 10. existimantes, ex eo quòd aliquis declaratus sit commisisse delictum, cui excommunicatio annexa est censendum esse excommunicatum denunciatum. Sed decipiuntur, quia aliud est declarare delictum, & ex consequenti excommunicationem, aliud declarare, & publicare directè ipsam excommunicationem, quod est necessariò requisitum, vt fatetur Nauarr & alij.

7. Dixi nisi, clerici percussor fuerit, hoc enim tametsi denunciatus non sit, vitandus est, dummodo notoria sit tam ex facto, quàm ex iure eius percussio. Sed quæ ad hanc notorietatem requirantur: Non conuenium Doctores. Suar. *disp.* 7 *sect.* 2. *numero* 2. censet esse notorium percussorem censendum comparatione cuiusque cui certò de percussione constaret; quia textus solum requirit, vt sit de percussione constet, vt nulla tergiuersatione cælari possit: at comparatione illius qui præsens fuit percussioni initiatæ cælari vlla tergiuersatione potest. Ergo Sed rectiùs Nauarr. *cap.* 27. *n.* 3. Auila 2. *p. cap.* 6. *dis.* 2 *dub.* 4. Paul. Layman. *lib.* 1. *sum. tract.* 5. *par.* 2. *cap.* 4. *n.* 2. §. *secundum.* Gaspar Hurtado *disp.* 2. *de excommunicat. difficult.* 3. *num.* 10. Coninch. *disp.* 14. *dub.* 2. *num.* 11. & alij sentiunt notoriam percussionem reddentem excommunicatum vitandum, eam tantùm esse, quæ commissa est coram maiore parte populi vicinæ, vel communitatis, in qua ad minus sint decem, quibusque constet nullo suffragio, nullaue excusatione eius iniustum cælari posse. Quippe percussio coram duobus, vel tribus testibus facta nota testibus est, & in iudicio probabilis. Sed non est simpliciter notoria, vti Constantiense Concilium exigit, poteritque aliqua tergiuersatione cælari.

8 Sed an sola fama de percussione clerici, vel de excommunicationis denunciatione sufficiat, vt tenearis sic infamatum vitare? Dicendum est, si fama à de dignis orta plene, & integrè probetur sufficere ad dictam obligationem inducendam; quia præstat moralem certitudinem, quæ in his rebus satis esse videtur. Argum. *cap. illud* Et *ibi* Panormit. *de cler. excommunic. ministr.* Et *cap. rum desideres*, vers. *secundæ quæstioni de sententia excommunicat.* Et tradit Nauarr. *cap.* 27 *num.* 2. Couarruu. *cap. alma.* 1. *p.* §. 2. *num* 4. Vgolin. *tab.* 1. *de censur. cap.* 23. §. 2. Sayrus *lib.* 2. *thesauri casuum, cap.* 12. *num.* 22. Paul. Layman. *lib.* 1 *sum. tract.* 5. *par.* 2. *cap.* 4. *num.* 2. vers. *hoc adde.*

9. Quæstio grauis est, an in vno loco denunciatus, vel manife-

manifestum clerici percussorem tenearis vbilibet vitare, vel possis? Satisprobabile est te non solùm occultè, sed publicè eum vitare posse; quia excommunicatio iure, vel facto publica in vno loco absolutè publica est, & vt talis probari potest. Ergo dat potestatem fidelibus vitandi prædictum excommunicatum. Quod verò tenearis illum vitare, inde probatur; quia Concilium Constantiense præcipit vitare excommunicatum denunciatum, & manifestum clerici percussorem, neque restringit præceptum ad locum denunciationis, vel percussionis. Sic videtur sentire Henriq. *lib.* 13, *cap.* 24. *n.* 1. Filcucius *tract.* 1. *cap.* 3. *quæst.* 7. *num.* 49. Valq. *de excommunicat. dub.* 8. *num.* 2. Bonac. *disp.* 2. *de excommunicat. q.* 2. *pun.* 6. §. 2. *num.* 48.

Sed verius existimo te ab hac obligatione liberum esse vti docet Sanch. *lib.* 2. *in decalog. cap.* 11. *num.* 20. Auila 2. *p. de censur. cap.* 6 *disp.* 11. *dub* 12. Moueor quia (vt rectè tradit Durand. *in* 4. *d.* 18. *quæst.* 5. *in fine.* & Paludan ibi *quæst.* 6. *art.* 1. *num.* 5.) excommunicatus publicatus in vno loco non est censendus in alio publicus esse, quia esto denunciatio afficiat personam, id intelligendum est comparatione illorum, quibus denunciatur, seu in quorum notitiam deuenire denunciatio potest. Ex qua ratione infero neque etiam secretò te obligatum esse ibidem dictum excommunicatum vitare; quia obligatio vitandi excommunicatum etiam secretò post Concilium Constantiense non oritur ex excommunicatione, sed ex illius notoria denuntiatione, ergo nullam vitandi eum obligationem inducit.

Aduerte excommunicatum denunciatum, & manifestum clerici percussorem vocari non toleratum; quia Ecclesia non tolerat, nec permittit fideles cum ipso communicare, contrà reliquos excommunicatos appellari tolleratos, quia eorum communicatio cum fidelibus toleratur.

Punctum V.

Quibus in rebus cum excommunicatis vitandis, vel non vitandis excommunicare possis.

1 *Proponitur difficultas, an cum excommunicatis toleratis communicare possis.*
2 *Resoluitur tibi licitum esse in rebus politicis, & diuinis communicare.*
3 *Stante aliqua necessitate, vel speciali vtilitate inducere potes excommunicatum toleratum, vt tibi Sacramenta ministret.*
4 *Sclusa hac necessitate, vel vtilitate grauissimi Doctores censent illicitum esse.*
5 *Contrarium est probabilius.*
6 *Excommunicati tolerati nullo modo priuantur potestate exercendi actus qui in fidelium vtilitatem cedunt.*
7 *Qualiter pro excommunicatis toleratis offerre sacrificium possis. Respondetur remissiuè.*
8 *Quæ dicta sunt de excommunicato procedunt de suspenso, & interdicto.*

1. CErtum est omnem communicationem tum diuinam, cum humanam cum excommunicato denunciato, vel manifesto clerici percussore tibi ptohibitam esse. *Cap. excommunicatos* 11. *quæst.* 3. *& penult. de sententia excommunicat.* Quare solùm est dubium, an cum aliis excommunicatis sit tibi permissa. Et ratio difficultatis est; quia ipsis excommunicatis prohibita est omnis communicatio cum fidelibus. Ergo nequeunt fideles absque necessitate cum ipsis communicare, ne peccato illorum cooperentur. Econtrà verò in Extrauganti *Ad euitanda scandala*, conceditur fidelibus communicatio cum excommunicatis qui denunciati non sint, nec manifesti clerici percussores. Ergo licitè communicare possunt; aliàs nullus esset fauor fidelibus factus.

2. Dicendum igitur est tibi licitum esse cum his excommunicatis in rebus politicis communicare, ac si excommunicati non essent vti docuit Candelab. aureum *de excommunicat. num.* 78. & 79. Coninch. *d. sp.* 11. *dub.* 3. *concl.* 1. Gaspar Hurtado *disp.* 2. *de excommunicat. difficult.* 4. Ratio est manifesta, quia in Extrauag. Concilij Constantiensis hæc communicatio fidelibus permittitur, ne scrupulis agitentur, at si hæc communicatio solùm in causa vrgentis necessitatis permitteretur, non satis fidelium conscientiis consultum esset, neque vllum fauorem fidelibus Concilium concessisset; siquidem stante necessitate hæc communicatio cum excommunicatis denunciatis permissa est.

Idem est dicendum de communicatione in diuinis ad quam non inducis, quia ex præcepto Ecclesiastico, & vi censuræ nulla tibi communicatio cum his excommunicatis toleratis incidit; ex alia parte non es causa, vt excommunicatus tecum communicet, ergo ex nullo capite in ea communicatione peccatum adesse potest, vt rectè aduertit Ægid. de Coninch. *disp.* 14. *dub.* 3. *concl.* 2. Paul Layman. *lib.* 1. *sum. tract.* 5. *par.* 2. *cap.* 4. *num.* 5. *in fine.* Quapropter excommunicato sacrum facienti assistere potes, & te celebrante permittere, vt assistat; quia peccati quod ipse committit, tu non es causa.

3. Sed an excommunicatum toleratum inducere possis, vt celebret, tibique Sacramenta ministret, tecúmque officium diuinum recitet? Non conueniunt Doctores. Etquidem stante necessitate, vel speciali vtilitate qualis esset non reperire alium, qui æquè bene hæc tibi beneficia conferat, dubium esse non debet, tibi licitum esse, vti expressè tradit Coninch. *disp.* 14. *dub.* 5. *conclus.* 3. Nam in ea inductione non peccas aduersus censuram; siquidem ex vi censuræ nulla tibi communicatio cum his excommunicatis interdicitur, neque etiam ob inductionem ad peccatum, quia tu non inducis ad iniquam Sacramentorum administrationem, & celebrationem; hanc enim non postulas, sed postulas administrationem Sacramenti, & celebrationem secundùm se, quæ per se licitè fieri possunt ab excommunicato toleratо stante necessitate, vel vtilitate petentis. Quod amplius constabit ex sequentibus.

4. Verùm secusa necessitate grauissimi Doctores docent te peccatum graue committere, si inducas excommunicatum, vt tibi Sacramenta ministret, celebret officium diuinum, tecum recitet, non quia pecces contra præceptum censuræ; sed quia peccas contra Religionem, vel Charitatem inducendo excommunicatum ad actum, quem posita censura licitè præstare nequit. Negari namque non debet indecens esse, & illicitum, si excommunicatus nulla necessitate intercedente Sacramenta ministret, sacrificium offerat, vtpote qui est publica Ecclesiæ sententia ab Ecclesia præcisus. Si enim Ecclesia eum à se præscindit, quomodo intentioneem habere poterit, vt tanquam sui minister, & suorum bonorum dispensator, & legatus apud Deum assumatur? Atque ita esse illicitum docent communiter Doctores, teste Auila 2. *p. c.* 6. *disp.* 8. *dub.* 1. Suar. *disp.* 1. *sect.* 4. *num.* 10. Coninch. *disp.* 14. *dub.* 3. *concl.* 3. & 4. Paul. Layman *lib.* 1. *sum. tract.* 5. *par.* 2. *c.* 4. *num.* 5. Basil. Ponc. *lib.* 5. *de matr. c.* 18. §. 9.

5. Sed rectiùs Sanch. *lib.* 7. *de matr. disp.* 9. *num.* 8. Sayrus *lib.* 2. *thesauri casuum, c.* 12. *num.* 10. Henriq. *lib.* 13. *cap.* 6. & 10. Gaspar Hurtado *disp.* 2. *de excommun. difficult.* 4. Filliticius. *tract.* 13. *cap.* 3. & 4. & alij apud ipsos censent per se nullum esse peccatum petere ab iis excommunicatis Sacramenta, & sacrificia. Moueor, quia Concilium Constantiense fidelibus concessit potestatem cum excommunicatis non denunciatis communicandi tam in diuinis, quàm extra ac si excommunicati non essent. Quæ facultas frustranea & inutilis esset, si virtute religionis, vel charitatis ab hac communione arceri deberent. Quapropter dicendum est intercedente petitione fidelium non impedire excommunicatos ratione excommunicationis, quin Sacramenta ministrent, & sacrificium offerant. Neque inde fit, excommunicatos vi Concilij Constantiensis in aliquo releuari. Non enim releuantur ipsi directè, sed releuantur fideles à prohibitione antea habita; tametsi ex hac releuatione resultet ipso-excommunicatos releuari, quod est per accidens, & præter Ecclesiæ intentionem.

6. Hinc fit excommunicatos toleratos nullo modo priuari potestate exercendi actus qui in fidelium vtilitatem cedere possunt, nempe iudicem non priuari potestate iudicandi, nec Prælatum potestate dispensandi, conferendique beneficia, absoluendi à censuris, & peccatis vt latiùs dicemus infra. Nam cum hæc omnia permissum sit subditis à suo superiore excommunicato petere, necessum est fateri ipsum posse ea illis concedere.

7. Grauior dubitatio est; qualiter possis pro excommunicatis toleratis offerre sacrificium, & publicas Ecclesiæ orationes, qualitérque Ecclesiasticæ sepulturæ tradere nulla præmissa absolutione censuræ. Sed huius dubitationis decisio pendet ex decisione qualiter excommunicari iis omnibus effectibus priuentur. De quibus infrà.

8. Ad extremum quæ dicta sunt, & dicentur de excommunicato procedunt in suspenso & interdicto illius in rebus, in quibus vi suspensionis, & interdicti remouentur, dum enim hæ censuræ denunciatæ non sunt, potes cum illis communicare, ac si suspensi, & interdicti non essent, probauit Nauarr. *in c.* 1. §. *laboret num.* 13. *de pœnit. d. ist.* 6. Gutierr. *canon. qq. cap.* 1. *num.* 43. Sayrus *lib.* 2. *thesauri casuum, cap.* 12. *num.* 21. Gaspar Hurtado *disp.* 2. *de excommun. difficult.* 3. *num.* 8.

Punctum VI.

De primo effectu excommunicationis maioris, qui est priuare excommunicatum communibus Ecclesiæ suffragiis.

1 *Quæ sit priuatio suffragiorum Ecclesiæ.*
2 *Triplex est Ecclesiæ spirituale subsidium.*
3 *Excommunicatus solùm est priuatus subsidiis spiritualibus nomine Ecclesiæ sancti.*
4 *Nullatenus licet pro excommunicato in particulari publicas orationes fundere, & sacrificium laudis offerre nomine Ecclesiæ.*
5 *In genere, & in communi aliqua censent pro excommunicatis suffragia, & sacrificium offerri posse.*

6 Contra

6 *Contrarium est tenendum.*
7 *Pro excommunicatis contritis posse sacrificium offerri plures docent.*
8 *Contrarium est verius.*
9 *Pro excommunicatis toleratis negant plures orationes publicas, & sacrificium offerri posse.*
10 *Probabilius est oppositum.*
11 *Satisfit contrariis fundam.*
12 *Qualiter excommunicati Ecclesiastica sepulturæ priuentur*
13 *Excommunicatus denunciatus absoluendus est anteaquam sepeliatur, etiamsi signa contritionis exhibuerit. Si verò impœnitenter decesserit exhumandus est.*
14 *Explicatur* Clem. 1. de sepultur.
15 *Qui intelligantur nomine sepelientium in* hac Clement. *excommunicati.*
16 *Ob hanc sepulturæ concessionem vltra excommunicationem maiorem, excommunicatio minor non incurritur.*

1. INter effectus excommunicationis maioris primo loco recenseri potest priuatio suffragiorum Ecclesiæ. Ecclesia namque suo fideles mediis orationibus, sacrificij oblatione, & indulgentiarum concessione adiuuat in spiritu, eorúmque salutem promouet. Ab hoc ergo spirituali subsidio excludi excommunicatum, vt tanto bono priuatus ad mentem redeat, & à contumacia resipiscat,

2. Vt igitur hic effectus plenè intelligatur aduerte in Ecclesia triplex esse spirituale subsidium. Primum proueniens à Christo offerente suo Patri, medio sacerdote Missæ sacrificium. Alterum proueniens ab Ecclesia, quæ mediis suis ministris orationes publicas fundit, sacrificium peragit, satisfactionem ex thesauro Christi, & Sanctorum dispensat. Tertiò nascitur ex operatione cuiusque fidelis, vt particularis persona est. His positis.

3. Dicendum est excommunicatum solùm priuatum esse ex vi excommunicationis subsidiis spiritualibus nomine Ecclesiæ factis. Sic pluribus relatis docet Sayrus *lib. 2. thesauri casuum, cap. 4. num 2.* Henriq. *lib. 13. c. 12.* Vgolin. *tab. 2. c. 9. num. 1.* Suar. *de censur. disp. 9. sect. 4.* Stephanus de Auila *2. p. de censur. c. 6 disp. 4. dub. 2.* Gaspar Hurtado *disp. . difficult. 1.* Et quidem quod excommunicatus etiam denunciatus non priuetur suffragiis particularibus fidelium, neque valore sacrificii, qui à ministro gerente personam Christi procedit; inde probatur; quia hæc subsidia sunt omnino distincta, & independentia ab Ecclesiæ dispositione, & solùm ex voluntate singulari fidelium applicantur. Quod verò priuatus sit subsidiis spiritualibus nomine Ecclesiæ factis, constat ex variis textibus relatis *1. q. 3.* & *cap. à nobis, & cap. sacris de sententia excommunicat.* & ex ipso Ecclesiæ vsu. Quod adeò verum est, vt licèt minister Ecclesiæ velit indulgentias applicare excommunicatis, publicas Ecclesiæ orationes pro ipsis fundere, Missæ sacrificium offerre secundùm valorem ab ipsa Ecclesia prouenientem, nihil efficiat, nulliúsque valoris sit eius applicatio, sicuti nulla est distributio pecuniæ à seruo facta contra domini voluntatem, & in personas ab eo exclusas.

4. Hinc fit nullatenus licere pro excommunicatis in particulari publicas orationes fundere, & sacrificium Missæ nomine Ecclesiæ offerre; quia Ecclesia priuans ipsos his spiritualibus bonis, consequenter fidelibus interdicit, ne ea ipsis applicent, maximè cùm hæc applicatio inutilis sit, & frustranea.

5. Sed an in genere, & in communi licitum sit orationes publicas, & Missæ sacrificium offerre? difficultate non caret. Nam Siluest. verbo *excommunicatio 1. num. 2.* Marian. Socin. Senior. *in cap. sacris num 242. de sententia excommunicat.* Couarruu. *cap. alma 1. p. §. 6. num. 3.* censent fieri posse? quia in hac oratione solùm postulatur excommunicatorum reductio, & pœnitentia, quod est maximum bonum, & quod media excommunicatione obtineri ab Ecclesia intenditur. Fauétque huic sententiæ vsus Ecclesiæ, quæ feria *6.* Parasceue orat pro schismaticis, & hæreticis, quos constat esse excommunicatos.

6. Sed rectiùs contrarium censuit plures referens Sayrus *lib 2. thesauri cuiuum. cap. 4. num. 4.* Vasq. *de excommunicat. dub. 2.* Auila *2. part. cap. 6. disp. 9. dub. 3.* Quia Ecclesia sua bona propriis membris dispensare intendit; non verò iis, quæ à se separauit; aliàs si subsidia Ecclesiæ excommunicatis prodessent saltem in genere, non amplius excommunicati essent excluſi ab Ecclesiæ suffragiis, quàm alij fideles, pro quibus speciali intentione non offeruntur, his enim tantùm in genere prosunt. Quod verò Ecclesia pro Hæreticis, & Schismaticis feria *6.* parasceue oret, & non alio die, inde potiùs colligitur nolle alijs temporibus pro ipsis orare. Eo autem die orat, vt significaret (vt inquit Durand. *lib. 6. ration. diuin. officiorum. c. 77. n. 12.*) Christi passionem tunc repræsentatam, quatenus est ex se, ad omnes se extendere. Quapropter nemini fidelium licet directè pro excommunicatis orationes publicas fundere, sacrificium Missæ offerre; bene tamen pro hæresum extirpatione, & fidei dilatatione, & Ecclesiæ obedientia: nam esto hæc oratio in hæreticorum, excommunicatorúmque bonum cedat, id est consequenter: nam directè in ea oratione Ecclesiæ bonum spectatur.

7. Quod si excommunicati contriti sint, neque per ipsos stet, quin ab excommunicatione absoluantur, censent Summa Astens. *2. p. lib. 7. tit. 9. quæst. 2.* Richard. *4. d. 18, art. 7. quæst. 3.* Antonin. *3. p. tit. 24. cap. 7.* Nauarr. *de orat. & horis canonicis, cap. 19. n. 68.* Et in Sum. *cap. 27. num. 18.* Couarruu. *cap. alma mater. 1 p. §. 6. num. 4.* Henriq. *lib. 6. de Missa cap. 15. num. 3.* & *lib. 13. de excommunicat. cap. 11. num. 2.* & *cap. 12. num. 3.* Sayrus *lib. 2. thesauri cap. 4. num. 5.* Stephan. Dauila *2. p. cap. 6. disp. 4. dub. 2.* posse pro his publicas orationes, & sacrificium Missæ offerri: quia non est credendum Ecclesiam velle priuare contritos, & pœnitentes his subsidiis, cùm solùm vt à contumacia recederent pœnam excommunicationis indixerit. Præterquam quòd excommunicatus contritus iam est membrum viuum Ecclesiæ, debet ergo subsidiis aliorum membrorum vegetari.

8. Sed rectiùs contrarium docuit Sotus *in 4. d. 22. quæst. 1. art. 1. §. attamen dubium.* Alan. *lib. 2. de sacram. Eucharistia. cap. 31.* Suar. *disp 8. sect. 3.* Coninch. *disp. 24. dub. 7. difficult. 2.* Paul. Layman. *lib. 1. sum. tract. 5. par. 2. cap. 2. num. 4.* Gaspar Hurtado *disp. 2. de excommunicat. difficult. 5.* sumitúrque ex *cap. à nobis & cap. sacro de sententia excommunicat.* Vbi Innocent. III. decidit pro excommunicato defuncto, qui ante mortem signa contritionis exhibuit, & absolutionem procurauit non esse oblationes recipiendas, neque orationes publicas instituendas, anteaquam ab excommunicatione absoluatur; quia licèt solutus sit vinculo culpæ quoad Deum, non tamen solutus est vinculo censuræ. Ratio verò est manifesta, qua excommunicatus quantumuis contritus sit, & contumaciæ pœniteat; non excutit à se excommunicationem, quæ non pœnitentia, sed absolutione tollitur. Sed excommunicatione perseuerante perseuerare debent illius effectus. Ergo. Neque hoc est contra Ecclesiæ benignitatem, cùm cedat in maiorem censuræ reuerentiam & emolumentum, vt non cesset aliter, quàm authentica absolutione. Quòd verò excommunicatus sit membrum viuum aliis fidelibus, & Christo vnitum per fidem, & Charitatem; id solùm probat communicare cum alijs fidelibus in orationibus, & suffragijs particularibus, ob quam communicationem eius orationes gratiores deo redduntur, & facilius exaudiuntur.

9. Quæstio grauis est an pro excommunicato tolerato orationes publicas, & sacrificium offerre possis? Negant Sotus *in 4. d. 22. quæst. 1. art. 4. concl. 2. §. hoc sup. ostenso.* Guilelm. Alan. *lib. 2. de sacramento. Eucharist. cap. 33.* Couarruu. *cap. alma mater. 1. par. §. 6. numer. 4.* Bellarm. *lib. 2. de Missa. cap. 6.* Suar. *disputat. 9. sect. 2. numer. 16.* Ioannes Baptista Scortia *lib. 2. de sacrificio Missæ. cap. 2. numer. 1.* Auila *de censur. 2. par. cap. 6. disputat. 9. dubitat. 3.* Vasq. *de excommunicatione dubitat 2.* Mouentur, qui Concilium Constantiense permisit fidelibus communicare cum excommunicatis non denunciatis ea communicatione, quæ in fidelium vtilitatem cedere posset; siquidem in fidelium fauorem lata fuit illa constitutio. At offerre orationes publicas, & sacrificium pro excommunicatis nullatenus cedit in offerentium fauorem, sed in fauorem illorum pro quibus offertur. Ergo hæc communicatio permissa non est. Secundò Concilium Constantiense expressit se nolle excommunicatis ob eam communicationem quam fidelibus permittit in aliquo fauere: fauere autem maximè, si orationes publicas, & sacrificium pro ipsis offerri permitteret. Tertiò: ipsa excommunicatione excluduntur excommunicati à communibus Ecclesiæ suffragiis, oblationibus, & sacrificio, ergo contra intentionem Ecclesiæ, & excommunicationis institutionem præcedet qui illorum bonorum tentatet eos participes efficere.

10. Nihilominus etsi supradicta sententia sit satis probabilis, probabiliorem reputo asserentem permissum esse fidelibus pro prædictis excommunicatis orationes publicas, & sacrificium offerre, vti docuit Henriq. *lib. 13. cap. 11. num. 2.* Vgolin. *1. de censur. tab. 2. §. 2 num. 3.* Sayrus *lib. 2 thesauri casuum cap. 4. num 6.* Coninch. *disp. 24. dub. 6 num. 40.* Gaspar Hurtado *disp. 2. de excommunicat. difficult. 4. num. 10.* inclinat Layman. *lib. 1. sum. tract. 5 par. 2. cap. 5 num. 8* Mouetur; quia Concilium Constantiense permisit fidelibus communicare cum excommunicatis denunciatis tam intus, quàm extra, id est tam in communicatione externa humana, & diuina, quàm in communicatione interiori orationum, & oblationum, quia hæc communicatio cedit in fauorem fidelium, ne scrupulis agitentur ob dubium, quod habere possunt, an hi, vel illi excommunicati sint, & vitandi in orationibus publicis, & suffragis, quæ fuit ratio, ob quam Concilium hanc communicationem permisit. Et præterea ob illam oblationem accipere possunt temporale stipendium, & speciale meritum obtinere. Secundò excommunicatis occultis iure antiquo denegari suffragia publica non poterant, vt fatetur Suar. *dicta sect. 2. numer. 19.* Et colligitur ex *cap. tam non ab homine de sententia excommunicatio.* Ergo excommunicatio non impedit, quin excommunicato applicentur orationes, vt suffragia publica. At iure nouo solum excommunicatus denunciatus, & manifestus clerici percussor exclusus est à publica, &

& secreta fidelium communicatione. Ergò quemlibet alium admittere fideles poterant, ac si excommunicatus non esset Tertiò hac sententia saluatur facilius vsus, & consuetudo priorum virorum offerentium Missæ sacrificium pro hæreticorum reductione, excommunicatorum pœnitentia Nam esto vt *superiùs* dixi verosimilius credam illius oblationis sensum esse Ecclesiæ dilatationem, fidei augmentum, & Sedi Apostolicæ obedientiam, cùm non videantur exclusi sub eo fine Hæretici denunciati; attamen concesso posse pro excommunicatis toleratis sacrificium offerri directè, nullum est inconueniens affirmare, cùm sacrificium offertur pro Hæreticorum Schismaticorúmque reductione, offerri directè pro pro Hæreticis & Schismaticis non denunciatis.

11 Ex his facilè soluuntur opposita fundamenta. Ad primum, & secundum nego hanc in suffragiis communicationem non cedere in fauorem fidelium, cedit vtique ad sedandas eorum conscientias, tum ad gratiæ augmentum, tum ad commodum aliquod temporale, vti probatum est. Ad tertium concedo excommunicatum excludi ab Ecclesia communibus Ecclesiæ suffragiis, sicuti qualibet alia communicatione, dum fideles nolunt cum ipso communicare. Secùs verò si fideles velint non ob fauorem excommunicati, sed ipsorum fidelium.

12 Inter officia Diuina quæ fidelibus impendi possunt non infimum locum tenet Ecclesiastica sepultura, qua excommunicatus priuatur, tametsi decesserit signis contritionis exhibitis, vti constat ex *cap. sacris de Sepultur.* Et *Clement. 1. eodem tit.* & *cap. consuluisti de consecrat. Ecclesiæ, vel altaris.* Et *ibi* Glossa, & Doctores. Ratio prohibitionis traditur in *dicto sacris.* Quibus non communicamus viuis, non debebus communicare defunctis. Ex qua ratione colligitur omnibus excommunicatis, qui denunciati non sunt, nec manifesti Clerici percussores concedi posse Ecclesiasticam sepulturam, si signis contritionis exhibitis decesserunt, quia cum iis omnibus permittitur nobis communicatio, & præterea Ecclesiastica sepultura conceditur fidelibus, vt Ecclesiæ suffragiorum participes fiant; at *superiùs* probatum est excommunicatos non vitandos participes fieri posse à fidelibus communium Ecclesiæ orationum, & suffragiorum, ergo etiam participes fieri possunt sepulturæ Ecclesiasticæ, vt benè tradit Nauarr. *cap. 27. num. 36.* Henriq. *lib. 13. cap. 11. num. 3.* Paul. Layman. *lib. 1. sum. tract. 5. par. 2. cap. 4. numero 8. circa finem.* Suar. *disp. 12. de censur. sect. 4. num. 5.* Gaspar Hurtado *disp. 5. de excommunicat. difficult. 4.* supponit Coninch. *disp. 14. dub. 6. num. 41.*

Notanter dixi, *si signa contritionis exhibuit*, nam cùm excommunicatio ob peccatum mortale infligatur, decedenti absque pœnitentiæ signis Ecclesiastica sepultura concedi non debet, vtpotè qui à regno cœlesti est exclusus, & suffragiorum Ecclesiæ incapax. Expedit autem excommunicato tolerato contrité decedenti absolutionem impendi antequam Ecclesiasticæ sepulturæ tradatur, tum ob decentiam, & reuerentiam Diuinorum officiorum, tum vt omnis dubitatio tollatur an officia Diuina ei prosint.

13 Si verò excommunicatus, aut manifestus Clerici percussor decesserit pœnitenter, absoluendus est antequam sepeliatur, & si sepultus est antè exhumetur. At si impœnitenter decessit extra locum sacrum sepeliendus est absque aliqua pompa funerali, hoc est absque Clericorum cantu, & honorifico comitatu: peccarent enim mortaliter Clerici qui more Ecclesiastico canentes ibidem excommunicatum denunciatum sepelirent; fæculares comitantes difficulter à mortali excusarentur saltem ob scandalum. Quod si in sacro loco hic excommunicatus denunciatus impœnitens sepultus est, extrahi debet à loco sacro, si ab aliis fidelium corporibus discerni possit, eritque locus sacer reconciliandus; quia sepultura excommunicati pollutus est, & incapax factus, ne officia Diuina ibidem celebrentur, néve aliquod corpus fidelium sepeliatur: vti hæc omnia traduntur *in cap. consuluisti, de consecrat. Ecclesiæ, vel altaris. Cap. vnico, eodem tit. in 6. Cap. à nobis.* Et *cap. sacris de sententia excommunicat.* Nomine *loci sacri* venit intelligenda Ecclesia, & cæmeterium iuxta Textum *in cap. sacris.* Imò vt placet Suar. *sect. 4. disp. 12.* intelligitur locus authoritate Episcopi destinatus fidelium sepulturæ aliisve officiis diuinis.

14 Hinc infertur intellectus ad *Clem. 1. de Sepultur.* vbi excommunicantur qui scienter excommunicatum sepeliunt, & ad Textum *in cap. quicumque de Hereticis in 6.* vbi eadem excommunicatione innodantur sepelientes Hæreticos, eorúmque fautores. Dicendum est nequaquam ligari eos qui notorium Hæreticum, & ex communicatum etiam impœnitentem sepelirent, nisi denunciatus esset, vel manifestus Clerici percussor: vti ex communiori sententia docet Nauarr. *c. 27. num. 137.* Henriq. *lib. 13. c. 11. num. 3.* Auila *2. p. de cens. cap. 6. disp. 10. dub. 6.* Paul. Layman. *lib. 1. sum. tract. 5. par. 2. c. 4. num. 8. circa finem.* Gaspar Hurtado *disp. 5. difficult. 4. num.... disp. 10.* Suarez *disp. 12. sect. 4. a n. 5.* Quia solos denunciatos post Concilium Constantiense obligamur vitare. At qui ex-

communicatum denunciatum, vel manifestum Clerici percussorem in loco sacro sepeliret, excommunicationem maiorem incurrit, neque ab ea est absoluendus, nisi prius arbitrio D. Cæsani Episcopi satisfactum sit iis quibus eo facto iniuria est irrogata, aliérque data absolutio nulla est, vt aduertit Glossa, Nauarr. & Suar. *loc. alleg.* Sepelientes verò Hæreticum per sententiam damnatum absolui non debent, quousque Hæretici propriis manibus extrahant è loco sacro, & alibi proiiciant, locúsque non cæmeterium, in quo sepultus hæreticus fuit; incapax remanet aliud corpus fidelis recipiendi, sicuti decidit *dicto cap. 2. de Hæreticis in 6.*

Solùm est dubium qui nomine sepelientium comprehendantur. Et certum est non comprehendi comitantes corpus defuncti, nec Clericos canentes, nec fossam prius aperientes; quia licèt hi vulgari modo dicantur sepelire defunctum, sed non propriè, vti tradunt Suar. Coninch. Bonacina, & alij statim referendi. Quare propriè sepeliunt qui in sepulchrum corpus immittunt, & terra cooperiunt. Sed an alij præter ipsos comprehendantur? difficultate non caret. Et procedit difficultas de iis quorum authoritate, vel mandato corpus sepelitur. Nauarr. *dicto cap. 27. num. 137.* Caietan. *verbo Excommunicatio, numero 46.* Gaspar Hurtado *disp. 5. de excommunicat. difficult. 4.* Auila *2. p. de censur. capite 6. dub. 6.* Bonacina *de censur. disp. 2. quæst. 2. puncto 2. § 3.* & alij censent solos illos, qui propriis manibus corpus defuncti sepeliunt supradicta censura ligari, non verò mandantes, sicuti nec comitantes; quia aliud est mandare sepelire defunctum, aliud sepelire: at excommunicatio lata non est aduersus mandantes, sed aduersus sepelientes, pœnæque non sunt extendendæ vltra verborum proprietatem. Verum in hoc casu verius existimo extendendam esse censuram ad mandantes, ne constitutio frustranea sit; quippe, si solùm immittentes cadauer in sepulchrum comprehenderentur, raro, vel nunquam excommunicatio locum haberet; nam ij cùm sint homines rustici, & iuris ignari, à censura ob illius ignorantiam excusarentur, aut certè excusarentur ex metu qui facilè iis incuti potest. Quoties autem constitutio, vel lex frustranea redditur, nisi extendatur ad casum sub proprietate verborum non comprehensum, admittenda est extensio, vt docuit Glossa *finalis capite 2. de Vsuris in 6.* Felin. *cap. translato, numer. vltim. vers. tertiò nota de Constitutionib.* Couarruu. aliis relatis *4. variar. cap. 3. numero 9.* Sanch. *lib. 3. de matrim. disputat. 49. numero 4. in fine.* Ergo in præsenti extendenda est censura ad mandantes, Argum. *cap. significauit de Iudæis.* Atque ita tradunt Suar. *de censur. disputat. 12. sect. 4.* Filliucius *tractat. 12. cap. 4. numero 111.* Coninch. *disputat. 14. dub. 8. num. 67 & 68.* Vgolin. *de censur. tab. 1. cap. 9. §. 5.* Reginald. *lib. 32. num 16.*

Aliquibus placet, Nauarro, *cap. 27. num. 36.* Auila *2. part.* 16
de censur. cap. 6. disput. 4. dub. 8. Filliucio *tract. 12. cap. 4. q. 10. num. 110* excommunicatum denunciatum sepelientes vltra excommunicationem maiorem statutam *in dicta Clem. 1. de sepulturis*, incurrere excommunicationem minorem, ob participationem cum excommunicato vitando. Sed rectiùs Suar. *disp. 12. sect. 2. num. 13.* Bonac. *disp. 1. q. 2. punct. 3. § 3. in fine* contrarium censent, eo quòd excommunicatio minor in maiorem commutata sit ob grauitatem delicti, sicuti commutatur ob participationem cum excommunicato in crimine criminoso.

PVNCTVM VII.

De secundo effectu excommunicationis, qui est priuatio passiua Sacramentorum.

1 *Excommunicato etiam non denunciato interdicta est Sacramentorum receptio.*

2 *Si absque necessitate Sacramenta recipiantur, valida est eorum receptio, Sacramento pœnitentiæ excepto.*

3 *Negant plures excommunicatum non manifestantem censuram ex ignorantia, neque Sacerdotem ab ea absoluentem recipere Sacramentum pœnitentiæ, & illius effectum.*

4 *Longè probabilius est verum Sacramentum recipere, si sua peccata cum vera contritione fateatur.*

5 *Soluuntur opposita fundamenta.*

6 *Excommunicatus ob receptionem illicitam Sacramentorum nullam pœnam incurrit, exceptâ receptione Sacramenti Ordinis.*

6 *Ministri Ecclesiæ obligati sunt denegare Sacramenta excommunicatis denunciatis: secus non denunciatis nec manifestis Clerici percussoribus.*

1 EXcommunicato etiam non denunciato interdicta est Sacramentorum receptio ex *cap. cum illorum. capit. si quem de sententia excommunicat.* Qui contumax est Ecclesiæ præceptis meritò repellitur ab illius maximorum bonorum participatione. Excusari tamen poterit ab hac culpa ex periculo mortis, mutilationis, infamiæ grauis iacturæ bonorum: quia lex Ecclesiastica non censetur ita rigidè obligare, vti communiter docent Doctores referendi.

2 Si autem absque hac necessitate Sacramenta recipiat, validè illa recipit pœnitentiæ Sacramento excepto; quia valor Sacramentorum non pendet ex Ecclesiæ voluntate, sed ex Christi institutione, quæ optimè stare potest cum iniqua recipientis dispositione. Sicuti ex communi docet Suar. *disp.* 10. *de censur. sect.* 3. *num.* 1. Vazq. *de excommunicat. dub.* 4. Henriq. *lib.* 13. *cap.* 10. *num.* 1. Auila 2 *p. cap.* 6. *disp.* 3. *dub.* 4. Bonac. *de excommunicat. disp.* 2. *quæst.* 2. *pun.* 1. §. 1. Paul. Layman. *lib.* 1. *sum. tract.* 5. *part.* 2. *c.* 2. *n.* 1.

Dixi *pœnitentiæ Sacramento excepto*, quia Sacramentum pœnitentiæ cùm essentialiter pro materia proxima requirat rectam suscipientis dispositionem, nequit ea deficiente subsistere. At ea dispositio deficeret, si malitiosè reticeret censuram, vel vellet absque graui causa à peccatis absolui antequam à censura esset absolutus.

3 Difficultas autem est; si excommunicatus ex ignorantia, vel obliuione non manifestaret censuram, neque Sacerdos ab ea absolueret, recipiat Sacramentum pœnitentiæ, & illius effectum, omnia sua peccata cum vera contritione manifestans? Negat Syluest. *verbo confessio* 1. *quæst.* 3. *casu* 5. & *verbo Confessor.* 3. *num.* 12. Sotus *in* 4. *dist.* 22. *quæst.* 1. *art.* 1. *in fine.* Vazq. *de excommunicat. dub.* 4. Gaspar Hurtado *disp.* 4. *de excommunicat. difficult.* 3. *num.* 28. Et colligitur ex *cap. vltim. de clerico excommunic. ministrante*: vbi de Clerico excommunicato minori excommunicatione dicitur, si Sacramenta conferat non carere virtutis effectu; quia non à collatione, sed à receptione Sacramentorum est remotus: at ligatus maiori excommunicatione à receptione, & collatione Sacramentorum remotus est. Ergo Sacramenta ab ipso recepta, & collata virtutis effectu carent. Ratio verò est; quia media excommunicatione separat Ecclesia excommunicatum à participatione Sacramentorum in quantum potest. At potest ita excommunicatum separare à Sacramento pœnitentiæ, vt quamuis illud recipiat nullius effectus sit, vti præstaret excommunicatum à iurisdictione Sacerdotis excludens. Ergo. Et confirmo, Ecclesia intendit, vt ab excommunicati præcipuè denũciati communicatione abstineamus, sicut si Ethnicus, & Publicanus esset. Ergo intendit, vt bona Ecclesiæ illi denegentur, sicuti denegantur Ethnico, & Publicano, at Ethnicus & Publicanus incapax est recipiendi Sacramentum pœnitentiæ, ergo & excommunicatus. Tandem absolutio data ab excommunicato denunciato est omnino irrita, ergo & absolutionis receptio.

4 Cæterùm longè probabilius esse in supradicto casu veram absolutionem à peccatis excommunicatum recipere, affirmant Couaruu. *cap. alma mater* 1. *p.* §. 6. *num.* 7. Nauarr. *cap.* 9. *num.* 7. & *in cap. fratres, num.* 46. *de pœnitent. dist.* 5. Henriq. *lib.* 13. *cap.* 12. *num.* 2. Vgolin. *tab.* 2. *de censur. cap.* 7. §. 2. *numero* 5. & 6. Sayrus *lib.* 2. *thesauri casuum, cap.* 2. *numero* 3. *& seqq.* Suar. *disput.* 10. *de censuris sect.* 3. *numero* 9. Ægid. Coninch. *disp.* 4. *dub.* 3. Paul. Layman. *lib.* 1. *sum. tract.* 5. *par.* 2. *cap.* 2. *num.* 1. Valen. *t.* 4. *disput.* 7. *quæst.* 12. *p.* 3. *circa princip. & quæst.* 17. *pun.* 2. Bonac. *de censur. disputat.* 2. *quæst.* 2. *pun.* 2. §. 1. & alij plures apud ipsos. Ratio præcipua huius sententiæ est. Nullo iure cauetur irritum, & inane reddi Sacramentum ab excommunicato susceptum, siquidem alia Sacramenta, quæ ab Ecclesia poterant irritari non irritantur. Cur ergo fingere debemus in Sacramento pœnitentiæ hanc irritationem interuenire. Quod enim excommunicatus à Sacramentis sit exclusus, solùm probat indebitè ea recipere censuræ memor, & illius absolutionem voluntariè non præmittens: at in supradicto casu inculpabiliter excommunicatus omissa censuræ absolutione pœnitentiam recipit. Ergo cessat indebita receptio, & consequenter causa ob quam Sacramentum nullum esse poterat. Dicere autem à iurisdictione Sacerdotis exclusum esse ob excommunicationem minus verisimile est; gratis enim, & absque vllo Textu id affirmaretur, cederétque hæc excommunicatio in pœnam innocentum Prælatorum, si ipsi ob subditorum excommunicationem priuarentur iurisdictione antè in ipsos habita. Et de Pontifice id affirmari nequaquam posset. Ponamus ergo ipsum ex ignorantia, vel ex malitia velle excommunicatum à peccatis absoluere non præmissa censuræ absolutione, sanè valida esset absolutio, vtpotè procedens à legitimo Ministro circa pœnitentem ritè dispositum. Ergo censura ex se non reddit Sacramentum irritum. Neque credendum est de pietate Ecclesiæ velle pœnitentem contritum excludere à Sacramenti receptione, ex qua fortè eius salus perpetua pendet.

Hæ rationes procedunt in excommunicato denunciato, & vitando: nam si de excommunicato tolerato loquamur, certum existimo absolutionem illi collatam validam esse; nam cùm Sacerdos vi censuræ non teneatur illum vitare in Sacramentorum collatione; sed possit ei quælibet Sacramenta conferre, manifestum est eorum collationem validam fore, si ex parte suscipientis impedimentum aliud non apponatur.

Neque obstant fundamenta opposita. Ad Textum *in cap. vlt. de Clerico excommunic. minist.* respondeo; si vera esset illatio facta in argumento, probaret vtique excommunicatum minori excommunicatione recipientem Sacramentum pœnitentiæ inculpabiliter inualidè recipere; siquidem priuatur per talem censuram communione passiuâ Sacramentorum, imò inualidè recipere quodlibet aliud Sacramentum, quod falsissimum est. Quocirca respondeo minori excommunicatione ligatum prohibitum non esse Sacramenta conferre, atque adeò ex parte ipsius non carebunt effectu; quia in eis dandis non peccat, carebunt tamen effectu per se loquendo si suscipiat; quia eorum receptione priuatur, esto susceptа valida sint, imò neque effectu carebunt, si sufficientem habeat excusationem ea recipiendi. Ad rationem constat ex probatione nostræ sententiæ, non enim Ecclesia separat excommunicatum à se quantum potest; aliàs nec permitteret fidelibus cum ipso non denunciato communicare, neque pro ipso denunciato orationes priuatas fundere. Neque ex eo quòd consulat fidelibus, vt ab eius communicatione fugiant. sicuti à communione Ethnici, & Publicani contrarium infertur; quia illud non est præceptum, sed consilium, quódque intelligendum est quantum commodè seruari potest. Ad confirmationem dico absolutionis collationem, & receptionem factam ab excommunicato vitando per se irritam esse. Verùm sicut potest in aliquo casu illius absolutio valida esse scilicet in articulo mortis, sic potest in aliquo casu valida, & licita esse eius receptio, scilicet quando excusatur à culpa. Adde esse diuersam rationem; quia excommunicatus denunciatus priuatur iurisdictione, ideoque nequit absolutio subsistere; at vi excommunicationis non priuatur subiectione, ne excommunicato cedat in innocentum damnum. 1

Illud verò apud Doctores est receptum excommunicatum etiam vitandum illicitè recipientem aliquod Sacramentum nullam pœnam incurrere excepto Sacramento Ordinis, ob cuius receptionem ab exercitio Ordinis susceptі suspenditur ex *cap. cùm illorum de sententia excommunicat.* Sic Suar. *dicta sect.* 3. *num.* 6. Coninch. *disp.* 14. *dub.* 5. *num.* 32. Bonac. *disp.* 1. *q.* 2. *punct.* 2. §. 1. *in fine.* Gaspar Hurtado *disp.* 4. *de excomm. diffic.* 1. & alij. 6

Quoad Ministros Ecclesiæ attinet, constat obligatos esse denegare Sacramenta excommunicatis denunciatis, & manifestis Clerici percussoribus quousque absoluantur, vel præsumatur verosimiliter absolutos esse, vt decidit *cap. significauit. Cap. cum desideres de sententia excommunicat.* Et *cap. Episcoporum de Priuilegijs in* 6. Et *multis canonibus* 11. *quæstion.* 3. Et *Extrauag. Ad vitanda scandala*, & tradunt omnes. Quod si his excommunicatis aliquod Sacramentum ministres, vltra peccatum mortale excommunicationem incurris, & interdictus es ab Ecclesiæ ingressu. *cap. Episcoporum, de Priuilegijs in* 6. si verò à Pontifice fuerint nominatim excommunicati, aut denunciati maiorem excommunicationem contrahis Papæ reseruatam. *cap. significauit de sententia excommunicat.* & *Clem.* 3. *eodem titul.* Quod si essent excommunicati propter hæresim, vel illius fautoriam, & Sacramentum ministrare auderes, suspendendus esses ab officio, nec restituendus absque Papæ dispensatione. *Cap. excommunicamus* 1. *de Hæreticis* §. *credentes.* 7

Aliis verò excommunicatis, qui denunciati non sunt, nec manifesti Clerici percussores non obligaris ex vi censuræ Sacramenta denegare, iuxta *dictam Extrauag. Ad euitanda.* sed solùm ex generali ratione, quod indebitè accedunt, vt benè notauit Suar. *disputat.* 10. *sect.* 2. *numero* 12. Vasquez *tract. de excommunicat. dub.* 2. *numero* 12. Filliucius *tract.* 12. *cap.* 3. *num.* 65. Bonac. *disputat.* 2. *de censur. quæstion.* 2. *part.* 1. §. 2. Non sunt autem censendi indebitè accedere ex eo præcisè quòd fuerint excommunicati, sed oportet certò constare non esse absolutos, quod præsumere non debes, nisi certò scias, vt aduertit Suar. *disput.* 10. *sect.* 2. *num.* 2.

PVNCTVM VIII.

De tertio effectu excommunicationis, qui est priuatio actiua Sacramentorum, & Missæ Sacrificij.

1 *Excommunicatus priuatus est, Sacramentorum collatione, sed non ita rigidè quin valida sit eorum ministratio, Sacramento pœnitentiæ excepto.*

2 *Sacramentum pœnitentiæ inualidè ab excommunicato vitando administratur, aliquibus casibus exceptis.*
3 *Quod dictum est de Sacramentis, dicendum est de Sacramentalibus.*
4 *Excommunicatus denunciatus vix excusari potest ab illicita Sacramentorum administratione, benè tamen toleratus.*
5 *Quando Sacramentum pœnitentiæ ægroto collatum non est, optimè potest excommunicatus vitandus Eucharistiam, vel Extremam Vnctionem ministrare.*
6 *Si Sacramentum pœnitentiæ ægrotus susceptum negant plures posse Eucharistiam ministrare.*
7 *Satis probabile est oppositum.*
8 *Secus est dicendum de Extrema Vnctione, vel Confirmatione recepto Sacramento pœnitentiæ, & Eucharistiæ.*
9 *Excommunicatus siue vitandus, siue non vitandus quoties illicitè ministrat Sacramentum, irregularitatem incurrit.*
10 *Debet tamen exercere munus Ordinis sacri quem habet.*
11 *Proponitur dubitandi ratio, an administrans Sacramentum pœnitentiæ excommunicatus vitandus irregularitatem incurrat.*
12 *Asseritur, vt probabilius fore irregularem.*
13 *Soluitur dubitandi ratio.*

1 EXcommunicatum priuatum esse Sacramenta conferendi, & Missam celebrandi indubitatum est ex *capite si celebrat. & cap. latores de Clerico excommunicato ministr.* Sed hæc prohibitio non ita rigidè accipienda est, vt Sacramenta ab excommunicato collata irrita sint: nullum enim Sacramentum excepto Sacramento pœnitentiæ ob excommunicationem etiam denunciatam annullatur, cùm eorum valor non ex Ecclesiæ dispositione pendeat, sed ex Christi institutione; quæ optimè seruari potest non obstante excommunicatione.

2 Dixi *excepto Sacramento Pœnitentiæ*, quia Pœnitentiæ Sacramentum iurisdictionem expostulat, vt validè administretur, at iurisdictionem Ecclesia denegat excommunicato vitando. *Capite Ad probandum, de sententia, & re iudicata. Capite Romana, de officio vicarij in 6. Capite si celebrat. de cleric. excommunicat. ministr.* & aliis. Qui Textus etsi de iurisdictione contentiosa loquantur, Doctores communiter extendunt ad quamlibet iurisdictionem voluntariam. Atque ita tradunt Navarr. *cap. 8. 9. num. 8.* Couarruu. *cap. alma mater. 1. p. § 6. num. 7.* Suar. *disp. 11. sect. 2. num. 12.* Auila *2. part. de censuris cap. 6. disp. 3. dub. 5.* Coninch. *disp. 14. dub. 5. per totum.* Paul. Layman. *lib. 1. summ. tract. 5. par. 2. cap. 2. num. 3.* Bonacina *disp. 2 de censur. q. 2. pun. 2. § 4.* Quapropter illis in euentibus, in quibus excommunicatus vitandus iurisdictionem retineret, validum esset Sacramentum Pœnitentiæ ab eo ministratum: retinet autem tum si eo in loco non sit nota eius excommunicationis denunciatio ob præsumptam Ecclesiæ voluntatem, quæ stante communi errore censetur concedere quidquid ad valorem actus ex parte necessarium est, ne fideles decipiantur. Argum. *leg. Barbarius Philippus ff. de officio prætoris.* Et tradit ex communi sententia Suar. *disp. 11. sect. 1. num. 14.* Coninch. *disp. 14. dub. 10. numero 88.* Vgolin. *tab. 1. cap. 13 § 16. num. 11.* Bonac. *disp. 1. quæst. 2. punct. 2. § 4.* tum in extrema necessitate, quando aliquis est in periculo mortis, neque adest alius non impeditus qui possit, & velit Sacramentum periclitanti ministrare; quia Ecclesia quæ pia mater est, ne aliquis in æternum pereat, concedit omnibus Sacerdotibus in quælibet peccata, & censuras absoluendi pro eo articulo potestatem, iuxta Conc. Tridentin. *sess. 14. cap. 7.* & notauit Suar. *disputat. 11. sect. 2. numero 12.* Auila *2. part. de censur. cap. part. 6. disp. 3. dub. 1. concl. 4.* Bonac. *dicta disputat. 2. q. 2. part. 2. § 4.*

3 Quod dictum est de Sacramentis, dicendum est de Sacramentalibus, validè inquam ab excommunicato etiam vitando confici; quia horum valor de facto non à iurisdictione, sed à potestate Ordinis pendet, tametsi Ecclesia posset efficere, vt à iurisdictione ab ipsa concessa penderet; sicuti bene notarunt Syluest. *verbo Consecratio 2. n. 6.* Sayrus *lib. 2. cap. 1. num. 11.* Suar. *disp. 11. sect. 2. num. 9* Paul. Layman. *lib 1. sum. tract. 5. par. 2. cap. 2. num. 5. in fine.* Bonac. *disp. 2. q. 2. pun. 2. § 4. num. 5.*

4 Verùm esto excommunicatus validè Sacramenta ministret; illicitè tamen præstat, vtpotè qui ab omni fidelium communicatione exclusus est, & præcipuè ab hac, quæ est omnium maxima. Excusari tamen ab hac prohibitione potest frequenter excommunicatus toleratus, siquidem, vt *superius* diximus *pun. 4.* sola fidelium petitio sufficiens est ad hanc præstandam excusationem, quando excommunicatus nequit absolutionem à censura prius obtinere. Ex quo fit, si dies occurrat festiuus, neq; adsit alius Sacerdos, qui Missam Populo faciat posse excommunicatum celebrare; quia præsumitur populos petere sacrificium necessarium pro præcepto audiendi sacrum exequendo, vt benè Nauarr. *cap. 9. num. 10.* Suar. *disput. 11 sect. 4. num. 13.* Filliucius *tract. 32. capit. 3. quæst. 7. num. 73.* Bonac. *disput. 2. de censur. q. 2. p. 2. § 3. numero 4 & 5.*

Excommunicatus verò non toleratus rarò excusari potest à prohibitione sibi factâ Sacramenta ministrandi, cùm vix occurrat casus necessitatis, vt bene notauit Coninch. *disp. 14. dub. 5. in fine.* At si aliquando huic excommunicato contingat periculum mortis, mutilationis, infamiæ, grauis iacturæ bonorum temporalium nisi Sacramentum ministret, quod validè ministrare potest, excusabitur à prohibitione quia non præsumitur Ecclesia, quæ est pia mater, velle suis legibus cum tanto dispendio obligare. Excipe nisi in contemptum censuræ comminatæ fiat, quia tunc nullo periculo honestari actio potest, vtpotè intrinsecè mala. Deinde existente proximi necessitate extrema recipiendi Sacramentum, cui alius non impeditus non succurrit, poterit vitandus excommunicatus baptismi, vel pœnitentiæ Sacramenta ministrare, vti ex communi sententia & ferè certa docet Sayrus *lib. 2. thesauri cap. 2. num. 17.* & 18. Suar. *disp. 11. sect. 2. numero 14.* Auila *2. p. cap. 6 disput. 3. dub. 3.* Bonacina *disp. 2. de censur. q. 1. p. 2. § 4 num. 4* & alij plures apud ipsos, quia vt *superius* diximus, non vult Ecclesia suis fidelibus extremè periclitantibus denegare subsidia æternæ saluti necessaria. At baptismus est omnibus ad salutem necessarius, pœnitentia lapsis post baptismum. Ergo ob nullam excommunicationem debent hæc subsidia denegari.

De aliis verò Sacramentis scilicet Eucharistia, Confirmatione, Extrema Vnctione variant Doctores, an excommunicatus vitandus ea conferre ægroto in extremis possit? Et quidem quando Sacramentum pœnitentiæ non potuit suscipere verissimum puto posse & debere illi Eucharistiam, vel Extremam vnctionem conferri; quia cùm quodlibet Sacramentum virtutem habeat faciendi de attrito contritum, cõtinget aliquâ ex ob receptionem Eucharistiæ, vel Extremæ Vnctionis obtineri salutem, quæ non obtineretur prædictis Sacramentis non receptis, sicuti notauit Auila *2. p. de censur. cap. 6. disp. 3 dub. 3. concluf. 4.* Suar. *disp. 11. sect. 1. num. 17.* Paul. Layman. *lib. 1. sum. tract. 5. par. 2. cap. 2. num. 5.* Bonac. *disp. 2. de censur quæst. 2. pun. 2. § 4. circa finem.* Gasp. Hurtado *disp. 4. de censur. diffic 2. num. 22.* 5

Verùm quando Sacramentum pœnitentiæ ægroto administratum est, vt censet Auila & Gasp. Hurtado *locis allegatis* non posse excommunicatum vitandum Eucharistiam, & à fortiori Confirmationem, vel Extremam Vnctionem ministrare; quia hæc Sacramenta per se non sunt necessaria ad salutem, cùm non sint per se institura ad peccati mortalis remissionem. Et ex alia parte cessat casus accidentalis necessitatis *numero præcedenti* significatus. Ergo conferri non possunt. Quod si dicas ob præcepti Diuini executionem, quo omnes fideles tenentur in articulo mortis communicare, obstat; quia illud præceptum cessat, quando Sacramentum decenter administrari non potest, sicuti cessaret, si deficerent vestes sacræ, quibus administrandum esset, vt notauit Sayrus *lib. 2. thesauri, cap 2. in fine.* Henriq. *lib. 13. capite 10 num. 2.* 6

Cæterùm etsi dicta sententia probabilis sit satis probabile censeo posse Eucharistiam prædicto ægroto ministrari ab excommunicato vitando; vti docuit Suar. *disput. 11. sect. 1. num. 17.* eo quòd hoc Sacramentum reputandum sit necessitatis iuxta illud: *Nisi manducaueritis carnem filij hominu, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis* Et licèt non sit necessarium necessitate medij (vt contrarium pluribus Doctoribus non improbabiliter placet) est tamen maximè necessarium, vt adiuuetur ægrotus, vitésque recipiat ad suggestiones dœmonis in illo articulo superandas. Non est ergo credendum piam matrem Ecclesiam velle fideles tanto beneficio priuare. Si enim (vt inquit Suar.) licèt tibi ab excommunicato vitando cibum temporalem sumere, si eo grauiter indiges, cur non licebit hunc spiritualem, qui est Eucharistiam sumere, qui vires spirituales tribuit ad superandas tentationes, quæ ab æterna salute ægrotum fortè deuiarent, nisi tanto bono roboratus esset? Præterquam quòd contingere potest in confessione gratiam non recepisse, & postmodum bonâ fide Eucharistiam suscipiendo iustificari. Ob quas, & alias rationes tempore interdicti Baptismus Pœnitentia, & Eucharistia fidelibus conceduntur. *Cap. penult. de sententia excommunic. & cap. quod in te de pœnitent. & remiss* 7

Sacramentum verò Extremæ Vnctionis, vel Confirmationis nequaquam ægroto Pœnitentiam, & Eucharistiam recipienti administrandum est ab excommunicato vitando; quia hæc non reputantur Sacramenta necessitatis: ob quam causam eorum administratio non permittitur tempore interdicti. *Cap. quod in te de pœnit. & remiss.* & docuit Suar. *disp. 11. sect. 1 num. 21.* 8

Quod si excommunicatus siue vitandus, siue non vitandus illicitè Sacramenta ministret, vel officium Ordinis sacri, quem habet, exerceat, irregularitatem incurrit, ex *cap. si quis 3. 11. quæst. 3. & cap. vlt. de Clerico excommunic. ministr.* & aliis 9

eiusdem tit. At si ex aliqua causa à culpa excusetur, excusatur, ab hac irregularitate, vtpotè in pœnam delicti imposita, vti colligitur ex *cap. Apostolicæ de Cleric. excommun. ministr.* & notauit Nauarr. *cap.27.num.163.* Vgolin. *de cens. tab.1. cap.14.§.1.* Suar. *disp.11.sect.3.num.5.* & alij passim. Hinc fit si ratione probabili ducaris excommunicatione ligatum non esse, ab hac pœna es immunis; quia non peccas. Vti aduertit Auila *7.p. de censur. disp.2. dub.5. concl.2.* Neque obstat Textus in *cap.illud de Clerico excommun. ministr.* vbi Innocent. III. docet in dubiis tutiorem partem esse eligendam; ideóque etsi de lata in eum sententia dubitaret, debuerat tamen potiùs se abstinere, quàm Sacramenta Ecclesiastica pertractare. Non inqam obstat primò, quia ibi Pontifex non decidit incurrisse irregularitatem, sed potiùs contrarium affirmat, siquidem concludit propter ignorantiam, & dubitationem cum eo misericordiam faciendam esse, pœnamque quam canon infligit, non esse illi infligendam. Secundò quia ibi non de pœna irregularitatis videtur Pontifex locutus, sed de cessatione à Diuinis, vel suspensione pro aliquo tempore: siquidem non ipso facto incurritur, sed incurtenda minatur. Et præterea quia illa pœna non tam pro celebratione, quàm pro assistentia celebrationi videtur imponi, quæ irregularitas esse non poterat. Tertiò Textus loquitur non de eo qui probabili opinione ducitur ad Ecclesiastica ministeria pertractanda, sed de eo qui absque illa probabili ratione dubius ministeria sacra pertractat; quem mirum non est, fieri irregularem vtpotè ex temeritate quadam procedentem.

10 Notanter dixi *Ordinis sacri quem habet, munus exercet*: nam si excommunicatus sacro Ordine carens munus Ordini sacro annexum exerceas, vti si solemniter caneres Epistolam, vel Euangelium, vel distribueres Eucharistiam, vel Missam celebrares, cùm tamen Ordinem ad hæc officia requisitum non habeas, prædictam irregularitatem nonincurris Et præterea exercere debes munus sacro Ordini annexum, quare Parochus, vel alius Sacerdos excommunicatus assistens matrimonio non incurrit irregularitatem; quia hæc assistentia non est actus Ordinis, sed iurisdictionis, benè tamen si solemniter nuptias benedicerer. *Cap.1. & 3. de secundis nuptiis.* Neque item si baptizaret priuatim, benè tamen si solemniter.

11 Solùm est difficultas de ministratione pœnitentiæ ab excommunicato vitando facta; an constituat ministrantem irregularem? Et ratio dubij est, quia sic excommunicatus vtpotè iurisdictione carens verè & propriè Sacramentum non ministrat, sed ministrare tentat. At irregularitas non imponitur ob attentatum actum Ordini sacro annexum, sed ob ipsum actum præstitum, sicuti non imponitur ob attentatum homicidium, sed ob ipsum homicidium. Ergo. Et confirmari potest ex regula iuris. Non præstat impedimentum, quod de iure non sortitur effectum; at Sacramentum Pœnitentiæ ab excommunicato ministratum non sortitur effectum. Ergo non præstat impedimentum irregularitatis. Deinde in iure non est expressum ob administrationem huius Sacramenti irregularitatem contrahi. Ex alia parte non ministratur solemniter. Ergo non est tali administrationi irregularitas annectenda. Atque ita docet Richard. *in 4.d.18.art.7.q.5.* & probabile reputat Suar. *disp.11.sect.3.num.14.* addit que id esse verum, si absque intentione absoluendi dictum Sacramentum Pœnitentiæ ministretur.

12 Sed rectiùs Suar. *loco allegato* censet fore irregularem vitandum excommunicatum qui seriò Pœnitentiam ministraret; quia esto verum Sacramentum non conficiatur in communi modo loquendi Sacramentum absolutè ministrat: at irregularitas non est imposita excommunicatis Sacramentum validè ministrantibus quantum in se est, seu fungentibus Ordinis iurisdictione, & potestate; alioquin excommunicatus ministrans pœnitentiam dispositio irregularis non esset, vtpotè qui verum Sacramentum non ministrat, quod non admittunt Doctores.

13 Ex his soluitur dubitandi ratio, non enim irregularitas apposita est validum Sacramentum ministranti, sed fungenti quantum in se est potestate Ordinis acceptâ. Ad confirmationem, admitto non præstare impedimentum quod de iure non sortitur effectum; nego tamen hanc administrationem ab excommunicato factam non sortiri effectum sufficientem ad contrahendam irregularitatem, cùm sortiatur effectum attentationis & procurationis ad conficiendum Sacramentum; cui attentationi, & procurationi, Ordinisque exercitio, etiamsi defectuosum sit irregularitas annectitur, quia hæc irregularitas supponit illo modo Sacramentum esse ministrandum, sicuti irregularitas imposita rebaptizantibus supponit non verum baptismum, sed attentatum esse conficiendum. Ad vltimum respondeo, satis esse irregularitatem appositam esse generaliter excommunicatis ministrantibus Sacramentum, exercentibúsque omnia propriij Ordinis. *Cap.si quis Episcopus 11.quæst.3. Cap.is cui de sententia excommunicat.in 6.* tametsi in particulari Sacramentum Pœnitentiæ expressum non sit, sicuti neque alia Sacramenta. Quod verò secretò fiat non impedit; quia est actio grauissima Ordinis Sacerdotalis propria; aliàs excommunicatus secretò celebrans excusaretur ab irregularitate, quod falsum est.

PVNCTVM IX.

De quarto effectu excommunicationis, qui est priuatio Diuinarum, & sacrarum rerum.

1 *Excluſus eſt excommunicatus à Diuinorum celebratione, & illorum aſſiſtentia.*

2 *Nequit excommunicatus etiam toleratus aſſiſtere Sacrificio Miſſæ, niſi nullus adſit qui ſacrificio miniſtret.*

3 *Non videtur obligatus excommunicatus vi præcepti audiendi Miſſam abſolutionem ab excommunicatione procurare. Secùs eſt de præcepto confeſſionis, & communionis.*

4 *Excommunicatus etiam vitandus Sacrificio aſſiſtens culpabiliter, nullam pœnam incurrit præter minorem excommunicationem, niſi eſſet Sacerdos qui auctoritate ſuâ faceret ſacrificium celebrari, vel ſi monitus nollet exire.*

5 *Qualiter Sacerdos, & reliqui fideles aſſiſtentes ſacrificio debeant expellere excommunicatum vitandum, vel à ſacrificio deſiſtere.*

6 *Aliis officiis Diuinis ſub graui culpâ prohibetur excommunicatus vitandus aſſiſtere.*

7 *Excommunicatus vitandus deobligatus eſt à publica horarum recitatione. Secùs à priuata.*

8 *Pluribus placet, nullum peccatum committere excommunicatum priuatim recitantem, ſi dicat* Dominus vobiſcum.

9 *Non videtur peccatum mortale committi, ſi excommunicatus in priuata oratione ſocium adhibeat.*

10 *Excommunicatus toleratus nequit concionari, nec Theologiam, iúſve Canonicum interpretari, niſi forte nullus alius ſit qui hæc munera præſtet.*

11 *Excommunicato vitando nequaquam licitum eſt hæc munera obire, etiamſi aliis deficiat.*

12 *A concione non tenemur deſiſtere, ob aſſiſtentiam excommunicati vitandi. A lectione theologica, & iuris interpretatione variant Doctores.*

13 *Quid ſit dicendum.*

14 *Excommunicatus priuatus non poteſt templum ingredi, vt ibi priuatim oret. Neque illi interdicitur vſus ſacrarum imaginum. Neque vſus aquæ benedictæ.*

EXcommunicatum excluſum esse à Diuinorum officiorum celebratione, & illorum assistentia constans est Doctorum sententia. Ex *cap. nihil. Cap. qui meritò. 11. q.3. Cap. significauit. Cap. nuper. Cap. responſo de ſententia excommunicat.* Et *cap. alma mater, eodem tit. in 6.* 1

Inter officia Diuina primum locum obtinet Missæ sacrificium, cui nequit excommunicatus etiam toleratus assistere, vt decidituur *capite illud de Clerico excommunic. miniſtrante. Cap. vlt. de ſententia excommunicat. in 6.* nisi fortè non sit alius qui Sacerdoti celebranti ministret; quia eo casu si toleratus sit, assistere potest, & ad illud munus inuitari, vt benè Suar. *diſputatio.12.ſect.1.num.3.* Extra hunc verò casum nisi ob ignorantiam, vel necessitatem vitandi scandali, vel alicuius grauis damni excusetur, peccabit mortaliter sacrificio, vel notabili illius parti assistens. 2

Sed an vi præcepti audiendi sacrum teneatur absolutionem procurare, & se liberum, & expeditum constituere? non est constans sententia. Nam Didac. Nuñez *3.p. quæſt.83.art. 6.poſt ſecundum dubium. §. dubium tamen*, censet obligatum esse. Sed rectiùs Nauarr. *cap.21.num.3.* Vgolin. *tab.1. cap.13. §.13.* Sayrus *libro 2. theſauri. capite 3. numero 24.* Coninch. *diſputatio.14. dub.7. num. 56.* Henriq. *libro 13. cap.7. num.2.* Auila *2.part. de cenſuris cap.6. diſp.4. dub.7.* Suar. *tom.3. in 3.p. diſp.88. ſect.6.* Bonac. *diſp.2. de cenſur. q.2. punct.3. §.1.* Paul. Laymann. *lib. 1. ſum. tract.5. par.2. cap.2. num.2.* censent non peccare excommunicatum aduersus Missæ præceptum, tametsi negligens sit in procuranda excommunicationis absolutione, quia hoc præceptum solùm astringit eos qui liberi sunt, & dispositi ad illius executionem, non autem obligat, vt disponantur; alias infimus, & in carcere detentus peccarent contra dictum præceptum, si possent ab infimitate, & carcere se liberare. Secùs verò videtur dicendum de præcepto Communionis, & Confessionis, quorum violator existis, si absolui à censura non procures, cùm possis; quia hæc præcepta sunt Diuina, tametsi ab Ecclesia determinata, & consequenter obligant ad remouendia quælibet impedimenta, quæ illorum executioni obstare possunt. Præterquam quòd dirigantur ad animæ puritatem, & cum Deo reconciliationem, 3

ciliationem, & vnionem. Ergo impedimenta huic puritati & reconciliationi obstantia remouere debent. Sicuti tradit Nauarr. Coninch. Bonac. Layman. Auila *locis citatis.*

4 Verùm si excommunicatus etiam vitandus sacrificio assistat culpabiliter nullam pœnam incurrit præter minorem excommunicationem; quia nulla est in iure expressa. Excipe primò nisi prædictus excommunicatus esset Sacerdos, & authoritate sua faceret, vt sacrificium coram ipso celebraretur: quia eo casu irregularitatem incurrit ex communiori sententia, quam docuit Giossa *Clement. 1. verbo celebrare, de Priuilegiis.* Abbas *in cap. illud de cleric. excommunic. ministr. num. 6.* Couarruu. *cap. alma mater 1. p. §. 6. in fine.* Suar. *disp. 12. sect. 1. num. 4.* Bonac. *disput. 12. quæst. 2. punct. 3.* Vgolin. *tab. 2. de cens. cap. 8. §. 3. num. 3.* Sayrus *lib. 2. thesauri cap. 3. num. 15.* quia fictione iuris reputatur, ac si ipsemet celebraret. Fauétque Textus *in dicto cap. illud*, vbi Episcopus excommunicatus faciens, vt sacrificium coram se perageretur non excusatur à pœna canonis, sed hic Texus vt rectè ponderat Suar. *loco citato* non satis indicat irregularitatis pœnam, & præcipuè esse impositam ob assistentiam celebrationi authoritate suâ factæ: potiùs namque videtur imposita, quia Diuinis se ingessit. Excipe secundò: nisi monitus noluerit exire, nam obillam contumaciam incurrit nouam excommunicationem Pontifici reseruatam, vti habetur *cap. eos de sententia excommunicat.* Et *Clement. 2. eodem tit.* quâ etiam excommunicatione afficitur interdictus denunciatus, qui post admonitionem perseuerat sacrificio assistens. Itémque omnes illi qui impediunt, ne prædicti excommunicati, & interdicti admoniti recedant à sacrificio, iuxta Textum *in cap. grauis, de sententia excommunicat.* & notauit Bonac. *disput. 2. quæst. 2. pun. 3. §. 1. num. 8.*

5 Sacerdos verò, & reliqui sacrificio assistentes nullatenus permittere debent excommunicatum denunciatum, vel manifestum Clerici percussorem ibi assistere; quia eo ipso censerentur cum illo in Diuinis communicare, quod est graue sacrilegium. Quare si contingat hunc excommunicatum adesse velle sacrificio monendus est, vt exeat; quod si noluerit, expellendus etiam vi, si opus fuerit. Est enim licita defensio Ecclesiasticæ iurisdictionis, & censuræ Argum. *cap. veniens de sententia excommunicat.* At si nullâ ratione expelli potest, Missæ sacrificium est intermittendum, si consecratio facta non est, vel vt aliis placet, si non est canon incœptus, & factâ consecratione, & consumptione in Sacristiam recedere oportet, omissis orationibus, & aliis, quæ post communionem de more dicuntur: vti hæc omnia constant ex *cap. is cui, de sententia excommunicat.* & *Clem. 2. eodem tit.* Et pluribus relatis tradunt Nauarr. *cap. 27. num. 33.* Auila *2. p. cap. 6. §. 9. dub. 8.* Suar. *disp. 12. sect. 1. num. 11.* Paul. Layman. *lib. 1. sum. tract. 5. part. 2. cap. 2. num. 7.* Bonac. *disputat. 2. de cens. quæst. 2. punct. 3. §. 1. num. 13.* Quod si Sacerdos coram excommunicato vitando celebrauerit vltra peccatum mortale, & excommunicationem minorem interdicitur ab ingressu Ecclesiæ iuxta Textum *in cap. Episcoporum de priuilegiis in 6.* & notauit Suar. *disp. 11. sect. 1. n. 11.* Coninch. *disp. 14. dub. 7. num. 50.* Bonac. *disp. 2. de censur. quæst. 2 pun. 3. §. 1. num. 10.* At vt probabiliter aduertit Couarruu. *in cap. alma mater. 1. p. §. 7.* non quilibet Sacerdos hac pœnâ afficitur, sed exemptus à iurisdictione ordinaria: hos enim exemptos voluit Pontifex ab ea temeritate arcere.

Reliqui fideles sacrificio assistentes, si videant excommunicatum denunciatum velle sacrificio assistere, coguntur recedere, excepto ministro, ne cum ipso in eadem oblatione conueniant, vti conuenire videntur omnes qui eidem sacrificio assistunt, vt benè aduertunt Layman. Auila, Bonac. *loc. alleg.* Non tamen videtur improbabile eam communicationem non excedere culpam venialem; eo quòd videatur esse nimis remota, & accidentalis, si causa non est assistentiæ excommunicati, vti docuit Suar. *disputat. 12. sect. 1. in fine.* Probabilius est si alteri sacrificio in eadem Ecclesia excommunicatus assistant, non obinde fideles suo diuerso sacrificio assistentes, imò nec Sacerdotem celebrantem obligatos esse recedere: quia illa non est communicatio in eodem officio Diuino, sed in materiali loci assistentia, vti benè tradit Henriq. *lib. 13. cap. 7.* Sayrus *lib. 2. thesauri casuum cap. 3. numero 22.* Suar. *disput. 12. sect. 1. numero 16.* Filliucius *tractat. 11. cap. 4. quæst. 3.* Bonac. aliis relatis *disput. 2. quæst. 2. p. 3. §. 1. in fine.*

6 Præter sacrificium Missæ, sunt alia officia Diuina, vti horarum Canonicarum recitatio, processio publica, benedictio Chrismatis, Olei sanctiolium, Aquæ benedictæ, & generaliter cuiuscunque Ordinis solemne exercitium vti ex omnium sententia tradit Suar. *disput. 12. sect. 2.* Filliuc. *tract. 12. cap. 4. quæst. 2. num. 85.* & *quæst. 5. num. 94.* Couarruu. *in cap. alma §. 2. & 3.* & *§. 7. num. 5.* His igitur officiis assistere prohibetur sub graui culpa excommunicatus vitandus, vt constat *ex tota causa 11. quæst. 3.* & *cap. significauit, de sententia excommunicat.* & *cap. is cui eodem tit. in 6.* & *cap. sacris de iis quæ vi.* Et tradunt Doctores relati.

7 Hinc fit deobligatum esse quemlibet excommunicatum à publica horarum Canonicarum recitatione, si fortè ea obligatione teneatur; sicuti est deobligatus audire sacrum ob censuræ obseruationem, ne cum aliis fidelibus communicet. At à recitatione priuata nullatenus deobligatur, si fortè titulo professionis, ordinis, vel beneficij astrictus erat; sicuti ex omnium sententia docent Nauarr. *cap. 25. num. 102.* Couarruu. *cap. alma mater 1. p. §. 3. num. 8.* Auila *2. p. cap. 6. disput. 4. dub. 6.* Sayrus *lib. 2. cap. 3. num. 3.* Suar. *disp. 2. sect. 2. num. 13.* Bonac. *disp. 2. de censur. quæst. 2. punct. 3. §. 2. num. 2.* Paul. Laymun *lib. 1. sum. tract. 5. part. 2. cap. 2. n. 7.* quia priuatim orans non censetur cum aliis fidelibus communicare, neque æquum erat, vt ab obligatione onerosa ob suam iniquitatem eximeretur. Ex eo autem quòd fructus beneficij non recipiat, excusari non potest ab obligatione recitandi prouenientes ex beneficio; quia illius priuationis fructuum ipsemet excommunicatus est causa. At damnum quod quis sua sponte sentit sibi imputare debet, iuxta *reg. 86. de Regulis iuris in 6.* & *reg. 103. ff. Quod quis ex sua culpa, &c.*

8 Monent tamen Doctores excommunicatum sic priuatim recitantem non debere dicere *Dominus vobiscum*, quia illis verbis, vt persona publica cum aliis fidelibus communicans se gerit. Sed loco illius ducere debet: *Domine exaudi orationem meam.* Verùm esto ea verba proferat, culpam venialem non excedit, vt docet Suar. *disp. 12. sect. 1. num. 12.* Paul. Layman. *lib. 1. sum. tract. 5. par. 2 cap. 2. num. 7.* Bonac. *disp. 2. de censur. quæst. 2 pun. 3. §. 2. num. 6.* ideóque irregularitatem, quæ est pœna grauissima non incurrit. Quinimò Auila *2. p. cap. 6 disp. 4. dub. 6.* & Gaspar Hurtado *disp. 5. de excommunic. difficult. 1.* censent nullum esse peccatum; quia illorum verborum prolatio absentibus aliis fidelibus non est cum illis communicatio, sed priuata pro illis oratio. Si enim inuitare fideles illi verbis; *Venite exultemus Domino, iubilemus Deo salutari nostro &c.* non reputatur sacra cum illis communicatio, quia illis absentibus fit, cur illa deprecatio *Dominus vobiscum*, censenda est?

9 Grauior dubitatio est; An possit excommunicatus in hac recitatione priuata secum socium adhibere; videtur namque sub graui culpa hoc esse interdictum; quia est excommunicatio in sacris: colligitur ex *multis capitib. 11. quæst. 3.* & præcipuè ex *cap. excommunicatos*, ibi: *neque cum eis in oratione communicare.* Vbi de oratione priuata sermo est; siquidem coniungitur cum prohibitione cibi, & potus, communisque sermonis. Verùm hæc excommunicatio in oratione priuata non videtur ita grauis esse, vt culpam mortalem constituat, non enim excommunicatus in ea oratione vt persona publica, & minister Ecclesiæ se gerit, cùm Ecclesia nolit medio illo orationes fundere, ideóque illæ orationes nullum ex Ecclesia habent valorem. Atque ita docent Vgolin. *tab. 1. cap. 15. §. 14* Henriq. *lib. 13. cap. 7 num. 2.* Suar. *disput. 12. sect. 2. num. 18.* Bonac. aliis relatis *disp. 2. q. 2. punct. 3. §. 2. num. 4.* Vnde si ex aliqua necessitate, vel vtilitate excommunicatus socium vocet ad secum officium Diuinum recitandum, vel quia ei est subditus, vt si Episcopus, vel Canonicus vocet suum Capellanum ab hac culpa veniali (teste Suar. Vgolino, & Bonac. *suprà*) excusabitur, quia famulus non priuatur communicatione sui domini in his omnibus in quibus ei inseruire tenebatur. *cap. quoniam multos 11. q. 3.* Hoc autem officium adiuuandi recitanti priuatim non computari debet inter ministeria Ecclesiastica, sed inter ministeria quasi corporalia, quæ potest seruus exercere cum suo domino etiam excommunicato, & è contrà dominus non excommunicatus cum seruo excommunicato.

10 Concio, lectio Theologiæ, vel Iuris Canonici, etsi sub Diuinis officiis non comprehendantur, non præstari possunt ab excommunicato etiam tolerato; quia cuilibet excommunicato interdicta est cum fidelibus communicatio, & maximè ea quæ proximè accedit ad communicationem in Diuinis. At intercedente petitione fidelium optimè ea præstari possunt, vti ferè omnes docent. Quinimò si ex officio competat excommunicato concionari; vel Theologiam, aut Ius Canonicum explicare, & non sit alius, qui eius vices suppleat, poterit ea munia obire; quia censendus est ab Auditoribus requiri, quia quilibet censetur velle, & petere quæ sibi necessaria sunt, vti docuit Suar. *disp. 12. sect. 2. num. 5.* Bonac. *disp. 2. de censur. q. 2. p. 3. §. 2. in fine.*

11 Excommunicato autem vitando nequaquam licitum est concionari, aut sacram Theologiam interpretari, tametsi aliàs ei ex officio competat, & non sit alius qui eius munus obeat, quia non solum ipsi, sed alis fidelibus cum ipso prohibita est communicatio. Secùs verò dicendum est Auditore excommunicato, qui esto vitandus sit permitti potest concioni assistere, iuxta Textum in *cap. responso de sententia excommunicat.* quia illa assistentia dirigitur in eius spiritualem salutem. Secus crederem esse dicendum de assistentia Theologicæ lectioni, vt potè quæ non ita directè audientium saluti necessaria est. Sic Suar. *disput. 12. sect. 2. numero 3.* Coninch. *disp. 14. dub. 7. numero 58.* Henriq. *lib. 13. cap. 12.*

Filliucius *tract.12.cap.4.quæst.2.& seqq.* Bonac. *disp.2.de censur.quæst.2. p.3.§.2.num.10.*

12 Sed an alij Auditores, ipsíque Concionator, vel Lector teneantur à concione, vel lectione recedere excommunicato vitando non recedente? non est constans sententia. Et quidem à concione desistere certum existimo non obligari. Nam si ipsi excommunicato permittitur illa assistentia ob eius salutem à fortiori aliis permittenda est. A lectione verò idem censet Suar. *disp.12.sect.2. num.3.* Henriq. *lib.13.cap.12.* Sayrus *lib.2.thesauri cap.3. num.14* Filliucius *tract.12. cap.4. quæst.2.num.87.* & fauet Coninch. *disp.14.dub.7.num.58.* quia vnusquisque ex Auditoribus seorsim audit, neque ad idem opus communiter concurrunt. Neque ea communicatio est tanti momenti, vt debeat intermitti. Sed contrarium docuit Auila *2. p. de censur. cap.6. disputat.11. dub.3. concl.2.* Bonac. *disp.2. de censur.quæst.2. punct.3.§.2. num.12.* obligatos esse tum Lectorem, tum Auditores recedere, ne in eadem lectione cum vitando excommunicato communicent. Non enim negari potest discipulos magistrum audientes cum ipso communicare; siquidem ex hac auditione mutuò se referunt. Neque negandum est condiscipulos inter se hanc habere communicationem, siquidem ob communem eidem doctrinæ assistentiam inter se referuntur.

13 Ego verò dicendum existimo per se loquendo Lectorem obligatum esse à lectione desistere, & Auditores ab ea audienda ob rationem nuper dictam; quia est communicatio in re proximè accedente diuinis Excusari tamen frequenter ob necessitatem boni communis, vel particularis. Quippe bono communi expedit, & necessarium est, ne conciones, lectionésve statutæ intermittantur, néve auditores re tantopere sibi vtili priuentur, maximè cùm hæc communicatio, vt probatum est, leuis sit.

14 Tertium genus rerum sacrarum, quibus excommunicatus priuari potest, est ingressus templi ad orationes, vsus sacrarum imaginum, sanctarum reliquiarum, aquæ benedictæ, & similia. Dicendum igitur est excommunicatum non posse templum ingredi, vt ibi priuatim, & separatus ab aliis fidelibus orationes fundat: sicuti ex communi sententia docet Couarru. *capite alma 1. part. §.3. numero 7.* Nauarr. *capite 27.num.17.* Suar. *disp.12. sect.4. numero 1.* Henriq. *lib.13. cap.7. num.2.* Coninch. *disputatio.14. dub.7. numero 58.* Bonac. *disp.2.de censur. quæst.2. part.3.§.2.num.8.* Quia nullibi stat præceptum excludens excommunicatum ab ingressu materiali templi, nisi tantùm cùm Diuina celebrantur. Tunc enim Ostiariis præcipitur, vt excommunicatos expellant, *cap. Episcopus de consecrat. dist.1.* Ergo aliis temporibus optimè potest excommunicatus ibidem assistere. Deinde excommunicato permittitur, & conueniens est vsus sacrarum imaginum, sacrarum reliquiarum, aquæ benedictæ, & reliquorum sacramentalium, vt eo vsu cultum, & honorem Deo exhibeat, & se ad pœnitentiam excitet, vt benè ait Suar. *disputatio. 12. sect.3. numero 3.* Sayrus *libro 2. thesauri cap.3. numero 9.* Henriq. *cap.7. à n.2.* Filliucius *art.12. cap.4. numero 103.* Quippè hic vsus priuatim, & singulariter præstari potest, neque appareret vlla prohibitio specialis. Ab hac doctrina excipit Vgolin. *tab.1. de censur. capite 13. §.14. numero 6.* quem sequitur Bonac. *disp.2. de censur. quæst.2. punct.3.§.2. num.8.* vsum aquæ benedictæ & illorum sacramentalium, quæ ex orationibus Ecclesiæ habent valorem; eo quòd excommunicatus omnibus Ecclesiæ suffragiis priuatus sit. Sed rectiùs Suar. Filliucius, Sayrus, Henriq. & alij contrarium censent. Nam esto excommunicatus priuatus sit Ecclesiæ suffragijs, ideóque non possit illis rebus sacris vti, vt effectus prouenientes ex orationibus Ecclesiæ sibi applicentur; at vti illis potest in illarum rerum venerationem, & honorem, & vt se illarum memoriâ, & fructus recordatione, quo per excommunicationem priuatur ad pœnitentiam excitetur. Hinc fit optimè posse excommunicatum coram imagine, in cuius reuerentiam sunt aliquæ indulgentiæ concessæ preces fundere, non quidem animo obtinendi indulgentias, à quibus exclusus est, sed animo venerandi dictam imaginem, & se ad pœnitentiam excitandi recordatione indulgentiarum, quibus ob excommunicationem priuatus existit.

Punctum X.

De quinto effectu excommunicationis, qui est priuatio beneficij Ecclesiastici.

1 *Nulla est electio, præsentatio, & nominatio ad beneficium Ecclesiasticum facta ab excommunicato.*
2 *Extenditur conclusio ad quamlibet beneficij acquisitionem.*
3 *Procedit tametsi excommunicatus toleratus sit.*
4 *Deinde procedit quamuis excommunicatus ignarus sit suæ censuræ.*
5 *Proponitur dubitandi ratio, an sub nomine beneficij pensio intelligatur.*
6 *Distinguitur quadruplex pensio.*
7 *Communior sententia tenet irritam esse collationem pensionis, quæ simul est temporalis, & spiritualis.*
8 *Probabilitate non caret validam esse collationem cuiuscunque pensionis excommunicato factam.*
9 *Incapax est excommunicatus cuiuscunque officij, muneris, ac dignitatis Ecclesiastica.*
10 *Extendunt plures Doctores hanc doctrinam ad officia iurisdictionis sæcularis.*
11 *Probabilius est oppositum.*
12 *Officia, & iurisdictiones prouenientia ex successione, vel testamento nequaquam annullantur.*
13 *Affirmant plures, si eligaris ad beneficium tempore habili, & acceptes tempore excommunicationis validam esse acceptationem.*
14 *Ex hac doctrina inferunt graues Doctores in Ecclesia, in qua est ius optandi pinguiorem præbendam excommunicatum optare posse.*
15 *Secundò inferunt, si sis coadiutor cum futura successione, & tempore mortis proprietarij excommunicatus existas non impediri à consecutione præbendæ, si in forma gratiosa facta est.*
16 *Contraria sententia scilicet acceptationem esse nullam grauissimi Doctores defendunt.*
17 *Vtraque sententia est probabilis. Probabilior prima.*
18 *Soluuntur fundamenta secundæ sententiæ.*
19 *Affirmant plures te validè acceptare beneficium, quod tempore excommunicationis collatum fuit.*
20 *Longè est verius oppositum.*
21 *Excommunicatus obtinens in excommunicatione beneficium non solùm ab excommunicatione absolui debet, vt beneficium retineat, sed nouâ collatione indiget.*
22 *Vt validè retineatur beneficium excommunicato collatum tempore excommunicationis, ordinarius dispensare debet si eius sit collationis.*
23 *Si collatio ad Pontificem pertineat, vel beneficium sit iuris patronatus, communis sententia negat ex sola dispensatione Ordinarij beneficium retineri posse.*
24 *Contrarium non videtur improbabile.*
25 *Quæ dicta sunt de excommunicato procedunt in suspenso, & interdicto, tametsi contrarium censeat* Suar.
26 *Prædicta cessant illis in prouisionibus, in quibus est clausula absolutionis à censuris ad effectum gratiæ consequendum.*
27 *Hæc clausula non prodest excommunicato ob hæresim, neque per annum in excommunicatione insordescenti.*
28 *Procedunt suprædicta, cùm rescriptum Apostolicum expeditur in forma gratiosa. Secùs si in forma commissoria expediretur. Tunc enim non continet absolutionem à collatione futurâ prouisionis.*
29 *In prouisionibus Ordinarij non adest hæc clausula.*

1 Electio, præsentatio, nominatio excommunicati ad beneficium Ecclesiasticum, & illius collatio, litterarúmve impetratio irrita est & nulla, vti deciditur in *cap. postulasti, de clerico excomm. minist.* ibi, *Hi non possunt talia beneficia obtinere; quia non fuerunt canonicè consecuti.* Et tradit omnium sententia Nauar. *cap.27.num.21.* Couarruu. *cap. alma mater 1. p.§.7.numero 1.* Garcia *7.de benefic.cap.13.num.1.* Stephan. Dauila *2.p.cap.6.disp.5.dub.2.* Suar. *disp.13. de censur. sect.1.numero 2.* Sayrus *lib.2.cap.5.numero 5.* Vgolin. *tab.2. de censur. capit. 13. §.1.* Coninch. *disputat. 14. dub.9.* Filliucius *tract.12. cap.5.quæst.1. numero 115.* Bonac. *disputat.2.de censur. quæst.2. punct.4. §.1. numero 1.* Vasq. *de excommunication. dub.6.* Paul. Layman. *lib.1.sum. tract.5. part.2. capit.2. numero 8.* Ratio est, quia excommunicato prohibitum est officium Ecclesiasticum exercere, & cum fidelibus communicare. Meritò ergo à beneficio Ecclesiastico excluditur, vtpotè quod exigit officij Ecclesiastici vsum, & communicationem.

2 Extenditur conclusio ad quamlibet beneficij acquisitionem, tametsi ex causa permutationis, vel resignationis fiat, quia verè, & propriè beneficium acquiritur, & ratio prohibitionis æquè procedit. Atque ita docent aliis relatis Couarru. *§.7.num.2.* Sayrus *dicto cap.5.num.14.* Suar. *sect.1.num.11.* Stephan. de Auila *disp.5.dub.2.* Azor. *tit.2.lib.6.cap.7.quæst.3.* Garcia *de benefic.7.p.cap.13.num.15.* Debet autem excommunicatio adesse tempore quo beneficium permutatum, vel resignatum confertur. Nam si tunc ab excommunicatione esset absolutus, esto tempore quo permutatio, vel resignatio facta est excommunicatione ligatus esset, valida esset beneficii acquisitio, vt benè aduertit Garcia *dicto capit.13. numer.19.*

3 Procedit tametsi excommunicatus toleratus sit, nam esto fideles hunc excommunicatum vitare non teneantur, ideóque quantum est ex parte communicationis possent illi beneficia conferre: attamen quia ipsi excommunicati nequeunt se fidelium communioni ingerere à beneficio hanc

hanc communicationem exigente excluduntur; aliàs si ex eo quòd fideles possunt cum excommunicato tolerato tractare, valida esset, & licita beneficiorum in eos collatio, eadem ratione valida, & licita esset collatio Sacramentorum ipsis facta. Priuilegium namque communicandi fidelibus cum excommunicato tolerato, non tollit eorum inhabilitatem, vti tradunt omnes Doctores *num. præcedenti* relati, tametsi in contrarium inclinet Gaspar Hurtado *de excommun. disput.* 6. *diffic.* 2. *num.* 7.

4 Deinde procedit, quamuis excommunicatus ignarus sit censuræ, sicuti docet Glossa *in cap. penult. de Cleric. excommunic. ministr.* Couarruu. *cap. alma.* 1. *part.* §. 7. *numer.* 3. Hentiq. *lib.* 13. *cap.* 3. *num.* 3. Garcia *de benefic. p.* 7. *cap.* 13. *num.* 9. Suar. *disp.* 13. *sect.* 1. *num.* 3. Coninch. *disp.* 14. *dub.* 9. Auila 2. *p. cap.* 6. *disp.* 5. *dub.* 2. Lessius *lib.* 2. *cap.* 34. *num.* 117. Paul. Layman. *lib.* 1. *sum. tract.* 5. *part.* 2. *capite* 4. *num.* 8. Bonac. *disputat.* 2. *de censur. quæst.* 2. *punct.* 4. §. 1. *initio* Sayrus *lib.* 2. *cap.* 5. *numero* 8. & alij apud ipsos aduersus Nauarr. *in cap. fratrem, de pœnit. dist.* 5. *n.* 45. existimantem validam esse. Etenim ignorantia etsi excuset à culpa non tollit inhabilitatem à censura prouenientem, cùm censuram non tollat.

5 Nomine beneficij, quo incapax est excommunicatus an veniat intelligenda pensio? difficultate non caret, eo quòd pensio non sit ius perpetuum percipiendi fructus. Non igitur annullatio beneficij extendenda est ad pensionem. Atque ita tradit Auila, 2. *p. de benefic. cap.* 6. *disp.* 5. *dub.* 5. Gaspar Hurtado *disput.* 6. *de excom. diffic.* 2. & inclinat Couarruu. *in cap. alma.* 1. *p.* §. 7. *num.* 2. Coninch. *disputat.* 14. *dub.* 9. *ad finem.* dubius est.

6 Cæterùm distinguendum est. Quadruplex namque est pensio, vt constat ex *dict. tract.* 13. *de benefic. disp.* 1. *p. vlt. vbi de pensionibus.* Altera quæ proprijssimè beneficium est, vtpotè quæ ex fructibus alicuius beneficij extrahitur in perpetuum, quæque vocatur simplex beneficium, seu præstimonium, de qua Couarruu. *tract. qq. cap.* 36. *num.* 10. & de hac nulla est dubitatio excommunicato conferri non posse. Altera est quæ à natura beneficij recedit: eo quòd perpetua non sit, datur tamen ob aliquod munus spirituale exercendum, vt est quæ designatur Vicerectori, eo quòd nomine Rectoris impediti officium illius exerceat, vel quæ designatur Vicario Episcopi ob litium, & causarum decisionem. Huius namque collatio excommunicato facta nulla est, quippe in hac pensione procedit eadem ratio annullationis, ac in beneficio, nam beneficij collatio irrita redditur; quia excommunicatus incapax est munus spirituale, ad quod beneficium dirigitur, exercere, sed eandem incapacitatem habet exercendi munus, cuius causa hæc pensio conceditur. Ergo eodem modo annullatur, & de hac ferè omnes Doctores conueniunt. Altera est, quæ ob seruitium Ecclesiæ factum conceditur, nullumque munus spirituale exigit, quæque merè laicis concedi solet, idcóque vocatur subsidium temporale, & pensio laica. Huius autem collatio nullo iure colligitur irrita, cùm nec fundetur in titulo spirituali, neque ob spirituale exercitium à quo excommunicatus excluſus est, concedatur. Quapropter difficultas solum est de quarta pensione, quæ partim est temporalis, partim spiritualis, vt est pensio concessa Clerico beneficium resignanti, permutanti, liti cedenti, sustentationem non habenti quæ temporalis est; quia nullum munus Ordini annexum exigit, quódque à laico præstari non possit; spirituale est, quia ad sui collationem requirit spiritualem Ordinem: non enim aliis nisi Ordine clericali insignitis conceditur.

7 De hac igitur pensione communior sententia tenet irritam esse collationem excommunicato factam. Sic Sayrus *lib.* 2. *cap.* 5. *num.* 15. Vgolin. *tab.* 2. *de censur. cap.* 13. §. 2. *num.* . Henriq. *lib.* 13. *cap.* 13. *num.* 3. Vazq. *de excommunic. dub.* 6. Bonac. *disput. at.* 2. *punct.* 4. *q.* 2. §. 1. *numero* 4. Suar. *disputat.* 13. *sect.* 1. *numero* 9 Reginald. *lib.* 32. *numero* 45. Filliucius *tract.* 12. *cap.* 5. *quæst.* 4. Garcia *de benefic.* 1. *punct. cap.* 5. *numero* 106. *& seqq.* Mouentur, tum quia hæc pensio naturam beneficij imitatur, & loco illius succedit, cùm non detur aliis à Clericis. Tum quia excommunicatus incapax est cuiusuis clericalis priuilegij. Tum denique quia in collatione huius pensionis, solet Pontifex absolutionem à censuris præmittere, quod frustraneum esset si censuræ prædictam collationem non impediret.

8 Cæterùm probabilitate non caret prædictæ pensionis collationem validam esse, vti docet Paul. Layman. *lib.* 1. *sum. tract.* 5. *part.* 2. *cap.* 2. *numero* 8. Eman. Saa, *verbo Homicida, numero* 21. indicat Suar. *disputat.* 44. *de censuris. sect.* 3. *numero* 33. Tauétque declaratio sacræ Congregationis *sess.* 14. *cap.* 7. dicens hoc decretum de incapacitate homicidæ ad beneficia, non extendi ad pensionem. Ratio vero est, quia nullibi habetur pensionem excommunicato collatam nullam esse, quia Textus *in cap. postulastis, & cap. vltim. de Clerico excommun. ministr.* de beneficio Ecclesiastico loquuntur, quorum decisio extenditur ad pensionem; eo quòd boni beneficij succedat, & illius naturam amittetur. At cùm sola pensio quæ præstimonium est, vel quæ ob exercitium spirituale conceditur perfectè naturam beneficij imitetur, & illius loco succedat, fit sanè solam illam pensionem irritam esse excommunicato collatam, non autem eam quæ à beneficij natura recedit, & subsidij temporalis conditioni congruit. Satis namque est decretum pœnale, & irritatiuum beneficij extendi ad pensionem puré spiritualem. Ex hisque soluitur oppositum fundamentum. Ad illud verò de absolutione Pontificis dicimus concedi, tum ne illius rescriptum inualidum fiat, iuxta Textum *in cap. 1. de Reseriptis in* 6. tum ne repellatur in iudicio à petenda pensione.

Verùm non solùm beneficij incapax est excommunicatus, 9
sed etiam cuiusuis officij, muneris, seu dignitatis Ecclesiasticæ, vti Legati, Delegati, Inquisitoris, Administratoris, seu Gubernatoris, Episcopatus, Prouisoris, seu Vicarij Episcopi, & à fortiori Prouincialis, Generalis ordinum, Rectoris, Guardiani, seu Præpositi conuentus. Nam cùm excommunicatus ab exercitio horum officiorum excluſus sit, consequenter censendus est ab officiis excluſus, argum. *cap. postulasti. & sin. de Cleric. excommunic. ministr.* Et tradit Vgolin. *tab.* 2. *de censur. cap.* 13. §. 3. *num.* 3. & 4. Henriq. *lib.* 13. *capit.* 13. *num.* 1. Sayrus *lib.* 2. *thesauri. cap.* 5. *num.* 35. Suar. *disp.* 13. *sect.* 1. *num.* 6. Garcia *de benef. 7. p. cap.* 13. *num.* 22. Paul. Layman. *lib.* 1. *sum. tract.* 5. *part.* 2. *c.* 2. *n.* 8. Bonac. *disp.* 2. *quæst.* 2. *punct.* 4. §. 1. *n.* 3. Auila 2. *p. de benefic. c.* 6. *disp.* 6. *dub.* 7.

Extenditur prædictam doctrinam ad officia iurisdictionis sæ- 10
cularis grauissimi Doctores, dicúntque collationem, præsentationem, seu nominationem excommunicati ad ea irritam esse. Ita Sayrus, Vgolin. Bonac. Henriq. Auila. Garcia *locis citatis.* Mouentur ob rationem *num. præcedenti.* relatam; quia excommunicato interdicta est communicatio cum fidelibus, & iurisdictionis exercitium: ergo prohibetur collatio officij, & muneris hoc exercitium exigentis, ex *leg. oratio de sponsalib.* Deinde in *cap. venerabilem* 34. *de electione* cauetur ne hæreticus, aut excommunicatus in Imperatorem eligatur, & si fuerit electus irritetur eius electio. Signum ergo est officium iurisdictionis excommunicato concedi non posse.

Nihilominus probabilius existimo præsentationem, nomi- 11
nationem & collationem prædictorum munerum excommunicato factam validam esse, tametsi illicitè fiat. Sic tradit Suar. *disp.* 16. *sect.* 2. *n.* 1. Filliucius *tract.* 12. *cap.* 5. *q.* 2. *num.* 118. & *cap.* 6. *q.* 1. *num.* 16. & *cap.* 7. *quæst.* 3. *num.* 173. Coninch. *disput.* 14. *dub.* 11. *num.* 106. Gaspar Hurtado, *disput.* 8. *difficult.* 2. *in fine.* Moueor; quia ex prohibitione vsus, & exercitij iurisdictionis excommunicato facta solùm infertur prohibitam esse iurisdictionis concessionem; at non infertur nullam, & irritam esse. Ex alia parte nullus est Textus hanc irritationem inducens; nam Textus in *cap. venerabilem* potius probat valere Imperatoris electionem, tametsi veniat irritanda. In officiis verò, & muneribus Ecclesiasticis, quia proximius beneficij conditioni accedunt, admittit communis sententia hanc annullationem, & irritationem. Non igitur ad officia, & munera temporalia extendi debet.

Illud est certum officia, & iurisdictiones obuenientia suc- 12
cessione ex testamento, vel ab intestato, seu ratione bonorum nequaquam annullari ob excommunicationem; quia excommunicatio ab electione, & nominatione libera fidelium excommunicatum excludit, non tamen ab acquisitione dominij temporalis, vti notauit Vgolin. *dicto cap.* 13. §. 3. *num.* 2. Sayr. *lib.* 2. *cap.* 5. *num.* 37. Suar. *disp.* 16. *sect.* 2. *num.* 6. Garcia *de benefic. 7. part. capit.* 13. *numero* 26. Bonac. *disputat.* 2. *quæst.* 2. *punct.* 4. §. 1. *numero* 3. Supersunt quæstiones quatuor decidendæ.

Prima, An si eligaris ad beneficium tempore quo habilis 13
es, acceptes verò illud cùm excommunicatus existis, valida sit tua acceptatio; Affirmant Couarruu. *cap. alma,* 1. *part.* §. 7. *num.* 4 Azor. *tit.* 2. *lib.* 6. *cap.* 7. *q.* 9. Auila 2. *p. de censur. cap.* 6. *disp.* 6. *dub.* 6. Gonzalez *glos.* 58. *num.* 27. Garcia plures referens *de benefic.* 7. *p. c.* 13. *num.* 35. Vazq. *de excommunicat. dub.* 6. Bonac. *disp.* 2. *de censuris. q.* 2. *punct.* 5. §. 1. *numero* 9. Sayrus *lib.* 2. *cap.* 5. *num.* 11. Rota *in nouis decis.* 195. & alij plures apud ipsos. Mouentur, quia iura solùm irritant id per quod ius in beneficium acquiritur; at acceptatione non acquiris ius in beneficium, quia nemo sibi ipsi beneficium confert, sed est conditio, vt in beneficium tibi collatum ius perfectum habeas. Et confirmo, si beneficij ritè collati possessionem excommunicatus accipias, vel alium mittas in possessionem, possessio, & in possessionem missio valida est, vt testatur Azor ex communi sententia *dicto cap.* 7. *quæst.* 10. Henriq. *lib* 13. *c.* 13. §. 3. Sayrus *lib.* 2. *thesauri. cap.* 5. *num.* 11. Nicolaus Garcia 7. *p. de benefic. cap.* 15. *num.* 89 quia tam possessio, quam in possessionem missio est quid facti non iuris.

Ex qua doctrina inferunt Couarruu. Auila, Bonac. Nicol. 14
Garcia, & alij apud ipsos in Ecclesia, in qua est ius optandi pinguiorem præbendam validè excommunicatum optare posse; quod sine dubio procedit, quando optione non mutatur titulus, sed noua bona temporalia acquiruntur. Si verò titulus mutetur, & noua præbenda acquiratur, acceptare potest

excommunicatus optionem,tametsi collatio præbendæ differatur,quousque ab excommunicatione sit absolutus.

15 Secundò infert Nicolaus Garcia *dicto cap.13. num.55. & seqq.* si is Coadiutor designatus cum futura successione in forma commissaria, ita vt in euentu vacationis committatur Ordinario beneficij collatio, vt committi debet, cùm expediuntur litteræ in forma digni,nihil refert quod tempore mortis proprietarij excommunicatus existas, si tamen tempore collationis absolutus ab excommunicatione sis. At si in forma gratiosa coadiutoria concessa sit, ita vt Pontifex dicat *succedente vocatione ex tunc prout ex tunc tibi præbendam confero*, non impediris ab obtentione illius, esto excommunicatus sis tempore vacationis, quia vacatio solùm fuit conditio, vt præbenda tibi collata tempore datæ effectum haberet.

16 Verùm contrariam sententiam, scilicet acceptationem esse nullam tenent grauissimi Doctores apud Couarruu. Suar. *disp.13. sect.1. num.17.* Vazq. sibi contrarius *de beneficijs opusculo de benefic.c.4.§.4. dub.2.num.245.* Coninch. *d.p.14.dub.9. num.78.* Paul.Layman.*lib.2.sum.tract.5. part.2. cap.2. num.9.* Gaspar.Hurtado *disp.6. de excommunicat.difficult.3. numero 8.* Fundamentum est,quia quod in *cap.postulastis,de clerico excommun. ministr.* intenditur, est impedire ne excommunicatus beneficium acquirat, vtpotè qui indignus est de bonis communibus Ecclesiæ participare. At acceptatione immediatiùs quàm collatione beneficium obtinetur, argum. *cap. si tibi absenti de præbendis in 6.* ibi: *Si tibi absenti per tuum Episcopum conferatur beneficium, licèt per collationem huiusmodi donec eam ratam habueris, ius in beneficium vt tuum dici valeat non acquiras.* Deinde, si beneficium tibi à curia Romana collatum esset, & moriaris ante acceptationem non censetur vacare denuò teste Couarruu. *variar. resolut.cap.16.numero 3.* Suar.*dicta sect.1.num.17.* Ergo acceptatione ius in beneficium acquiritur. Secundò si Episcopus electus, & confirmatus antequam consecretur inhabilis fiat repellendus est à consecratione,vt docet Panormit.*in capite ex parte de cleric. agrotante.* Nauarr. *in capite si quando, de Rescript. capite. 10. numero 18.* Ergo similiter inhabilis factus ad acceptandum repelli debet. Tertiò excommunicatio reddit excommunicatum inhabilem ad beneficium. Ergo ad acceptandum beneficium,cùm sit acceptatio personæ indignæ, & de persona indigna.

17 Quælibet ex his sententiis est satis probabilis, existimo tamen priorem sententiam probabiliorem esse, tum quia magis communis,tum quia benignior,tum quia negari non potest acceptatione non propriè, & formaliter beneficium acquiri, sed iam acquisitum, & tibi datum ratum haberi, quod colligitur ex *cap.si tibi absenti, de Præbendis in 6.* vbi concessum beneficium tametsi acceptatum non sit, nequit alteri prouideri. Fateor tamen acceptatione, tuum effici completè, & perfectè, sicuti possessione. Sed quia illa non tam est acquisitio iuris, quàm facti, ideò ab excommunicato fieri validè potest.

18 Hinc fundamenta secundæ sententiæ soluuntur. Dicimus namque excommunicatum inhabilem esse ad acquirendum titulum beneficij primò, & per se, non tamen ad acquirendum illud minus principaliter, & quasi de facto. Ob cuius causam si moriaris ante acceptationem non vacat denuò beneficium; quia non plenè, & perfectè illud acquisisti. Secùs esset, si illud acceptares etiam excommunicatus,quia excommunicatio non tollit,quin satis explicueris tuum consensum, significaueriscque velle illud beneficium tuum fieri. Ad secundum concedo Episcopum inhabilem repellendum esse à consecratione, quia ius per consecrationem confertur, non tamen excommunicatum ab acceptatione, quia acceptatione non offertur ius, sed iam oblatum acceptatur, & pro rato habetur. Ad tertium respondeo, si acceptationem præstes animo exercendi in excommunicatione officium peccabis mortaliter, Vt de se constat. Si verò præstes omnino exercendi officium tempore, quo ab excommunicatione fueris absolutus non peccabis; quia acceptas ius quod tibi est concessum,illudque ratum habes. Quod si obiicias tuam indignitatem, essèque acceptationem personæ indignæ, & de persona indigna,ergo nulla. Respondeo esse quidem indignam ad acceptandum beneficium tempore excommunicationis collatum, secùs ad acceptandum beneficium collatum tempore quo excommunicatus non eras, aliàs excommunicatus non posses retinere beneficium tibi ritè collatum, & sine vllo impedimento censuræ acceptatum; siquidem æquè malum est retinere beneficium, si te illo indignum cognoscis, ac illud accipere. Quocirca dicendum est cùm in excommunicatione existis, te esse indignum non ad titulum beneficij, sed ad illius vsum pro illo tantùm tempore: at quia pro tempore quo ab excommunicatione libers es, non es indignus beneficij vsu, ideò non solùm validè,sed licitè illud acceptare potes. Vti docet Henriq. *lib.13.cap.13. num.3.* Suar. *disp.13. sect.1. num.22. & 23.* Garcia *7.p.de benefic.cap.13.num.46.* Sayrus *lib.2. cap.5. num.11.in fine.*

19 Secunda quæstio: An beneficium tempore excommunicationis tibi collatum validè acceptes ab excommunicatione liber? Affirmat Nauarr. *cons.63.de sentent. excommun. num.3 & 4.* Henriq. *lib.13.de excomm.c.13.n.3.* Et probabile censet Layman.*lib.1 sum.tract.5.part.2.cap.2.num.8.* Lessius, & Bonac. statim referendi. Mouentur; quia si collatores, vel electores voluntatem eligendi, vel conferendi non mutauerint, in ea perseuerare censentur, ac proinde sublatâ excommunicatione effectum habebit, qui fuit per excommunicationem impeditus. Et confirmo, collatio beneficij excommunicato facta, quantùm est ex parte conferentis valida est, solúmque ex parte recipientis redditur nulla. Ergo sublatâ recipientis incapacitate, & collatore in sua voluntate perseuerante vim obtinebit.

Cæterùm longè verius est inualidam esse acceptationem, 20 nisi denuò beneficium conferatur. Vti docuit Nauarr. *cap. 27.num.194.* Coninch.*disp.14. dub.9. num.74.* Nicol. Garcia. *7.p.de benefic.cap.13.num.43.* Lessius *lib.2.de iustit.cap.34.numero 119.* Bonac. *disp. 2.de censur, q.2. punct.4.§.1. numero 10.* Gaspar Hurtado *de excommunic.disp.6. difficult.3. in fine.* Ratio est manifesta; quia collatio, quæ ob incapacitatem subiecti nulla fuit, nequit sublatâ incapacitate conualescere ex eo tantùm quòd collator in pristina voluntate perseueret; quia ea voluntas non est voluntas denuo conferendi beneficium (vt suppono) sed approbandi, seu non reuocandi collationem factam. Cùm ergo collatio facta nulla fuerit, nullius est effectus illius approbatio, seu non reuocatio.

Hinc fit excommunicatum obtinentem in excommunica- 21 tione beneficium, non solùm ab excommunicatione absolui debere, vt beneficium retinere possit, sed nouâ collatione illius indigere; quia absolutio excommunicationis tollit impedimentum, & inhabilitatem, sed non tribuit ius, nec beneficium confert. Ex vi autem prioris collationis, cùm nulla fuerit nullum ius habere potest. sic Nauarr. *cap.27. num.21.* Suar. *disp.13. sect.2.* Bonac.*disp.2.de censur.quæst.2. punct.4.§.1. num.11.* Coninch. *disp.14. dub. 9. num.75.* & alij apud ipsos. Quis autem possit denuò beneficium excommunicato conferre, vt illud retinere possit? Breuiter respondeo, si collatio facta fuit tempore quo excommunicatus non eras,tametsi excommunicatus collationem acceptauueris, absolutione obtentâ ab excommunicatione absque alio requisito beneficium retinere potes, vti docent non solùm Doctores qui censent acceptationem in excommunicatione factam validam esse, sed etiam qui censent esse inualidam. In quo certè non videntur consequenter procedere,siquidem absolutione neque confertur beneficium, neque acceptatur.

Verùm si collatio, vel electio,quæ ad Ordinarium pertinet 22 facta est tempore excommunicationis, ex dispensatione Ordinarij retinere beneficium poterit, quia ea dispensatio æquialet nouæ collationi, vti colligitur ex *dicto cap. postulastis*, vbi nihil ampliùs requiritur, vt possint Clerici beneficia in excommunicatione concessa retinere,nisi quod fuerit cum eis misericorditer dispensatum.

At si collatio pertinet ad Ordinarium, sed prærequiritur 23 præsentatio patroni laici,vel Ecclesiastici, vel collatio pertinet ad Pontificem est grauis difficultas, An ex sola dispensatione Ordinarij beneficium retinere possis? Negat & rectè communis sententia, teste Couarruu. *in cap. alma mater.1.p. §.7.num.8.* Nauarr.*cap.27.num.27.* Auila *2.p. de censur. cap.6. disp.5. dub.1. conclus.2.* Suar.*disp.13.de censur. sect.1.num.43.* Coninch.*disp.14.dub.9.num.75.* Bonac. *dicto punct.4.num.12.* Garcia *7.p. de benef.cap.13.num.76.* Etenim hæc dispensatio æquialet nouæ collationi: at Ordinarius beneficium quod est de alterius præsentatione patron o inconsulto prouidere nequit, minusque potest beneficium Sedi Apostolicæ affectum conferre. Ergo neque poterit dispensare, vt retineatur.

Adde non videri improbabile ex sola dispensatione Ordi- 24 narij posse excommunicatum prædicta beneficia retinere; quia vt faciliùs fidelium conscientiis consulatur, videtur hæc potestas Ordinario concessa in *dicto cap. postulastis*, siquidem non reseruatur Pontifici. Dispensatio autem non reseruata concessa censetur Ordinario. Argum. *cap.Nuper, de sentent.excommunicat.* Neque valet dicere ea beneficia esse de collatione tantùm Ordinarij,non Pontificis, neque de præsentatione Patroni; quia id non constat. Quinimò non leuiter colligitur ab aliis ab Ordinario collata, seu præsentata esse; siquidem iubetur Ordinario, vt eos à collatione, seu præsentatione beneficiorum suspendat. Atque ita docet Abbas *in dicto cap. postulastis.* Et *ibi* Glossa.*verbo dispensatum.* Ioann. Azor *2.p. instit.moral.lib.6.cap.7. quæst.2.§. quid dicendum.* Et tanquam probabile defendit Paul. Layman. *lib.1.sum.tract.5.part.2.cap. 2.num.8.* Sanch. aliis relatis *lib.8. disputat.7. numero 12.* vbi triplicem conditionem apponit. Prima vt collationis nullitas occulta sit. Secunda ne cedat dispensatio in tertij coëlecti præiudicium. Tertia ne sciens se inhabilem esse possessionem beneficij acceperit; quia eo casu incurrit vitium intrusionis. Sed ab hoc si occultum est dispensari potest.

Tertia

25 Tertia quæstio, An dicta de excommunicato procedant in suspenso, & interdicto? Negat Suar. *de censur. disput. at. 26. sect. 3. num. 8. & disp. 27. sect. 1. num. 26.* quia nullus est Textus beneficij collationem annullans in suspenso, & interdicto, & pœnæ ex vno casu ad alium extendendæ non sunt. Sed in contrarium est communis sententia suspensum ab officio inhabilem esse beneficij recipiendi, vti docuit Glossa *in capit. cum dilectus, verbo cassauimus, de consuet. & cap. per inquisitionem, de electione in fine.* Et *cap. cùm bonæ de ætate, & qualit. verbo suspens.* Et *ibi* Abbas *num. 6.* Nauarr. *cap. 23. num. 233. & cons. 10. de tempor. ordinandor.* Vgolin. *de censur. tab. 4. cap. 6. §. 7. numero 4. & cap. 8. §. 6. numero 1.* Lessius *lib. 2. cap. 34. num. 116.* Azor. *t. 2. instit. moral. lib. 6. cap. 7. q. 2.* Garcia aliis relatis *7. p. de benefic. c. 14. num. 1.* probátque variis Rotæ decisionibus. Ratio est: quia ideò collatio beneficij excommunicato facta annullatur; quia ipse nequit officium exercere; at similiter suspensus ab officio excluſus est à beneficij officio exercendo. Ergo collatio beneficij illi facta nulla est. Idem tradunt Nauarr. Vgolin. Lessius. & Azor *loc. allegat.* & Garcia *num. 5.* de interdictis personaliter ob eandem rationem, quia non possunt officium exercere ob cuius causam beneficium confertur. *Cap. cum secundum, de Præbendis.* Et *cap. fin. de rescript. in 6.*

26 Quarta quæstio, An hæc omnia procedant tum in prouisionibus Apostolicis, tum in prouisionibus Ordinarij? Respondeo cessare illis in prouisionibus à Sede Apostolica, vel eius Legato factis, in quibus habetur clausula absolutionis à censuris ad effectum gratiæ consequendum, sicuti communiter in omnibus habetur; quia ea clausula posita tollitur collatio censura non absolutè, sed quoad effectum prouisionis obtinendæ; vti tradit Nauarr. *cap. quorundam de Iudæis, notab. 11. num. 14. & in sum. cap. 27. num. 21. & num. 271.* Vgolin. *tab. 1. de censur. cap. 4. §. 5. num. 17.* Ioann. Gutierr. *lib. 2. canon. qq. cap. 5. num. 94.* Henriq. *dib. 13. cap. 13. §. 3.* Sayrus *lib. 2. cap. 5. num. 6. 11 & 12.* Auila *2. p. de censur. cap. 6. disp. 5. dub. 2.* Bonac. *disp. 2. de censuris q. 2. p. 4. §. 1. num. 6.* Garcia *de benefic. 7. p. capite 13. num. 59.*

27 Hæc tamen clausula non prodest excommunicato ob hæresim; quia hæc absolutio non censetur in generali concessione comprehendi ob eius singularem grauitatem, sicuti ex communi docent Couarruu. *cap. alma. 1. p. §. 11. num. 15.* Suar. *disp. 13. sect. 1. num. 3. & 30.* Bonac. & Auila *loc. citatis.* Garcia *num. 67.* Quinimò Sayro *lib. 2. cap. 5. num. 13.* & Bonacinæ *d. §. 1. num. 6.* placet eam clausulam non prodesse excommunicato ob crimina in Bulla Cœnæ contenta, & alia similia, scilicet, ob incendium, violationem Ecclesiarum, & libertatis Ecclesiasticæ, falsificationem litterarum Apostolicarum, quia hæc ita specialiter reseruantur, vt non sit verisimile in generali absolutione contineri. Sed hanc limitationem Sayri, & Bonacinæ communiter Doctores non admittunt, vt videre est in Nauarr. *in dicto cap. quorumdam de Iudæis notab. 11. numero 21.* Auila *d. cap. 6. disp. 5. dub. 2.* Garcia *cap. 13. num. 67.* Quia esto in potestate generali absoluendi à reseruatis non veniant contenta in bulla Cœnæ Domini, vti diximus *tract. 4. de fide disp. 4.* & præcipuè *tract. de Bulla.* At cùm hæc absolutio non sit absoluta, sed solùm ad limitatum effectum, & non tam in fauorem absoluendi, quàm in fauorem aliorum, in quorum vtilitatem beneficium cedere debet, ideò sub illa clausula generali absolutionis venit excommunicatio ob crimina bullæ Cœnæ exceptâ hæresi. Secundò non prodest prædicta clausula absolutionis insordescentibus per annum in excommunicatione, ex stylo Curiæ Romanæ, iuxta *regulam de insordescentibus*, teste Nauarr. *d. notab. 11. num. 14.* Henriq. *lib. 13. cap. 13. num. 3.* Auila *dub. 2.* Garcia *num. 61.* Neque item insordescentibus per quatuor menses ob crimina bullæ Cœnæ, & aliorum similium, vt constat ex *dicta regula.*

28 Sed quia reseriptum Apostolicum de beneficiorum prouisione expediri dupliciter potest, vel in forma commissaria, id est, committendo alteri collationem, vel in forma gratiosa conferendo beneficium; est maximè aduertendum. Si fiat in forma gratiosa, valida est collatio, tametsi tempore rescripti excommunicatus esses, quia ab excommunicatione absolueris, vt collatio effectum habeat. At si reseriptum expeditum sit in forma commissaria, cùm illud reseriptum non collationem, sed mandatum de conferendo contineat, indiges nouâ absolutione, vt beneficium tibi possit concedi; quia illa absolutio solùm prodest ad effectum, vt mandatum subsistat; aliàs si collationi futuræ prodesset, prodesse posset pro absolutione censuræ post litteras incursæ, vt benè arguit Garcia *de benef. 7. p. cap 13. num. 64.*

29 In prouisionibus autem, quas Ordinarij præstant, cùm hæc clausula absolutionis non habeatur, si prouisus excommunicatus existit, nulla est prouisio. Poterit tamen Ordinarius si velit hac clausula vti, & absolutionem à censuris prouisioni præmittere. Quæ absolutio solùm extenderur ad eas censuras, à quibus aliàs Ordinarij absoluere possunt, vt benè tradit Nauarr. *in dicto cap. & à quorundam, de Iudæis, notab. 11. num. 18. & 22.* Anton. Cuchus *in instit. maior. lib. 4. tit. 1. num. 89.* Vgolin. *tab. 1. cap. 4. §. 5. n. 18.* Garcia *7. p. de benef. c. 13. num. 71.*

PVNCTVM XI.

De sexto effectu excommunicationis, qui est priuatio fructuum, & prouentuum beneficij.

1 *Distinguendum est de acquisitione beneficij tempore excommunicationis, vel acquisito tempore habili.*
2 *Si beneficium tempore excommunicationis acquisisti, nullum ius habes ad fructus.*
3 *Si beneficium legitimè obtinuisti, & postmodum in excommunicationem incidas, non priuaris beneficiis obtentis, tametsi priuari possis, si in excommunicatione insordescas.*
4 *Priuari tamen ipso iure fructibus, & prouentibus beneficij docuerunt plures.*
5 *Verius est te non esse priuatum.*
6 *Satisfit oppositis fundamentis.*
7 *Posità sententiâ condemnatoriâ, obligatus es fructibus cedere, nec illos retinere potes.*
8 *Si iniustè inualidè excommunicatus & condemnatus sis ad fructuum priuationem, potes in foro conscientiæ illos retinere, ac si excommunicatus non esses.*
9 *Si condemnatio iniusta sit, valida tamen, censent plures te non posse eos fructus repetere ab iis quibus sunt applicati.*
10 *Contrarium verius existimo.*
11 *Temperatur hæc sententia ab aliquibus, dummodò negligens non sis in procuranda absolutione. Sed non approbatur.*
12 *Si iniustè tibi denegatur absolutio, potes fructus tibi debitos accipere.*
13 *At si iustè differatur, plures censent fructus te obtinere posse, si pœnitens existis.*
14 *Contrarium verius est.*

VT constet qualiter excommunicetus fructibus, & prouentibus beneficij priuetur, distinguendum est de beneficio tempore excommunicationis acquisito, vel acquisito tempore habili.

Si Beneficium acquisisti excommunicatus, cùm nulla fuerit acquisitio; nullum ius habere potes ad fructus, si tamen beneficio inseruisti, non videtur improbabile te posse fructus tali seruitio correspondentes, & alteri Clerico assignandos retinere; quia tunc non retines illos fructus ex titulo beneficij, sed ex titulo obsequij præstiti, vti docet Nauarr. *cons. 21.* aliàs *5. de filiis Presbyter. num. 5.* Henriq. *lib. 13. cap. 3. num. 3.* Coninch. *disp. 14. dub. 9. num. 71.* Auila *2. p. cap. 6. disp. 6. dub. 7. vers. ex dictis.* tametsi contra sentiat Garcia *7. p. de benefic. cap. 13. num. 101.* variisque Rotæ decisionibus comprobat. Illud debet esse certum, si putans verum titulum beneficij habere fructus perceperis, & bonâ fide consumpseris, non es obligatus restituere, nisi ea in parte in qua ditior factus es, quia non teneris ratione rei acceptæ cùm non extet, neque ratione iniustæ acceptionis, cùm nulla fuerit, sicuti docet Suar. *disput. at. 13. sect. 1. num. 3.* Coninch. *disputat. 14. dubit. 9. numero 71.* Paulus Layman. *lib. 1. sum. tract. 5. part. 2. capit. 2. numero 8.*

Quod si beneficium legitimè obtinueris, & postmodum in excommunicationem incidas, in primis non priuaris beneficiis obtentis, tametsi priuari posses, si fortè in excommunicatione insordescas, & contumacia grauis sit, quod arbitrio Ordinarij remittitur: vti tradit Glossa, & Innocent. *in capit. cùm bonæ, verbo spoliare de ætate, & qualit.* Abbas *in c. 1. de iudiciis à num. 14.* Et *ibi* Decius *2. sect. num. 83.* Ripa *num. 78.* Roman. *singulari 303.* Angel. *in sum. verbo excommunication. 17.* Sylvest. *eodem 3. num. 1. dicto 9.* Paul. Layman. *lib. 1. sum. tract. 5. part. 2. cap. 2. n. 9* Gonzalez *reg. 8. cancellar. gloss. 15. num. 101.* Garcia *7. part. de benefic. cap. 13 num. 90.* aduersus Menochium *de arbitr. casu 416. num. 52.* Salzedo *tract. capit. 16. num. 13. & 14.*

Priuari tamen ipso iure fructibus, & prouentibus beneficij docuerunt Immola, Francus, Decius & Abbas *in cap. Pastoralis §. verum de appellationib.* Couarruu. *lib. 3 variar. cap. 13. num. 8.* Gutierr. *lib. 1. canon. qq. cap. 1 num. 90.* Sayrus *de censur. lib. 2. cap. 5. n. 24. & 30.* Suar. *t. de censuris disp. 13. sect. 2.* Alexand. Monetta *de distribution. 2. p. q. 15. concl. 1. à num. 18.* Garcia aliis relatis *7. p. de benef. cap. 13 num. 90.*

Mouentur ex *cap. pastoralis. §. verum de appellation.* vbi interrogatus Pontifex, An excommunicatus non obstante appellatione denunciari possit, & Ecclesiasticis beneficiis ad tempus spoliari? respondet denunciari posse; quia excommunicatio secum trahit executionem, & per denunciationem non ligatur denuò excommunicatus, & addit: *Et tibi prouentus Ecclesiastici meritò subtrahuntur, cui Ecclesia communio denegatur.* Cùm autem in supradicto Textu subtractio fructuum

denuncia

denunciationi æquiparetur, efficitur sanè sicut excommunicatio secum trahit denunciationem, sic etiam trahere fructuum subtractionem. Secundò ideò Pontifex concedit posse excommunicatum non obstante appellatione denũciari; quia denunciatione non ligatur denuò excommunicatus: at si subtractione fructuum nouiter ligaretur excommunicatus, appellatione impediretur subtractio. Ergo signum est, excommunicatione ipso iure excommunicato fructus subtrahi. Tertiò illud verbum *subtrahuntur* indicat sententiam latam non ferendam; siquidem optimè explicari potest, subtrahuntur per legem, non per iudicem, cùm nullius iudicis mentio fiat. Quartò subtractionem fructuum comparat Textus priuationi communicationis cum fidelibus; at hæc priuatio ipso iure inducitur per excommunicationem. Ergo & fructuum subtractio.

4 Cæterùm verius est excommunicatum ipso iure priuatum non esse fructibus, & prouentibus beneficij ritè acquisiti. Sicuti docuit Glossa *in d. cap. pastoralis, verbo subtrahuntur* Petr. Nauarra *de restit. lib. 2. capit. 2. num. 243.* Auila *de censur. 2. p. cap. 6. disp. 6. dub. 1.* Vazq. *de benefic. cap. 3. §. 3. dub. 4.* Cominch. *disp 14. dub. 9. difficult. 3. concl. 2.* Gaspar Hurtado *de excomm. disp. 6. difficult. 1.* Paul. Layman. *lib. 1. sum. tract. 5. part. 2. cap. 2. num. 9* Sanch. *lib. 3. de matr. disp. 51. num. 12.* & alij. Moueor, quia hæc pœna priuationis fructuum, vtpotè grauissima astruenda non est absque expresso Textu. At Textus *in dicto cap. pastoralis*, cui oppositæ sententiæ Doctores nituntur eam pœnam non infert; nam verbum illud *subtrahuntur* actionem spoliat omis significat, quæ ab homine fit, non à lege. Præterea Pontifex fuit interrogatus, An excommunicato appellatione non obstante possint fructus non percepti, sed percipiendi subtrahi, sicuti non obstante appellatione denunciari potest? cui interrogationi affirmatiuè respondit. At si excommunicatus excommunicatione priuatus esset iure percipiendi fructus, non responderet Pontifex priuandum esse, sed esse priuatum. Et confirmo, excommunicatio non secum affert denunciationem, sed constituit hominem dignum vt denuncietur appellatione remota. Ergo similiter non inducet ipso iure priuationem Ecclesiasticorum prouentuum, sed constituet excommunicatum dignum, vt ei fructus subtrahantur. Adde esto excommunicatio ipso iure priuaret excommunicatum fructibus, adhuc excommunicatus obligatus non esset se illis spoliare, quousque per sententiam condemnetur. Argum. *cap. cum secundum leges, de Hæreticis in 6.* Fauet huic nostræ sententiæ consuetudo maximè in Hispania. Nam teste Garcia *7. p. de benefic. c. p. 13. à num. 10* nullum Clericum excommunicatum à iure, vel ab homine cogi ad restituendos fructus tempore excommunicationis perceptos; & in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis vt procuranda declaratus distributionibus, aliisque emolumentis priuetur, debet punctatoribus Hispanè *contadores* denunciari, vt eum extra Kalendarium constituant (hoc est) *pongan en desquento*, & quousque hæc diligentia præstetur, non est impeditus à fructuum perceptione, vt benè notauit Garcia *dicto cap. 13. numero 132.*

5 Neque obstant in contrarium adducta. Ad primum admitto subtractionem fructuum denunciationi æquiparari: at sicut denunciatio non ipso iure excommunicationem subsequitur, sed indiget iudicis officio, sic de subtractione fructuum dicendum est. Ad secundum respondeo, Pontificem non moueri eadem ratione, vt possit excommunicatus non obstante appellatione denunciari, ac mouetur, vt possit fructibus priuari: nam ad denunciationem mouetur, quia denunciatio non est nouum vinculum; siquidem ipsâ denunciatione non amplius excommunicatus prohibetur communicare cum fidelibus, quàm ante denunciationem prohibitus esset. At ad subtrahendos fructus mouetur, quia excommunicato communio Ecclesiæ denegatur. Adde denunciationem, etsi non sit nouum vinculum, esse tamen nouam pœnam ab excommunicatione iustè subsequentem, quæque non obstante appellatione imponi potest; sic subtractio Ecclesiasticorum prouentuum dici potest non esse nouum vinculum, sed nouam pœnam, quæ appellatione non obstante poterit excommunicato imponi.

6 Posità autem sententiâ condemnatoriâ non est dubium te obligatum esse fructibus cedere, neque illos vsurpare posse, quia sententiæ iustè subtrahenti fructus obedire teneris. Solùm excipi potest si pauper sis. Nam cùm prædicti fructus Ecclesiæ vel pauperibus sint applicandi, vti ex communi docet Nauarr. *capit. 25. num. 123.* Henriq. *lib. 7. capit. 36. num. 3.* Auila *2. p. de censur. disp. 6. dub. 1.* Garcia *de benefic. 7. p. cap. 13. num. 134.* tibi vtpotè pauperi applicari possunt, nisi forte in sententia condemnatoria contineatur applicatio alicui operi pio facta, sub quo tu non comprehenderis: vti tradit Syluest. *verbo Excommunicatio 3. num. 1.* & *verbo Clericus 4. numero 17. q. 15.* Auila *2. p. de censur. cap. 6. disp. 6. dub. 1.* Paul. Layman. *lib. 1. sum. tract. 5. part. 2. cap. 2. num. 10.*

7 Superest duplex difficultas. Prima, An si iniustè excommunicatus sis, & ad priuationem fructuum condemnatus impediaris ab illorum perceptione, ac si iustè excommunicatus, & condemnatus esses? Et quidem si iniustè inualidè excommunicatus, & condemnatus sis, nemini esse dubium potest, te posse in foro conscientiæ gerere, ac si excõmunicatus non esses, quia quod nullum est nullum producit effectum, vt inquit regula iuris. Effectum namque excommunicationis veræ habere non potest excommunicatio præsumpta. Neque dici potes excommunicatus, si excommunicatio non subsistit. Argum. *leg. 4. §. condemnatum ff. de re iudicata*, & tradunt omnes hi Doctores statim referendi.

Si verò condemnatio iniusta sit, attamen valida, censet Vgo- 8
lin. *tab. 2. de censur. cap. 12. num. 4.* Filliucius *tract. 12. cap. 6. numero 133.* Suar. *de censur. disput 13. sect. 2 num. 20. & 23.* Sayrus *lib. 2. de censur. cap. 5. num. 27.* te non posse eos fructus repetere ab iis, quibus sunt applicati; quia validè applicati sunt, sed actionem habere aduersus Iudicem applicantem, & condemnantem iniustè, vt ratione iniustitiæ reparet damnum tibi factum. Nam cùm iniustitia non impediat valorem sententiæ, vt suppono, neque impedire poterit valorem applicationis.

Cæterùm verius existimo, te posse recuperare fructus non 9
solùm à Iudice, sed ab iis, quibus sunt applicati; quia esto validè applicati sint, at sunt applicati reuocabiliter. Nam cùm lex iustitiæ obliget reuocare sententiam iniustissimique effectus, & in pristinum statum omnia, quoad fieri possit, reducere, necessariò subtractio fructuum, & illorum applicatio reuocari debet. Potes ergo non solùm aduersus Iudicem, sed aduersus detentores fructuum agere, vt tibi fructus reddant priori sententiâ reuocatâ sic pluribus relatis asserit Nicol. Garcia *7. p. de benef. cap. 13. num. 120.* Alexand. Moneta *de distributionib. 2. punct. q. 15 num. 23. 44. & 45.* Bonac. *disp. 2. de censur. q. 1. p. 4. §. 2. n. 6.* Quod si ipsi bonâ fide assumpserint, neque facti sunt ditiores, solùm aduersus Iudicem tibi actio competit, vt probauit *tract. 7. de orat. horisque canon. disp. 3. p. 9. §. 2.*

Hanc sententiam limitat Ioann Gutierr. *lib. 3. canon. q.* 10
cap. 1. num 135. Sayrus *lib. 2. Thesauri casuum. cap. 5. num. 25.* Vgolin. *tabula 2. cap. 12. num. 4.* Moneta *dictâ q. 15 numero 35.* vt non procedat, si negligens es in procuranda absolutione; nam eo casu tuâ culpâ fructus amittis; siquidem facilè impetrare absolutionem, seu sententiæ reuocationem poteras; cui limitationi quoad distributiones & fructus qui interessentibus Diuinis conceduntur adhæret Vega *1. p. sum. cap. 36 casu 2.* Man. Rodrig. *1. p. sum. cap. 23 num. 6* Garcia *7 p. de benefic. cap. 13. num. 123.* Nam in fructus concedi non possunt absentibus, nisi legitimè absint. At censeri nequis legitimè abesse, situa culpa excommunicatus existis. Sed hæc limitatio mihi non probatur: nam negligentia in procuranda excommunicationis absolutione, reuocatione æque sententiæ non impedit, quin excommunicatus, & condemnatus sis, & consequenter quin sis legitimè impeditus, & excusatus à residendo; sicuti communiter Doctores docent, & *superius* diximus de obligatione audiendi sacrum, quâ non teneris, tametsi absolutionem non impetres, cùm facilè posses. Quæ omnia latiùs probaui *tract. 7. de orationib. horisque canonic. disputatio 3. punct. 9. §. 2.*

Secunda difficultas; An à contumacia recedens, & absolu- 11
tionem à censuris nequiens impetrare obtineas fructus, quos amittis ob absentiam à choro, & debiti officij omissionem? Et quidem si tibi iniustè denegatur absolutio, ferè omnes conueniunt fructus tibi debitos esse; quia iniustè impediris, ne choro assistas, néve officium præstes; sicuti si iniustè vinculis esses detentus.

At si absolutio non tibi negatur iniustè, sed detinetur quo- 13
usque de satisfactione, & pœnitentia constet, vel Superior qui eam est concessurus abest. Censent grauissimi Doctores, Decius aliis relatis *in cap. pastoralis. §. verum num. 7. de appellationib.* Sayrus *lib. 2. thesauri casuum cap. 5. num. 29.* Vgolin. *tab. 2. cap. 12. num. 4.* Henriq. *lib. 13. cap. 13.* Saa, *verbo beneficium num. 50.* Petr. Nauarra *lib. 2. cap. 2. num. 238.* Paul. Layman. *lib. 1. sum. tract. 5. p. 2. c. 2. n. 10.* fructus correspondentes officio eo tempore exhibendo te obtinere; tametsi officium non præstes; quia non præstas, eo quòd impediaris, sicuti si ob infirmitatem, cuius tu causa fuisti, impediaris ab exequendo officio, quod beneficium exigit, non obinde fructus beneficij amittis.

Sed contrarium rectius censuit Bonac. *disp. 2. de censur. q.* 14
2. p. 4. §. 2. Suar. *disp. 13. sect. 2.* quia pœnitentia non tollit excommunicationem, neque sententiam iustam infirmat, tametsi moueat Iudicem, vt absolutionem præstet. At excommunicatio ex se impedit exercere officium, cui fructus annectuntur. Sententia verò condemnatoria illorum priuationem ipso iure inducit. Ergo durante excommunicatione, & sententia illos fructus consequi non potes. Neque est simile de infirmitate, nam infirmitas ex se non est impedimentum culpabile officij Ecclesiastici exercendi, neque ex se est culpabile impedimentum. Secùs verò excommunicatio, quæ ex se est culpabile impedimentum.

Pro

Punctum XII.

De septimo effectu excommunicationis, qui est priuatio, & annullatio cuiusuis rescripti.

1 *Excommunicatus priuatus est impetratione cuiuslibet priuilegij, & rescripti, excepto rescripto in causa excommunicationis.*
2 *In rescriptis Pontificiis rarò hic effectus locum obtinere potest ob clausulam ibidem insertam absolutionis ab omnibus censuris.*
3 *Hæc doctrina solùm pro rescriptis Pontificiis est vera.*
4 *Concessiones, & gratiæ aliorum Prælatorum inferiorum Pontifice, non irritantur ex vi excommunicationis.*

1 EXcommunicatum priuatum esse impetratione cuiuslibet priuilegij, seu rescripti Pontificij, excepto rescripto in causa excommunicationis, vel appellationis. Constat ex *cap. 1. de Rescriptis in 6.* vbi annullatur impetratio rescripti ad lites. Ergo à fortiori annullata censetur impetratio rescripti ad beneficia, dispensationes, gratias, & similia: vti aliis relatis docent Sayrus *l[illegible] thesauri, cap. 5. num. 12.* Henriq. *lib. 13. cap. 13. num. 1.* Cou[illegible] *disp. 14. dub. 10. in principio.* Suar. *t. de censur. disp. 17. sect. 1.* Aliquibus placet hoc intelligendum esse de rescripto impetrato ab excommunicato vitando, secùs de tolerato, quod validum esse censet Archidiac. *in dicto cap. 1. de Rescript. in 6.* & probabile iudicat Suar. *loco allegato.* Nauarr. *lib. 5. consil. tit. de sentent. excommunicat. cons. 44. num. 2.* Sed rectius alij Doctores oppositum censent, quia excommunicato nullus est fauor factus.

2 Sed quia rescriptis Pontificiis consuetum est inseri absolutionem ab omnibus censuris ad effectum valoris rescripti, effectus hic excommunicationis rarò locum habere potest, vti notauit Coninch. *loc. alleg.*

3 Extendit hanc doctrinam Nauarr. *dicto lib. 5. consil. tit. de sententia excommunicat. cons. 44. n. 2. & 6.* ad rescripta Imperatoris, & Regis, affirmatque nulla esse, si ab excommunicato impetrentur. Sed Suar. *disp. 17. sect. 1.* Bonac. *disp. 2. quæst. 2. p. vltim.* hanc extensionem non admittunt; & meritò; quia Textus *in dicto cap. 1. de rescriptis in 6.* solùm de Pontificiis rescriptis loquitur, & lex pœnalis non debet ex vno casu ad alium extendi, maximè cùm sit diuersa ratio, vt in præsenti.

4 Concessiones, & gratiæ aliorum Prælatorum inferiorum Pontifice, non irritantur ex vi excommunicationis; quia nomine rescripti non veniunt, neque vllibi inueniuntur irritæ, vt tradit Nauarr. *lib. 5. consil. tit. de sentent. excommunicat. cons. 23. q. 1. edit. 2.* Paul. Layman. *lib. 1. sum. tract. 5. part. 2. capit. 2. num. 11.* Suar. *disp. 17. sect. 1. num. 2.* Bonac. *disput. 2. de censur. quæst. 2. punct. vltim.*

Punctum XIII.

De octauo effectu excommunicationis, qui est priuatio vsus Ecclesiasticæ iurisdictionis.

1 *Priuatus est excommunicatus cuiusuis iurisdictionis Ecclesiasticæ vsus, nisi sit à fidelibus requisitus.*
2 *Proponitur ratio difficultatis, An validè excommunicatus iurisdictionem exerceat non requisitus à fidelibus.*
3 *Excommunicato tolerato adempta non est iurisdictio.*
4 *Excommunicatus toleratus, & officium Iudicis & Parochi exercere validè potest.*
5 *Negant plures validum esse exercitium iurisdictionis coactiuæ.*
6 *Verius est validum esse, dum per exceptionem non eliditur.*
7 *Excommunicato vitando omnis iurisdictio Ecclesiastica adempta est.*
8 *Sententia data ab ex excommunicato vitando nulla est.*
9 *Item absolutio, & dispensatio.*
10 *Item iurisdictionis delegatio.*
11 *Item collatio beneficij facta.*
12 *Quando electio pluribus competit, & aliqui sunt excommunicati, non tenet electio, si suffragium excommunicati necessarium sit.*
13 *Si excommunicati suffragium supersit, probabilior sententia tenet validam esse electionem.*
14 *Plures censent oppositum.*
15 *Præsentatio beneficij Clerico ab excommunicato vitando facta, nulla est.*
16 *In præsentatione laica variant Doctores. Alij censent inualidam esse.*
17 *Verius est oppositum.*
18 *Soluitur oppositum fundamentum.*
19 *Institutor non tenetur eam præsentationem admittere.*
20 *Si verò illam admittat tenetur institutionem facere.*
21 *Institutio facta ab excommunicato vitando nulla est.*
22 *Postulatio solemnis facta ab excommunicato vitando nulla est. Secùs non solemnis.*
23 *Quod dictum est de postulatione: dicendum est de nominatione.*
24 *Possessionis concessio si facienda sit medio aliquo iurisdictionis exercitio nulla erit, secùs si nullum iurisdictionis actum requirat.*
25 *Resignatio beneficij facta ab excommunicato non denunciato valida est. Ab excommunicato verò vitando valida est resignatio absoluta.*
26 *Resignationem verò in fauorem tertij, etsi aliqui censeant inualidam esse. Verius est oppositum.*

NEmini est dubium quemlibet excommunicatum priuatum esse iurisdictionem Ecclesiasticam exercere. Tum quia hoc exercitium est præcipua cum fidelibus communicatio. Tum quia indignus est fructibus Ecclesiæ gaudere, & illius vices gerere, qui ab Ecclesia est segregatus. Habetur *cap. audimus 24. quæst. 1. cap. ad probandum, de sentent. & re iudicata. Cap. 1. de supplenda negligent. Prælator. Cap. is cui de officio delegati in 6. cap. 1. de officio Vicarij in 6.* Et *cap. decernimus de sentent. excommunicat. eodem lib.* Quapropter excommunicatus etiam toleratus aliquem actum iurisdictionis Ecclesiasticæ exercens peccat mortaliter, nisi fuerit à fidelibus requisitus; quia est communicatio in rebus spiritualibus, & magni momenti. Ob bonum autem fidelibus, quibus permissa est cum excommunicatis toleratis communicatio licitè possunt excommunicati suâ iurisdictione vti. 1

Difficultas ergo est, An validè iurisdictionem excommunicati exerceant, cùm non sint à fidelibus requisiti. Ratio difficultatis est; quia iure antiquo quilibet excommunicatus eo ipso priuatus erat iurisdictione Ecclesiastica. At *per Extrauag. Ad euitanda scandala* nullus fauor excommunicatis factus, nisi quatenus fideles eorum communicatione vti volunt. Ergo extra casum, quo sint à fidelibus requisiti, nullam iurisdictionem habent. 2

Cæterùm dicendum est excommunicato tolerato nullatenus ademptam esse iurisdictionem, sed illius actus validè exercere, dum à fidelibus non excipitur. Sumitur ex *cap. exceptionem de exceptionib. & cap. 1. eodem tit. in 6.* Et tradit Nauarr. *cap. 27. num. 21. & lib. 5. concilior. tit. de hæreticis, cons. 15. q. 2.* Sayrus *lib. 2. thesauri cap. 6. num. 1.* Couarruu. *cap. alma mater 1. p. §. 7. num. 9.* Suar. *disp. 11. sect. 4. num. 9. & disp. 14. sect. 2.* Gutierr. *lib. 1. canon. qq. cap. 1. num. 82.* Lessius *lib. 2. cap. 29. dub. 7. num. 17.* Auila *de censur 2. p. cap. 6. disp. 3. dub. 2. & disp. 6. dub. 3.* Coninch. *disp. 14. dub. 10. in princ.* Paul. Layman. *lib. 1. sum. tract. 5. part. 2. capit. 2. num. 13. & capit. 5. num. 7. vers. quartum.* Henriq. *lib. 13. cap. 8.* Hugolin. *tab. 1. cap. 3.* Bonac. *disput. 2. de censur. q. 2. p. 5. num. 3.* Gaspar Hurtado *disp. 7. difficult. 2. in fine.* Ratio ea est; quia cùm Ecclesia permittat fidelibus communicationem cum excommunicatis toleratis tum in humanis, tum in diuinis, ac si excommunicati non essent, conseruare in illis debet iurisdictionem, vt apti, & expediti sint ad hanc cum fidelibus communicationem. Ex qua ratione nascitur, si fideles excommunicationem obiiciant, & ob illius causam excommunicatum excipiant, & à se repellant, nullius valoris sunt actus ab excommunicato facti. 3

Hinc constat excommunicatum toleratum & officium Iudicis, & Parochi exercere validè posse, dum non excipitur, atque adeò posse lites decidere, causas iudicare, absoluere, dispensare, & similia, &c. Proposità verò exceptione cessare debet. At excipiens tenetur excommunicationis speciem, & illius Authorem manifestè probare intra octo dies, sin minus nulla est exceptio iuxta Textum *in capit. 1. de exceptionib. in 6.* 4

Solùm de exercitio iurisdictionis coactiuæ est graue dubium; an factum ab excommunicato tolerato validum sit? Negat valere Suar. *disp. 14. sect. 2. num. 15.* Paul. Layman. *lib. 1. sum. tract. 5. part. 2. capit. 4. num. 7. vers. sed contrarium.* Gaspar. Hurtado, *de excommunicat. disp. 7. difficult. 2 in fine.* Mouentur quia *in Extrauag. ad euitanda scandala* nullus fauor, nullaque gratia excommunicatis facta est, nisi quatenus cedit in fidelium commodum, & vtilitatem, & ab ipsis acceptatur: at fideles nullatenus acceptant præceptum, cui nolunt obedire, neque illud præceptum in illorum commoditatem cedit. Ergo &c. Et confirmo, fidelibus liberum est non communicare cum excommunicatis toleratis. Ergo liberum est nolle excommunicati præceptis obedire. 5

Cæterùm verius est quod tradit Ioann. Gutierr. *lib. 1. canon. qq. cap. 1. num. 81.* Ægid. Coninch. *disp. 14. dub. 10. numero 91.* Bonac. *disp. 2. q. 2. punct. 5. num. 4.* & alij, præceptum & excommunicationem latam ab excommunicato tolerato validam esse, dum per exceptionem non eliditur. Et quidem quando excommunicatio occulta est, etiam Doctores oppo- 6

sitæ

sitæ sententiæ admittunt valida esse præcepta ab excommunicato lata; quia ad bonum publicum pertinet, ne acta ab eo qui officium Iudicis exercet ob impedimentum occultum infirmentur; sicuti notauit Glossa *in cap. ad probandum de sententia, & re iudicat.* Tunc sic nemo tenetur cum excommunicato occulto communicare, sed liberum ei est, illum vitare. Si igitur excommunicatus toleratus nequit suis præceptis, & pœnis fideles ligare, quia fideles ab eius communicatione eximuntur, nullatenus valida erunt & obligatoria præcepta ab excommunicato lata quantumuis occulto, Quapropter dicendum est, dum à fidelibus non excipitur valida esse eius præcepta, illisque fideles obligari: quippe fideles non excipientes excommunicatum censentur eius sententiæ consentire: cùm à iure solâ exceptione permissum sit dissensum explicare. Et confirmo, iure antiquo Iudex occultus excommunicatus iurisdictionem retinebat, quousque per exceptionem elideretur. *c. exceptionem, de exceptionib. Cap. 1. eodem. tit. in 6.* Sed iure nouo quilibet excommunicatus toleratus reputatur, ac reputabatur antiquo iure occultus. Ergo.

7 Verùm excommunicato vitando omnem iurisdictionem Ecclesiasticam ademptam esse omnes Doctores docent ex Textibus *num. 1.* relatis.

8 Ex qua regula infertur sententiam datam à Iudice excommunicato vitando nullam esse: vti probat Textus *in cap. ad probandum, de sententia, & re iudic.* vbi sententia data à multis Iudicibus, eo quòd vnus ex illis excommunicatione innodatus erat, cassanda dicitur, id est cassa declaratur, vt explicat *ibi* Glossa. Et docet Suar. *de censur. disp. 14. sect. 1. num. 4.* Hugolin. *tab. 2. de censur. cap. 11. num. 1.* Sayrus pluribus relatis *lib. 2. thesauri, cap. 6. num. 15.*

9 Secundò absolutio, dispensatio, facultatis concessio pro sacramentis ministrandis nulla est, quia omnes sunt iurisdictionis Ecclesiasticæ actus; quibus ipse excommunicatus priuatus est, vt ex communi sententia docet Coninch. *disputat. 14. dub. 10. numero 99.* Sayrus *dicto cap. 6. num. 16.*

10 Tertiò iurisdictionis delegatio irrita est, si fiat ab excõmunicato vitando, quia ipsa delegatio iurisdictionis est exercitium, vt de se constat. Quare si legatione factâ delegans excommunicetur, cessat in delegato iurisdictio; re integrâ. Secùs si res incœpta sit, hoc est si delegans vti cœpit iurisdictione, iuxta Textum *in cap. relatum. Cap. gratum. Cap. licet de officio delegati*, vti pluribus comprobat Hugolin. *tab. 2. de censur. cap. 11. §. 4. num. 2.* Sayrus *lib. 2. cap. 6. num. 20.* Quod intelligendum est, quando vere est delegatus, & constituit diuersum tribunal à delegante; nam si delegatus, & delegans idem tribunal constituant, vti contingit in Episcopo, & eius Vicario generali, cessat in delegato iurisdictio, tametsi res cœpta sit delegante excommunicato, sicuti cessaret, si delegans moreretur: vti colligitur ex *capit. Romana de officio Vicary in 6.* Et tradit Sayrus *lib. 1. cap. 5. n. 37.* Et *lib. 2. cap. 6. num. 3. & 19.* Suar. *de censur. disp. 15. sect. 2. num. 4.* Sanch. *lib. 3. de matrim. disp. 30.* Auila *2. part. cap. 6. dub. 4.* Coninch. *disput. 14. dub. 10. num. 84.* Bonac. *disp. 2. de censur quæst. 2. pun. 5. num. 12.* Iurisdictio tamen interior, seu in foro pœnitentiæ, & quælibet alia quæ iudicialis non sit ob excommunicationem postmodum incursam à delegante non suspenditur etiam re integrâ; quia hæc iurisdictio est gratia facta, quæ ob impedimentum concedenti superueniens, imò ob eius mortem non infirmatur. Nam Textus annullantes delegato iurisdictionem de iurisdictione fori contentiosi loquuntur, quorum decisio vtpotè odiosa extendi non debet ad iurisdictionem extraiudicialem; vti benè notauit Sotus *in 4. d. 18. q. 4. art. 3.* Auila *2. p. de censur. cap. 6. disputat. 6. dub. 3.* Bonac. *disputat. 2. de censur. quæst. 2. pun. 5. in fine.* Gaspar Hurtado *disput. 7. difficult. 2. circa finem*, & alij.

11 Quartò, collatio beneficij facta ab excommunicato vitando, nulla est, vt deciditur *cap. vnic. de sede vacante in 6.* & traduntur communiter Doctores, vt videre est apud Couarruu. *cap. alma mater. 1 p. §. 7. num. 9.* Henriq. *lib. 13. de excommunicat. cap. 7. num. 2.* Hugolin. *de censur. tab. 2. cap. 11. §. 2.* Sayrus *lib. 2. thesauri cap. 2. num. 2.* extenduntque Doctores doctrinam ad electionem, vtpotè quæ ius in beneficium confert, quæ si fiat ab excommunicato vitando inualida censeri debet argum. *cap. cum dilectus de consuetudine.* Et *cap. cum inter. 1. de Electione.* Et *cap. constitutis 1. de appellationib.* Excipe electionem summi Pontificis, quæ esto fiat à Cardinalibus excommunicatis valida est, neque infirmari potest ob vitanda grauia damna, & schismata, quæ inde oriri possent Sicut habetur *Clement. Ne Romani. §. cæterùm de Electione.*

12 Sed quia sæpè contingit electionem Capitulo, seu communitati competere, in qua aliqui sunt excommunicati dubitant Doctores, an ob eam causam electio irrita sit; Et imprimis certum est exclusis excommunicatis omne ius eligendi ad non excommunicatos deuolui. Vnde si Capitulo simul cum Episcopo competeret electio, & Episcopus excommunicatus esset, Capitulum eligere posset, & econtrà si omnes capitulares excommunicati essent, Episcopus facere electionem posset; vti colligitur ex *capit. vnico. Ne sede vacante in* 6. Deinde si suffragium excommunicati ita necessarium est ad electionem, vt illo secluso non subsisteret, electio nulla est, argum. *cap. ad probandum de re iudicata.* Et *cap. super abbatia de officio delegati*; vbi factum à duobus nullum esse censetur; eo quòd vnus ex illis careret potestate; nam licèt potestas data esset vtrique in solidum at cùm vterque voluerit admittere alterum, vt condelegatum ea de causa ab vtroque necessariò debet ferri sententia, neque potest ab vno tantùm, etiamsi à principio ferri potuisset. 13

At si excommunicati suffragium supersit, ita vt reliqua suffragia excommunicati suffragio non enumerato sufficiant electioni, probabilior sententia tenet, validam esse electionem, tametsi excommunicatus vitandus suum suffragium simul cum aliis dedisset: quia sicut electores non excommunicati non habilitant excommunicatum, sic excommunicatus non reddit inhabiles non excommunicatos, argum. Textus *vtile per inutile non vitiatur. de Reg. iuris in 6.* Neque est vllus Textus, quo probetur hanc inhabilitatem constituti, electionémque esse irritam. Sicuti notarunt Richard. *in 4. d. 18. articul. 7 quæst. 1. ad 3.* Henriq. *lib. 13. capit. 7. §. 2.* Coninch. *disput. 14. dub. 10. num. 93. & seqq.* Paul Layman. *lib. 1. sum. tract. 5. par. 2. cap. 2. n. 13. vers. quoad electionem.* Bonac. *disput. 2. de censur. q. 2. pun. 5. num. 5.* Gaspar Hurtado *disp. 7. difficult. 3. numero 8.*

Contrarium huius doctrinæ docuerunt plures relati à Suar. *disp. 14. sect. 2. num. 3.* Et à Sayro quos ipse sequitur *lib. 2. thesauri, cap. 6. num. 5.* asserentes electionem illam irritam fore casu quo non excommunicati scienter admiserint excommunicatum vitandum ad electionem; nam eo ipso protestantur se nolle eligere, quin simul excommunicatus concurrat. At excommunicatus inhabilis est ad eligendum, vt nec per se, nec cum aliis iurare electionem possit. Ergo voluntas electorum non excommunicatorum nullius effectus erit, & consequenter electio ex ea procedens. His fauet Textus *in cap. fin. de procuratorib.* Et *cap. Massana de electione*, vbi cassatur electioni interfuerunt laici. Secùs esse inquiunt prædicti Doctores. Et specialiter Panormit. *cap. illo num 7. de electione.* Sayrus *dicto cap. 6. num. 6.* si contrà voluntatem electorum habilium excommunicatus electioni se ingessit; quia non debent electores iure eligendi priuari ob participationem cum excommunicato, quam vitare nequeunt. 14

Sed hæc non vrgent, vt à communi sententia recedamus. Nam prædicta ad summum probant electionem irritandam à confirmatore, vti aduerterunt Coninch Layman. Suar. & alij *suprà*. Nam esto electores non excommunicati nolint sua præstare suffragia, quin suffragium excommunicati concurrat; at non præsumuntur velle sua suffragia irrita fieri irrito existente excommunicati suffragio. Ex Textu *in cap. fin. de procurator.* solùm colligitur electionem irritandam, non verò irritam esse ipso iure. Sicuti & procurator Rectoribus excommunicatis electus repellendus. Idem probat Textus *in cap. Massana.* Vel dic ibi electionem declarari irritam; quia insufficiens erat numerus habilium electorum.

Quintò infertur præsentationem beneficij Ecclesiasticam, seu factam à Clerico vtcumque est, irritam, & nullam esse, si præsentans excommunicatus vitandus sit, vti docent Panormit. *in cap. nobis num. 3. de iure patronat.* Rebuff. *repetit. cap. postulastis num. 101. de Clerico excommun. ministr.* Couarruu. *in cap. alma mater. 1. p. §. 7. num. 9.* Henriq. *lib. 13. cap. 7. num. 2.* Vgolin. *de censur. tab. 2. cap. 13. §. 2. num. 13.* Sayrus *lib. 2. de excommunicat. cap. 6. num. 7.* Et colligitur ex *cap. 6. Prementur. Cap. Frigentius 16. quæst. 7.* & *cap. fin. de electione in 6.* iuncta Glossa. Etenim cùm per huiusmodi præsentationem acquirat præsentatus ius in beneficium: excommunicatus autem vitandus priuatus sit cuiuslibet iuris Ecclesiastici concessione, consequenter priuatus est iure præsentandi. Deinde præsentatio Ecclesiastica electioni comparatur. Argument. *capite cum autem. Cap. nobis. de iure patronat.* Et *cap. querelam de electione.* Idcóque omnes Textus loquentes de electione locum habent in præsentatione, teste Glossa *in cap. sciant. verbo alios.* Et *cap. fin. verbo electione, De Electione lib. 6.* Sed electio facta ab excommunicato vitando nulla est, ergo & præsentatio. Præterea excommunicatus suspensus est ab officio, & beneficio, & consequenter ab vsu iurisdictionis ex beneficio prouenientis: at præsentatio Ecclesiastica à beneficio, seu officio Ecclesiastico prouenit. Ergo præsentatio Ecclesiastica facta ab excommunicato vitando nulla est. 15

De præsentatione laica variant Doctores. Alij è quorum numero est Lambertin. *de iure patronat. 1. p. lib. 2. quæst. 2. art. 2.* & *3. p. lib. 2. quæst. 3. art. 4.* Couaruu. *cap. alma mater 1. p. §. 7. numero 9.* Frechilla *de excommunicat. art. 5. par. 2. numero 6.* Gaspar Hurtado *disputatio. 7. de excommunic. difficult. 3. numero 9.* censent inualidam esse; quia præsentatio ius in beneficium mediâ præsentatione acquiritur; siquidem ille ad quem pertinet institutio tenetur eum instituere. At comparatione præsentati ab excommunicato hanc institutor obligationem non habet, ergo præsentatio nulla est. Deinde præsentatus admittens præsentationem excommunicati vitandi incidit in excom 16

excommunicationem minorem, vtpotè qui communicat cum excommunicato vitando: at innodatus minori excommunicatione incapax est beneficij, & illius iuris. Ergo præsentatio facta ab excommunicato vitando nulla est.

17 Nihilominus etsi prædicta sententia probabilis sit, probabiliorem existimo, quæ asserit validam esse præsentationem à laico factam, vel à Clerico titulo patrimonij, alióve sæculari; vt ex communi sententia docuit Rebuff. *in cap. postulastis numero* 104. *de Clerico excommunicato ministrante.* Rochus de Curte, *tract. de iure patronat. verbo competens quæst.* 8. Ludouicus Gomezius *tract. expectativarum. numero* 60. Vgolin. *tab.* 2. *cap.* 11. §. 2. & *cap.* 13. §. 2. *num.* 13. Henriq. *lib.* 13. *cap.* 7. *num.* 2. Sayrus *lib.* 2. *thesauri, cap.* 6. *num.* 9. Garcia *de benefic.* 5. *part. cap.* 4. *num.* 317. Suar. *disp.* 14. *sect.* 2. Ratio est, quia per præsentationem laicalem non acquirit præsentatus ius firmum in beneficium; siquidem patronus variare potest, donec facta sit institutio, *Cap. cum autem, de iure patronat.* Et tit Glossa, Abbas, & Innocent. Atqui præsentatio Ecclesiastica ideò irrita est; quia ius præsentato confert, & est actus iurisdictionis spiritualis, & officij Ecclesiastici. Ergo cum præsentatio laicalis non tribuat hoc ius, nec sit vsus potestatis spiritualis, sed solùm quædam declaratio authentica voluntatis præsentatoris, & præsentati designatio, iuxta *caput decernimus*, 16. *quæst.* 7. fit sanè validam esse.

18 Ex quo soluitur fundamentum oppositum: negamus namque præsentato ius proprium in beneficium acquiri, sed solum impropriam, quatenus institutor tenetur eum in beneficium instituere, si patronus in præsentatione facta perseuerauerit. Sed quia eam variare potest; ea de causa illud ius non censetur proprium esse. Minus obstat excommunicatio minor, quam præsentatus ex participatione cum excommunicato vitando contrahere potest; quia hæc secundùm probabiliorem sententiam præsentationem beneficij, necdum collationem irritam reddit, sed irritandam. Pæterquam quòd præsentatio laïca non concedit ius, quod excommunicatione infirmetur. Adde hanc excommunicationem minorem facilè præsentatus vitare poterit, vel quia sibi, vel quia Ecclesiæ vile est, ne beneficia diu vacent; quæ sine dubio vacarent, si eo tempore, quo patronus excommunicatus est beneficij institutio suspenditur

19 Verùm esto valida sit præsentatio ab excommunicato vitando, institutor non tenetur eam admittere. Quod verum habet, etiamsi facta sit ab excommunicato tolerato, quia nemo tenetur cum excommunicatis communicare, sicuti tradit Suar. *disp.* 14. *sect.* 2. *num.* 30. Paul. Layman. *lib.* 1. *sum. tract.* 3. *part.* 2. *cap.* 2. *num.* 3. Garcia 5. *p. de benefic. cap.* 4. *num.* 319. Coninch. *disp.* 14. *dub.* 10. *num.* 95. Gaspar Hurtado *disput.* 7. *circa finem difficult.* 3. Quinimò Suar. Garcia, Hurtado, & Layman. existimant & rectè obligatum esse institutorem repellere præsentationem factam ab excommunicato vitando tametsi ea obligatio, vt inquit Suar. solùm sub culpa veniali sit. Quod intelligendum est, cùm nulla adest necessitas: sed quia vrgere necessitas potest admittendi prædictam præsentationem, ne beneficium diutius vacet, vt benè aduertit Coninc. *d. dub.* 10. *concl.* 2. à culpa veniali excusari præsentationis admissio potest.

20 Admissâ verò præsentatione ab excommunicato factâ tenetur institutor eum instituere; quia nulla est causa ob quam excusari possit, vti aduertit Garcia *de benefic.* 5. *part. capit.* 4. *num.* 319. Ea autem præsentati institutio valida est, siue præsentatoris excommunicationem sciat, siue illam ignoret; quia nullo iure irritatur talis institutio, cùm fiat ex patroni consensu. Quod procedit, siue valida sit præsentatio, siue non; quia stante inualidâ præsentatione ius integrum deuoluitur ad institutorem, vt rectè tradit Suar. *dicta disp.* 14. *sect.* 2. *numero* 30. *& seqq.* Coninch. *disp.* 14. *dub.* 10. *num.* 95. Gaspar Hurtado *disp.* 7. *difficult.* 3. *num.* 10. Paul. Layman. *lib.* 1. *sum. tract.* 5. *part.* 2. *c.* 2. *n.* 13. Quando autem institutio præsentati fit ignorată excommunicatione patroni, etsi aliqui Doctores censeant irritam esse institutionem non ob excommunicationis impedimentum, sed ob illius ignorantiam, quæ videtur institutionem inuoluntariam constituere; siquidem cognitâ excommunicatione non illam præstaret institutor. Rectiùs Coninch. *dicto dub.* 10. *num.* 95. Paul. Layman. *dicto cap.* 2. *n.* 13. asserunt eam ignorantiam non irritare institutionem: cùm non sit error, seu ignorantia circa actus substantiam, sed esse causam, vt institutor eam rescindat.

21 Sexto: institutio facta ab excommunicato vitando nulla est, argum. *cap. nouit. De his quæ fiunt à Prælato sine consensu Capituli.* Et *cap. conquerente de officio Ordinarij.* Etenim institutio æquialet collationi, petitque iurisdictionem, quâ excommunicatus vitandus priuatus est. Vti docet Couarruu. *cap. alma mater.* 1. *part.* §. 7. *num.* 9. Henriq. *lib.* 13. *de excommunicat. capite* 7. *numero* 2. Hugolin. *de censur. tab.* 2. *capite* 13. §. 2. *numero* 16. Rebuff. repetit *in cap. postulastis. num.* 130. *de Clerico excommunicat. ministr.* Sayrus *lib.* 2. *thesauri. capite* 6. *numero* 9. Quam Doctrinam extendit Panormit. *in cap. finali de Clerico ægroto, vel debilitato*, ad beneficiorum commendationem: non enim excommunicatus vitandus commendare beneficia potest. Item ad collationem, seu institutionem beneficiorum per modum executionis; quia excommunicatus vitandus nullatenus de beneficiis prouidere potest; cùm priuatus existat omni iurisdictione Ecclesiastică, quæ ad hunc actum necessaria est; sicuti notarunt Couarruu. Henriq. & Sayrus *suprà.*

Septimò: Postulatio solemnis, quæ fit potenti in impedimenta postulari dispensare; si fiat ab excommunicato vitando, nulla est. Secùs verò postulatio non solemnis. Quippè postulatio solemnis electioni æquialet, tribuitque ius postulato, cum non posset postulans ab ea admissa recedere, vt habetur *cap. bonæ memoriæ de postulat.* & notat *ibi* Panormit. *num.* 8. Postulatio verò non solemnis quæ fit ei qui non potest in postulati impedimento dispensare, sed est eius consensus petitio, vti contingit, cùm Canonici volentes Religiosum eligere in sui Prælatum postulant ab Abbate consensum: hæc enim postulatio, quæ Abbati fit, etiamsi fiat ab excommunicatis vitandis valida est. Tum quia fit ei qui non potest impedimenta postulati dispensare. Tum quia nullum ius postulato ex ea postulatione acquiritur. Atque ita ex Panorm. *in cap. 1. de postulat. prælator. num.* 34. notat Sayrus *lib.* 2. *thesauri, cap.* 8. *num* 10. 22

Octauò, quod dictum est de postulatione solemni; & non solemni dicendum est de nominatione solemni, & non solemni. Nam solemnis nominatio, si fiat ab excommunicato vitando, nulla est; secùs verò non solemnis. Etenim solemnis nominatio est quædam electio personæ instituendæ præsentata ei qui instituere debet. Sicuti cùm Canonici nominant aliquem, vel aliquos, illósque Pontifici proponunt, vt quem voluerit instituat in Prælatum: hæc electio si à Canonicis excommunicatis vitandis fiat nullius est valoris, vtpotè quæ ius tribuit electo, & à qua electores recedere non possunt. Argum *cap. contra sanctorum 16. quæst. vlt.* At si Canonici inter se conueniant de iis qui apti sunt prælaturæ, vt super his suffragia mittantur quinam sint eligendi, & pontifici proponendi. Hæc enim aptorum designatio cùm non tribuat vllum ius designatis *cap. quod sicut de Electione*, validè potest ab excommunicatis fieri, vt benè aduertit Sayrus *lib.* 2. *thes. cap.* 6 *num.* 11. 23

Nonò: possessionis concessio, si facienda sit medio aliquo iurisdictionis exercitio nulla erit ab excommunicato vitando facta. At si nullum iurisdictionis actum requirit, vt communiter contingit, valida est, tametsi ab excommunicato vitando fiat, quia possessionis concessio, sicut & illius acceptio est quid facti, non iuris, neque vllum ius nouum concedit possidenti, sed concessum firmat, & roborat. *Cap. pro illorum de Præbendis*, Et *ibi* Panormit. *num.* 16. Rebuff. *cap. postulastis, num.* 130. *& 131. de Clerico excommunicat. ministrante.* Sayrus *lib.* 2. *thesauri, cap.* 6. *num.* 12. Suar. *disputat.* 14. *sect.* 2. *numero* 33. Gaspar Hurtado *disputat.* 7. *de excommunicat. difficult.* 3. *num.* 10. 24

Decimò infertur quid dicendum sit de resignatione beneficij facta ab excommunicato? Et quidem si sit ab excommunicato non denunciato, ferè omnes Doctores asserunt validum esse; quia hæc resignatio non tam est fauor ipsius excommunicati quàm eius in quem fit. At si sit ab excommunicato vitando distinguendum est de resignatione simplici, & absoluta, vel in fauorem tertij; si resignatio absoluta sit, valida est; quia hæc resignatio nihil aliud est quàm quædam beneficij cessio, quæ excommunicato expedit, cùm officium exercere non possit: sicuti notauit Suar. *disp.* 14. *sect.* 2. *circa finem.* 25

Verùm si resignatio facta sit in fauorem tertij censet Couarruu. *cap. alma mater.* 1. §. 7. *numero* 9. Suar. *disput.* 15. *sect.* 2. *numero* 55. Filliucius *de excommunicat. capit.* 6. 9. *num.* 163. inualidam esse; quia videtur iurisdictionis actum exercere, & beneficium aliquo modo resignatario conferre, sicuti eligens, vel præsentans. Præterea excommunicatus priuatus est vsu beneficii, & illius fructibus. At resignans in fauorem tertij eo beneficio vtitur cùm alteri donet. Ergo, &c. Sed rectiùs Bonac. *disp.* 2. *de censur. quæst.* 2. *punct.* 5. *num.* 7. existimat validam esse prædictam resignationem; quia hæc resignatio vltra beneficii cessionem solùm continet designationem personæ in beneficium prouidendæ. At ex vi huius designationis nullum ius designato conceditur, cùm integrum ius in beneficium retineat designans, quousque designatus prouisus sit à Pontifice. Ergo hæc resignatio validè ab excommunicato fieri potest. 26

PVNCTVM XIV.

De nouo effectu excommunicationis, qui est priuatio excommunicationis forensis.

§. I.

Expenditur hæc priuatio in genere.

1 *Excommunicatus priuatus est quolibet actu pertinente ad iudicium.*

2 *Si excommunicatus huic forensi communicationi se ingerat excipi potest in qualibet parte iudicij.*

3 *Hanc exceptionem dilatoriam comparatione excommunicati tolerati opponere potest qui in eo iudicio interuenire debet.*

4 *Modus opponendi hanc exceptionem traditur.* in cap. Pia, de exceptionib. in 6.

5 *Exceptio probanda est intra octo dierum spatium à die oppositionis admissa.*

6 *Probatio exceptionis apertissima esse debet. Et explicatur.*

7 *Opponens excommunicationem, & in probatione deficiens soluere tenetur reo omnes expensas ob eam dilationem factas.*

1 PRiuari excommunicatum quolibet actu pertinente ad iudicium in comperto est apud omnes. Quapropter nequit esse Iudex, actor, Aduocatus, vel testis, vti constat ex *cap. veniens de testibus. Cap. decernimus de sententia excommunic. Capit. de exceptionib. in* 6. & *cap. penult.* & *vlt. 15. quæst.* 6. Etenim cùm excommunicato etiam tolerato omnis communicatio cum fidelibus interdicta sit, & communicatio forensis sit communicatio maximi momenti; efficitur sanè hanc communicationem interdictam esse.

2 Vnde si excommunicatus huic forensi communicationi se ingerat, vltra peccatum quod committit, (quod regulariter mortale est,) potest à iudicio repelli per exceptionem excommunicationis. Quæ exceptio opponi potest in qualibet parte iudicij, scilicet ante sententiam, in ipsa sententia, & post sententiam ante ipsius executionem, vti constat ex *cap. pia, eodem tit. in* 6. Et tradit Glossa, & Panormit. *in dicto capit. exceptionem num.* 12. 19. 20. & 22. Felin. *num.* 13. Hugolin. *tab. 2. cap.* 15. §. 6. *num.* 1. Sayrus *lib. 2. thesauri cap.* 7. *num.* 6. Et rationem tradit Pontifex in *dicto cap. pia*, vt si censura Ecclesia magis timeatur, communionis periculum euitetur, contumaciæ vitium reprimatur & excommunicati dum à communibus actibus excluduntur, rubore perfusi faciliùs resipiscant. Quod intelligendum est de exceptione excommunicationis opposita in vim dilatoriæ, hoc est ad differendam actoris, vel Iudicis intentionem. Secùs verò de exceptione excommunicationis in vim peremptoriæ; hæc enim exceptio supponit actum iam factum, cuius valor exceptione excommunicationis infirmari intenditur. Vti colligitur ex Glossa *in d. cap. pia verbo opponit*, Et *ibi* Ancharran. *n.* 3. Panormit. *in d. c. exceptionem n.* 22. Felin. *num.* 13. Sayrus aliis relatis *lib. 2. thesauri, c. 7. num.* 7.

3 Hanc autem exceptionem dilatoriam comparatione excommunicati tolerati opponere potest qui in eo iudicio interuenire debet, vt est pars aduersa, Iudex, procurator, Notarius, Aduocatus, &c. Comparatione vero excommunicati vitandi non solùm potest, sed tenetur, quia quilibet fidelis tenetur huius communicationem vitare quoad possit, sicuti tradunt aliis relatis Hugolin. *tab. 2. cap.* 13. §. 7. *num.* 5. Sayrus *lib 2. cap. 7. num.* 8.

4 Modus autem opponendi hanc exceptionem traditus est ab Innoc. IV. *in dicto cap. pia de exceptionib. in* 6. nempe vt exprimatur excommunicationis maioris species, illiúsque Author. Nam cùm hæc exceptio manifestissimis documentis comprobanda sit, necessariò exit declarari, quæ excommunicatio, & ob quam causam contracta sit. Itémque illius Authorem, an inquam à lege, an à Iudice ordinario, vel delegato promanauerit excommunicatio. Cùm sæpè ex defectu protestatis contingat excommunicationem nullam esse. Præterquam quòd delegato incumbit ostendere iurisdictionis formam, aliàs eius excommunicatio vim non obtinebit.

5 Exceptio probanda est infra octo dierum spatium à die oppositionis admissæ; vt habetur *dicto cap. pia*, Et *ibi* Glossa, *verbo octo dierum, de exceptionib. in* 6. In quo numero computantur etiam dies feriales, iuxta *leg. siue pars. Cod. de Dilationib.* & *leg. 1. ff. de feriis*. Et tradit Marian. Socinus *in cap. sacris num.* 443. *de sententia excommunicat.* Etenim cùm hæc dilatio, vt inquit Glossa *in dicto cap. Pia*, sæpè malitiosè opponatur, cedátque in grauamen iudicij, meritò ad breue illud tempus restringitur. Neque Iudici permissum est hoc tempus prorogare. Tum quia est à lege statutum, & determinatum. Tum quia cederet in præiudicium illius cui excommunicatio est opposita, cùm ei omnes expensæ soluendæ sint, actore infrà illud tempus non probante. Et tradit Ioann. Andreas *dicto capite pia.* & *in capite solet, de sententia excommun. lib.* 6. Et Marian. Socinus *dicto cap. sacris. num.* 446. quos refert, & sequitur Sayrus *lib. 2. de excommunicat. cap. 7. num.* 15. Hoc autem procedit quando opponens nullâ legitimâ causâ impeditus est, quominus infra illud tempus probare exceptionem posset, nam si iustâ causâ impediatur, vti esset si morbo graui teneretur, actoris malitiâ, vel Iudicis omissione retardaretur, posset & deberet Iudex tempus probationis prorogare. Sicuti ex Innocent. Archidiacono, Ioann. Andrea, & Philippo Franco *in cap. pia de exceptionib. in* 6. refert Sayrus *dicto cap. 7. numero* 15. quia tempus concessum à lege subintelligi debet habile, & expeditum pro consecutione effectus, in quem conceditur.

6 Probatio verò exceptionis apertissima esse debet, vti dicitur *dicto cap. pia.* ibi; *apertissimis documentis*. Quare nec vnus testis sufficit, tametsi fama adiuuetur: nam esto fama sufficiat, vt infamatus vitetur argum. *cap. illud, de Clerico excommunicat. ministrante. Cap. cum desideres, de sententia excommunicat.* quia non agitur de graui præiudicio, vt docuit Couarruu. *capite alma mater. 1. part. §. 1. numero* 5. attamen ad effectum repellendi infamatum à iudicio insufficiens est; quia hæc repulsa graue illi præiudicium parat. Estque expressa repulsi condemnatio, & pœnæ inflictio, quæ absque lucida probatione iniungi non potest, iuxta doctrinam Cyni *in leg. finali, Cod. de Quæstionibus*. Illa igitur erit sufficiens probatio, primò si fiat per confessionem ipsius, cui est excommunicatio opposita. argum. *leg. vnica. Cod. de confessis*. Et *capit. fin.* iuncta Glossa *eodem tit.* Secundò duobus testibus omni exceptione maioribus, qui præsentes fuerunt sententiæ in eum latæ. Vti tradit Glossa *in dicto capit. pia, verbo documentis de exceptionib. in* 6. & *ibi* Geminian. Ancharran & Francus, Marian. Socin. *ca. sacris. numero* 446. *de sententia excommunicat.* Et *capite de monialibus, num.* 3. *eodem titul.* Tertiò probatur excommunicatio, si ab homine lata sit instrumento authentico sententiæ. Si à iure instrumento authentico factum continente. Vti docet Marian. Socinus *in dicto capite de monialibus. numero* 3. *de sententia excommunicat.* Panormit. *in cap. post cessionem. numero* 3. & *ibi* Felin. *numero* 11. & 17. *de probationib.* Hugolin. *tab. 2. capite* 15. §. 10. *numero* 7. Sayrus *lib. 2. de excommunicat. capite* 7. *numero* 18. Quartò sufficiens est excommunicationis probatio, si probes denunciatum esse; nam etsi aliquando fieri possit aliquem iniustè denunciari; quia tamen id rarò, vel nunquam contingit, ideò probata denunciatione censenda est probata excommunicatio, ita vt in negantem transferatur onus probationis. Vti colligitur ex *capit. licet de sententia excommunicat. lib.* 6. vbi Bonifac. VIII. statuit denunciatum in iudialibus, & extraiudicialibus, & legitimis actibus vitari, quousque probet se excommunicatum non esse. Et *in Extrauag. Ad euitanda scandala*, ex sola notitia denunciationis coguntur fideles denunciatum vitare, quin aliam de excommunicatione notitiam haberent; quia præsumi nequit falsitas, & deceptio in his quæ publicè facta sunt. Atque ita docent Hostiens. & Panormit. *in cap. prudentiam de officio Iudicis delegati*. Ioann. Andr. & Immola *in cap. licet. de sententia excommunicat. in* 6. Et aliis relatis Sayrus *lib. 2. thesauri, capit. 7. numero* 19. Et licèt aliqui grauissimi Doctores, vti Couarruu. *in cap. alma mater 1. part. §. 3. numero* 1. Rebuff. *repit. in capite postulastis numero* 76. *de Clerico excommunicat. ministr.* & alij relati à Sayro *dicto capite 7. numero* 19. asserant hanc denunciationis probationem sufficere pro exceptione dilatoria, & non pro peremptoria, vtpotè maioris præiudicij. Rectiùs ipse Sayrus existimat pro qualibet dilatione hanc probationem sufficientem esse. Argum. *dicti capit. licèt.* Et *Extrauag. Ad euitanda.*

7 Quod si opponens excommunicationem in probatione defecerit soluere tenetur reo omnes expensas ob eam dilationem factas, iuxta Textum *in capite Pia de exceptionib. lib.* 6. à qua obligatione eximitur, tametsi in secunda instantia exceptiones probauerit. Vti tradit Ioann. Andreas *in dicto cap. Pia*. At si ipse exceptionem probauerit, econtrario verò exceptus absolutionem examinandum est, an absolutio publica sit, ita vt probabiliter ignorari non possit, vel econtrà si absolutio ignorari probabiliter potest, non est ad solutionem expensarum condemnandus, secùs verò si nulla probabilis ignorantia monstrari possit, vt pluribus comprobat Sayrus, *lib. 2. thesauri, capite 7. numero* 20. vbi *numero* 21. aduertit ex *dicto capite pia* durante eadem causâ hanc excommunicationis exceptionem opponi non posse vltra duas vices, nisi superueniret noua excommunicatio, vel de antiqua euidens, & prompta probatio, ne ob has dilationes lites differantur, & partes laboribus, & expensis fatigentur.

§. II.

Expenditur sigillatim, & in particulari priuatio communicationis forensis.

1 *Iudex excommunicatus abstinere debet à iudicio. Eius acta valida sunt, si vitandus non sit. Si verò vitandus, plures censent etiam valida esse, dum à partibus non excipitur.*
2 *Contrarium vt probabilius docet communis sententia.*
3 *Excommunicatus vitandus inualidè Iudicis arbitri officium exercet.*
4 *Soluuntur fundamenta* num. 1. *adducta.*
5 *Si Iudex appellationem denunciationi interposuit validè sententiam profert, dum non denunciatur.*
6 *Excommunicatus nequit esse actor in iudicio, & repelli potest, & debet à iudice si denunciatus est.*
7 *Procedit conclusio, siue per se, siue per alium agat.*
8 *Item siue agat ciuiliter, siue criminaliter.*
9 *Deinde esto intendat probare iniustè fuisse excommunicatum. Si tamen supponat validè excommunicatum fuisse.*
10 *Repellendus est ab agendo non verò si se solùm defendat.*
11 *Excommunicatus denunciatus conscius fugæ debitoris potest coram Iudice debitorem conuenire.*
12 *Acta ab excommunicato siue per se, siue per procuratorem dum ab agendo non repellitur valida sunt.*
13 *Aduocatus si toleratus sit validè, & licitè officium exercet, dum non repellitur.*
14 *Si verò excommunicatus sit, repellendus est, eius verò acta dum non repellitur valida sunt.*
15 *Procurator tempore excommunicationis officium procuratoris acceptans grauiter peccat.*
16 *Negant validè institui, validèque acceptari mandatum pluri. Sed probabilius est validam esse acceptationem, etsi illicitam.*
17 *Excommunicatus occultus licitè testimonium fert. Secus excommunicatus vitandus.*
18 *Eius testimonium validum est, tametsi ope exceptionis irritari possit.*
19 *In causa fidei non solùm validè, sed licitè excommunicatus vitandus testis est. Secùs in aliis causis.*
20 *Tabellio si excommunicatus denunciatus non sit poterit ad petitionem aliorum instrumenta, & scripturas conficere, dummodò scriptura ad valorem actus non requiratur.*
21 *Excommunicatus vitandus illicitè scripturas conficit. Et communis sententia eas inualidas reputat.*
22 *Sed verius est validas esse, dum à partibus non excipiuntur.*
23 *Reus etiamsi sit excommunicatus vitandus trahi potest ad iudicium.*
24 *Sic in iudicium adductus potest ad omnia sibi obiecta respondere.*
25 *Negant plures excommunicatum per se comparere in iudicio posse.*
26 *Verius est hoc solùm conuenientissimum esse, non tamen necessarium.*

1 HÆc priuatio sufficienter declarabitur, si discurramus per personas, quæ in iudicio interuenire possunt.

Inter has personas primum locum obtinet iudex; hic namque si excommunicatum se sentiat, abstinere debet à iudicando, eius tamen acta valida erunt, si vitandus non sit, vti omnes Doctores docent. At si vitandus existat, plures censent valida esse, dum à partibus non excipitur. sic tradit Victoria *de excommunic. num.* 16. *alias* 346. Mouentur quia est Textus, ex quo colligi possit hæc annullatio, cùm ferè omnes de Iudice Ecclesiastico loquantur, *Cap. audimus.* 24. *q.* 1. *Cap. ad probandum de sententia, & re iudicata. Cap. tanta de excessib. prælator.* quorum decisio ad Iudicem sæcularem extendi non debet, quia pœnæ non sunt extendendæ vltra casum expressum, maximè cùm non est eadem ratio. Alij verò Textus, nempe *cap. decernimus de sentent. excommunicat. in* 6. *cap. exceptionem de exceptionib.* & *cap.* 1. *de exceptionib. in* 6. generaliter loquentes solùm dicunt posse, & debere excommunicatum repelli à iudicio. Sed an eius acta ante exceptionem valida sint non deciditur. Item in *cap. excommunicatus de Hæreticis*, postquam credentes, fautores, & defensores hæreticorum excommunicantur additur pro sæcularibus. Quod si per annum non satisfecerit, & Iudex sit, eius sententia nullam obtineat firmitatem. Ergo extra casum insordescentiæ sententia Iudicis excommunicati firmitatem obtinebit.

2 Cæterùm gesta à Iudice sæculari excommunicato vitando nulla esse, etiamsi contra ipsum non excipiatur, docet communis sententia, vt est in Panorm. *cap. ad probandum de sententia, & re iudic. num.* 2. & *in cap. suscitatus de Rescriptis, num.* 12. Innocent. *in cap.* 1. *de exceptionib. lib.* 6. *in fine.* Marian. Socin. *in cap. sacris. num.* 264. & 265. *de sententia excommunicat.* Et aliis relatis Suar. *disp.* 16. *sect.* 1. *num.* 2. Vazq. *de excommun. cap.* 7. *in fine.* Gaspar Hurtado *disp.* 8. *difficult.* 2. Bonac. *disp.* 2. *q.* 21. *pun.* 7. *num.* 1. Coninch. *disp.* 14. *dub.* 11. *num.* 103. Paul. Layman. *lib.* 1. *sum. tract.* 5. *part.* 2. *cap.* 2. *num.* 14. Et probari potest; quia esto nullus sit Textus, qui expressè gesta à Iudice sæculari excommunicato annullet. At praxi receptum est annullationem factam pro Iudice Ecclesiastico ad Iudicem sæcularem extendi, vti constat ex Doctoribus nuper relatis. Præterea non leuiter colligitur ex *can. Nos sanctorum.* 15. *q.* 6. Pontifex liberat subditos à fidelitate dominorum excommunicatorum, præcipitque ne ipsis obediant, ergo omni iurisdictione priuati existunt, eorúmque præcepta nulla sunt. Deinde in *cap. Præsidentes de Hæreticis in* 6. ob fauorem fidei conceditur excommunicato, vt possit Iudicis officium exercere. Signum ergo est extra hunc casum nihil posse.

3 Hinc infertur inualidè excommunicatum vitandum Iudicis arbitri officium exercere: quia arbiter verè Iudex est, & iurisdictionem exercet, & ad normam iudicij eius arbitrium regulatur. *leg.* 1. *ff. de arbitris*, vt pluribus relatis notauit Sayrus *lib.* 2. *de excommunicat. cap.* 6. *num.* 22. Bonac. *disput.* 2. *q.* 2. *pun.* 7. *n.* 2. Secùs verò dicendum est in arbitratore: hic enim non iurisdictionem exercet, sed compositionem; cùm non procedat secundum iudicij ordinem, sed vt sibi visum fuerit. Atque ita tenet Hugolin. *tab.* 2 *de censur. c.* 11. §. 6. *num.* 3. Sayrus alios referens *d. cap.* 6. *num.* 23. & 24. Bonac. *disput.* 2. *q.* 2. *p.* 7. *num.* 2.

4 Neque fundamenta contraria obstant. Ad primum constat ex probatione nostræ sententiæ. Ad secundum ex *cap. excommunicamus* respondeo, ibi excommunicato insordescenti in excommunicatione per annum plures pœnas designari, quibus ab ipso puncto excommunicationis innodatus erat, vti sunt priuatio Ecclesiasticæ sepulturæ, & exclusio à publicis officiis, inter quas computanda est annullatio sententiæ. Præterquam quòd ibi non videtur loqui Textus de excommunicato denunciato, sed de excommunicato ante denunciationem ob fautoriam hæresis, cuius sententiæ annullantur, si per annum in excommunicatione insorduerit, cùm tamen sententiæ alterius excommunicati ante denunciationem non annullentur.

5 Monet tamen Auila 2. *part. capit.* 6. *disputat.* 7. *in princip.* ex Panorm. *c. pastoralis.* §. *verum. n.* 15. *de appellat.* si Iudex appellationem denunciationi interposuerit validè sententias proferre, quousque declaretur legitimè fuisse excommunicatum, & denunciatum; quia interim denunciatio suspensa est.

6 Secundò excommunicatus nequit esse actor in iudicio etiam sæculari, vti definitur *cap. intelleximus.* Et *ibi* Glossa *verbo conuenire de Iudicis. Cap. exceptionem de exceptionib. Cap. pia eodem tit. in* 6. & tradunt ferè omnes Doctores. Si excommunicatio denunciata non est, etsi repelli possit à parte aduersa, ipsa tamen consentiente ab aliis repelli non debet. At si excommunicatio denunciata sit, & pars excommunicatum non excipit, Iudex ex officio tenetur eum à iudicio repellere iuxta *cap. decernimus. de sententia excommunic.* & *cap. exceptionem de exceptionib.* vt pluribus firmat Sayrus *lib.* 2. *thesauri cap.* 7. *numero* 2. Bonac. *disp.* 2. *q.* 2. *punct.* 7. *num.* 9. Quinimò Iudex sæcularis dissimulans cogi debet ab Ecclesiastico, vt excommunicatum ab agendo repellat: quia penès Iudicem Ecclesiasticum potestas est, ne in iudicio sæculari leges Ecclesiasticæ violentur. Argum. *cap. si celebret. de clerico excommunic. ministr.* & *cap. sacris de iis quæ vi.*

7 Procedit conclusio, siue per se, siue per alium agat; quia quod per alium facimus, per nos ipsos facere videmur, iuxta regulam iuris. Vnde cùm excommunicatus excluſus sit ab agendo per se, excludi debet ab agendo per procuratorem. Argum. *cap. vlt. de procuratorib. in* 6. & tradit ex communi sententia Marian. Socin. *in dicto cap. sacris. num.* 327. *de sententia excommunicat.* Sayrus *lib.* 2. *thesauri cap.* 7. *num.* 4. Suar. *disput.* 16. *sect.* 3. *num.* 4.

8 Deinde procedit siue agat ciuiliter, siue criminaliter; quia Textus indifferenter loquuntur, vti constat ex *cap. exceptionem de exceptionib. & cap. pia eodem tit. in* 6. & notat Panormit. *in cap. intelleximus. n.* 4. *de iudiciis.* Felin. *in cap.* 2. *num.* 13. *de exceptionib.* Henriq. *lib.* 13. *cap.* 7. *num.* 4. Hugolin. *de censur. tab.* 2. *cap.* 15. *num.* 4. Neque obstat, quod propriam iniuriam prosequi intendat, aut solutionem sibi debiti recuperare. Vti tradit Panormit. *in cap. cum inter de exceptionib. num.* 29. & *cap. à nobis eodem tit. n.* 4. Et *ibi* Felinus *n.* 9. Sayrus *lib.* 2. *Thesauri, cap.* 7. *num.* 5. quia meritò ab his commodis priuandus est, qui in excommunicatione persistens censuras Ecclesiæ negligit. Neque refert quod aduersus alium excommunicatum agat; quia alterius excommunicatio, cùm non tollat actoris excommunicationem, neque eius effectum impedire valet, sicuti notauit Glossa, & Innocent. *in cap. à nobis de exceptionib.* & *ibi* Panorm. *num.* 8. & 9. Felin. *n.* 13. Hugolin. *tab.* 2. *de censur. cap.* 15. §. 4. Sayrus *d. cap.* 7. *num.* 5. qui aliis relatis censet solùm excommunicato denunciato permitti posse accusare hæreti-

hæreticum ob fidei fauorem; eo quòd hæresis sit peccatum cedens in graue Reipublicæ præiudicium.

9 Denique procedit, esto intendat probare iniustè fuisse excommunicatum; si tamen supponat validè excommunicatum esse nam prius absoluendus est, & postmodum eius probationes admittendæ, vti deciditur *cap. cum contingat. de officio delegati. cap. per tuas de sententia excommunicat.* Et tradit Panormit. & Felin. *ibi* Suar. *disp.* 16. *sect.* 3. *num.* 1. Sayrus, *lib.* 2. *cap.* 7. *num.* 4. Quinimò Glossa *in cap. solet.* §. 2 *verbo actor, & verbo extra iudicium de sententia excommunicat. in* 6. Et *ibi* Geminian. Philippus Francus, Ancharran. & Stephanus Costa, quos refert, & sequitur Sayrus *loc. alleg.* Neque audiendum esse prædictum excommunicatum, etsi probare intẽdat excommunicatum non esse, eo quòd legitimam appellationem interposuerit, vel sententia contineat intolerabilem errorem: quia dum nullitas excommunicationis cognoscitur vitandus est. Sed rectiùs Gaspar Hurtado *disp.* 8. *difficult.* 3. & Suar. *sect.* 3. *num.* 1. & Bonac. *disputat.* 2. *quæst.* 2. *punct.* 7. *numero* 7. admittendum esse dicit. Tum quia non constat de excommunicatione ob quam vitari debet. Tum quia neganda non est defensio in causa excommunicationis. Si enim vt statim dicam, excommunicatus à iudicio non repellitur, si non agendo, sed se defendendo procedat, cur repellendus est à probatione nullitatis excommunicationis, cùm hæc non actio, sed defensio sit.

10 Dixi *repellendum esse ab agendo*: nam si solùm se defendat repelli non potest à iudicio. Vt habetur *capit. cum inter. Cap. significarunt. Cap. dilecti filij de exceptionib.* Quippè defensio iure naturali concessa neganda non est. Et tradit Suar. *dicta sect.* 3. Reconuenire verò suum actorem in alia causa præter eam, de qua agitur nequaquam potest, quia id esset officium actoris assumere, vt in eisdem Textibus definitur. Vnde si excommunicato debitum solutum exigitur, vt iterum soluat allegare poterit se voluisse, & probare testibus, vel instrumentis falsò sibi debitum postulari. Item si delictum, seu iniuria recompensationem accepit, poterit hanc recompensationem probare, si iniuriatus agat de delicto. Denique si actor aliquo impedimento laboret, quo ab agendo repellatur, potest reus excommunicatus impedimentum obiicere, & probare, argum. *leg. si contendat ff. de fideiussorib.* quia (vt rectè inquit Suar.) in his omnibus excommunicatus non agendo, sed se defendendo procedit, quod iure naturali concessum est.

11 Quinimò addit Couarruu. *lib.* 1. *var. resolut. cap.* 13. quem refert, & sequitur Bonac. *disp.* 2. *de excommunicat. quæst.* 2. *punct.* 7. *num.* 8. excommunicatum denunciatum conscium fugæ debitoris posse coram Iudice debitorem conuenire, vt debito securitatem præstet, quia in ea petitione, & Iudicis officij implorationè censendus est non tam agere aduersus debitorem, quàm se ab iniuria debitoris inferenda defendere.

12 Illud pro certo habendum est acta ab ipso excommunicato, siue per se, siue per procuratorem interim dum ab agendo non repellitur, aut ei exceptio excommunicationis opponitur valida esse, sicuti deciditur *cap. pia de exceptionib. in* 6. & pluribus comprobat Sayrus *lib.* 2. *de excommunicat. cap.* 7. *in fine.* Quinimò vt ait Couarruu. *lib.* 1. *variar. c.* 19. *num.* 5. Et Auila 2. *p. de censur. cap.* 6. *disp* 7. *dub.* 2. in hoc Hispaniæ regno passim excommunicatus ad agendum admittitur. Ex quo fit eius acta valida esse.

13 Tertio loco succedit Aduocatus, qui si excommunicatus sit etiàm toleratus ab aduocando abstinere debet, ne cum fidelibus communionem habeat. Si tamen à fidelibus inuitetur, neque à Iudice repellatur licite, & validè suum officium exercebit ob fidelium fauorem. Sicuti notauit Sthephan. Stephan. Dauila 2. *p. de censur. cap.* 6. *disp.* 7. *dub.* 3. Gaspar Hurtado *disp.* 8. *de excommunicat. difficult.* 7.

14 At si excommunicatus vitandus sit omnino repellendus est tum à Iudice, tum ab omnibus illis, qui cum ipso iudicialem communicationem habere possunt. Vti colligitur ex *cap. decernimus.* Et *ibi* Glossa, *verbo patrocinando de sententia excommunicat.* Et tradit Henriq. *lib.* 13. *cap.* 7. *num.* 4. Hugolin. *tab* 2. *cap.* 18. Sayrus *lib.* 2. *de excommunicat. cap.* 7. *num.* 5. Auila Gaspar Hurtado *suprà*. Acta verò ab hoc aduocato dum non repellitur, vel excipitur, valent, quia nullibi inueniuntur irrita, ideóque stipendium sibi datum pro labore interim dum non excipitur retinere licitè potest, vt benè notauit Gaspar Hurtado *difficultat.* 7. Auila *dubit.* 3. Petr. Nauarra *lib.* 2. *de restit. numero* 237. *in* 2. *edit.* Coninch. *disputat.* 14. *dudit.* 11. *concluſ.* 2.

15 Quartò. Procurator, si tempore excommunicationis officium acceptet peccat grauiter, quia est communicatio politica, & in officio publico, à qua per excommunicationem excluſus est.

16 Sed an validè instituatur, validéque mandatum acceptet? difficultate non caret. Nam Panormit. *in cap. post cessionem numero* 10. *& seqq. de probationib.* Decius *ibi*, *num.* 20. Marian. Socin. *cap. sacris numero* 415. *de sententia excommunicat.* Hugolin. *tab.* 2. *de censur. cap.* 19. §. 3. Sayrus *lib.* 2. *de excommunicat. cap.* 8. *num.* 8. *numero* 7. *& seqq.* negant, ducti ex *dicto cap. post cessionem*, vbi Innocent. III. repellit procuratorem à iudicio; eo quòd tempore excommunicationis institutus fuit. Deinde constitutio procuratoris est constitutio officij publici, vt constat ex *leg.* 1. *ff. de Procuratorib.* Sed excommunicatio omni iudicio, & authoritate publicâ priuat, ergo. Nihilominus verius censeo validam esse, etsi illicitam procuratoris institutionem, & acceptionem tempore excommunicationis factam; quia nullibi reperitur irrita, & annullatio actus introducenda non est absque manifesto Textu. Neque Textus in *cap. Post cessionem* id probat. Nam verba illa Pontificis, *ipsum tanquam procuratorem non duximus admittendum*, non denotant officium procuratoris non valuisse validè exercere, dum non excipiebatur, sed denotant debere repelli; eo quòd officium procuratoris tempore excommunicationis assumpserit. Sicuti docet Suar. *disp.* 16. *de censur. sect.* 7. *num.* 8. Et colligitur ex Coninch. *disputat.* 14. *dubitat.* 11. *concluſ.* 2. *numero* 10.

17 Quintò testis si excommunicatus occultus sit licitè testificari poterit, quia actus testificandi ex natura rei in fauorem alterius ordinatur. At per Extrauag. *Ad euitanda scandala* excommunicatis occultis permittitur communicatio cum fidelibus in eorum fauorem cedens. Sicuti docuit Bonac. *disput.* 2. *de censur. quæst.* 2. *punct.* 7. *num.* 12. Poterit tamen Iudex eius testificationem in excommunicatione factam non admittere, vel pars exceptionem excommunicationis opponere, quâ positâ testimonium nullum erit; quia vt sæpè dictum est fideles non astringuntur cum excommunicato tolerato communicare, etsi possint. Sic aliis relatis notauit Auila 2. *part. de censur. cap.* 6. *disp.* 7. *dub.* 4. Si verò excommunicatus vitandus sit, nequaquam poterit licitè testimonium ferre, *cap. veniens* 2. *de Testibus. Cap. decernimus, de sententia excommunicat. in* 6. Non videtur autem culpam venialem excedere; quia actus testificandi non procedit à potestate publica, sed priuata.

18 Sed an validum sit eius testimonium dum à parte non excipitur? non conueniunt Doctores. Nam Marian. Socin. *in cap. sacris num.* 405. *de sententia excommunicat.* Vazq. *de excommunicat. dub.* 5. Gaspar Hurtado, *disp.* 8. *difficult.* 6. negant validum esse, eo quòd prædicto testimonio non sit fides necessariò adhibenda iuxta Textum in *cap. nullus* 3. *quæst.* 4. in quo testimonij valor videtur consistere. Sed rectiùs affirmatur validum esse, tametsi ope exceptionis irritari possit, dum sententia lata non fuerit, Hugolin. *tab.* 2. *de censuris cap.* 17. §. 1. Sayrus *lib.* 1. *de excommunicat. cap.* 8. *num.* 1. *& seqq.* Coninch. *disp.* 14. *dub.* 11. *concluſ.* 1. *num.* 110. Suar. *disp.* 16. *sect.* 6. *num.* 6. Bonac. *disputat.* 2. *de censur. quæst.* 2. *pun.* 7. *num.* 12. & colligitur apertè ex *cap.* 1 *de exceptionib. in* 6. & *ex cap. excommunicamus.* §. *credentes de Hæreticis*, vbi testimonium excommunicati ob hæresis fautoriam nullum declaratur, tacitè innuens ob aliam causam valere. Etenim vt *superius* diximus actus annullatio asserenda non est absque manifesto Textu, & ratione: nullibi autem inuenitur testimonium excommunicati irritum. Ergo. Quod autem prædicto testimonio non sit necessariò fides adhibenda, sed possit ope exceptionis elidi, id solùm probat eius valorem non esse firmum, non tamen conuincit validum non esse, dum non excipitur, interim namque fides ei est adhibenda.

19 Illud est certum in causa fidei non solùm validè, sed licitè excommunicatum vidandum testem esse, vt habetur *cap. in fidei fauorem de Hereticis in* 6. Et notant *ibi* Doctores, Geminian. Ancharran. Francus in *cap. decernimus de sententia excommunicat.* Sayrus *lib.* 2. *de excommunicat. cap.* 8. *numero* 1. Suar. Auila. Coninch. Gaspar Hurtado, Bonac. *locis citatis.* Quinimò aliis vt Bonacinæ *dicto punct.* 7. *numero* 12. placet in causa matrimoniali licitè excommunicatum vitandum admitti in testem posse; quia causa matrimonialis est causa validè fauorabilis, Argum. *capit. fin. de sentent. & re iudicata.* Sed rectiùs cæteri Doctores solùm in causa fidei concedunt excommunicato vitando, vt se in testem actorem, & accusatorem ingerere possit; quia solum in causa fidei, vtpotè grauissima id expressum inuenitur, & cùm sit exceptio à generali regula, non debet ad alios casus extendi, præcipuè cum ratio longè diuersa sit. Neque obstat causam matrimonialem esse fauorabilem; quia non est æquè fauorabilis, ac causa fidei. Et casu quo æquè fauorabilis esset, id solùm probat debere huiusmodi causæ eundem fauorem concedi, qui causæ fidei concessus est, non tamen probat quod de facto concessus sit. Adde si in causa matrimoniali permittendum esset excommunicato, vt se in testem, & actorem ingerat; quia est causa fauorabilis, potiori ratione id permitti debet in causa pupilli, viduæ, Ecclesiæ, & similium, quod nullatenus à Doctoribus conceditur.

20 Sextò, Tabellio si excommunicatus denunciatus non sit poterit ad petitionem aliorum instrumenta, & scripturas sui officij conficere, non solùm validè, sed licitè, vti docuit Suar. Ægid. Auila, & alij statim referendi. Quod intelligendum

dum est de scriptura, quæ non ad valorem actus, & obligationem inducendam necessaria est, sed solùm ad illius probationem. Nam scriptura quæ ad valorem actus requiritur, vt in testamento contingit, in sententia definitiua Iudicis, & similibus, si facta sit ab excommunicato etiam tolerato valorem non habet, qualem ipse actus requirit. Quippè actus ille testamentum, & sententia firmitatem, & perpetuitatem expostulat irrefragabiliter, hanc tamen habere nequit ab excommunicato confectus, cùm possit eo ipso excipi tanquam nullius fidei, vt benè aduertit Coninch. *disp. 14. dub. 11. n. 113.* Paul. Layman. *lib. 1. sum. tract. 6. par. 2. cap. 2. n. 15.*

Si verò sit excommunicatus vitandus illicita erit scripturarum confectio; quia est quædam cum fidelibus communicatio, & grauis ex suo genere, eo quòd sit ratione publici officij, & numeris, vt notauit Bonac. *disp. 2. quæst. punct. 7. numero 4. vers. dixi.* Sed an sit inualida, non est certum. Communis sententia Canonistarum affirmat, quos refert, & sequitur Henriq. *libro 13. de excommunicat. capite 9.* Auila 2. *part. de censur. cap. 6. disp. 6. dub. 5.* Gaspar. Hurtado *disp. 3. de excommunicat. difficult. 5.* Mouentur ex *capite nullus. 2. quæst. 3.* ibi, *Nullus anathematizatorum susciptatur, neque à quoquam credantur quæ ab eis dicuntur, vel conscribuntur: at si valida essent eorum scripturæ deberet eis fides adhiberi, quia in nullo alio firmitas earum consistit, ergo.* Verùm hic Textus non conuincit. Fateor namque anathematizatis non esse credendum ex necessitate, cùm eorum testimonium oppositio anathemate elidi possit; at dum non opponitur validum est, & fides ei adhibetur, & sententia ob illius causam lata valorem continet, vt rectè aduertit Coninch. *disputatio. 14. dub. 11. conclus. 1. num. 111.*

31 Quapropter dicendum est prædictas scripturas validas esse, fidémque facere, dum à partibus non excipiuntur; quia nullibi inueniuntur irritæ. Sicuti docet Suar. *disp. 16. de censur. sect. 5 num. 5.* Coninch. *dicta disp. 14. dub. 11. concl. 2. & 3.* Bonac. *disp. 2. de excommunicat. quæst. 2. punct. 5. numero 8. & punct. 7. numero 4.* In foro autem externo neque debent admitti, sed tanquam nullius fidei repelli, vti notarunt Coninch. & Suar. *locis citatis.* Verùm si ex consensu partium scripturæ ab excommunicato conficiatur, distinguendum est, si partes conscíæ fuerunt excommunicationis, nullus eorum poterit spectato conscientiæ foro excommunicationis exceptionem opponere, vt scripturam infirmet; quia prædicto consensu videntur iuri exceptionis cessisse, & scripturæ firmam fidem adhibuisse. At si excommunicatio ignota esset, optimè posset quilibet exceptionem excommunicationis opponere, & fidem scripturæ elidere, vt benè aduertit Suar. *dicta sect. 5. n. 5.*

33 Septimò, & vltimò intercedit in iudicio reus, qui esto excommunicatus vitandus sit, trahi potest ad iudicium, vti deciditur *in capite intelleximus. de Iudiciis.* Ne vt *ibidem* dicitur, commodum ex sua excommunicatione reportet. Neque opus est, vt priùs ab excommunicatione absoluatur, aut faciat quantum in se est pro absolutione obtinenda, quia iura permittentia excommunicatum trahi vt reum ad iudicium, supponunt persistentem in excommunicatione trahi posse.

Noranter vsus sum verbo *trahi*, quod necessitatem indicat, neque enim excommunicatus etiam vt reus comparere in iudicio permittitur, si non ex necessitate, sed ex voluntate compareat; quia cùm ex voluntate compareat pro suo, vel communi commodo comparere censetur, iuxta Textum *in capite veniens. 2. de Testibus.* Et *Authent. si omnes, Cod. si minor ab hæreditate se abstineat.* Et pluribus exornat Sayrus *libro 2. de excommunicat. cap. 9. num. 11. & seqq.* Suar. *disp. 16. sect. 4. num. vlt.* Quod commodum nullatenus iura præstare excommunicato intendunt. Ideóque in *dicto cap. intelleximus de iudiciis*, dicitur obligatum esse in iudicio compatere, ne commodum ab excommunicatione reportet. Supponit ergo Textus excommunicati interessentiam in iudicio non fore illi commodam, sed incommodam.

34 Postrà autem hac in iudicio præsentiâ potest excommunicatus ad omnia sibi obiecta respondere, testes & instrumenta in sui defensionem producere, Iudicem, Aduocatum, Scribam, & Procuratorem eligere. Quinimò poterit exceptionibus dilatoriis vti. Tum aduersus Iudicem eum recusando, vel eius iurisdictionem declinando. Tum aduersus actorem obiiciendo ei excommunicationem, si fortè in ea sit, vel quodcunque aliud impedimentum, quo à iudicio repelli possit. Tum aduersus procuratorem, si de legitimo mandato non constet. Tum aduersus testes, quod non debeat eis fides adhiberi. Denique vti potest quacunque exceptione, quæ ad sui defensionem dirigatur. Vnde si sentiat se sententia grauari, poterit appellationem interponere, quæ admittenda est, ac si excommunicatus non esset, ex Textu *in cap. cum inter de exceptionib.* Et *capite significauit, eodem tit.* Nam appellatio est quædam iuris defensio ad grauamen remouendum. *Capite suggestum de appellationib.* Atqui excommunicato omnis defensio permissa est, vtpotè quæ à iure naturali est introducta. Et colligitur *ex capite dilecti filij. Cap. dilecta. Capite significauit. De exceptionib.* Et *ibi* Doctores. Ergo permissæ sunt prædictæ exceptiones, & appellationes. Atque ita docent Glossa *in cap. intelleximus de iudiciis.* Hugolin. *tab. 2. de censur. cap. 11 5. §. 1. & c. 16. §. 2. 3 & 4.* Sayrus *lib. 2. thesauri casuum, cap. 8. à n. 13.* & alij passim.

Sed an excommunicatus per se comparere in iudicio pos- 35
sit? Non conueniunt Doctores. Nam Decius *in capite intelleximus de iudiciis. numero 7.* Et *ibi* Felin. *numero 3.* Syluest. *verbo Excommunicatio 3. num. 1. effectu 12.* Hugolin. *de censur. tab. 2. cap. 16. §. 8. num. 1.* Auila 2. *part. cap. 6. disp. 7. dub. 2.* Gaspar Hurtado *disp. 8. de excommun. difficult. 4.* Paul. Layman. *lib. 1. sum. tract. 5. par. 2. cap. 1. num 15. in fine*, negant posse per se comparere, sed necessariò obligatum esse procuratorem eligere, & medio illo respondere, nisi forte ita pauper sit, vt non possit procuratori stipendia subministrare, vel eo in loco non reperiatur procurator idoneus. Quia in *cap. intelleximus de iudiciis* expressè deciditur excommunicatum posse in iudicio conueniri, & debere per alium respondere. Verbum enim *debere* necessitatem importat, & æquè tum responsionem, tum modum respondendi respicit, at excommunicatus si conuenitur ex necessitate respondet. Ergo etiam ex necessitate respondere debet per alium.

Cæterùm etsi hoc conuenientissimum sit, vt excommuni- 36
cationis effectus rectiùs obseruetur, & minima quoad fieri possit communicatio cum excommunicato habeatur, non tamen est necessarium, sed poterit excommunicatus per seipsum in iudicio comparere: vti tradit Glossa *in dicto capite intelleximus, verbo conueniri.* Et *ibi* Innocent. Hostiens. Panormit. quos refert, & sequitur Sayrus *lib. 2. de excommunicat. cap. 8. in fine.* Suar. *disp. 16. sect. 4. num. 6.* Coninch. *disp. 14. dub. 11. in fine.* Bonac. *disp. 2. de excommunicat. quæst. 2. punct. 7. num. 8.* Filliucius *tract. 12. cap. 7. quæst. 5. num. 181.* Mouetur, quia in *c. dilecti filij, & cap. vlt. de exceptionib.* permittitur absolutè excommunicato respondere in iudicio. Non igitur hæc permissio credi debet restricta. ex *capite intelleximus*, maximè cùm iure naturali concessa sit cuilibet propria defensio. Ergo quoties excommunicatus censet se melius posse per se ipsum defendere, quàm procuratore interposito illi concedendum est. Adde si excommunicatus non posset per seipsum comparere, quoties medio procuratore præstare posset, neque Iudex posset eum admittere, quin priùs probetur procuratoris impossibilitas; at inde lites dilatarentur, & excommunicatus his dilationibus commodum reportabit. Non igitur præsumendum est id esse à iure statutum. Nam licèt Textus *in capite intelleximus* decidat, debere excommunicatum, & verbum *debet* responsionem, & modum afficiat; diuersimodè tamen, nam responsionem ex necessitate, modum ex conuenientia. Quod colligo tum ex rationibus nuper dictis. Tum quia Pontifex solùm interrogatus fuit, an excommunicatus in iudicio conuentus obligatus esset respondere: Cui interrogationi respondit, debere: & licèt huic responsioni modum addiderit, vt ea responsio per alium fiat, id non ex necessitate, sed ex conuenientia dictum est; vt praxis, & vsus comprobat.

PVNCTVM XV.

De decimo effectu excommunicationis, qui est priuatio cuiuscunque vsus officij publici.

1 *Etsi aliquibus placeat excommunicatum illicitè, & inualidè officium Tutoris, Curatoris, &c. exercere: Verius est oppositum.*

2 *Assistentia Parochi excommunicati, etiam non tolerati matrimonium contrahentibus, valida est.*

3 *Licentiam concessam à Parocho alteri Sacerdoti assistendi matrimonio, etsi aliqui censeant illicitam, & inualidam esse ab excommunicato vitando, verius est valere.*

4 *Admissio, seu receptio professionis Religiosæ facta ab excommunicato etiam vitando, valida est.*

ALiquibus videtur excommunicatum non solùm illicitè, 1
sed inualidè officium Tutoris, Curatoris, Hospitalarij, & similium exercere; quia hæc officia etsi iurisdictionem non habeant authoritate publica constituuntur. §. *Nam & tutelam instit. de excusationibus tutorum.* At excommunicatus excluſus est ab omni vsu officij publici, vtpotè quia à communione fidelium est separatus. Ergo, &c. Sic relato Hugolino *tab. 2. de censur. cap. 14* docet Sayrus *lib. 2. de excommunicat. cap. 7. n. 2.* Sed rectiùs contrarium docuit Suar. *disp. 16. sect. 8. per tot.* Nam esto Tutor, Curator, Hospitalarius authoritate publicâ constituantur, non tamen in vtilitatem publicâ, sed priuatam. Quæ autem in priuatam vtilitatem constituuntur etsi authoritate publicâ, irrita non sunt, nisi excipiantur;

aliàs acta à Procuratore, Actore, Aduocato, & similibus irrita essent contra supradicta, cùm horum officia authoritate publicâ sint constituta.

2 Secundò assistentia Parochi excommunicati etiam non tolerati contrahentibus matrimonium valida est, quia hæc assistentia etsi authoritate publicâ præstetur non est actus iurisdictionis, cùm sufficienter præstetur ab inuito, quod alienum est à iurisdictionis vsu, sed est executio cuiusdam conditionis à Concilio Trident. requisitæ pro matrimonij valore, quæ cùm nullibi annulletur facta ab excommunicato vitando, valida censeri debet: vt benè Sanch. *lib. 3. de matr. disp. 21.* Henriq. *lib. 11. cap. 3.* Rebell. *lib. 2. de obligat. iustit. quæst. 9. num. 9* Bonac. *de matr. quæst. 2. pun. 8. numero 11.* & *de censur. disp. 2. quæst. 2. pun. 5. num. 1.* Gaspar Hurtado, *disp. 7. difficult. 2.* Paul. Layman. *lib. 1. sum. tract. 5. part. 2. cap. 2. num. 13. in fine.* Conich. *disp. 27. dub. 2. concl. 7.* Neque obstat excommunicatum vitandum testem esse non posse: quia Parochus matrimonio assistens non est testis deponens, sed inspiciens. Inspicere autem matrimonium, illisque præsentem esse, vt postmodum testificari possit, validè potest ab excommunicato vitando præstari. Adde testificationem excommunicati dum non excipitur validam esse, vt *superiùs* diximus.

4 Tertiò: licentia concessa à Parocho excommunicato alteri Sacerdoti ad assistendum matrimonio illicita est, nisi grauis necessitas vrgeat; quia est quædam communicatio cum fidelibus, & de se grauis. Sed an valida sit? Dubium est. Conueniunt Doctores validam esse, si ab excommunicato tolerato præstetur; quia dum toleratur officium Parochi, & iurisdictionem retinet. At si ab excommunicato vitando concedatur, negat Coninch. *disputat. 27. de matrim. dub. 2. num. 25.* Auila *2. punct. de censur. cap. 6. disp. 3. dub. 1. concl. 4. & 5.* validam esse concessionem; eo quòd hæc licentia sit actus iurisdictionis, quâ excommunicatus priuatus est. Quippe nullus potest alteri licentiam, & facultatem aliquid faciendi concedere, nisi iurisdictionem, vel dominium habeat, vel facultatis, concessæ, vel personæ cui conceditur. Præterea mediâ hac facultate Sacerdos qualificatur, vt matrimonio validè assistat. Est igitur hæc facultatis concessio iurisdictionis actus. Rectiùs oppositum censet Sanch. *d. disp. 21.* Filliuc. *tract. 10. cap. 6. num. 204.* Bonac. *de matrim. quæst. 1. pun. 8. num 22.* & *de censur. disp. 2. quæst. 2. pun. 5. num. 1.* Gaspar Hurtado *disp. 7. de excommun. difficult. 2.* Quia concessio huius facultatis non est actus iurisdictionis, sed dominij, sicuti est quælibet procuratoris constitutio: cùm Parochus nihil aliud faciat concedens hanc licentiam, quàm potestatem assistendi, quam habet, in alterum subrogare. At hæc potestas residens in Parocho non est iurisdictio, ergo neque illius in alterum subrogatio. Adde quod Sacerdos à Parocho designatus potens sit matrimonio assistere, & ex eius præsentia matrimonium subsistat, non tam procedit à Parocho designante, quàm à Concilio Tridentino concedente eam facultatem Sacerdoti, quem Parochus designauerit, sicuti ipse Parochus ex Tridentino habet esse inspectorem qualificatum, cuius præsentia valorem matrimonio præstat. Ex his solutum est fundamentum oppositum.

4 Quartò admissio, seu receptio professionis Religiosæ facta à Prælato excommunicato etiam vitando valida est, vti docet Sanch. *lib. 5. in Decalog. capite 4. numero 78.* Paul. Layman. *lib. 1. sum. tract. 5. part. 2. cap. 2. num. 13. in fine.* Nam hæc admissio non est iurisdictionis propriæ, sed cuiusdam superioritatis vsus competens Prælato ratione sui officij: aliàs fœmina, & laicus, qui iurisdictionis Ecclesiasticæ incapaces sunt professionem admittere non possent. Ob eandem rationem valida est commissio admittendi professionem facta à Prælato excommunicato; quia ea commissio non est iurisdictionis, sed potestatis cuiusdam concessio admittendi obligationem, quam professus Religioni facit, obligandique Religionem ipsi professo sicuti cùm Prælatus alicui concedit facultatem admittendi contractum quo contrahens Religioni obligetur, & Religio contrahenti, non exercet propriè iurisdictionem, sed superioritatem.

Punctum XVI.

De vndecimo effectu excommunicationis, qui est priuatio cuiuscunque ciuilis obligationis, & contractus

1 *Excommunicato interdictum est quemlibet cum fidelibus contractum inire.*
2 *Plures censent prædictos contractus inualidos esse in fauorem excommunicati, validos tamen in fauorem aliorum contrahentium.*
3 *Verius tam ex parte excommunicati, quàm ex parte aliorum validos esse.*
4 *Aliqui limitant, vt prædicta doctrina procedat in contractibus nomine proprio celebratis. Secùs authoritate publicâ. Sed non approbatur.*
5 *Validum est contractum matrimonium ab excommunicato celebratum.*
6 *Validum quoque est testamentum etiam ab excommunicato vitando confectum.*
7 *Excommunicatus vitandus hæres institui potest.*
8 *Ab hac doctrina excipiuntur aliquot casus.*

CVm excommunicato interdicta sit quælibet cum fidelibus communicatio, vt constat ex *toto titul. de sententia excommunicat.* & ex pluribus Textibus relatis 11. *q. 3.* manifestum est ei interdictum esse quemlibet cum fidelibus contractum inire; siquidem contrahendo communione hominum vtitur. Argum. *leg. 1. §. conuentionis ff. de Pactis.* 1

Sed an contractus ab excommunicato initi firmitatem habeant, indicántque obligationem tam ex parte excommunicati, quam aliorum quibuscum celebrantur? non ita constat: Nam Hostiensis, *in cap. veritatis de Dolo & contumacia* & *est verò de sententia excommunicat.* Cardinal. *in cap. pia de exceptionib. lib. 6.* & *in cap. quanquam de Vsuris. lib. 6.* Archidiacon. *in cap. 1. de iure patronat. lib. 6.* & alij relati à Mariano Socino *cons. sacris n. 458. de sententia excommunica.* censent validos esse contractus in fauorem aliorum contrahentium non excommunicatorum, secùs verò in fauorem excommunicati. Nam cùm excommunicatus contrahens sit legum interdictarum communicationem transgressor, æquum non est, vt legibus ipsis subueniatur. Quod enim contra ius fit, pro infecto haberi debet. Regula *quæ contra ius ff. de Regulis iuris.* Et confirmatur, excommunicatus petens in iudicio executionem contractus in excommunicatione initi non auditur, sed repellitur. *Cap. pia de exceptionib. in 6.* Alij vero aduersus excommunicatum agere possunt. Signum ergo est contractum in excommunicati fauorem non tenere; benè tamen in aliorum commodum. 2

Cæterùm omnino tenendum est contractum initum ab excommunicato etiam vitando validum, & firmum esse, obligarique ex illo excommunicatum quibuscum contrahit, & contrahentes ipsi excommunicato; vti ex communi sententia tradit Panormit. *in cap. ad probandum n. 8. de sententia, & re iudic.* Et *ibi* Felin. Rebuff. *in cap. postulastis num. 15. de Clerico excommunic. ministr.* Couarruu. *in cap. alma mater 1. p. §. 1. num. 9.* Hugolin. *tab. 2. de censur. cap. 20. §. 1.* Sayrus *lib. 2. de excommunicat. capit. 9. num. 11.* Vazq. *de excommunicat. dub. 8.* Coninch. *disputat. 24. dub. 12. num. 119.* Gaspar Hurtado *disp. 9. de excommunicat. difficult. 1. numero 5.* & alij apud ipsos. Colligitur ex *cap. cum illorum de sententia excommunicat. Cap. significasti. De eo qui duxit in matrimonium. Cap. inter dilecta de Donationib. Capit. vltimar. de pœnis in 6.* Ratio est manifesta; quia annullatio, irritatióque contractus, vtpotè odiosa inducenda non est absque manifesto Textu, & ratione. At nullus est Textus, ex quo hæc irritatio colligi possit. Nam esto legibus Ecclesiasticis interdicantur contractus cum excommunicato, non tamen irritantur. Non enim quidquid contra legem fit pro infecto habendum est, aliàs contractus non solùm in fauorem excommunicati; sed etiam in fauorem aliorum non excommunicatorum irritus esset; siquidem ipsis etiam non excommunicatis interdicta est cum excommunicato vitando communio. Regula *quæ contra ius fiunt &c.* intelligenda est de iis quæ fiunt contrà ius irritans, & annullans, secus verò de his quæ fiunt contra ius tantum prohibens. Minùs probat hanc contractus irritationem, quod excommunicatus petens executionem contractus in excommunicatione initi repellatur; quia non repellitur eo quòd in excommunicatione fuerit celebratus, sed ex eo quòd ipse excommunicatus sit; siquidem ab excommunicatione absolutus agere in iudicio poterit pro obligatione sibi excommunicato facta. Argum. *cap. felicis* vers. *cum autem de Pœnis, lib. 6.* Et notauit Felin. *in cap. si verò colum. 2. de sententia excommunicat.* Ioann. de Selua *tract. de benefic. 3. p. quæst. 4.* quos refert, & sequitur Sayrus *lib. 2. de excomm. c. 9. n. 17.* Gaspar Hurtado *disp. 9. difficult. 1. num. 5.* 3

Hinc fit validam esse venditionem, emptionem, locationem ab excommunicato factam, vti colligitur ex *cap. si verò de sententia excommunicat.* & *capit. quoniam multos 11. quæst. 3.* Item validam esse donationem tum ab excommunicato, tum ipsi excommunicato factam, *cap. inter dilectos, de donationib.* sicuti aduertit Sayrus, Coninch. Vazq. Hurtado *suprà.* Bonac. *disp. 2. q. 2. p. 5. num. 2.*

Limitat prædictam doctrinam Sayrus *dicto cap. 9. num. 13.* vt procedat in contractibus priuatim, & nomine proprio celebratis; secùs verò in iis, qui authoritate publicâ, & ratione publici officij celebrantur, vti sunt contractus alienationis, & venditionis facti à Prælato excommunicato, & tutore, & Curatore & similibus circa res pupilli, & minoris. Sed rectiùs Sanch. *lib. 5. in Decal. cap. 4. num. 78.* Suar. *disp. 16. de censur. sect. 8.* censent prædictos contractus validos esse ob rationem sæpè dictam, quia nullibi irritantur, & irritatio absque firmo fundamento inducenda non est, constátque ex his quæ *punct. præced.* tradidimus. 4

De

De duplici contractu est nonnulla difficultas, An ab excommunicato vitando inito validus sit, nempe de matrimonio, & testamento? Nam matrimonium celebratum ab excommunicato vitando invalidum esse nonnulli affirmant; ducti eâ ratione, quia matrimonium est contractus, quo coniuges se obligant ad mutuam communicationem: at excommunicatus nequit se obligare ad communicandum cum aliis, cùm omnis communicatio sit illi interdicta. Ergo. Cæterùm omnino tenendum est validè excommunicatum inire matrimonium. Nam esto potuerit Ecclesia irritare matrimonium excommunicati, nullibi tamen reperitur factum. Quinimò firmum esse iudicat *cap. significasti De eo qui duxit in matrimonium quam polluerat per adulterium.* Et tradit Felin. *Rub. de sponsalib. tit. 8. in 12. priuileg.* Couarruu. *in cap. alma mater 1. p. §. 1. num. 9.* Hugolin. *de censur. tab. 2. cap. 20. §. 1. circa medium.* Sayrus *lib. 2. de excommunicat. cap. 9. num. 15.* Bonac. *disp. 2. de censur. quæst. 2. pun. 5. num. 1.* & alij passim. Etenim excommunicati contrahentes matrimonium obligari possunt ad mutuam cohabitationem absolutè, quòd sufficit, vt matrimonium subsistat, tametsi non obligentur ex suppositione, quod excommunicati existant. Præterquam quòd excommunicatio non impedit coniugalem conuictum, vtpotè à natura concessum, & maximè necessarium. Quapropter etsi excommunicati contrahendo peccent, contractus tamen validus, & firmus est.

6 De testamento plures Doctores relati à Sayro *lib. 2. de excommunicat. cap. 9. num. 1.* censent inualidum esse ab excommunicato vitando confectum, sed certè absque vllo fundamento, cùm nullibi habeatur irritum. Ex eo autem quòd illicitè conficiat vocando testes, & cum Notario communicando, inferri nequit irritum esse; sicuti non est irritus quilibet alius contractus illicitè celebratus. Præterea omnibus permissum est, testamentum conficere, nisi aliquâ lege expressâ prohibeantur. Vti habetur *§. fin. instit. quibus non est permissum facere testamentum. Leg. si quæramus ff. de testamentis. Leg. 1. Cod. de sacrosanctis Ecclesiis.* At excommunicato non est generaliter interdicta testamenti confectio Ergo. Atque ita docent Panormit. *in cap. ad propandum n. 9. de sententia, & re iudicata.* Et *ibi* Felin. *col. 2.* Couarru. *in Rub. de testament. num. 18.* Hugolin. *de censur. tab. 2. cap. 21.* Sayrus *lib. 2. de excommunic. cap. 9. n. 2.* Auila *2. p. de censur. cap. 6. disp. 6. dub. 6.* Coninch. *disp. 14. dub. 13. in fine.* Paul. Laym. *lib. 1. tract. 5. par. 2. cap. 2. n. 17.*

7 Hinc à fortiori constat excommunicatum vitandum hæredem instituì posse. Minus enim requiritur ad capiendum ex testamento; quàm ad testamentum conficiendum, cùm plurimi incapaces sint testandi, non tamen vt hæredes instituantur, vt constat ex *toto tit. instit. quibus non est permissum facere testamentum.* Et *leg. si quæramus, tuncta Glossa ff. de Testament.* Et tradit Bald. *leg. 1. num. 17. Cod. de hæredib. instituend.* Hugolin. *tab. 2. de censur. cap. 21. §. 1.* Sayrus aliis relatis *lib. 2. de excommunicat. cap. 9. n. 9.* Stephan. Daulla, & Coninch. *loc. cit*

8 Ab hac regula excipiendi sunt aliqui casus in quibus testamenti factio, tam actiua, quàm passiua criminosis interdicitur. Primò interdicitur hæreticis, hæreticorúmque fautoribus. *Cap. excommunicamus. §. credentes de Hæreticis. Leg. credentes. & leg. Manichæos, Cod. de Hæreticis.* Secundo percutientibus, insequentibúsve Cardinalem, *Cap. felicis de pœnis lib. 6.* Tertiò interdicitur testamenti factio reis læsæ maiestatis. *Leg. quisquis Cod. ad leg. Iuliam maiest. §. fin. & antepenult. in authent. de priuileg. dot. hæretic. mulier non potest.* Quartò vsurariis manifestis, nisi cautionem præstent iuxta Textum *in c. quanquam de Vsuris lib. 6.* Ex quibus colligitur extra hos casus testamenti factionem quibusuis criminosis, & excommunicatis permissam esse.

Punctum XVII.

De duodecimo effectu excommunicationis, qui est priuatio politicæ communicationis.

1 *Excommunicatus priuatus est communione ciuili, & politica fidelium.*
2 *Nomine* oris *quid intelligatur.*
3 *Quid nomine* orare.
4 *Quid nomine* vale.
5 *Quid nomine* communionis & mensæ.

1 Conueniunt omnes Doctores excommunicatum priuatum esse communione ciuili, & politica fidelium, siue per modum commercij, siue societatis, siue conuersationis, vt constat ex *cap. sicut Apostolt. & cap. excommunicatos 11. qu. 3. Cap. ad mensam. Cap. si quis laicus 24. quæst. 1. & cap. illud de Clerico excommun. ministr. Cap. nuper. Cap. si aliquando. Cap. penult. de sententia excommunicat.* & aliis Textibus, quos congerit Nauarr. *cap. 27. num. 17.* Couarruu. *cap. alma 1. p. §. 1.* Suar. *disputat. 15. sect. 1.* Actiones verò huius ciuilis, & politicæ communicationis hoc versu Doctores frequenter comprehendunt.

Os, orare, vale, communio, mensa negetur.

2 Nomine *Oris* intelligitur osculum pacis, & inde Doctores extendunt ad complexus, ad munerum missionem, & receptionem, & generaliter ad quodlibet beneuolentiæ signum, vt videre est in Hugolino *de censur. tab. 2. capit. 23. §. 1.* Henriq. *lib. 13. cap. 7.* Sayr. *lib. 2. de excommunicat. cap. 13. num. 2.* Sed specialiter nomine *oris* intelligitur prohibita locutio cum excommunicato, siue palam, siue secretò. *Cap. cum excommunicato 11. quæst. 4.* Quod adeò Doctores Hugolin. *dicto cap. 23. §. 1. num. 23.* Cajet. *verbo communio, seu participatio.* Sylvest. *verbo Excommunicatio 5. num. 2.* exaggerant, vt affirment excommunicato salutanti non esse ei respondendum. Sed rectiùs Sayrus *dicto cap. 13. num. 2.* censet responderi posse, *te Deus illuminet*: hæc enim non est tam locutio cum excommunicato, quàm cum Deo, ad quem illa petitio dirigitur. At cùm locutio non solùm verbis, sed litteris, & scripto fiat. *Cap. vbi periculum. §. de electione in 6.* prohibita est quælibet litterarum missio, & receptio, sicuti docet Glossa *in cap. constitutionem, verbo participationes de sententia excommunicat. in 6.* Couarruu. plures referens *cap. alma 1. part. §. 2. num. 1.* Item locutio signis, & nutibus, quia est vera locutio, cùm sit vera mentis manifestatio, vti notauit Hugolin. *suprà §. 1. num. 9.* Neque excusari potes etiamsi per internuntium cum excommunicato loquaris; quia verè cum illo communicare censendus es, vt colligitur ex *dicto cap. constitutionem.* Et tradit Glossa *ibi.* Couarruu. Hugolin. Sayrus *loc. alleg.*

3 Nomine *orare* prohibita censetur quælibet participatio cum excommunicato, tum in Sacramentis, tum in sacrificio Missæ, tum in officiis Diuinis, tum in aliis precibus, & orationibus iuxta ea quæ latiùs diximus de primo excommunicationis effectu.

4 Nomine *vale* prohibetur quælibet honorifica salutatio, vtpotè quâ excommunicatus indignus est. Quæ prohibitio habetur *cap. excommunicatos 11. quæst. 3.* & *cap. omnis qui 24. quæst. 1.* habétque fundamentum in verbis Ioannis Euangelistæ *2. epist. cap. 1. ibi. Neque aue ei dixeritis.* Non est autem censenda salutatio, si dicas. *Deus te illuminet, Deus te conuertat*, quia his verbis non excommunicatum honoras, sed eius statum exprobras, & arguis, & à Deo conuersionem postulas, sicuti diximus *suprà*: & tradit Sotus *in 4. dist. 22. quæst. 1. art. 3. concl. 2.* Nauarr. *cap. 27. num. 20.* Henriq. *lib. 13. cap. 7. num. 3.* Sayrus *lib. 2. de excommunicat. cap. 13. num. 6.* Gaspar Hurtado *disp. 9. de excommunicat. difficult. 1. num. 4.* & deducitur ex *cap. responso de sententia excommunicat.* Sed an prohibeatur salutatio, quæ non animo salutandi fit, sed ne inurbanus videaris. V. g. assurgere excommunicato, caput aperire, locum concedere, Doctores non conueniunt. Nam Sylu. *verbo Excommunicatio 5. num. 3.* Nauarr. *cap. 27. num. 20.* Suar. *disp. 15. sect. 1. num. 3.* Paul. Layman. *lib. 1. sum. tract. 5. part. 2 cap. 3. num. 16.* Gaspar Hurtado *disp. 9. de excommunicat. difficult. 1. num. 3.* Bonac. *disp. 2. de censur. q. 2. punct. 6. §. 2. num. 14.* Vasq. *de excommunic. dub. 8. num. 5.* & alij negant licere; quia illa est vera salutatio exterior, in quam prohibitio cadit, tametsi procedat ex animo non salutandi, quem animum lex non spectat. Cæterùm etsi hoc tenendum sit, & consulendum, vt securius, & probabilius; at probabilitate non caret te posse prædicta signa exhibere absque vllo peccato, & absque excommunicationis incursu. Sicuti docet summa Astensis. *1. p. lib. 7. tit. 1. q. 20.* S. Antonin. *3. p. tit. 15. c. 2.* Angel. *verbo excommunicatio 8. n. 4.* Ioann. Maior. *in 4. d. 18. q. 2. in princ.* Sayrus *lib. 2. de excommunicat. c. 13. num. 7.* Sotus *in 4. dist. 22. q. 1. art. 4.* Graffis *lib. 4. casuum conscientiæ. cap. 12. num. 5.* Stephan Daulla *p. de censur. cap. 6. disp. 9. dub. 5.* Quia ea salutatio consuetudine videtur introducta non voluntaria, sed vt necessaria; non quidem vt excommunicatum honores, sed ne illum inhonores, aut contemnas. Quod à fortiori procedit excommunicato te prius salutante; quia tunc resalutatio videtur debita ob priorem excommunicati salutationem. Sic Henriq. *lib. 13. cap. 7. in com. litt. D.* Filliuc. *tract. 13. cap. 5. q. 3. num. 84.*

5 Nomine *communionis, & mensæ* significatur, & prohibetur quælibet societas, & communicatio in negotiis peragendis, in habitatione, in conuictu, in itinere, in mensa, & similibus. Debet autem participatio esse formalis; id est per modum vnius, secùs si casu in eadem domo, itinere, vel mensa incidas. Sicuti aduertit Suar. *disp. 15. sect. 1. num. 6.* Sayrus *lib. 2. de excommunic. cap. 13. à n. 8.* Paul. Layman. *lib. 1. sum. tract. 5. par 2. cap. 2. num. 16.* Gaspar Hurtado *disp. 9. de excommunicat. difficult. 3. numero 6.* Bonac. *disputat. 2. de censur. quæst. 2. punct. 6. num. 6.*

PVNCTVM XVIII.

Si qua culpa prohibita sit fidelibus communicatio cum excommunicato, & ipsi excommunicato cum fidelibus?

1 *Communicatio in Diuinis prohibita est excommunicato sub culpa graui?*
2 *Probabile est communicationem in officio Diuino priuatam non excedere culpam venialem.*
3 *Satisfit obiectioni.*
4 *Sub culpa mortali, & sub excommunicatione prohibetur communicatio cum excommunicato à Pontifice.*
5 *Sub culpa mortali, & sub pœna excommunicationis maioris prohibetur communicatio cum excommunicato in crimine criminoso.*
6 *Item sub eadem culpa, & pœna prohibetur participatio cum excommunicato post latam sententiam contra participantes.*
7 *Extra hos casus solùm sub culpa veniali prohibetur communicatio.*

1 SVb culpa mortali prohibitam esse excommunicato communicationem cum fidelibus, & ipsis fidelibus cum excommunicato in rebus Diuinis ferè omnes Doctores censent, iuxta Textum *in cap. significauit. De sententia excommunic.* Quippe ex vi excommunicationis hæc communicatio vtpotè maxima est quæ directè prohibetur. Nomine *Diuinorum* intelligimus Sacramenta, officia Ecclesiæ solemnia, & sepulturam.

2 Sed an communicatio in officio Diuino priuatim dicto sit mortalis? non conueniunt Doctores. Probabile existimo per se non esse culpam mortalem: quia hæc communicatio non est primò, & per se ex vi excommunicationis prohibita, sed secundariò; ideòque in ratione communicationis non videtur materia grauis. Sicuti docet Couarruu. *in cap. alma. 1. p. §. 3. num. 8.* Vazq. *de excommunicat. dub. 7. & 10.* Auila aliis relatis *2. p. de censur. cap. 6. disp. 8. dub. 3.* Gaspar Hurtado *disp. 9. de excommunicat. difficult. 2.* Sayrus *lib. 2. de excommunic. cap. 11. num. 22.* Hinc constat communicationem in rebus humanis Ecclesiasticis, vt in collatione beneficij, illiúsque receptione, vsu, & exercitio iurisdictionis Ecclesiasticæ per se & ex vi communicationis mortalem non esse; quia solùm secundariò hæc communicatio per excommunicationem prohibetur, vt tradunt Couarruu. Auila, Henriq. Hurtado *locis allegatis*, tametsi satis probabiliter contrarium docent Coninch. *disp. 14 dub. 14. num. 147.* Dixi *ex vi communicationis*, nam ex vi nullitatis actus, quæ ab communicatione vitanda inducitur regulariter mortalis est, vt notauit Henriq. *lib. 13. cap. 7. num. 1.* Sayrus *lib. 2. de excommun. cap. 11. num. 19.* Secundò constat communicationem cum excommunicato ciuilem, & politicam mortalem non esse; quia non est per se, & directè ex vi excommunicationis prohibita, & quia est ita frequens, & obuia, vt credi non possit voluisse Ecclesiam sub graui culpa ad illius abstinentiam obligare fideles. Atque ita ex communi sententia docent Nauarr. *cap. 27. num. 30.* Couarruu. *cap. alma. 1. p. §. 3. num. 7. & 8.* Sayrus *lib. 2. de excommunicat. cap. 11. num. 20.* Henriq. *lib. 13. de excommunicat. cap. 8. & 9.* Gasp. Hurtado *disp. 9. de excomm. difficul. 2.*

3 Neque his obest Textus *in cap. excommunicato 11. quæst. 1.* vbi asseritur communicantem cum excommunicato simili excommunicatione innodari. Si igitur simili excommunicatione innodatur, ergo peccat mortaliter; nam excommunicatio maior absque peccato mortali contrahi nequit. Non inquam obest; nam vt rectè Couarruu. *dicto §. 3. num. 3.* similitudo non est attendenda omnimoda, & æqualis, sed secundùm proportionem, ita vt sit sensus, sicut ille est excommunicatus excommunicatione maiori, sic communicans cum ipso minori excommunicatione innodatur. Quod verò subdit Nauarr. sanè communicationem politicam, si frequens sit esse mortalem, subintelligendum est casu quo ex ipsa communicatione crederet communicans excommunicatum sumere occasionem in sua contumacia perseuerandi. Secùs si id ignoraret, vt benè aliis relatis aduertit Sayrus *lib. 2. de excommunicat. cap. 11. num. 14.* Auila *2. p. de censur. cap. 6. disputat. 8. dub. 3.*

4 Secundò prohiberi sub excommunicatione maiori, & consequenter sub peccato communicationem cum excommunicato à Pontifice firmat communis sententia, vt videre est apud Syluest. *verbo Excommunicatio 5. num. 22.* Nauar. *cap. 27. num. 98.* Henriq. *lib. 13. cap. 8. num. 2.* Layman. *lib. 2. de excommunicat. cap. 11. num. 16.* Auila *1. p. de censur. cap. 6. disp. 10. dub. 2.* Gaspar Hurtado *disp. 9. de excommunicat. difficult. 3. num. 15.* Et colligitur ex *cap. significauit de sententia excommunicat.* Verùm ad hanc excommunicationem maiorem incurrendam, & peccatum mortale committendum plures conditiones adesse debent. Nam communicans debet esse Clericus, & communicare debet in Diuinis non vtcunque, sed admittendo excommunicatum sponte, liberè, & voluntariè, sciensque à Papa excommunicatum esse nominatim, insuperque denunciatum, vt benè aduertit Auila, Sayrus, Henriq. Hurtado *loc. cit.*

Tertiò prohibetur sub mortali, & pœna excommunicationis maioris communicatio cum excommunicato in crimine criminoso. Ex Textu *in c. si concubinæ de sententia excommunicat.* & ex *c. statuimus, eodem tit. in 6.* Censeberis autem communicare cum excommunicato in crimine criminoso, seu in crimine ob cuius causam excommunicatione perculsus est, si consilium, auxilium, vel fauorem præstes, ne ab eo delicto resipiscat, vti docent Nauarr. *cap. 27. num. 112.* Sayrus *lib. 2. de excommunicat. cap. 11. num. 5.* Auila *2. p. cap. 6. disp. 10. dub. 3.* Gaspar Hurtado *disp. 9. de excommunicat. difficult. 3. num. 2.* Debes tamen communicare sciens prædictam excommunicationem papalem, & pœnam communicantibus impositam, vti colligitur ex prædictis Textibus, & notant relati Doctores. Deinde excommunicatus debet esse nominatim, neque sufficit esse manifestum Clerici percussorem; quia in *dicto cap. nuper* expresè id cauetur, & aduertit Victoria *de excommunicat. n. 10.* Nauarr. *cap. 112.* Auila *disp. 10. dub. 3.* Gaspar Hurtado *dicta disp. 9. difficult. 3.* Quinimò nec sufficit esse nominatim excommunicatum, nisi etiam sit denunciatus. Nam post *Extrauag. Ad euitanda*, solos denunciatos vitare tenemur, vt rectè notarunt Doctores *loc. cit.* 5

Quartò prohibetur sub mortali, & sub pœna maioris excommunicationis participatio cum excommunicato post latam sententiam contra participantes, vti constat ex *cap. quod in dubiis de sententia excommunicat.* Debes tamen primò Textum *in cap. statuimus de sententia excommunicat. in 6.* moneri, & non vtcunque, sed monitione trina, iuxta Textum Et tradit Suar. *de censur. disp. 3. sect. 12. num. 4. & 5.* tametsi aliis placeat sufficere monitionem vnam pro tribus dato competenti temporis interuallo. Item debes speciatim, & sigillatim moneri, nam ex sola generali relatione contra participantes, vti solent Iudices frequenter vti, nullo modo excommunicatione maiori ligaris, quia Textus *in cap. statuimus, & cap. statutum. & cap. constitutionem. De sententia excommunicat. in 6.* expresè decidunt ferendam esse excommunicationem hanc aduersus personas singulares, & expressas, vt notauit Sylvest. *verbo Excommunicatio 5. num. 6. circa finem.* Suar. *disp. 3. sect. 12. n. 5.* Auila *2. p. cap. 6. disp. 10. dub. 4. & 5.* Gaspar Hurtado *disp. 9. de excomm. diffic. 3. circa finem.* 6

Extra hos casus solùm sub culpa veniali prohibetur fidelibus communicatio cum excommunicato, incurritque communicans excommunicationem minorem, vt constat ex *cap. à nobis de exceptionib.* Et tradunt omnes Doctores relati. 7

PVNCTVM XIX.

Quibus in casibus licita sit communicatio cum excommunicato denunciato?

1 *Apponitur versus, sub quo Doctores hos casus comprehendunt.*
2 *Explicatur casus vtilitatis.*
3 *Lex matrimonij excusat à prohibita commuicatione.*
4 *Negant plures maritum communicare posse cum vxore excommunicata.*
5 *Verius est oppositum.*
6 *Satisfit contrariis fundamentis.*
7 *Potest vxor, seu vir excommunicatus cum vxore, seu viro non excommunicato communicare.*
8 *Prædicta intelligenda sunt de vxore, vel viro excommunicato ob aliam causam, quam matrimonij.*
9 *A prohibita communicatione cum excommunicato excusat humilitas subiectionis.*
10 *Filij emancipati secundùm probabilem sententiam communicare possunt cum parentibus, tametsi contrarium censeat communis sententia.*
11 *Item excusantur serui, & ancillæ propriæ.*
12 *Item seruientes alicui siue gratis, siue ex pretio inseruiant.*
13 *Si suas operas domino excommunicato conduxerint, plures negant cum illo communicare posse.*
14 *Si absque culpa subiectio contracta est liberè possunt in simulatu permanere.*
15 *Si verò culpabiliter subiectionem contraxerint, etsi communis sententia doceat recedere à domino debere, contrarium est probabilissimum.*
16 *Deinde excusantur tota familia excommunicati cum suo domino, & patre familias communicans.*
17 *Excusantur Clerici qui sunt in familatu Episcopi. Secus qui extra eius familiam commorantur.*
18 *Item Religiosi cum suis Superioribus excommunicatis communicantes.*

19 Item

19 *Item milites, si suo duci excommunicato communicent.*
20 *Vasalli à communicatione cum suis dominis excommunicatis non excusantur. Etsi contrarium sit probabile.*
21 *Communis sententia firmat non solùm inferioris cum Superiori, sed econtrà communicationem permitti.*
22 *Non solùm prædicta excommunicatio licita est in humanis, sed etiam in Diuinis.*
23 *Et famuli excommunicati per se communicari non possint, per accidens tamen à prohibitione excusantur.*
24 *Ex ignorantia plures à lege prohibente communicationem cum excommunicatis liberantur.*
25 *Vt à communicatione excommunicati abstineas, debet tibi cerò moraliter constare illum esse excommunicatum vitandum.*
26 *Qua certitudinem moralem præstent.*
27 *Qua certitudo habenda sit de absolutione excommunicati postquam constitit esse excommunicatum vitandum.*
28 *Ob necessitatem liberatur quis à lege prohibente communicationem cum excommunicato.*

1 HOs casus Doctores comprehendunt hoc versu.

Vtile, lex, humile, res ignorata, necesse.

Illosque deducunt ex *cap. quoniam multos* 11. *quæst.* 3. vt videre est in Glossa *cap. cum desideres de sententia excommunicat.* S. Thom. 3. *p. addit. qu.* 23. *art.* 2. Couaruu. *cap. alma*, 1. *p.* §. 1. *num.* 8. Nauarr. *cap.* 27. *num.* 26. Henriq. *lib.* 13. *cap.* 12 & 23. Sayrus *lib.* 2. *de excommun. cap.* 14. *à n.* 1. Paul. Laym Suar. Coninch. & alij statim ferendi.

2 Et in primis vtilitas spiritualis tum fidelis communicantis, tum ipsius excommunicati excusat à prohibitione. Ita ob vtilitatem excommunicati licet ei consilia salutaria præbere, concionem coram ipso facere argum. *cap. responso de sententia excommunicat.* quia hæ actiones salutem ipsius spiritualem respiciunt. At quia regulariter lectio Theologica non videtur esse ita necessaria, & vtilis spirituali auditoris saluti, ideò Ægid. Coninch. *disp.* 11 *dub.* 12. *num.* 122. Gasp. Hurtado *disp.* 9. *difficult.* 4. *num.* 18. Auila 2. *p. cap.* 6. *disp.* 11. *dub.* 3. *concl.* 3. Paul. Layman. *lib.* 1. *sum. tract.* 5. *par.* 2. *cap.* 2. *num.* 16. aduersus Sotum *in* 4. *d.* 22. *quæst* 1. *art.* 4. *circa* 3. *conclus.* Sayrum, *lib.* 2. *cap.* 14. *num.* 3. censent excusationem non extendi. Ob vtilitatem verò fidelium licet consilium ab excommunicato, postulare. Si non adest alius qui æquè benè dare possit. Concionem verò ab excommunicato audire rarò hic reperest ob scandalum. Deinde vtilitas temporalis tum ipsius excommunicati, tum aliorum fidelium licitam reddit communicationem cum excommunicato, quia lex Ecclesiastica benigna est, ideóque illius obligatio cessat graui iacturâ intercedente ex eius obseruatione. Quapropter excommunicato eleemosynam facere, & ab ipso recipere, quando non est alius qui æquè commodè concedat, licétque debitum soluere, & ab eo exigere; quia in his actionibus vtilitas grauis cernitur, ob quam prædicta communicatio permissa est, *d. cap. quoniam multos.* Et docet aliis relatis Suar. *disp.* 15. *sect.* 4. *n.* 8. Auila 2. *p. cap.* 6. *disp.* 11. *dub.* 3. Paul. Layman. Coninch. Hurtado, Sayrus, *loc. allegg.*

3 Secundò excusat à prohibitione communicandi cum excommunicato lex matrimonij, seu coniugij. Ob quam vxor petere debitum potest à marito excommunicato, ipséque marius ei reddere tenetur, vti deciditur in *cap. quoniam multos*, 11. *quæst.* 3. Quinimò non solùm in debito communicare potest, sed etiam in mensa, gubernatione domus, colloquiis, aliisque domesticis obsequiis iuxta Textum *in c. inter alia de sententia excommunicat.* siquidem facultas communicandi cum marito excommunicato absolutè vxori conceditur in *dicto cap. quoniam multos.* Et cùm hæc facultas fauorabilis sit restringi non debet ad debitum coniugale. Vti docent Sayrus *lib.* 2. *de excommunicat. cap.* 14. *num.* 4. Suar. *disp.* 15. *sect.* 4. *n.* 3. Bonac. *disp.* 2. *de censur. quæst.* 2. *pun.* 6. §. 2. *num.* 18. Paul. Layman. *lib.* 1. *sum. tract.* 5 *par.* 2. *cap.* 2. *num.* 16. *vers. secundo.* Coninch. *disp.* 14. *dub.* 12. *num.* 123. Gaspar Hurtado *disp.* 9. *de excommunic. difficult.* 4. *n.* 21. Sanch. *lib.* 9. *de matr. disp.* 14. *numero* 4. & alij referendi. Quod verum habet tametsi in excommunicatione matrimonium contractum sit, vt benè aduertit Hugolin. *de censur. tab.* 2. *cap.* 23. §. 3. Bonac. *disp.* 2. *de censur. quæst.* 2. *p.* 6. §. 2. *num.* 18. Sanch. *lib.* 9. *de matr. disp.* 14. *numer.* 3. Coninch. *disp.* 14 *dub.* 12. *num.* 129. quia Textus concedentes hanc communicationem absolutè loquuntur de vxore. Non igitur facienda est restrictio absque fundamento; maximè cùm verè coniuges sint, & contractus matrimonij firmus persistat.

4 Controuersia inter Doctores est; An ipse maritus communicare possit cum vxore excommunicata? Nam Hostiens. *in sum. lib.* 5. *tit. de sententia excommunicat. num.* 12. & Astensis 2. *p. lib.* 7. *tit.* 12. *quæst.* 4. S. Antonin. 3. *p. tit.* 25. *ap.* 1. quibus fauet Syluest. *verbo Excommunicatio* 5. *numero* 4. Armilla *numero* 43. censent solùm in debiti coniugalis petitione communicare posse, non autem in aliis obsequiis. Mouentur tum ex *dicto capite quoniam multos*, vbi solùm permittitur vxori communicare cum viro excommunicato, non verò permittitur viro communicare cum vxore excommunicata. Tum quia vir est caput vxoris, ad ipsúmque pertinet vxorem corrigere, & emendare, ipsámque compellere, vt absolutionem procuret. Quod si non faciat sibi imputare debet, ideóque à communicatione arcendus est.

Sed contrarium tenendum est cum communi sententia, 5
quam docuit D. Thom. *in addit. ad* 3. *p. quæst.* 23. *art.* 2. Paludan. *dist.* 18. *q.* 6. *art.* 1. Couaruu. *cap. alma* 1. *p.* §. 1. *num.* 8. Nauarr. *cap.* 27. *num.* 26. Henriq. *lib.* 13. *cap.* 22. *num.* 2. Hugolin. *de censur. tab.* 2. *cap.* 23. § 6. *num.* 6. Sayrus *lib.* 2. *de excommunic. c.* 14. *num.* 6. Suar. *disp.* 15. *sect.* 4. *num.* 14. Sanch. *lib.* 9. *disp.* 14. *n.* 26. Vazq *de excommunic. dub.* 9. *num.* 3. Bonac. *disp. de excommunic. q.* 2. *p.* 6. §. 2. *num.* 24. Coninch. *disp.* 14. *dub.* 12. *num.* 123. Paul. Layman. *lib.* 1. *sum. tract.* 5. *par.* 2. *cap.* 2. *numero* 16. *vers. sic secundo.* Auila 2. *par. cap.* 6. *disp.* 11. *dub.* 5. Ratio est, quia dispositum in vno correlatiuo censetur in alio dispositum, vbi est eadem ratio. At in præsenti est eadem ratio concedendi marito, vt possit cum vxore excommunicata communicare. Quippe vxori conceditur ob periculum animarum, quod periculum æquè in viro procedit. Deinde licitum est communicare cum socio in contractu societatis ante excommunicationem inito. Argum. *Cap. si verò de sententia excommunic. t.* Et docet Glossa *in cap.* 1. *verbo, vitus* 41. *dist.* Ergo à fortiori licebit marito communicare cum vxore excommunicata in contractu coniugij. Præterea vir excommunicatus melioris conditionis esset quàm non excommunicatus; siquidem posset obsequiis vxoris frui, vt dicemus, quibus non excommunicatus priuatus esset. Adde ratione vtilitatis, aut necessitatis, vel propriæ, vel vxoris, vel familiæ permittenda est marito communicatio cum vxore excommunicata saltem ad breue tempus.

Neque obstant contraria fundamenta. Nam esto in *capite* 6
quoniam multos. solùm vxores excipiantur, id factum est, quia frequentius viri, quàm vxores in excommunicationem incidunt: non tamen inde inferendum est viros excluſos esse, si fortè vxores in excommunicationem inciderint. Quod verò maritus obligationem habeat corrigendi vxorem, id solùm probat, peccaturum aduersus legem charitatis, vel iustitiæ, si negligens sit; non tamen probat peccatum aduersus legem Ecclesiasticam prohibentem communicationem cum excommunicatis. Adde raro vxor corrigitur, ex eo quod vir ab eius communicatione abstineat: alia enim sunt media aptiora ad hanc correctionem consequendam.

Rursus alij dubitant; An ipse maritus, vel vxor excommu- 7
nicato communicare, teneatúrque non excommunicatus illi vicem reddere? Ratio difficultatis est, quia excommunicatis fauere ius nunquam intendit. Sed dicendum est posse vxorem, seu virum excommunicatum cum vxore, seu viro non excommunicato communicare, ipsique petenti debitum reddendum esse. Quæ fuit sententia Caietani, *verbo Excommunicatio, cap.* 81. *circa finem.* §. *illicita autem.* Sayri *lib.* 2. *cap.* 14. *num.* 4. Auilæ 2. *p. de censur. cap.* 6. *disp.* 11. *dub.* 5. *concl.* 1. Suar. *disp.* 15. *sect.* 4. *num.* 2. Coninch. *disp.* 14. *dub.* 12. *num.* 123. Paul. Layman. *loco allegato.* Etenim communicatio inter coniuges excommunicatos permissa est ob vitandum incontinentiæ periculum, *dicto cap. quoniam multos.* At hoc periculum nullo modo vitaretur, si coniux excommunicatus obligatus esset à communione alterius coniugis se separare. Ergo ab hac obligatione exemptus est, ac si excommunicatus non esset. Præterea si excommunicatus debitum pecuniarium exigere potest, iuxta Textum *in capite inter alia de sententia excommunicat.* à fortiori poterit debitum coniugale.

Prædicta intelligenda sunt de vxore, vel viro excommu- 8
nicato ob aliam causam quàm matrimonij. Quippè si excommunicati essent ob matrimonium contractum cum probabili impedimento dirimente, nequaquam licita esset communicatio: quia esset participatio in scelere, ob quod excommunicatio fertur. Sicuti benè aduertunt Sylvest. *verb. Excommunicatio.* 5. *num.* 4. Hugolin *tab.* 2. *de censur. cap.* 23. §. 6. *nmm.* 4. Sayrus *lib.* 2. *de excommunicat. cap.* 14. *num.* 5. Sanch. *lib.* 9. *de matr. disp.* 14. *num.* 9. Bonac. *disp.* 2. *de excommun. q.* 2. *pun.* 6. §. 2. *num.* 21. Coninch. *disp.* 14. *dub.* 12. *num.* 133. Paul. Layman. *lib.* 1. *sum. tract.* 5. *par.* 2. *capite* 2. *numero* 16. *vers. deinde intelligendum est.*

Tertiò à prohibitione communicationis cum excommu- 9
nicato excusat *humile*, id est humilitas subiectionis. Ex quo capite variæ personæ ex muntur, vt constat ex *dict. c. quoniam multos.* Primò namque eximuntur filij comparationem parentum, filij inquam tam legitimi, quam naturales, & adoptiui, tam nepotes, & pronepotes, affines, vti gener, nurus, priuignus & priuigna, pupilli, & minores comparatione Tutoris, & curatoris. Hi enim omnes nomine filij in hac concessione fauorabili veniunt intelligendi, iuxta *leg. filij. leg. liberorum. ff. de verbor. significat.* & *leg. adoptiuum, ff. de in ius vocando.* Et docet ex communi sententia Sayrus *de excommunicat. lib.* 2. *cap.* 14.

num. 10.

*num.*10. Bonac. *disp.*2. *de excommunicat. quæst.*2. *pun.*6. §.2. *n.* 29. & 33. Suar. *disp.*15. *sect.*5. *à num.*3.

10 Controuersia autem est; An filij emancipati libere possint cum parentibus excomunicatis communicare, sicuti possent, si emancipati non essent; Communis sententia, teste Sayro *lib.*2. *de excomm. c.*14. *num.*10. negat; eo quòd Textus *in cap. quoniam multos*, concedens filiis hanc communicationem est, quia illis necessaria erat ob communem cum parentibus habitationem, quæ ratio in filiis emancipatis cessat. Quod si filij emancipati sustentationem à patre recipiunt, tunc non ratione filiationis, sed quia sunt de familia communicare poterunt, vt ipsemet Sayrus concedit. Cæterùm satis probabile est prædictam concessionem ad filios emancipatos extendi. Quippe filius emancipatus verè filius est, & patri subiectus, gaudere ergo debet fauore filiis concesso: maximè cùm ratione filiationis, & subiectionis debitæ obligatus sit sæpè communicationem cum parente habere. Atque ita aliis relatis docet Suar. *disp.*15. *sect.*5. *num.*4. Hugolin. *tab.*2. *de censur. cap.*23. §.7. Bonac. ex parte *disp.*2. *de excommunicat. quæst.*2. *pun.*6. §.2. *num.*28. Reginald. *lib.*32. *num.*109. Gaspar Hurtado *disp.*9. *de excommun. difficult.*4. *num.*21.

11 Secundò ex dicto *c. humile* excusantur serui, & ancillæ, qui proprij serui, & mancipia sunt. Nam cùm ob excommunicationem domini non eximatur à seruitute, æquum fuit liberam illis communicationem cum suo domino concedere. Sicuti habetur *in cap. quoniam multos* 11. *quæst.*3. & tradunt Richard. *in* 4. *d.*18. *art.*11. *quæst.*3. *ad primum.* Nauarr. *cap.*27. *num.*27. Hugolin. *de censur. tab.*2. *cap.*23. §.8. Sayrus *lib.*2. *de excommunicat. c.*14. *n.*14. Suar. *disp.*15. *sect.*5. *n.*12. *& seqq.* Auila 2. *p. de censur. cap.*6. *disp.*11. *dub.*6. Bonac. *disp.*2. *de excommunic. q.*2. *pun.*6. §.2. *num.*31.

12 Tertiò excusantur seruientes, qui alicui siue gratis, siue ex pretio inseruiant, tametsi rusticani sint, vt colligitur ex *dicto cap. quouiam multos*, & tradunt, & Nauarr. Hugolin. Sayr. Bonac. Auila *loc. alleg.*

13 Sed an hoc priuilegio gaudeant, si suas operas domino excommunicato conduxerint? Difficultate non caret. Nam communior sententia, quam docet Nauarr. *cap.*27. *num.*27. Sylvest. *verbo Excommunicatio* 5. *num.*3. Hugolin. *de censur. tab.*2. *cap.*23. §.9. *num.*6. Sayrus *lib.*2. *de excommunic. cap.*14. *num.*15. Suar. *disp.*15. *sect.*5. *num.*13. Auila 2. *p. de cens. cap.*6. *disp.*11. *dub.*6. & alii apud ipsos, negant. Mouentur ex *cap. inter alia de sententia excommunicat.* vbi Innocent. III. concedit famulis communicationem cum suis dominis excommunicatis, si ante excommunicationem subiectionem contraxerunt. Supponit ergo Pontifex illicitam esse communicationem cum excommunicato, si tempore excommunicationis subiectio contracta est. Quippe ea subiectio, & obligatio videtur iniquè contracta: meritò ergo denegari illi debet communicatio prædictam subiectionem subsequens.

14 Cæterùm dicendum est, si absque nulla culpa subiectio contracta est tempore quo dominus excommunicatus erat, vti contingit filiis adoptatis, vel genitis tempore excommunicationis, vel famulis ignorantibus excommunicationem domini, vel locantibus suas operas excommunicato ob necessitatem vrgentem, liberè possunt in famulatu permanere, sicut si ante excommunicationem subiecti essent. Sic aliis relatis docet Suar. *disp.*15. *sect.*5. *num.*13. Layman. *lib.*1. *sum. tract.*5. *par.*2. *cap.*2. *num.*17. *vers. Deinde.* Coninch. *disput.*14. *dub.*12. *n.*127. Quia cum nullam culpam commiserint in ea subiectione, non debent à communicatione aliis famulis concessa priuari.

15 Quod si culpabiliter subiectionem contraxerint, etsi communis sententia docent non posse cum suis dominis communicare; at contrarium probabilissimum est, vti sentit Coninch. *dicto dub.*12. *num.*128. Bonac. *disp.*2. *de excommunicat. q.*2. *pun.*6. §.2. *num.*33. Et quidem si famuli absque graui incommodo recedere nequeunt à famulatu, certum existimo: tum quia lex Ecclesiastica cum tanto detrimento non solet obligationem inducere. Tum quia in *cap. si verè de sentent. excommunicat.* Permittitur reconciliato contractum cum excommunicato initum perficere, ne damnum patiatur. At si liberè possent à famulatu recedere absque graui iactura (quod rarò contingere potest, si pretio conducti sunt) inde probatur liberè cum suis dominis communicare posse. Quia textus *in cap. quoniam multos* liberam facultatem concessit omnibus famulis communicandi cum suis dominis excommunicatis, neque restrinxit ad eos, qui ante excommunicationem subiectionem contraxissent. Neque Innocent. III. explicans dictum Textum *cap. inter alia de sententia. excommunicat.* contrarium docuit: solum namque dixit famulos qui ad familiare obsequium tenebantur ante excommunicationem, eodem modo teneri excommunicatione superueniente, communicare eque cum suis dominis excommunicatis debere. Nihil autem dixit de iis, qui tempore excommunicationis subiectionem contraxerunt. Quare de his manet integrum priuilegium concessum in *cap. quoniam multos.* Præterea famuli contrahentes famulatum tempore excommunicationis, etsi iniquè fecerint; at contractus validus est. At Innocent. III. *in cap. inter alia de sententia excommunicat.* ideò decidit famulos ante excommunicationem dominorum famulatum contrahentes obligatos esse cum suis dominis communicare, quia obligatio contracta non eliditur superueniente excommunicatione. Cùm ergo obligatio famulatus tempore excommunicationis contracta non elidatur ob excommunicationem præsentem, manifestè sequitur famulos ad prædictam communicationem teneri. Quod si vrgeas; nemo potest se obligare directè ad communicandum cum excommunicato. At ex eo quòd se obliget ad illi inseruiendum obligatur ad communicandum cum illo, ergo hæc obligatio subsistere nequit? Respondeo neminem posse se obligare directè ad communicandum cum excommunicato; quia esset obligatio ad id quod per legem excommunicationis est prohibitum: benè tamen potest se obligare indirectè ad communicandum cum ipso, si ex obligatione alterius contractus permissi hæc obligatio subsequitur, vti contingit in coniugibus, qui tempore excommunicationis matrimonium contraxerunt, qui obligantur ad mutuam communicationem, eo quòd hæc communicatio ex contractu inito subsequatur, & iure permissa sit.

Quartò excusatur tota familia excommunicati ex eo quòd 16
cum suo domino, & patre familiàs communicet: vt expressè
decidit *cap. si verè* 34. *de sententia excommunicat.* ibi, *Si pater familiàs domus excommunicationis sententiâ fuerit innodatus, à participatione illius familia excusatur.* Quia regulariter nequeunt absque graui iactura ab eius consortio discedere. Sicuti aliis relatis docuit Sayrus *lib.*2. *de excommunicat. c.*14. *num.*16.

Quintò excusantur Clerici qui sunt in famulatu Episcopi. 17
Secùs verò qui extra eius familiam commorantur: vti colligitur ex *cap. miratus* 93. *dist.* & *cap. vlt. de exceptionib prælator.* Et tradit Sylvest. *verbo Excommunicatio* 5. *num.*4. Henriq. *lib.*13. *cap.*22. *numero* 3. Hugolin. *de censur. tab.*2. *cap.*23. §.9. *numero* 7. Sayrus *lib.*2. *de excommunicat. cap.*14. *numero* 17. Auila 2. *part. de censur. cap.*6. *disput.*11. *dub.*8. Suar. *disput.*15. *sect.*7. Bonac. *disp.*2. *de excommun. q.*2. *part.*6. §.2. *num.*2.36. & alij apud ipsos.

Sextò excusantur Religiosi cum suis Superioribus excom- 18
municatis communicantes; quia strictùs quàm famuli subiecti sunt, neque ab ea subiectione recedere valent. Sicuti ex communi sententia docet Sayrus *lib.*2. *cap.*14. *num.*18. Suar. *disp.*15. *sect.*7. *num.*2. Bonac. *disp.*2. *de excommun. q.*2. *punct.*6. §.2. *num.*26. aduersus Richard. *in* 4. *d.*18. *art.*11. *q.*1. Paludan. *qu.*6. *art.*2. *ante medium* Astens. *in summ. part.*2. *lib.*7. *tit.*11. *quæst.*13.

Septimò excusantur milites, si suo duci excommunicato 19
communicent, eúmque in bello iusto sequantur, vti colligitur expressè ex *cap. si verè, de sententia excommunicat.* Quippe sunt verè famuli & duci subiecti, vt aduertit Sylvest. *verb. Excommunicatio* 5. *num.*4. Sayrus aliis relatis *lib.*2. *de excommun. cap.*14. *num.*19. Bonac. *disp.*2. *de excommun. q.*2. *p.*6. §.2. *num.*27.

Octauò plures excusant vasallos à communicatione cum 20
suis dominis excommunicatis, sed rectiùs contrarium docuit Bonac. *disp.*2. *de excommun. quæst.*2. *punct.*6. §.2. *num.*40. Gasp. Hurtado *disp.*9. *difficult at.*4. *num.*15. quia vasalli nec sunt famuli, nec de familia domini, vt ad eius communicationem astricti esse videantur. Decidíque videtur in *cap. sanctorum* 15. *q.*6. Verùm quia ob præcisam excommunicationem domini non eximuntur vasalli à debito fidelitatis, possunt, & debent domino præcipienti obedire, & tributa soluere; quia hæc obedientia, & tributorum solutio ex dominio subsequitur, quod per excõmunicationem nequaquam amittitur, vti aliis relatis docent Hugolin. *tab.*2. *de censur. cap.*21. §.9. Henriq. *lib* 13. *cap.*22. *num.*3. Sayrus *lib.*2. *de excomm. c.*14. *n.*20. Suarez *disp.*15. *sect.*6. *num.*5. Bonac. *disp.*1. *de excommunic. q.*2. *punct.*6. §.2. *num.*40. Filliucius *tract.*13. *cap.*6. *q.*9. & alij. At verò multò magis reiiciendi sunt, qui volunt quemlibet debitorem excusari posse à solutione facienda suo creditori excommunicato de debitis alioquin contractis; quia creditores non priuantur excommunicatione dominio suarum rerum, & iure petendi debiti. Sicuti bene notauit Auila 2. *part. de censur. cap.*6. *disputat.*12. *dub.*4. §. *Sed arguitur.* Layman. *lib.*1. *summ. tract.*5. *part.* 2. *cap.*2. *numero* 17. *versicul. vltimo.*

Superest triplex quæstio. Prima, An sicut filij cum pa- 21
rente, & serui cum domino, & subditi cum suo Superiori excommunicato communicare possunt, liceat ipsi parenti, domino, & Superiori cum suis subditis excommunicatis communicationem habere? Affirmant communiter Doctores. S. Thom. *in additionib. ad* 3. *p. quæst.*23. *art.*1. Nauarr. *cap.*27. *num.*27. Henriq. *lib.*12. *cap.*22. *num.* 3. Sayrus *lib.*2. *de excommunicat. cap.*14. *num.*21. Vazq. *de excommunicat. dub.*9. *num.*3. Suar. *sect.*5. *num.*22. Bonac. *disp.*2. *de excommunicat. quæst.*2. *part.*6. §.2. *num.*38. Gaspar Hurtado *disput.*9. *de excommunic.*

disp.

diff.4.n.23. Coninch. *disp.14.dub.12.n.134.* Paul. Laym. *lib.1. sum.tract.5.par.2.cap.2.num.17.* Auila *2.p.cap.6.disp.11.dub.6.* & alij. Quippe inferioribus & subditis permittitur communicatio cum suis Superioribus excommunicatis ob vitandum animæ periculum, quod adesset, si ipsis prohibita esset communicatio cum Superioribus, quorum societatem moraliter vitare nequeunt. At hæc ratio æquè procedit in Superioribus comparatione subditorum. Ergo facultas inferioribus concessa ad Superiores extendi debet. Quod adeò verùm est, vt esto Superior excommunicatus sit, possit nihilominus cum suis subditis communicare; quia priuilegium non restringitur ob excommunicationem, vt benè aduertit Suar. Coninch. & Bonac. *loc.alleg.*

22 Secunda quæstio; An prædicti non solùm in humanis, sed etiam in Diuinis communicare possint? Et breuiter respondeo, communicare posse tam in humanis, quàm in Diuinis, in quibus personæ subiectæ aliis communicare solent. Quia priuilegium absolutè concedit communicationem, & cùm latè interpretandum sit, vtpotè in iure insertum, & nemini nocens, intelligendum est de qualibet communicatione humana, quæ à personis subiectis haberi solet. Quòcirca possunt serui comitari suum dominum ad sacrum audiendum, cùm illòque horas canonicas recitare, quinimo sactum facienti ministrare. Sicuti ex communi docent Nauarr. *cap. 27.num.27.* Suar. *disp.15.num.22.* Auila *2.p.de censur. cap.6. disput.11.dub.6.* Henriq. *lib.13.cap.22. num.2.* Sanch. *lib.9. de matrimon. disputat.14. numero 5.* Saa, *verbo Excommunicatio, numero 41.* Coninch. *disputat.14. dub.12. numero 132.* Paul. Layman. *lib.1. Summ. tract.5. par.2. cap.2. numero 17. vers. Deinde intelligenda est.* Bonac. *disputat.2. de excommunicat. quæst.2. pun.6. §.2. numero 27.* Hæc tamen communicatio extendi non debet ad ministrationem, vel receptionem Sacramentorum; quia hæc non competit seruis ratione famulatus. Præterquam quod hæc communicatio ipsis excommunicatis omnino est interdicta, vt benè aduertunt Suar. Coninch. Bonacin. Auila, Layman. *loc. alleg.*

23 Tertia quæstio; An famuli inter se si excommunicati existant communicare liberè possint? Communis, & vera resolutio est per se communicare non posse; quia neque in *dicto cap.quoniam multos*, neque in alio Textu id priuilegium illis concessum est. Verùm per accidens, eo quòd moraliter obligentur in simul habitare communicatio eis permissa est. Vti notarunt Hugolin. *tab.2.de censur cap.23.§.8.* Sayrus *lib.2.de excommunicat.cap.14.num.17.* Nauarr. *cap.27.n.27.* Suar. *disp. 15.sect.5. num.13.* Bonac. *disput.2. de excommunicat.quæst.2. pun.6.§.2.num.35.* Gaspar Hurtado *disp.9. de excomm.diffic.4. num.25.*

24 Quartò ob ignorantiam excusantur plures à lege prohibente communicationem cum excommunicatis. Etenim summus Pontifex in *dicto c.quoniam multos*, intendens periculis animarum occurrere eximit à culpa, & à pœna excommunicationis minoris eos, qui cum excommunicatis ignoranter communicarent, siue ignorantia sit iuris, siue facti, hoc est siue ignorauerint legem prohibentem dictam excommunicationem, siue ignorauerint ipsos quibuscum communicant excommunicatos denunciatos esse. Nam cùm Textus generaliter ignorantes exceperit, intelligi debet de qualibet ignorantia. Vti omnes Doctores referendi notant. Sed qualis debeat esse hæc ignorantia iuris, vel facti; non conueniunt Doctores. Aliquibus placet debere esse inuincibilem & inculpabilem. Sed rectiùs Suar. *disput.13.sect.3.n.3.* Gaspar Hurtado *disp.9. de excommunicat. difficult.4.n.26.* Coninch. *disp.13.dub.11.* & *disp.14.dub.12.n.124.* existimant quamlibet ignorantiam, quæ affectata non sit (esto sit vincibilis, & culpabilis) excusare. Quippe in *dicto cap.quoniam multos* intendit Pontifex ignorantibus aliquem fauorem concedere; at nullus esset fauor concessus, si solùm exciperet ignorantes inuincibiliter excommunicationem, seu legem excommunicationis, siquidem ij iure ipso naturali à culpa, & pœna exempti sunt. Et confirmatur ex initio *dicti c. quoniam multos*; ibi enim Pontifex asserit se moueri ad prædictam indulgentiam concedendam; quia multi occasione excommunicationis perirent tum ignorantiâ, tum nimiâ simplicitate. At ignorantia inuincibili, & inculpabili nullus perit. Ergo signum est loqui Pontificem de ignorantia aliàs culpabili, & vincibili. Præterquam quòd ignorantia aliquo modo culpabilis, & vincibilis vera ignorantia est, & Pontifex absolutè ignorantibus indulgere intendit.

25 Quocirca vt debeas à communicatione excommunicati abstinere, debet tibi certò moraliter constare illum esse excommunicatum vitandum; quia stante dubio de excommunicatione, vel denunciatione iniquè iudicares illum esse excommunicatum. Vt aduertit Nau. *c.27.n.27.* Auila *2.p. de censur.cap.6.disp.11.dub.11.ante 6.concluſ.* Paul. Laym. *lib.1. sum.tract.5.par.2.cap.2.in fine.* Suar. *disp.15.sect.3.n.4.* Sanch. *lib.1. in decal. numer.69.* Bonac. *disputat.2. de censur. quæst.2. pun.6.§.2. num.42.* & alij. Solùm in receptione, administratione neque Sacramentorum exceptio facienda est ob periculum iniquæ administrationis & receptionis, vt benè notarunt Suarez Layman. Bonacina, Auila *locis allegatis.*

Certitudinem moralem tibi præstat fama publica à viris 26
fide dignis orta. Vti docuerunt Couarruu. *1 part.§.2.num.4.* Sayrus *lib.2. de excommun. cap.14.n.23.* Sanch. *d.cap.n.63.* Bonac. *num.44.* Gaspar Hurtado *disput.9. diffic.4. numero 27.* Auila *2.p. de censur.cap.6. disp.11.dub.11.* Colligiturque ex *cap. cùm desideres de sententia excommunicat.* Secundò testimonium duorum, vel trium asserentium ipsum excommunicatum denunciatum esse, certitudinem moralem præstat, & obligationem inducit illum vitandi, vt rectè aduertit Bonac. *dicta disp.2.q.2. punct.6.§.2. num.44.* Tertiò Parochi testimonium ostensis litteris excommunicationis, & denunciationis certam excommunicationem, & denunciationem facit. Vt notauit Sylueſt. *verb. Excommun.5.num.25.* Sanch. *lib.2. de matr.disp.93.n.36.* Bonac. *num.47.* Auila *dicto dub.11. concl.5.* secùs verò si ore tenus affirmaret; quia vni testi quantumcunque fide digno non teneor credere etsi possim) argum. *cap. à nobis de testib. & attestat.* & notauit Auila, Bonac. & Sanch. *loc.alleg.*

Postquam verò quis agnitus est vt excommunicatus vitan- 27
dus, in dubio præsumi non debet absolutus. Tum ex regula iuris semel malus, semper præsumitur malus. Tum quia absolutio est quid facti, & factum non præsumitur, nisi probetur. Vti docuerunt Sylueſt. *verb. Excommunic.5.num.26.* Nauarr. *cap.27. num.36.* Suar. *disp.15. sect.3.num.7.* Auila *2. part.cap.6.disp.11.dub.11. concl.6.* Layman. *lib.1.sum.tract.5. part.1.cap.2.num.18* Gasp. Hurtado *disp.9.difficult.4.num.18.* Bonacina *disp.2.de excommun.q.2. punct.6.§.2. num.54.* Probatur autem sufficienter absolutio tum fama publica, tum testimonio alicuius viri fide digni, tum ipsius excommunicati, si alioquin prudenter ei credi potest spectatâ conditione personæ, & negotij, tum si longum tempus præteriit, ipsèque se vt absolutum gerit, cùm tamen aliàs timoratæ conscientiæ sit. Sicuti docuerunt Nauarr. Suar. Bonac. Layman. Hurtado, Auila *loc.alleg.*

Tandem ob necessitatem significatam in illa particulâ *ne-* 28
cesse, tollitur prohibitio communicandi cum excommunicato, vti constat ex *d. cap. quoniam multos 11.qu.3.* & *cap. inter alia de sententia excommun.* Si enim ob vtilitatem tum excommunicati, tum aliorum communicatio cum excommunicato permittitur, à fortiori ob necessitatem. Hæc autem necessitas quæ grauis esse debet siue spiritualis sit, siue temporalis excusat, siue sit ipsius excommunicati, siue aliorum. Vti ex communi sententia docent Sayrus *lib.2. de excommun.c.14. num.29. & seqq.* Henriq. *lib.13.cap.23.* Suar. *disp.15. sect.3. à num.8.* Bonac. *disput.2. de excommun.q.2.part.6.§.2. num.57.* Gaspar Hurtado *disp.9. difficult.4. in fine.* & alij apud ipsos. Solùm aduerto hanc necessitatem communicationis cessare, si æquè benè à non excommunicato subsidium spirituale, vel temporale tibi necessarium obtinere potes. Non enim spectandum est, vt communicatio cum excommunicato liceat, an pro re necessaria fiat, sed an ea communicatio tibi necessaria sit ad illam rem necessariam impetrandam, vt notauit Gaspar Hurtado *loco citato.* Ab hac doctrina excipit Sayrus *lib.2. de excommunicat. cap.14. num.30.* Auila *2. part. cap.6. disputat.11. dub.12.* Bonac. *disputat.2. de excommunication. quæst.2. punct.6. §.2. num.59.* Prædicatores, & Confessores, qui eleemosynam ab excommunicatis vitandis petere possunt, tametsi æquè commodè ab aliis possint obtinere; quid illorum curam gerunt. Et fauet *cap. cum voluntate de sententia excommunicat.*

Punctum XX.

De aliis effectibus remotis excommunicationis.

1 *Aliqui enumerant, sed immeritò inter effectus excommunicationis maioris irregularitatem, suspensionem, excommunicationem minorem.*

2 *Effectus proprius remotus excommunicationis est suspicio hæresis.*

3 *Item integra probatio delicti, si adsit in excommunicato perseuerantia.*

4 *Item priuatio beneficiorum.*

RAtione excommunicationis aliqui effectus oriuntur qui 1
remoti dici possunt. Inter quos effectus aliqui enumerant irregularitatem, quam contrahit Clericus excommunicatus Ordinis sacri munus exercens. Item suspensionem ob Ordinem sacrum in excommunicatione susceptum. Denique excommunicationem minorem ob participationem cum excommunicato vitando. Sed hi non tam suos effectus excommunicationis, quàm transgressionis legis vi excommunicationis statutæ.

Qui

2 Quapropter effectus proprius remotus excommunicationis censeri debet suspicio hæresis, quam contrahit excommunicatus, qui per annum in excommunicatione lata specialiter ab homine animo obdurato insordescit, vti docet Nauarr. *cap.27.num.23.* Couarruu. *cap. alma mater.1.p.§.7.num.10.* Et deciditur in Conc. Trident. *sess.25.cap.3. de reformat.* Præsumitur namque sic in excommunicatione perseuerans, malè de Ecclesiæ potestate sentire. Hæc tamen suspicio leuis est, sufficit tamen ad inducendam purgationem, vti pluribus relatis docui *tract.4.disp.4.punct.2.n.6.* Quod si hanc purgationem subire noluerit, citari iterum debet sub pœna excommunicationis. Quâ citatione factâ, si adhuc respondere neglexerit, & in hac contumacia per annum perseuerauerit nullo allegato impedimento condemnari potest vt hæreticus, iuxta Textum *in cap. cum contumacia de Hæreticis in 6.* Vti notauit Auila *2.p.cap.6.disp.9. dub.12.* Gaspar Hurtado *de excommun. disputatio.11.in fine.* & latiùs tradit *dicto tract.4. disputatio.4. punct.2.*

3 Secundus effectus excommunicationis, seu perseuerantiæ in excommunicatione censeri potest integra probatio delicti seu causæ, ob quam lata est excommunicatio. Etenim si ob causam ciuilem, vel criminalem excommunicatus à Iudice sis, & in ea excommunicatione per annum perseueras nullo ostenso impedimento, aut satisfactionis signo censendus es pro conuicto, & confesso, iuxta Textum, *in capite rursus. Capite quicunque. 11. quæst.3.* quia ea contumacia iuris fictione reputatur confessio. Non tamen excludit, quin allegare, & probare innocentiam possit. Vti probaui *dicta disp. 4.p. 2.num.4.*

4 Tertius effectus remotus excommunicationis referri potest priuatio beneficiorum. Sed an hæc priuatio ipso iure inducta sit, an Iudicis officium requirat, & an imponatur ob perseuerantiam triennalem, vel annalem in excommunicatione non est constans Doctorum sententia, vt videre est apud Couaruu. *cap. alma mater.1.§.7.numero 10.& seqq.* Mihi autem placet sententia Suar. *disp.17. sect. 1. num.9.* nihil in hac re iure statutum esse. Nam esto in *capite bonæ memoriæ, De ætate, & qualitate* priuetur Clericus beneficiis ob perseuerantiam in excommunicatione; non inde inferendum est ob perseuerantiam annalem priuari non posse, vel necessariò priuandum esse ob perseuerantiam triennalem, quia ille Textus refert quid factum sit, non tamen continet dispositionem in futurum. Vti ex Eymerico, Menochio & Salcedo notaui *d.tract.4.de fide, disp.4.pun.2.num.9.* Verùm esto ita sit, Iudices tamen debent excommunicatum triennio in excommunicatione perseuerantem animo indurato beneficiis omnibus priuare; quia indignus est vt fructibus Ecclesiæ gaudeat qui aduersus Ecclesiam ita rebellis existit. Sicuti Pontifex præstitit in *dicto capite bonæ memoriæ.* Ob annalem verò perseuerantiam etsi possint Iudices hanc beneficiorum priuationem indicere, quia annalis contumacia digna videtur esse ea priuatione, attamen non tenetur; quia nullibi cauetur hæc obligatio. Sic docuit Suar. *disp.17. sect.1. à num.9.* Post excommunicationis effectus suppereat dicendum de eorum suspensione, excommunicationisque absolutione, nisi de his *præced. disp. à puncto 9. vsque in finem*, satis supérque dictum fuisset. Quapropter solùm restat explicare excommunicationis minoris naturam. De qua in *sequenti puncto* sermo instituendus est.

Punctum XXI.

De excommunicatione minore, illiúsque effectibus, déque illius absolutione.

1 *Etsi olim fuerint plures excommunicationes minores, tam vsu receptum est vnicam tantùm esse.*
2 *Incurritur ob participationem cum excommunicato vitando siue viuo, siue mortuo.*
3 *Appellatur minor excommunicatio comparatione maioris.*
4 *Etsi ab homine ferri possit, nunquam tamen fertur.*
5 *Vnicus est eius effectus, scilicet priuatio passiua Sacramentorum.*
6 *Sacramentum pœnitentiæ plures censent inualidè recipi ab hoc excommunicato, etiamsi ignoranter, & inculpabiliter illud recipiat.*
7 *Longè verius est validum esse.*
8 *Plures huic excommunicationi attribuunt tanquam effectum indirectum, priuationem administrationis Sacramentorum. Sed reiiciuntur.*
9 *Proponuntur obiectiones aduersus prædictam doctrinam.*
10 *Fit illis satis.*
11 *Propter horum administrationem nulla irregularitas, vel pœna ipso iure incurritur.*
12 *Secundus effectus indirectus est priuatio electionis ad beneficia.*
13 *Eligens, præsentans, vel conferens huic excommunicato beneficium Ecclesiasticum, & ipse recipiens peccant grauiter.*
14 *Censent plures irritam esse prædictam electionem, seu collationem beneficij.*
15 *Oppositum verius est.*
16 *Hæc irritatio futura non debet extendi ad electionem temporalium dignitatum.*
17 *Vt hæc irritatio fiat plures existimant scientiam excommunicationis in electoribus adesse debere.*
18 *Contrarium docuit communis sententia.*
19 *Etsi prædictæ sententiæ probabiles sint, probabilius est electionem irritandam esse, si facta sit de excommunicato, seu excommunicationis conscio: secùs ignaro, siue electores sciuerint, siue ignorauerint excommunicationem.*
20 *Electores eligentes hunc excommunicatum nullam pœnam incurrunt.*
21 *Ab hac excommunicatione absoluere potest, qui in foro externo iurisdictionem habet, & in foro pœnitentiæ Episcopus, Parochus, & proprius Sacerdos.*
22 *Plures censent etiam simplicem Sacerdotem ab hac excommunicatione absoluere posse.*
23 *Contrarium est longè probabilius.*
24 *Nulla est forma determinata absolutionis ab hac censura.*

OLim plures fuerunt excommunicationes minores non solùm à iure, sed etiam ab hominæ impositæ. Vti constat *ex variis Textibus 11. quæst.3.* aliæ namque priuabant omnium Sacramentorum participatione, aliæ verò solùm ab Eucharistiæ perceptione remouebant, aliæ ab hominum communione cum Diuina, tum humana. Vti probat Sayrus *lib.2.de excommunicat. cap.22. numero 2.* Sed iam vsu receptum est teste communi sententiâ vnicam tantùm esse excommunicationem minorem Sacramentorum receptione priuantem, & à iure impositam ob participationem cum excommunicato vitando, iuxta Textum *in cap. excommunicatos. & c. cum excommunicato, & seqq. & cap. finali de clerico excommunicato ministrante.* Et *cap. nuper. de sententia excommunicat. & c. à nobis de exceptionibus.* & tradit Victoria *in tract. de excom. n.16.* Caiet. *verbo excom. minor.* Nauarr. *sum.c.27.n.1.24.& 45.* Suar. *disp.24. sect.3.* Sayrus *lib.2.de excomm.c.23.n.4.* Coninch. *disp.14. de excommunicat. dub.17. num.260.* Paul. Layman. *lib.1.sum.tract.5.par.2.cap.3.num.5.* Gaspar Hurtado *disp.16. de excommunic.num.1.* & alij. 1

Dixi *incurrit ob participationem cum excommunicato vitando*; quod intelligendum est siue viuus sit, siue mortuus; quippe si excommunicatum vitandum antequam absolutus ab excommunicatione fuerit, ad sepulturam comiteris, minorem excommunicationem incurris, vti notauit Glossa *in c. ad hæc de Priuilegiis.* Panorm. *in c. sacris de Sepultur.* Bonac. *disp.2.q.3.n.2.* Etenim quibus in vita communicare non possumus, neque in morte permissum est communicare ex *dicto Textu in cap. sacris, de sepultur.* 2

Hæc excommunicatio appellatur minor comparatione maioris excommunicationis. Tum quia ob minorem causam incurritur. Tum quia minorem priuationem inducit. Sicuti notauit Sotus *in 4.d.22.quæst.1.art.1. dub.2.* Henriq. *lib.13. cap.3.numero 1.* Hugolin. *tab.2. de censur. cap.5. §.1.* Sayrus *lib.2. de excommunicat. cap.22. num.3.* Suar. *disp. 24.de censur. sect.1.* Bonacina *disp.2.de excommun.q.3. num.1.* & alij. 3

Et licèt hæc excommunicatio minor ab homine iurisdictionem in foro contentioso habente ferri possit, teste Glossa *in cap si inimicus, 11. quæst.1.* Panormit. *in rub. de sententia excommunic. num.3.* & *c. si celebrat de Clerico excommunic. ministr.num.4.* Nauarr. *c.27.n.25.* Couarruu. *in c.alma 1.p. §.8.n.5.* Henriq. *lib.12.cap.3.num.4.* Hugolin. *tab.3.c.1.n.4.* Sayr. *lib.2.cap.23. num.1.* Vsu tamen receptum est nunquam ab homine ferri, sed solùm à iure ob dictam cum excommunicato vitando participationem, vt benè notauit Syluest. *verbo Excommunicatio.4. num.2.* Sotus *in 4. dist.22. quæst.2. art.3.vers. circa secundum.* Sayrus *lib.2.de excom. cap.23.n.2.* Gaspar Hurtado *d.disp.16. num.2.* 4

Quoad effectus attinet, vnicus tantùm est proprius, & directus scilicet priuatio passiua Sacramentorum, iuxta Textum *in cap. à nobis de exceptionib. cap. si celebret, de clerico excommunic. ministr. cap. penult. de sententia excommunic.* Quapropter minori excommunicatione innodatus tenetur sub graui culpa à cuiuslibet Sacramenti perceptione abstinere. Vti deciditur in *dicto capite si celebrat.* ibi, *grauiter peccat.* Etenim cuiuslibet Sacramenti receptio grauis materia est; quæ per legem prohibita grauem culpam in transgressoribus arguit. Sicuti ex communi sententia docet Caietan. *verbo Excommunicatio. cap. vlt.* Couarruu. *c.alma.1.p.§.8.* Suar. *disp.24. sect.3.num.3.* Coninch. *disp.14.dub.17.n.260.* Bonac. *disp.2. quæst.3.n.3.* Paul. Layman. *lib.1.sum.tract.5. par.2. cap.3. n.4.* & alij passim. 5

Sacra

6 Sacramenta verò ab huiusmodi excommunicato recepta valida esse, omnes Doctores affirmant, solùm de pœnitentia dissentiunt. Nam Sylvest. *verbo Excommunicatio 4. num. 1.* & *verbo Confessor 3. num. 12.* Tabiena, *verbo Absolutio. 1. num. 24. §. 10.* Summa Corona *1. p. cap. 31. de iteran. confess. in fine*, Vasq. aliis relatis *de excommunicat. dub. 4.* Gaspar Hurtado *disp. 16. de excommunicat. difficult. 1. num. 3.* censent inualidè Sacramentum pœnitentiæ à dicto excommunicato recipi. Quod intelligendum est, esto ignoranter, & inculpabiliter recipiatur non præmissâ censuræ absolutione. Mouentur, quia hac excommunicatione priuat Ecclesia excommunicatum Sacramentorum receptione quoad fieri potest. At potest Ecclesia eum priuare pœnitentiæ Sacramento secundùm illius valorem, denegando Sacerdoti iurisdictionem. Ergo prædictum Sacramentum receptum ab excommunicato minori excommunicatione, inualidum est.

7 Cæterùm longè verius est validum esse prædictum Sacramentum à dicto excommunicato receptum, si nullam in eius receptione culpam commisit; eo quòd ignarus excommunicationis fuerit, vel si illius conscius fuit postulauit ab excommunicatione priùs absolui, quàm à peccato, quod tamen Sacerdos vel ex malitia, vel ex ignorantia non præstitit. Vt rectè docuerunt Martin. de Ledesm. *2. 4. q. 25. art. 1.* Ioan. Medina *Cod. de confess. quæst. 18. vers. dicendum igitur.* Bartholom. de Medina *in summ. lib. 1. cap 11. §. 3.* Nauarr. *cap. 9. n. 3. vers. 4.* & *in cap. consideret. §. cautus num. 30. de pœnitent. dist. 5.* & *in cap. frater. num. 45. vers. secundo de pœnit. eadem dist.* Couarruu. *cap. alma. 1. p. §. 6. num. 7.* Viuald. *candelab. aureo 2. p. tract. de excommun. num. 31.* & *tract. de excommunicat. minori, n. 6.* Hugolin. *tab. 2. de censur. cap. 7. §. 2. num 6.* Henriq. *lib. 13. de excommun. cap. 3. num. 3.* Sayrus *lib. 2. de excommunicat. cap. 22. num. 14.* Bonac. *disp. 2. q. 3. n. 3.* Ratio est: quia Ecclesia solùm remouet excommunicatum à Sacramentis, illorum perceptionem prohibendo, non tam in irritando. Tum quia nullum est fundamentum in iure huius irritationis, quin potiùs receptum ab omnibus est reliqua Sacramenta etiam matrimonij valida esse ab excommunicato recepta, cùm tamen Ecclesia illius receptionē irritare potuerit. Tum quia non videtur expediens hanc irritationem in Sacramento pœnitentiæ facere, vtpotè fidelium maximè necessariò præcipuè cùm hæc irritatio faciendo sit auferendo à Sacerdote iurisdictionem, quod esset Sacerdotem innocentem punire.

8 Præter suprà dictum effectum proprium, & directum plures Doctores minori excommunicationi attribuunt administrationis Sacramentorum priuationem, non quidem per se, & directè, sed indirectè, & in consequentiam. Cùm enim minori excommunicatione innodatus Sacramentorum receptione priuatus ex stat, indecens esse videtur, si aliis conferat ea Sacramenta, quæ ipse recipere priuatus est. Vti docuerunt Couarruu. *cap. alma 1. p. §. 8. num. 2.* Auila *2. p. de censur. cap. 6. dist. 12. dub. 3.* Coninch. *disput. 14. dub. 7. numero 264.* Vasq. *de excommunicat. dub. 4.* Sayrus *lib. 2. de excommunicat. cap. 22. num. 19.* Reginald. *lib. 32. c. 14. num. 142.* Paul. Laym. *lib. 1. sum. tract. 5. par. 2. cap. 3. num. 2.* Et licet Sylvest. *verbo Excommunicatio 4. n. 2.* Armilla *n. 21.* Vazq. *dicto dub. 4.* existiment eam indecentiam peccatum mortale constituere. Rectiùs cæteri Doctores solam culpam venialem agnoscunt, argum. *cap. si celebrat de Clerico excomm. ministr.* vbi de celebrante minori excommunicatione innodato inquit Pontifex grauiter peccare. At de conferente Ecclesiastica Sacramenta tantùm dicit peccare omittens aduerbium *grauiter*, quasi manifestè indicans in collatione Sacramentorum graue peccatum non esse.

9 Huic doctrinæ obstant Nauarr. *cap. 27. num 24.* Henriq. *lib. 13. cap. 3 num. 2.* Suar. *disp. 24. sect. 2. num. 12.* Gaspar Hurtado *disp. 16. diffic. 1. n. 4.* Filliucius *tract. 13. c. 2. num. 22.* Bonac. *disp. 1. de excommunicat. q. 3. n 4.* & alij negantes ex vi prædictæ excommunicationis minoris priuatum esse excommunicatum etiam indirectè Sacramentorum administratione. Tum quia hæc priuatio etsi indirecta grauem culpam induceret vtpotè de materia graui. Tum quia in *dicto cap. si celebrat.* dicitur Sacramenta collata ab huiusmodi excommunicato non carere virtutis effectu; quia non à collatione, sed à receptione est remotus. Si autem ea excommunicatus conferens culpam committeret ab illorum collatione remotus esset, & virtutis effectu careret. Neque obstat quod Pontifex dixerit prædictum excommunicatum peccare Sacramenta conferendo; quia intelligi debet non quatenus confert, sed quatenus illorum collationi Sacramenti receptionem præmittit. Vti docuit Panormit. *ibi*, Suar. Bonacina, Filliucius, Hurtado, & alij *suprà*.

10 Propter hæc etsi probabiliter dicta sint, recedendum non est à communiori sententia affirmante saltem peccatum veniale committi in hac sacramentorum administratione: non quia minori excommunicatione innodatus lege aliqua Ecclesiasticâ remotus sit à Sacramentorum collatione, sed quia lege naturali ab eorum collatione remouetur; eo quòd remotus sit ab eorum susceptione. Quippe (vt dictum est) indecens esse videtur aliis conferre Sacramenta, quorum susceptione ipse tanquam indignus priuatus est. Ex qua ratione manifestè soluitur oppositum fundamentum. Fateor namque collationem Sacramentorum materiam grauem esse, sed quia lege Ecclesiastica non prohibetur excommunicato minori excommunicatione, sed solùm ipsi ex lege naturali honestatis & decentiæ interdicitur: ideò non arguit culpam grauem in conferente. Et ob hanc causam dixit Pontifex Sacramenta collata ab hoc excommunicato non carere virtutis effectu; quia scilicet ex vi legis Ecclesiasticæ ab eorum collatione remotus non est. Explicatio verò illorum verborum *peccat Sacramenta conferendo*, quæ in argumento adducitur, sustinenda non est. Nam si Pontifex vellet peccare hunc excommunicatum Sacramenta conferendo, quatenus eorum collationi susceptionem eorum præmittit, superfluè ea verba posita essent, siquidem in principio dixit hunc excommunicatum celebrantem grauiter peccare; neque item aduerbium *grauiter* initio capitis positum omitteret, siquidem recipiendo Sacramentum semper grauiter esset peccaturus.

11 Illud verò est certum sic Sacramenta administrantem nullam irregularitatem, vel pœnam ipso iure incurrere, sed arbitrio Ordinarij puniendum esse, vti colligitur ex *dicto cap. si celebrat.* Et tradit *ibi* Panormit. *num. 2.* Sotus *in 4. dist. 22. quæst. 2. art. 3.* Nauarr. *cap. 27. num. 244.* Couarruu. *in cap. alma 1. p. §. 8. num.* Henriq. *lib. 13. cap. 3. §. 1.* Sayrus aliis relatis, *lib. 2. de excommun. cap 22. num. 27* Suar. *disp. 24. sect. 2. num. 32.* Filliucius *tract. 13. cap. 2. quæst. 10.* Bonac. *disp 2. de excommun. quæst. 3. num. 7.* Layman. *lib. 1 sum. tract. 5. par. 2. cap. 3. num. 4. vers. est autem minor.* Gaspar Hurtado, *disp. 16. diffic. 1. num. 5.*

12 Secundus effectus indirectus minoris excommunicationis est priuatio electionis ad beneficia. Vti habetur *dicto capite si celebrat, de Clerico excommunicato ministrante.* Quippe cum excommunicatus minori excommunicatione remotus sit à susceptione cuiuslibet Sacramenti; consequenter remouetur à beneficiorum susceptione, argum. *legis de Sponsalibus* Cùm enim quodlibet beneficium ex intentione Ecclesiæ beneficiato conferatur, vt Ordines sacros suscipiat. & Missæ sacrificium celebret, prohibita Sacramentorum susceptione, prohibita censetur beneficiorum electio, per quam ad Sacramenta suscipienda perueniitur. Et licèt in *dicto capite si celebret* solùm electionis mentio facta sit, communiter Doctores decisionem extendunt ad præsentationem, & collationem, vtpotè quæ electiones vocari possunt: siquidem is cui beneficium confertur, vel ad ipsum præsentatur aliis omissis eligitur. Præterquam quòd ratio decisionis æquè in præsentatione, & collatione, ac in electione procedit, vt expendenti constare potest; & notauit Richard. *in 4. dicto 18. art. 7. quæst. 4.* Decius *in cap. dilecti. not. ab. 1. de exceptionib.* Sayrus *lib. 2. de excommunicat. cap. 22. num. 22.* Couarruu. *capite alma mater. 1. p. §. 7. num. 1.* Henriq *lib. 13. cap. 3. num. 3.* Suar. *disp. 24. sect. 2. num. 22.* Coninch. *disp. 14. de excommunic. dub. 17. num. 262.* Layman. *lib. 1. sum. tract. 5. par. 2. cap. 3. num. 5.* Auila, *2. p. cap. 6. disp. 12. dub. 4.*

13 Hinc fit eligentem, præsentantem, vel conferentem beneficium Ecclesiasticum minori excommunicatione innodato, & ipsum excommunicatum recipientem tale beneficium grauiter peccaturos, quia violant legem Ecclesiasticam in graui materia, vti tradit Panormit. *dicto cap. si celebrat. num. 3.* Sylvest. *verbo Excommunicatio. 4. num. 3.* Couarruu. *cap. alma. 1. p. §. 8. num. 3.* Henriq. *lib. 13. cap. 13. num. 1.* Sayrus *lib. 2. de excommunicat. c. 22. n. 22.* Auila *2. part. de censur. cap. 6. disp. 12. dub. 4* Layman. *lib. 1. sum. tract. 5. par. 2. cap. 3. num. 5.* Gaspar Hurtado *disp. 16. difficult. 1. in fine.* Suar. *disputat. 24. sect. 2. n. 31 ad finem.* Bonac. *disp. 2. de censur. q. 3. n. 7.* & alij.

14 Sed an prædicta electio, seu beneficij collatio, & præsentatio irrita sit ipso iure, vel ope exceptionis veniat irritanda? Non conueniunt Doctores. Nam Hostiens. *in dicto capite si celebrat.* Et *ibi* Cardinal. *col. vlt.* Couarruu. *in cap. alma 1. part. §. 8 num. 3.* Hugolin. *de censur. tab. 3. capite 6. §. 3. numero 2.* Nauarr. *cap. 27. numero 24.* censent ipso iure nullam esse electionem, vtpotè personæ indignæ, & inhabilis. Et licèt in *dicto cap. si celebrat.* dicatur prædictam electionem irritandam esse, asserunt id explicandum esse de irritatione declaratiua, non effectiua, hoc est prædictam electionem debere à Iudice irritam declarari.

15 Sed rectiùs contrarium docuit Felin. *in cap. dilecta col. 3. de exceptionib.* Richard. *in 4. d. 18. art. 7. qu. 3.* Sotus *dist in. 22. qu. 2. art. 3.* Angles *in flor. 4. sentent. 2. part. tit. de excommunicat. art. 3. difficult. 10.* Petr. de Soto *lib. de institut. Sacerdot. sect. 4. de excommunicat.* Sayrus *lib. 2. de excommunicat. cap. 22. num. 23.* Suar. *disputat. 14. sect. 2. num. 22.* Tolet. *lib. 1. sum. capit. 18.* & *lib. 5. capit. 66.* Coninch. *disputat. 14. dubit. 17. num. 263.* Auila *2. part. de censur. cap. 6. disputat. 12. dub. 4.* Bonac. *disputat. 2. de excommunicat. q. 3. num. 7.* Filliuc. *tract. 13. cap. 2. quæst. 8.* Paul. Laym. *lib. 1. sum. tract. 5. part. 2. cap. 3. num. 5.* Gaspar Hurtado *disp. 16. difficult. 1 in fine*, & alij. Etenim cùm Textus, in *dicto cap si celebret*, expressè dixerit electionem irritandam

esse, nullum est fundamentum, vt intelligatur de declaratione irritationis: cùm hæc sit impropria verborum intellectio, quæ vitanda est quoad fieri possit, maximè cùm pœnalem constitutionem restringit.

16 Hæc irritatio extendi non debet (vt benè aduertit Suar. *loco citato*) ad electionem temporalium dignitatum, quia Textus non de dignitatibus temporalibus, sed Ecclesiasticis locutus est: vt constat ex illis verbis: *Pro eo quòd ad susceptionem eligitur, à quorum participatione à sanctis Patribus est priuatus.* At ex vi excommunicationis minoris priuatus nemo est, neque mediatè neque immediatè regimine harum dignitatum. Ergo earum electio irritanda non est, tametsi excommunicatione minori innodato facta fuerit.

17 Vt autem hæc irritatio fieri debeat, existimant Sylvest. *verbo Excommunicatio 4. n. 4.* Hostiens. *in sum. lib. 5. titul. de Clerico excommunic. ministrante. §. qualiter puniatur.* & Gab. 4. *dist. 18. quæst. 3. art. 3. dub. 1.* Vazq. *tract. de excommunicat. dub. 6. num. 12.* Reginaldus *praxi lib 32. cap. 14. num. 143. ad finem.* Bonacina *disp. 2. de excommunicat. quæst. 3. n. 7.* Auila 2. *p. cap. 6. disp. 12. dub. 4. concl. 4.* Gaspar Hurtado *disp. 16. difficult. 1. in fine,* & alij scientiam excommunicationis in electoribus adfuturam esse. Quia Textus expressè dicit. *Si scienter talis excommunicatus electus fuerit, eius electio est irritanda.* Requiritur ergo scientia excommunicationis, vt locum irritatio habeat, aliàs particula *scienter* superflua esset.

18 Contrarium docuit communis sententia. Glossa *in dicto cap. si celebrat, verbo scienter.* Panormit. *ibi num. 7.* & Cardin. *col. vlt.* Couarruu. *cap. alma mater 1. p. §. 8. numero 3.* Hugolin. *tab. 3. cap. 6. §. 3. num. 2.* Sayrus *lib. 2. de excommunicat. cap. 22. num. 23.* Suar. *disp. 24. sect. 2. num 18.* Coninch. *disp. 14. dub. 17. num. 163.* asserunt namque particulam illam *scienter* potiùs esse additam ad augendam, quam ad limitandam dispositionem, præstatque hunc sensum; etiamsi electio excommunicati scienter facta sit irritanda est. Etenim quando electores excommunicationis ignari elegerunt excommunicatum, electio irritanda est ob surreptionem. At cùm conscij communicationis elegerunt, non videbatur electio defectum habere ob quem irritanda esset, ideoque opus fuit Pontificis dispositione. Deinde hæc electio non cassatur in pœnam peccati ab electoribus commissi, sed quia electus inhabilis est ad vsum, ad quem per beneficium assumitur, vt constat ex illis verbis textus. *Si scienter electus fuerit eius electio est irritanda, pro eo quòd assumitur ad susceptionem eorum, à quorum perceptione à sanctis Patribus priuatus est.* Quæ ratio probat electionem irritandam esse, tametsi ex parte electi se teneat ignorantia; quia esto electus suæ excommunicationis ignarus fuerit, nullumque peccatum commiserit beneficium acceptans, attamen excommunicatione manifestata à Sacramentorum participatione priuatus est, & consequentur beneficij electio irritanda venit. Vti expressè docent Glossa *in dicto cap. si celebrat, verbo scienter.* Hostiens. *in sum. lib. 5. tit. de Clerico excommunic. ministr. §. qualiter puniatur, n. 3.* Henriq. *lib. 13. cap. 3. num. 3.* Sayrus *lib. 2. de excommunic. cap. 22. num. 24.*

19 Cæterùm etsi prædictæ sententiæ probabiles sint, probabilius existimo quod tradit Glossa *in dicto cap. si celebrat. verbo scienter in fine.* Paul. Layman. *lib. 1. sum. tract. 5. par. 2. cap. 3. num. 5.* nempe electionem irritandam esse, si facta sit de excommunicato suæ excommunicationis conscio, secùs si facta sit de ignaro suæ excommunicationis, siue electores sciuerint, siue ignorauerint excommunicationem; quia stante ignorantia excommunicationis in electo, esto in re priuatus sit Sacramentorum participatione, ab ea participatione ob ignorantiam excusatur. Meritò ergo subsistineri electio debet, si electus suæ excommunicationis ignarus fuit: cùm ratio Textus, ob quam decidit electionem irritandam esse nonadæquatè procedat. Et ex his soluitur fundamentum secundæ sententiæ. Ad fundamentum primæ, respondeo electionem excommunicati ad beneficium esse electionem personæ indignæ, & inhabilis quoad licitum vsum, non tamen quoad valorem, valor enim electionis subsistit, dum à Iudice non infirmatur.

20 Porrò electores eligentes hunc excommunicatum ad beneficium etiam scienter nullam pœnam incurrunt; quia nullibi statuta est. Nam licèt Glossa *in dicto cap. si celebrat, verbo scienter, in fine,* videatur affirmare sic eligentes suspensos esse per triennium, & inhabiles factos ad electionem, iuxta Textum *in c. cum in cunctis. c. scriptum in fide de electione,* verius est prædicta pœna non affici, quia Textus *in c. cum in cunctis.* & *cap. scriptum* loquuntur de eligentibus indignum ob defectum scientiæ, honestatis morum, & ætatis; quæ dispositio extendi non debet ad eligentes indignum ob minorem excommunicationem; cùm hæc indignitas facile auferri possit, & beneficij collationem non reddat ipso iure nullam, vt benè aduertit Suar. *disput. 24. sect. 2. circa finem.* Auila 2. *p. cap. 6. disp. 12. dub. 4.*

21 Quoad absolutionem huius censuræ attinet absoluere potest in foro externo qui in eo iurisdictionem habet. At in foro pœnitentiæ Episcopus, Parochus, & proprius Sacerdos absoluere potest, vti notant Doctores. Sylvest. *verbo Absolutio 1. num. 3.* & *verbo Excommunicatio 4. num. 2.* Sotus *in 4. dist. 22. quæst. 2. art. 3. concl. 1.* Henriq. *lib. 13. cap. 28. num. 1.* Couarruu. *cap. alma 1. p. §. 12. num. 6.* Sayrus *lib. 2. cap. 23. n. 7.* Suar. *disp. 24. sect. 4.* Coninch. *disp. 14. dub. 17. in fine.* Et decidit expressè *cap. nuper de sententia excomm. §. in secundo verò casu.* Nomine proprij Sacerdotis non solùm intelligi debet, qui iurisdictionem ordinariam habet vti Parochus, sed etiam qui delegatam, iuxta Textum *in cap. omnis vtriusque sexus de pœnitent. & remissionib.* quia verè est proprius Sacerdos, vt docuerunt Suar. *disp. 24. sect. 4. num 2.* Sayrus *lib. 2. de excommunicat. cap. 23. num. 10.* Coninch. *disp. 14. dub. 17. num. 265.* Bonac. *disp. 2. de excommunicat. qu. 3. num. 15.* Paul. Layman. *lib. 1. sum. tract. 5. part. 2. cap. 3. num. 6.* & alij. Ex quo fit delegata alicui Sacerdoti potestate absoluendi à peccatis, & pœnitentiæ sacramentum ministrandi censetur concessa facultas ab hac excommunicatione absoluendi, vtpotè quæ absolutioni peccatorum præmittenda est; concesso enim vno, & alterum sine quo commodè illud vnum præstari nequit concessum censetur, argum. *cap. præterea de officio delegati. & leg. 2. de iurisdict. omn. iudic.*

Quinimò Parochus etiamsi Sacerdos non sit, poterit ab hac excommunicatione absoluere; quia hæc absolutio non est actus Ordinis, sed iurisdictionis, quæ Parocho non Sacerdoti competit. Et licèt in *dicto cap. nuper* expressè dicatur hanc absolutionem præstandam esse à proprio Sacerdote, id dictum est, non quia necessarium, sed quia frequentius Parochus est Sacerdos, sicut etiam sub nomine Episcopi non solùm consecratus, sed etiam non consecratus, & qui iurisdictionem quasi Episcopalem habet intelligitur. Sicuti tradit Hugolin. *tab. 3. de censur. cap. 4. §. 2. n. 2.* Sayrus *lib. 2. de excommunic. cap. 23. num. 7.* Suar. *disp. 24. sect. 4. num. 4.* Filliucius *tract. 13. c. 7. quæst. 6. num. 140.* Bonac. *disput. 2. de excommunicat. quæst. 3. num. 14.*

Difficultas autem est, An simplex Sacerdos, qui solùm à venialibus potest absoluere, absoluere possit ab hac excommunicatione? Affirmat Nauarr. *cap. 27. num. 25. & num. 39.* & *in cap. placuit num. 25. de pœnitent. dist. 6.* Alfonsus Viuald. *in suo candelab. 2. part. tract. de excommunic. num. 12.* Tolet *lib. 1. sum. cap. 17. num. 7.* Inclinat Tabiena *verbo Absolutio 2. num. 5.* Armilla *numero 38.* Felin. *cap. à nobis de exceptionibus* Gaspar Hurtado *disput. 16. de excommunicatione difficult. 2. in fine.* Mouentur; quia hæc excommunicatio regulariter ob culpam venialem contrahitur, ergo potès à culpa veniali absoluere, videtur ab hac excommunicatione absoluere posse; cùm hæc absolutio peccatorum absolutioni præmittenda sit. Et hæc ratio probat hanc absolutionem à simplici Sacerdote concedi posse, tametsi absoluendus peccatis mortalibus affectus sit, vel illa excommunicatio ob culpam mortalem fuerit contracta, vti placuit Felino, Armillæ, & Hurtado *locis citatis.* Quando autem excommunicatio minor ob culpam venialem incursa est, neque excommunicatus vllo peccato mortali grauatur (inquiunt Nauarr. & Tolet.) simplex Sacerdos censendus est proptius Sacerdos illius excommunicati, cùm possit eum absoluere à vinculo, quo ligatus est. 11

Sed contrarium longè probabilius est, simplicem inquam Sacerdotem non habere potestatem absoluendi ab hac censura, vti colligitur ex *dicto capite nuper.* vbi interrogatus Pontifex; An simplex Sacerdos ab hac censura absoluere possit, respondit absoluere posse Episcopum proprium, vel Sacerdotem proprium. Ergo manifestè indicauit simplicem Sacerdotem nullam potestatem habere; aliàs non exprimeret proprium Episcopum, vel Sacerdotem; cùm ab alieno Episcopo, vel Sacerdote hæc absolutio obtineri posset. Ratio verò est: quia hæc absolutio cùm ab absolutione à peccatis distincta sit, pertineátque per se ad iurisdictionem contentiosam, nemini competere potest, nisi ei à iure, vel ab homine iurisdictionem habente concedatur. Atqui simplici Sacerdoti nullibi hæc potestas reperitur concessa. Nam in *cap. nuper.* non alieno Sacerdoti, sed proprio conceditur, proprius autem Sacerdos est qui à qu. buscunque peccatis sibi subditum absoluere per se potest, non verò qui tantùm potest à peccatis venialibus. Neque ex eo quòd Sacerdoti simplici concessa à iure sit potestas à peccatis venialibus absoluendi, inferri debet posse ab hac excommunicatione ob peccatum veniale incursa absoluere; quia vt dixi, latè differt hæc absolutio censuræ ab absolutione à peccatis; aliàs qui posset à mortalibus absoluere, posset etiam ab excommunicatione maiori ob eorum causam incursa, quod non est dicendum. Atque ita post alios antiquiores defendit Caiet. *in sum. verbo Absolutio, in fine, & verbo Excommunicatio minor. & 1. opuscul. tract. 7. q. 7. vnica, vers. ad 2.* Couarruu. *cap. alma 1. p. §. 12. num. 7.* Sotus *in 4. d. 22. quæst. 2. art. 3. vers. tertium ergo membrum.* Henriq. *lib. 13. cap. 18. num. 5.* Sayrus *lib. 2. de excommunic. cap. 23. n. 9.* Hugolin. *tab. 3. cap. 4. §. 5. n. 2.* Suar. *disp. 7. de censur. sect. 4. n. 17.* Coninch. *disp. 14. dub. 17. in fine.* Auila 2. *p. c. 7. disp. 1. dub. 2.* Filliucius *tract. 13. cap. 7. quæst. 3.* 43

Bonac.

Bonac. *disp.3. de excommun.q.3.num.15.* Layman. *lib.1. sum. tract.5.par.2.cap.3. in fine.* & alij apud ipsos.

24 Quoad formam absolutionis ab hac censura nulla est determinata; sed illa sufficit, quæ voluntatem absoluentis exprimit. Satisfationem, seu cautionem iuratoriam præstare, aliásque cæremonias adhibere etiam in foro externo necessarium non est. Vti ex communi sententia docuerunt Sylvest. *verbo Absolutio 3.n.5.* Sotus *in 4.d.22. quæst.2. art.3. vers. tertium ergo membrum.* Hugolin. *tab.3. cap.12.* Sayrus *lib.2. de excommunicat.cap.23.in fine.* Suar. *disp.24.sect.4.ad finem.* Filliucius *tract.13.cap.7.q.8. num.143.* Bonac. *disp.2. de excommun.q.3.in fine,* & alij.

DISPVTATIO III.

De excommunicationibus tam in corpore iuris, quàm extrà contentis.

EX hac Disputatione præcedens Disputatio de excommunicatione lucidior erit. Variæ sunt excommunicationes tam in corpore iuris, quàm extra contentæ. Sed quia inter eas præcipuum locum obtinent quæ feria 5. in Cœna Domini promulgantur, quæque appellantur excommunicationes bullæ Cœnæ Domini, ea de causa ab ipsis exordium sumimus.

Nota Lector ea quæ tota ferè hac Disputatione dicentur, intelligenda esse pro locis, in quibus bulla Cœnæ vigorem habet, non autem pro regnis aut Prouinciis vbi non est recepta. Neque enim Theologi est augere priuilegia Regnorum, nec ea imminuere.

PVNCTVM. I.

Præmittuntur aliqua notabilia, pro clariori bullæ Cœnæ Domini intelligentia.

1 *Aduersus quamque personam proferentur hæ excommunicationes.*
2 *Vt firmitatem habeant nihil amplius requiritur, quàm earum authentica publicatio.*
3 *Durant quousque alij bullæ processus expediantur.*
4 *Appellari possunt excommunicationes partim à iure, partim ab homine.*
5 *Hæ excommunicationes non multiplicantur, ex eo quod à Pontifice in hac bulla, vel in corpore iuris sint inserta.*
6 *Si casus aliquis omittatur in noua bulla, qui fuit in antiqua contentus eo ipso desinit obligare.*
7 *Priuilegia reuocata in vna bulla, si in sequenti non reuocentur, de nouo subsistunt.*

1 HAs excommunicationes ipso facto latas summus Pontifex profert, & promulgat feria V. in Cœna Domini, & ob hanc causam excommunicationes bullæ Cœnæ sunt appellatæ. Profert autem aduersus quamcunque personam fidelem violantem præcepta ibidem contenta. Tum vt fides integrè seruetur, tum vt seruetur vnio fidelium inter se cum Christo, eiúsque Vicario.

2 Vt autem prædictæ excommunicationes firmitatem habeant nihil amplius requiritur, quàm earum authentica publicatio: nam esto processus contra determinatam personam fieri non possit absque illius citatione, vtpotè cui ius defensionis est concessum. Secùs verò processu, seu constitutione, vel præcepto generaliter lato contra futurum delinquentem; quia à nemine eius efficaci impediri valet. Vti notauit Sayr. *lib.3. thesauri casuum conscientiæ,* vbi *de particular. excommunicat. cap.3.num.4.* Bonac. *t.3. de censur. q.1. punct.3. circa finem.*

3 Durant verò prædictæ excommunicationes, quousque alij bullæ processus expediantur, vt constat ex illis verbis bullæ circa finem: *Volentes nostros processus, ac omnia, & quæcunque his litteris contenta, quousque alij huiusmodi processus à nobis, aut à Romano Pontifice pro tempore existente fiant, aut publicentur durare, suósque effectus omnino sortiri.* Ex quo fit manifestè mortuo Pontifice ad has prædictas excommunicationes subsistere.

4 Hinc inter Doctores orta est controuersia; An hæ excommunicationes appellandæ sint latæ à iure, vel ab homine? Nam Sylvest. *verbo Excommunicatio 7. num.76. vers. triges. primo.* Nauarr. *man. latino in explicat. bullæ Cœnæ Domini n.21.& cap.23.n.23.* Viuald. *in explicat. bullæ, clausula volentes, &c.* Salas *de legib. disp.1. sect.9.num.62.* Bonacina aliis relatis *t.3. de censuris in particulari disp.1. quæst.1. pun.5. num.2.* censent censuras à iure appellari debere; eo quòd mortuo conditore non extinguantur, & ad perpetuam rei memoriam promulgentur, & in vi constitutionis. Contrà Sotus *in 4. d.22. quæst.2. art.3.* Tolet. *lib.1. sum. cap.18.* Becan. *tract. de fide. cap.15. quæst.8. num.6.* Suar. *disp.21. de censur. sect.1. num.2.* & alij affirmant censuras ab homine latas appellandas esse, eò quòd pro tempore determinato ferantur, scilicet noui bullæ processus promulgentur, cessentque ea publicatione facta absque vlla reuocatione.

Sed quæstio est leuis momenti, & potiùs de nomine, quàm de re, cùm constet ob mortem Pontificis prædictas excommunicationes vim suam non amittere; cessare tamen absque vlla reuocatione ab eo puncto, quo noui processus fuerint publicati. Placet tamen sententia Sayri *lib.3. thesauri casuum conscientiæ,* vbi *de particularib. excommunicationib. c.1. num.18.* Reginaldi *in praxi lib.9. num.210.* prædictas excommunicationes neque esse propriè à iure, cùm non sint perpetuæ ex se, sed absque vlla reuocatione cessent nouâ bullâ expeditâ; neque esse propriè ab homine, cùm mortuo conditore non expirent. Sed esse medias inter sententias à iure, & ab homine latas, & de vtriúsque natura participare. Neque obest latas esse ad perpetuam rei memoriam; quia ea verba apposita sunt non ad concedendam bullæ firmitatem perpetuam, sed ad excitandam perpetuam illius memoriam. Minus obest vsus vocis constitutionis, quæ communis est tum sententiis à iure, tum ab homine latis. Præterquam quòd in principio bullæ hæc constitutio processus annalis appelletur.

Ad extremum duo aduertenda sunt. Primùm has excommunicationes non multiplicari; eo quòd à summo Pontifice in hac bulla expediantur, sintque in corpore iuris inserta; quia res præcepta diuersa non est, sed eadem, & sub eodem fine, ideóque nullum est fundamentum, ex quo multiplicatio sumi possit, sicuti rectè notarunt Nauarr. *cap. ita quorundam de Iudæis not.ab.11. in gloss. vlt. num.4. & 37.* Suar. *de censur. disp.21. sect.1. n.3.* Reginald. *lib.9. praxi n.228. ad finem.* Bonac. *t.3. de censur. disp.1. q.1. punct.5. n.3.* 5

Secundò aduerte, si in noua bulla expedita casus aliquis omittatur in antiqua bulla contentus, eo ipso ex vi bullæ nullam inducit obligationem, illam tamen inducet, si in corpore iuris fuerit contentus; quia esse casum expressum, vel omissum in bulla non variat iuris dispositionem. Vti docuerunt Nauarr. *dicto not.ab.11. num.25.* Sayrus *de particul. excommun. lib.3. cap.2. n.5.* Reginald. *lib.9. praxi num.228.* Bonac. *t.3. disp.1. q.1. punct.5. num.4.* Quod intelligendum est, quando ius illud secluſa bulla vim suam obtinebat: secùs si reuocatum esset; quia stante reuocatione ex vi bullæ robur accipere non potest, nisi dum in bulla fuerit renouatus. Excipit autem Sayrus *lib.3. thesauri casuum, cap.2. num.5.* Nisi ius illud antiquum consuetudine abrogatum fuerit; nam hæc abrogatio noua bullæ expeditione, in quo prædictum ius continetur cessat. & consuetudo iuri antiquo derogans interrumpitur. Quâ interruptione positâ obligatio iuris antiqui succedit, tametsi in expeditione noua bullæ ius illud fuerit omissum; sed hæc exceptio difficultate nõ caret. Fateor namque prædictam consuetudinem interrumpi eo tempore, quo bullæ obligatio durat. Sed quia hæc interruptio non est sufficiens ad nouam consuetudinem introducendam, integréque antiquam derogandam; sed solùm pro tempore, quo bullæ obligatio permanet; ea de causa ius antiquum consuetudine reuocatum firmitatem obtinere nullatenus potest. 6

Quod si aliqua priuilegia fuerint in bulla reuocata, quorum reuocatio in subsequenti bulla omissa fuerit; etsi Sayrus *dicto cap.2. num.5.* censeat valdè probabile reuiuiscere, & robur accipere, ac si nunquam fuerint reuocata, maximè si in iure communi dicta priuilegia fuerint inserta: oppositum existimat Bonac. *disp.1. de censur. in part. q.1. punct.5. num.3.* quia prædicta reuocatione illud priuilegium extinctum est, & priuilegium semel extinctum non reuiuiscit absque noua illius concessione. Quare etsi reuocatio cesset; quia non adest noua priuilegij concessio, priuilegium denuò accipere non potest. Sed respondeti à Sayro posset priuilegium illud reuocatione bullæ non esse absolutè extinctum, sed solùm suspensum, dum reuocatio bullæ vim suam obtinet. Etenim priuilegium illud noua alia ratione extinguitur, quàm reuocatione, quæ in bulla continetur. At reuocatio bullæ non est absoluta, sed quousque noua bulla expediatur. Ergo vsque ad illud tempus priuilegium reuocat, illo verò tempore accedente reuocatio cessat, & priuilegium subsistit. 7

PVNCTVM II.

Expenditur excommunicatio in priori bullæ clausula contenta aduersus Hæreticos, & Schismaticos.

1 *Numerantur personæ, aduersus quas summus Pontifex in hac clausula excommunicationem pronunciat.*
2 *Qui sint hæretici in hac clausula excommunicati?*

3 *Assensus, seu dubitatio interior, si aliquo signo manifesto non declaretur huic excommunicationi non subiacet.*

4 *Qui sint hæreticorum credentes in hac clausula excommunicati?*

5 *Qui sint hæreticorum receptatores huic excommunicationi subiecti?*

6 *Qui hæreticorum defensores?*

7 *Qui Schismatici?*

1 IN priori clausula Bullæ aduersus varias personas summus Pontifex excommunicationem fert. Primò aduersus Hæreticos cuiuscunque sectæ. Secundò contra eorum credentes. Tertiò, contra eorum receptatores. Quartò, contra eorum fautores, & generaliter contra quoslibet illorum defensores. Quintò, contra eos qui hæreticorum libros hæresim continentes, vel de Religione tractantes sine authoritate nostra, & Sedis Apostolicæ scienter legunt, retinent, imprimunt, seu quomodolibet defendunt ex quauis causa publica, vel occulta, quouis ingenio, vel colore. Sextò aduersus Schismaticos & eos, qui se à nostra, & Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter subtrahunt, vel recedunt.

2 Primò in hac clausula excommunicantur hæretici. Hi verò sunt qui pertinaciter credunt aliquid nostræ Religioni, & fidei Catholicæ contrarium, vel de eo pertinaciter dubitant: iuxta Textum in *cap.1. de Hæreticis. & cap.1. de summa Trinit. & fide Catholica.* Adesse autem debet pertinacia ex *Textu in cap. dixit Apostolus. Cap. qui in Ecclesia. 24. q.3.* Quæ in eo sita est, vt firmiter credas, vel dubites de veritate illius, quod ab Ecclesia docetur, vti notauit Melchior Cano, *lib.12. de loc. Theolog. c.6 circa 4. argum.* Sayrus *lib.3. thesauri casuum conscientiæ, c.4. à n.15.* Vasq. *1.2. disp.26. c.4.* Bonac. *t.3. de excommun. in particulari. disp.1. q.2. punct.1. n.1.* & latè diximus *tract.4. de fide, disp.3 punct 2. per totum.*

3 Hic autem assensus, seu dubitatio si purè interior sit huic excommunicationi non subiicitur, neque etiamsi purè sit exterior absque animo recedendi à fide, quia excommunicatio fertur aduersus eos, qui voluntariè à fide exteriùs recedunt. Vti pluribus firmaui *dicta disp.3. de fide, punct.2. à num.16. & punct.3. ab initio.* & tradunt vltra *ibi* relatos Tolet. *lib.1. sum. cap.18. num.5.* Sayrus *lib.3. thesauri casuum conscient. cap.4. num.13. & 21.* Ioann. Chapeauilla *tract. de casib. reseruatis. 2. p. c.1. q.1.* Azor. *t.1 instit. moral. lib.3. c.10. q.3.* Bonac. *t.3. de excomm. bulla, disp.1. q.2. num.2.* Quinimò satis probabile est immunem ab excommunicatione esse, qui esto interius à fide recesserit verbis, vel factis tantùm ambiguis, & indifferentibus suam hæresim manifestauerit; quia ea non est sufficiens hæresis manifestatio, cùm ex vi illius nec ab Ecclesia reputari, iudicarive possit Hæreticus, vt aduertit. Lessius *lib.2. de iustit. cap.12. dub.8. num.128.* Bonac. *dicta disp.1. q.2. punct.2. n.4.* Alfons. Viuald. *in expos. bullæ Cœnæ num.2. & 3.* Sayrus *lib.3. de excommunicat. particular. cap.4. num.26.* Vide quæ diximus *d. pun.3. per totum.*

4 Secundò excommunicantur Hæreticorum credentes; hi namque sunt qui eorum erroribus siue in particulari, siue in communi assentiuntur signo aliquo manifesto. Vt pluribus probaui *dicto tract.4. de fide. disp.3. punct.4. num.1.* Et tradit vltra *ibi* relatos Archidiacon. *in capite quicunque de Hæreticis. lib.6.* Paludan. *4. dist.13. q.3. art.1. concl.7.* S. Antonin. *3. p. tit.25. cap.4. §. fin.* Syluest. *verbo Hæresis. 1. num.10. q.7.* Sayrus *lib.3. de censuris in part. cap.5. num.1.* Bonacina *t.3. de excommunicat. in particulari, disp.1. q.2. pun.3.* Et probat Textus *in cap. excommunicatos. §. credentes, de sententia excommunicat.* Et *cap. excommunicamus. §. fin. eodem tit.* Hi credentes etiam confusè verè Hæretici sunt; quia hæretici errores amplectuntur, & sub excommunicatione aduersus Hæreticos lata comprehensi erant; attamè maioris charitatis gratia expressi sunt. Vti notarunt Archidiacon. *in cap. quicunque de Hæreticis in 6.* Paludan. *in 4. d.13. q.3.* Syluest. *verbo Hæresis. 1. §.10.* Suar. *disp.21. de censur. sect.2. num.6.* Tolet. *lib.1. sum. cap.18. à n.5.*

5 Tertiò fertur excommunicatio aduersus hæreticorum receptotares. Diceris autem Hæretici receptor, si animo occultandi hæreticum recipias, ne à iudicibus capiatur, néve hæreticorum pœnas luat. Neque ab hac pœna excusaris; eo quòd titulo consanguinitatis, vel amicitiæ Hæreticum recipias, si ea receptio in hæresis fauorem cedat. Vti probaui *dict. tract.4. de fide, disp.3. pun.5. num.9.* Aliàs rarò, vel nunquam defensor, vel receptator Hæretici in excommunicationem incideret; cùm rarò ad has actiones moueatur, vt ipse Hæreticus in hæresi perseueret, sed ob debitum amicitiæ, vel consanguinitatis, aut similis. Atque ita docent vltra *ibi* relatos Card. Tolet. *in explicat. bullæ cœnæ. §.1.* Sayr. *lib.3. thesauri casuum, c.5. n.3.* Neque opus est ad hanc excommunicationem incurrendam, quòd Hæreticum denunciarum recipias, satis enim est si notoriè Hæreticus sit; quia hæc pœna non in fauorem excommunicationis, sed in detestationem hæresis apposita est. Vti docui *d. tr. de fide, disp.3. pun.5. n.4.* Et vltra *ibi* relatos docent Duard. *in canon. t.q.3. vers. secunda sententia.* Filliuc. *tract.16. cap.2. q.5. num.36. & 39.* Bonacina *tom.3. de censur. in particul. disp.1. q.2. p.3. in fine.* Neque item est opus, vt pluries hæreticum recipias, satis enim est si semel receperis. Nam esto nomen *receptor* in sua propria significatione frequentiam significet, iuxta stylum tamen curiæ vsu, & consuetudine receptum ex vnica receptione receptor iudicaris; quia hæc sufficit vt Hæreticus pœnas hæresis euiter. Fauétque lex *1. ff. de receptatorib.* & *leg. congruit. ff. de officio Præsidis.* & *leg. fin. Cod. de his qui latrones occultauerint*: & notaui *dicto punct.5. num.4.* & vltra *ibi* relatos pluribus firmat Sayrus *lib.3. thesauri casuum. cap.5. num.3.* Quod verò aliqui Doctores, vt Sanch. *lib.2. in Decalog. cap.10. num.9.* Farinacius *de hæresi q.182. num.102.* Bonac. *disp.2. de fide. q.5. punct.3. num.2. & t.3. de censuris in particulari, disp.1. quæst.2. punct.3. n.3.* Filliucius *tract.16. cap.2. num.30.* censent receptatorem excusari ab excommunicatione, si de facto consecutus non est, quod media receptione optabat; eo quod Hæreticus fuerit à ludicibus captus, qui a hæc receptio in tantum sub excommunicatione prohibetur, in quantum in fauorem hæretici occultandi, & eximendi à punitione cedit; mihi probatum non est, *tract.4. de fide. disp.3. punct 5. n.11.* sicuti nec Suar. Graffis, & Sayro *ibidem* relatis: quia saltem eo tempore quo hæreticum recipis, & mediâ receptione impedis, ne à ludicibus capiatur, tua receptio in hæresis fauorem cedit, tametsi postmodum effectus cesset Hæretico capto.

6 Quartò excommunicantur hæreticorum defensores, hi nempe qui Hæreticum quatenus talis est, vel eius errores defendunt. Ex qua defensione fit Hæreticum in sua hæresi perdurare. Quibus autem modis hæc defensio contingat explicui *dicto tract.4. de fide disp.3. pun.5. à num.8.* Et tradit vltra *ibi* relatos Sayrus *lib.3. de excommunicat. in particul. cap.5. num.9.*

7 Quintò fertur excommunicatio aduersus Hæreticorum libros legentes, tenentes, imprimentes, aut quomodolibet defendentes. De qua excommunicatione, & qualiter intelligenda sit latè dixi *tr.4. de fide disp.2. pun.10. per tot.* neque aliquid noui addendum occurrit. Et *ibi* dictis consentit Sayrus *lib.3 thesauri casuum conscientia, c.5. à n.11.* Bonac. *t.3. de cens. disp.1. q.2. pun.4. per totum.*

8 Sextò excommunicantur in prædicta clausula bullæ Schismatici, nempe qui se à Romani Pontificis obedientia subtrahunt, vel recedunt: quam excommunicationem latè explicui *tract.6. de charitate, disp.4. pun.5. & 6.* Vide Sayrum *lib.3. thesauri casuum, cap.5. à n.18.* Bonac. *t.3. de cens. in partic. disp.1. q.2. pun.5. per totum.*

PVNCTVM III.

Explicatur secunda excommunicatio bullæ Cœnæ de appellantibus ad futurum Concilium.

1 *Statuitur clausula excommunicationis.*

2 *Quæ sint personæ aduersus quas hæc excommunicatio feratur?*

3 *Appellatio debet esse à mandatis, & sententiis summi Pontificis, quatenus talis est.*

4 *Plures censent appellantes ab ordinationibus Pontificis, quatenus Princeps temporalis est, huic excommunicationi subiici.*

5 *Contrarium non videtur probabilitate carere.*

6 *Appellantes ad Concilium generale præsens, vel Prouinciale futurum, non videntur hac excommunicatione ligari.*

7 *Excommunicantur vltra appellantes qui eis auxilium, vel fauorem præstiterint.*

8 *Sub præstantibus fauorem consulentes non comprehenduntur.*

9 *Collegia, Capitula, aliæque Vniuersitates appellantia ad futurum vniuersale Concilium, vel appellationi auxilium præbentia interdicti pœnâ ligantur.*

10 *Approbantes appellationem non subiiciuntur huic excommunicationi.*

HÆc excommunicatio fertur aduersus omnes, & singulos cuiuscunque status, gradus aut conditionis fuerint, qui ab ordinationibus, seu mandatis Pontificis ad vniuersale futurum Concilium appellauerit: nec non eos, quorum auxilio, vel fauore appellatum fuerit. Vniuersitates verò, Collegia, & Capitula quocunque nomine nuncupentur interdicuntur. Hæc excommunicatio priùs lata fuit à Pio II. anno 1459. Kalend. Februar. in bulla incipiente *Execrabilis*, quæ est tertia eiusdem in ordine bullarij, quámque Iulius II. *in extrauag. Suscepti regiminis* confirmauit, & extendit contra Reges, Cardinales, Communitates, & Parlamenta, & contra omnes ad hoc præstantes consilium, auxilium, vel fauo

fauorem etiam indirectè, vti tradunt Sylueſt verb. *Excommunicatio 7. in fine.* Caietan. *eodem cap. 25.* Martin. de Ledeſma *2. p. 4. q. 26. art. 2.* Sayrus *lib. 3. theſauri caſuum conſcient. capit. 6. num. 3.* Toler. *lib. 1. cap. 21. num. 4.* Suar. *diſput. 21. ſect. 2. num. 11.*

2 Perſonæ igitur aduerſus quas hæc excommunicatio fertur ſunt omnes, & ſinguli cuiuſcunque gradus, & conditionis exiſtant, qui ab ordinationibus, ſeu mandatis Pontificis ad futurum Concilium generale appellauerint, vel appellationi auxilium, vel fauorem præſtiterint. Communitates verò appellantes, ſeu auxilium, vel fauorem appellantibus præſtantes interdicuntur.

3 Appellatio autem debet eſſe ab ordinationibus, ſeu mandatis ſummi Pontificis, hoc eſt ab eius ſententiis, præceptis, legibus, cenſuris, & pœnis ſpecialiter, vel generaliter latis, quia hæc omnia nomine ordinationis; vel mandati comprehenduntur. Vt notauit Hugolin. *de cenſur. Papæ reſeruatis. 2. p. cap. 1. verſ. quinto.* Duard. *lib. 2. in canon. 2. quæſt. 7. num. 6.* Bonac. *t. 3. de cenſur. diſp. 1. quæſt. 3. pun. 2. num. 2.* Neque opus eſt mandatum eſſe iuſtum, vt ſic appellans in excommunicationem incidat; nam ſiue mandatum, & ordinatio iuſta ſit, ſiue iniuſta, ſi ab ea appelles excommunicatione innodaris; quia iniuſtitia mandati non impedit iniuriam appellationis. Nam cum appellatio ſit de minore iudice ad maiorem prouocatio. Vt tradit Gloſſa ab omnibus recepta in *cap. non putamus, verbo officiali de conſuetud. lib. 6.* appellans ad futurum Concilium eſto appellatio à mandato iniuſtè ſit, manifeſtè denotat Pontificem Concilio eſſe inferiorem, quod eſt à veritate alienum, iniuriámque grauem Pontifici irrogat, ac proinde excommunicatione iuſtiſſimè innodatur, vti tradit Suar. *de cenſur. diſp. 21. ſect. 2. num. 15.* Reginald. *lib. 9. num. 263. ad finem.* Et aliis relatis Bonac. *diſp. 1. de cenſ. bullæ cœnæ q. 3 num. 10.*

4 Sed an appellantes ab ordinationibus, ſeu mandatis Pontificis, non quà Pontifex eſt, ſed quà eſt Princeps temporalis hac excommunicatione ligentur? Difficultate non caret. Nam affirmatiuam partem teſte Bonac. *t. 3. de cenſur. in particul. diſput. 1. q. 3. pun. 2. num. 3.* videntur Doctores communiter approbare, cùm huius diſtinctionis non meminerint, ſed abſolutè affirmauerint appellantes à mandatis Pontificis ad futurum Concilium hac innodari excommunicatione. Et probari poteſt, quia Pontifex ob iniuriam ſibi factam in hac appellatione excommunicationem profert. At hæc iniuria Pontifici irrogatur per appellationem à quocunque illius mandato; ſiquidem illum eſſe inferiorem, & ſubditum concilio denotas. Ergo. Et confirmo, Pontifex poteſt excommunicare non ſolùm appellantes à ſuis mandatis, vel ordinationibus quatenus Pontifex eſt, ſed quatenus Princeps temporalis. Sicuti excommunicat pyratas in ſuo mari Pontificio diſcurrentes. Ergo cenſeri debet ita factum eſſe. Tum quia id cedit in eius fauorem. Tum quia excommunicatio fertur contra appellantes abſque vlla limitatione.

5 Verùm etſi prædicta ſententia tenenda, & conſulenda ſit, contraria tamen ſententia, ſcilicet ſolùm appellantes à mandatis Pontificis in cauſis ſpiritualibus, vel iis annexis excommunicari probabilitate non caret. Vti aſſeruit Bonac. *dicta. quæſt. 3. punct. 2. num. 3.* & docuit abſolutè Reginald. *lib. 9. ſum. num. 263. verſ. notandum.* Nam eſto appellantes à mandatis Pontificis in cauſis temporalibus Pontifici iniuriam irrogent, ſi ipſe in illis cauſis ſupremus Princeps ſit; at cùm id ex Pontificis munere non inferatur neceſſariò, ſiquidem poteſt in illis cauſis alteri Principi ſubiectus eſſe, vtpotè qui ſub ea conditione dominium temporale conceſſit, non videtur ſic appellantes, & iniuriam per accidens inferentes voluiſſe comprehendere. Et confirmo: Pontifex in hac excommunicatione voluit coërcere illorum temeritatem, qui futurum Concilium; vt iudicem Pontifice ſuperiorem prouocant, cùm tamen futurum Concilium nunquam poſſit eſſe Pontifice quatenus Pontifex eſt ſuperius. At futurum Concilium, quinimò, & Princeps aliquis temporalis ſuperior eſſe poteſt Pontifice, quatenus Pontifex dominus eſt temporalis. Ergo hæc appellatio hac excommunicatione interdicitur. Confirmo ſecundò, ex verbis bullæ: inquit enim Pontifex, *Excommunicamus, & anathematizamus omnes, & ſingulos & ab ordinationibus, ſeu mandatis noſtris, ac Romanorum Pontificum pro tempore exiſtentium ad vniuerſale futurum concilium appellantes.* Quæ verba cùm formaliter, & propriè accipienda ſint, intelligi debent ab ordinationibus, & mandatis Pontificis, quatenus Pontifex eſt, ſeu quatenus eſt Vicarius Chriſti, & Eccleſiæ gubernator maximè cùm hæc conſtitutio pœnalis ſit, quæ potiùs reſtringi, quàm extendi debet.

6 Dubium inquam eſt; An appellantes ad Concilium generale præſens, vel ad prouinciale Concilium futurum in prædictam excommunicationem incidant? Affirmat incidere Gambarupta *de excommunicat. bullæ, cap. 2. num. 11.* quia in hac appellatione eadem adeſt prohibitionis ratio; cùm eadem, imò grauior irrogetur iniuria Pontifici appellatione facta ad Concilium præſens generale, & ad prouinciale futurum: ac ſi appelletur ad vniuerſale futurum Concilium, vbi autem eadem eſt ratio, eadem debet eſſe diſpoſitio.

Cæterùm ſatis probabile eſt prædictam appellationem huic excommunicationi non eſſe ſubiectam. Nam in legibus pœnalibus ob identitatem rationis non eſt extenſio facienda ad caſum ſub verbis legis non comprehenſum. Vt pluribus comprobaui *tract. 3. de legib. diſp. 5. punct. 3. §. 4.* At ſub appellatione ad futurum Concilium vniuerſale non continetur Concilium vniuerſale præſens, nec prouinciale futurum, cùm ſint omnino diſtincta. Ergo appellationes ad hæc Concilia prædicta excommunicatione non puniuntur. Neque obeſt eandem, vel grauiorem iniuriam hac appellatione Pontifici irrogari, ac irrogatur appellatione ad futurum vniuerſale Concilium; quia id ſolùm probat potuiſſe Pontificem prædictam appellationem excommunicatione punire, non tamen probat id voluiſſe de facto. Quod ſi roges, cur excommunicauit appellantes ad futurum Concilium vniuerſale, non verò appellantes ad Concilium vniuerſale præſens, vel futurum. Reſpondet optimè Sayrus *lib. 3. theſaur. caſuum conſcient. c. 6. n. 4. in fine*, quia hæc appellatio frequentior eſt, eáque ſchiſma in Eccleſia frequentiùs introducitur.

7 Vltra appellantes ad futurum vniuerſale Concilium excommunicat Pontifex eos, quorum auxilio, vel fauore appellatum fuerit. Requiritur ergo ad hanc excommunicationem incurrendam: tum vt auxilium, vel fauor appellationem antecedat, & illius cauſa ſit, tum vt appellatio ſubſequatur. Nam quolibet ex his deficientibus non erit verum vi talis auxilij, vel fauoris appellatum eſſe. Sicuti relato Caiet. notauit Suar. *diſp. 21. de cenſur. ſect. 2. num. 16.* Nauarr. *cap. 27. n. 58.* Sayr. *lib. 3. theſauri caſuum conſcient. c. 6. n. 6. initio.* Bonac. *t. 3. de cenſur. in particul. diſp. 1. q. 3. p. 2. n. 8.*

8 Sub præſtantibus fauorem conſulentes comprehendit Sebaſtian. de Medicis *in ſum. peccat. cap. tit. 9. q. 78. n. 13.* Nauarr. *cap. 27. num. 58.* Gambarupta *de excommunicat. bullæ, cap. 2. num. 10.* quia conſilium eſt quidam fauor, & auxilium promouens Conſiliarium ad opus conſultum præſtandum. argum. *leg. quod fauore. Cod. de legib.* Sed oppoſitum rectius docuit Viuald. *in expoſit. bullæ Cœnæ, num. 18.* Sayrus *lib. 3. theſauri caſuum conſcient.* vbi *de excommunicationibus ſpecialibus cap. 6. num. 6.* Reginald. *lib. 9. praxi. num. 263.* Suar. *diſp. 21. ſect. 2 num. 17.* Bonac. *tom. 3. de cenſur. in particulari diſp. 1. q. 3. punct. 2. n. 9.* Etenim ſub auxilio, & fauore comprehendi non poteſt, partim quia nudum conſilium excitat tantùm voluntatem Conſiliarij ad conuenientia operis propoſita. auxilium verò, & fauor opus exequendum promouet: partim quia Pontifex quoties vult in ſua conſtitutione conſulentes comprehendere, illos exprimit, vt in aliis excommunicationibus huius bullæ videri poteſt: partim quia hæc excommunicatio lata eſt ad coërcendos potentes, qui rarò conſilio, & frequentiùs auxilio, & fauore opus à ſe optatum promouent. Verùm, eſto conſulentes appellationem ſub hac excommunicatione Bullæ non comprehendantur, tamen ſub excommunicatione reſeruata lata à Pio II. *in bulla incipiente Execrabilis*, & confirmata à Iulio II. *in Extrauag. ſuſcepti regiminis* comprehenduntur, vt benè annotarunt Viuald. Sayrus, & Bonac. *loc. alleg.* Quinimò in dicta conſtitutione Iulij II. excommunicantur decernentes, deliberantes, ſeu vocem dantes, & approbantes appellationem, quod optimè fieri poteſt tametſi appellatio non ſubſequatur. Sicuti aduertit Bonac. *punct. 3. num. 9. in fine.*

9 Aduerſus Collegia, Capitula, aliáſque Vniuerſitates appellantia ad futurum vniuerſale Concilium, vel appellationi auxilium præbentia interdicti pœna ipſo iure fertur. Nam cùm excommunicari non poſſint iuxta Textum in *cap. Romana de ſententia excommun. in 6.* conueniens fuit, vt interdicto ſubiacerent. Neque ad hoc interdictum contrahendum opus eſt, vt omnes illius communitatis appellationi conſentiant, vel auxilium præſtent, ſufficit ſi à maiore parte appellatum ſit, vel auxilium appellationi exhibitum; eo enim ipſo tota communitas interdicitur. argum. *cap. cum inter Canonicos in princ. de electione:* & tradit Hugolin. *in explicat. huius cenſuræ. §. 1. verbo vniuerſitates.* Duardus *ibi qu. 7. num. 22.* Bonac. *t. 3. de cenſur in part. diſput. 1. q. 3. num. 11.* Quod ſi in prædicta communitate aliquis Epiſcopalis, vel Cardinalitiæ dignitatis exiſtat, ab hoc interdicto eximitur, iuxta expreſſum Textum in *cap. quia periculoſum. De ſententia excommun. in 6.* quia in hac pœna Epiſcoporum mentio facta non eſt, quod erat neceſſariò requiſitum, vt Epiſcopus, vel Cardinalis prædictæ pœnæ ſubiacerent. Sicuti deciditur in *dicto cap. quia periculoſum.* Secùs eſt de pœna excommunicationis, ſi Epiſcopus, vel Cardinalis vt perſonæ ſingulares appellauerint, vel appellationi ſuo auxilio, vel fauore cooperati fuerint, vt rectè aliis relatis docuit Bonacina *dicta diſput. 1. q. 3. p. 2. num. 12.*

Illud certum approbantes appellationem factam, vel præ- 10
ſtantes auxilium, aut fauorem appellantibus poſt appellationem hac excommunicatione non ligari, quia verba legis

solùm appellantes, & auxilium ad appellationem præstantes comprehendunt. Vt benè aduertit Suar. *disp.21. sect.2.n.16.* Duard. *lib.2.in expos. huius censuræ, q.7.n.38.* Bonac. *t.3. de excom.in p.disp.1.q.3.in fine.*

PVNCTVM. IV.

Expenditur excommunicatio tertia Bullæ aduersus Pyratas aut eorum receptatores, ac fautores.

1 *Statuitur Textus ipsius Bullæ.*
2 *Nomine Pyratarum, Cursariorum, aut latrunculorum eadem persona intelliguntur.*
3 *In præsenti solùm excommunicantur Pyratæ, Cursarij, & latrunculi maritimi.*
4 *Negant plures opus esse aliquam deprædationem committi.*
5 *Contrarium probabilitate non caret.*
6 *Hæc deprædatio debet esse fidelibus Catholicis irrogata.*
7 *Spoliantes infidelium nauim à Christianis assecuratam non subiiciuntur excommunicationi, etsi contrarium sit probabile.*
8 *Fautores, & receptatores Pyratarum eidem excommunicationi subiiciuntur.*
9 *Remigantes in his Pyratarum nauibus per se excommunicationi subiiciuntur, nisi ob graue periculum excusentur.*

1 TErtiò excommunicat, & anathematizat Pontifex omner Pyratas, Cursarios, ac latrunculos discurrentes per mare Pontificium præcipuè à monte Argentario, vsque ad Terracinas, ac omnes eorum fautores, receptatores, & defensores.

2 Nomine Pyratarum, Cursariorum, ac latrunculorum maritimorum eædem personæ diuersis nominibus expressæ intelliguntur. Vt rectè aduertit Caiet. *in sum. verbo Excommunicatio cap.18.* Sylvest. *verbo Excommunicatio 7. num.55. in excommunicatione 20. vers.primò dubitatur.* Tabiena *eadem 5. casu 25.vers.quarto.* Sayrus *lib.3. thesauri casuum conscientiæ, c.7. n.3.* Graffis *1.p. decis. lib.4. cap.18.* Nam Pyratæ vulgò Cursarij dicuntur, & latrones maritimi, qui si exiguo nauigio, & apparatu deprædentur parui Pyratæ, & latrunculi maritimi nuncupantur. Ad hanc tamen denominationem suscipiendam sufficit, si semel tantùm deprædentur, dummodò ex intentione huius deprædationis per mare discurrerint. Sicuti notauit Sylvest. & Tabiena *loc.alleg.* Sayrus *num.4.* Cardinal. Toletus *in explicat. bullæ Cœnæ.§.2.* Quapropter si ex alia causa, quàm deprædationis mare discurrerint, & casu deprædentur, etsi in foro externo Pyratæ censeantur, re vera Pyratæ dixi nequeunt, & excommunicationem contra Pyratas effugiunt. Vti tradit Sayr. *lib.3. cap.7. num.6.* Duard. *lib.2.in explicat. huius censuræ quæst.8.* Bonac. *tom.3. de cens. disputat.1. quæst.4. punct.1. à num.5.* Vnde qui indicto bello siue iusto, siue iniusto hostes deprædantur in hanc excommunicationē non incurrunt; quia non animo deprædandi, sed vindicandi, & puniendi hostes, seque ab illis defendendi deprædationem committunt. Vt benè aduertit Sylvest. Tabiena, Tolet. *loc.all.* Sayrus *n.4.* Nauarr. *c.27.n.59.* Suar. *disp.21.n.24.& 28. ad finem.* Duard. *q.2.n.5.* Bonac. *d.disp.1.q.4.p.1.num.4.* & alij.

3 Olim omnes Pyratæ, & latrones maritimi excommunicabantur, vt constat ex bulla Martini V. relata à S. Antonino *3. p.tit.27.cap.72.* & ex bulla Iulij II. Gregorij XIII. & Sixti V. At ex bullis Clementis VIII. & subsequentium Pontificum solùm excommunicantur Pyratæ, Cursarij, & latrunculi maritimi, qui mare Pontificium animo deprædandi discurrunt. Mare autem Pontificium censendum videtur quod ad Pontificem pertinet etiam mediatè ratione feudi, sicuti pertinet mare Thyrrenum, & Adriaticum, quod regnum Neapolitanum, Corsicam, Siciliam, & Sardiniam attingit; vti notauit aliis relatis Bonac. *dicta disp.1. quæst.4. pun.2. numero 4.* Econtrà verò discurrentes per mare sub alterius dominio constitutum, ibique deprædantes, etsi veri pyratæ sint, in hanc tamen excommunicationem non incidunt; quia non comprehenduntur sub verbis Bullæ, ibi *mare nostrum discurrentes.*

4 Sed an opus sit aliquam deprædationem committere, vt Pyratæ hanc excommunicationem incurrant? Doctores dissentiunt. Negat Tolet. *cap.20. n.9.* Reginald. *lib.9. praxi n.265.* Hugolin. *in expos. bullæ Cœnæ cap.3.§.1. num.1.* Graffis *1. p. decis. lib.4. cap.18. num.67.* Duard. *in expos. huius bullæ lib.2. quæst.4.n.2.* Bonac. *t.3. de excommunicat. in partic. disp.1. quæst.4. pun.2.* Suar. sub dubio *disp.21. sect.2. num.19.* Quia actio sub excommunicatione in his bullis prohibita est maritimus discursus animo deprædandi: aliàs si deprædatio, mutilatio, vel occisio necessaria foret: vti in bullis Iulij II. & Gregor. XIII. expressum erat, vt quid à tempore Clementis VIII. hæ actiones à Bullis expunctæ sunt?

Cæterùm probabilitate non caret Pyratas in prædictam excommunicationem non incurrere, quousque aliam ex dictis actionibus exerceant. Vti docuit Caietan. *verbo Excommunicatio capite 18.* Sayrus *lib. 3. thesauri casuum conscient. capite 7. numero 5.* Et alij relati ab Hugolino *dicto capite 3. §. 1.* Quia vsquequò latrocinium maritimum, occisionem, vel interfectionem committant, Pyratæ, & latrones maritimi nequeunt propriè nuncupari; quia Pyratæ, & latrones non ab intentione deprædandi, sed à deprædatione ex officio, & proposito facta denominationem recipiunt, teste Ambrosio Calepino *verbo Pyratæ, & seqq.* Quapropter verba illa Bullæ *mare nostrum discurrentes* apposita censenda sunt ad præcedentia, ita vt sensus sit: *excommunicamus omnes Pyratas, Cursarios, & latrunculos discurrentes mare nostrum*, id est *qui mare nostrum discurrunt.* Vnde cum Pyratæ, cursarij, & latrunculi non sint ante deprædationem hac excommunicatione aduersus piratas lata non afficiuntur, tametsi eo animo discurrant. Quod verò Pontifices prædictas actiones mutilationis, occisionis, deprædationis in aliis antiquioribus expressas omiserint, id videtur factum; quia ea expressio necessaria non erat; siquidem expresso nomine Pyratæ satis subintelligebantur.

6 Hæc autem deprædatio ex maritimo discursu contingens, vt excommunicationem bullæ inducat debet esse fidelibus, & Catholicis irrogata, non verò infidelibus, & Hæreticis; quia non est credendum voluisse Pontificem infideles, & Hæreticos Ecclesiam impugnantes suâ excommunicatione protegere. argum. *cap. excommunicationi. De Raptorib.* sicuti notauit Cardin. Tolet. *in explicat. bullæ cœnæ. §.2. in fine.* Sayrus *lib.3. thesauri casuum conscientiæ, cap.7. in fine.* Suar. *disput.21. sect.2.n.21.* Vivald. *in expos. bullæ n.30.* Duardus *lib.2. qu.3. num.2.* Reginald. *lib.9. praxi. num.270.* Vnde ad decidendum, An inuadentes, spoliantésque nauim infidelium hac excommunicatione afficiantur, inuestigandum est, an ex illa deprædatione fidelibus damnum conferatur; eo quòd merces in vtilitatem fidelium cessuræ ibidem sint repositæ; nam eo casu excommunicatione ligantur Pyratæ; quia verè est fidelibus deprædatio facta. Secùs verò, si nullum ex illa deprædatione damnum fideles patiantur. Vti contingit cùm merces à fidelibus abductæ & in iacturam fidelium ab infidelibus asportantur, auferuntur. Vt benè aduertit Bonac. *disp.1. quæst.4. p.1. num.12.*

7 At quia sæpè contigit infidelium nauim à Christianis assecurati, existimat Bonac. *dicta disp.1. de censur. bullæ q.4. p.1. n.13.* spoliantes infidelium nauim à Christianis assecuratam in hanc excommunicationem incurrere; quia censendi sunt Christianos spoliare penès quos stat periculum rei assecuratæ. Idem affirmat *num.11.* casu quo à Principe Christiano securitatis priuilegium concessum esset; quia cedit ea deprædatio in damnum, & iniuriam Christiani Principis, siquæ contra voluntatem, & intentionem summi Pontificis.

Sed contrarium in vtroque casu dicendum puto: fateor namque eam spoliationem in damnum Catholici Principis securitatem concedentis, & in iacturam fidelium assecurationem præstantium cedere. Sed quia huiusmodi damnum per accidens est, neque ex vi deprædationis infidelium necessariò secutum: ea de causa non videtur sufficiens ad excommunicationem hanc inducendam. Maximè cùm hæc excommunicatio non aduersus damnum inferentes Christianis, sed aduersus Christianos deprædantes statuta sit. At deprædantes nauim, & merces infidelium tametsi assecuratæ sint à Catholicis, dici non possunt Catholicos deprædari; cùm non deprædentur bona Catholicorum, neque ad Catholicos pertinentia. Ergo in hanc excommunicationem non incurrunt. Sic videntur sentire Duardus *lib. 2. in expos. huius censuræ, q.5. in respons. ad 3. argum.* Suar. *disp.21. sect.1. n.2.* Filliucius *tract.16 n.90.* & alij.

Ex eo autem quòd Pyratarum nauim deprædaris (si hæc deprædatio in aliorum fidelium innocentium iacturam non cedit) nullatenus excommunicationem incurris. Tum quia Pyratarum deprædatio licita est, *Cap. si quis 23. q.3.* Tum quia non est credendum velle Pontificem sua excommunicatione protegere eos in quos excommunicationem fert. Tum quia hostibus fidei æquiparantur ex Baldo *in authent. nauigia, Cod. de Furtis,* & notauit Bonacina *tom.3. de censur. in partic. disp.1. q.4. punct.1. num.14.*

8 Præter supradictos Pyratas, Cursarios, & maritimos latrunculos excommunicat Pontifex in dicta clausula eorum fautores, & receptatores nempe eos, qui Pyratas recipiunt, ex quorum receptione ad deprædationem mouentur, quippe Pyratas adiuuant in deprædatione. Tum deprædationi cooperando: tum bona depradata retinendo, si ea retentio occasio sit nouæ deprædationis. Secùs verò si iam à deprædatione cessatum sit; quia eo casu etsi furti teneantur, non tamen fautores deprædationis dici possunt, cùm eorum actio deprædationem subsequatur, non antecedat. Vt benè notauit Bonac. *dicto t.3. de censur. disp.1. q.4. punct.1. in fine.*

Solent

9 Solent Doctores in præsenti disputare de remigantibus, seu inseruientibus his Pyratis, an excommunicationem incurrant; Communis resolutio est ea per se ligari: excusari tamen si absque graui corporis periculo, & iacturâ eam cooperationem omittere non possunt. Nam esto spectato iure naturæ obligari aliquando sint ab ea cooperatione abstinere, etiam cum graui corporis iactura, & vitæ periculo; attamen non est credendum velle Pontificem suis legibus, & censuris ad eam cessationem præstandam obligare, sicuti tradit Nauarr. *in cap. ita quorundam de Iudæis, notab. 11. num. 18. & in manuali, cap. 27. num. 63.* Tolet. *in exposit. bullæ cœnæ §. 5. in fine.* Sayrus *lib. 3. thesauri casuum conscient. cap. 7. in fine.* Suar. *disp. 21. sect. 2. numero 26.* Bonacina *tit. 3. de censur. disputat. 1. quæst. 4. p. 1. num. 18.*

Punctum V.

Expenditur excommunicatio quarta aduersus surripientes naufragantium bona.

1 *Adducitur Textus Bullæ, & referuntur alij ex iure, vbi hæc excommunicatio fertur.*
2 *Qua sit materia huius excommunicationis.*
3 *Qualibet surreptio siue clandestina, siue manifesta, impetu, & vi illata huic excommunicationi subiicitur.*
4 *Qua quantitas necessariò surripienda sit ad hanc censuram incurrendam.*
5 *Debet esse surreptio in mari contingens, aut in eius littore.*
6 *Bona surripienda iactata esse debent in mare, vel in littus.*
7 *Item debent esse iactata intentione ea recuperandi.*
8 *Item debent esse bona Catholicorum.*
9 *Personæ in quas excommunicatio fertur sunt omnes, & singuli cuiuscunque qualitatis existant prædictam surreptionem committentes.*
10 *Examinantur, an auxiliantes, vel consulentes huic sint excommunicationi subiecti.*
11 *Probabilior mihi videtur sententia negans.*
12 *Derogat Pontifex qualibet priuilegia, & consuetudines in contrarium. Et qualiter hoc intelligendum sit.*

1 QVatiò excommunicat Pontifex, & anathematizat omnes, & singulos qui Christianorum quorumcunque nauibus tempestate, seu in transuersum, vt dici solet iactatis, vel quoquo modo naufragium passis siue in ipsis nauibus, siue ex eisdem electa mari, vel in littore inuenta cuiuscunque generis bona tam in nostris Thyrreni, & Adriatici, quàm in cæteris cuiuscunque maris regionibus, & littoribus surripuerint, ita vt neque ob quodcunque priuilegium, consuetudinem, aut longissimi etiam immemorabilis temporis possessionem, seu alium quemcunque prætextum excusari possint. Huic excommunicationi alia similis excommunicatio lata est in *cap. excommunicationi de Raptoribus.* esto reseruata non sit, ad quam incurrendam requiritur, vt non solùm Christianos naufragium patientes damnata cupiditate spolient rebus suis, sed cùm possint, & debeant restituere, eis ablata non reddiderint. Vnde hæc excommunicatio ob receptionem, & retentionem iniustam incurritur. Vti notauit Panormit. *ibi*; at excommunicatio bullæ ob solam iniustam acceptionem contrahitur. Ex quo videtur inferri surripientem hæc bona, & ex alia parte non restituentem, cùm possit, duplici excommunicatione innodari, alia bullæ Cœnæ ob receptionem, alia *cap. excommunicationi, De Raptoribus.* ob retentionem, seu non restitutionem; quia videntur actus omnino distincti. Vti docuit Suar. *disp. 21. sect. 2. numero 30.* Filliucius *tract. 16. cap. 4. num. 99.* Duard. *lib. 2. can. 4. quæst. 2. num. 10.* Bonac. *t. 3. de censur. in particul. disputat. 1. q. 5. punct. 2. numero 5.* Alij tamen non improbabiliter existimant sic surripientem, & retinentem vnica tantùm excommunicatione Bullæ innodari; quia retentio non videtur esse distinctum peccatum à surreptione, sed idem continuatum, est enim surreptio prima continuata; at quando peccatum diuersum non est, tametsi diuersis legibus prohibeatur non duplici censura, sed vnica afficitur. Sed dicendum est retentionem esse surreptionem continuatam. Sed quia hæc continuatio à prima surreptione moraliter distinguitur, ea de causa noua excommunicatione affici potest.

2 Materia excommunicationis Bullæ est surreptio peccaminosa, hoc est animo retinendi, seu consumendi prædicta bona: nam si animo quærendi dominum, illique reddendi accipias, & interim rebus acceptis vtaris, quin impotens reddaris ad satisfaciendum vero domino comparenti nullam excommunicationem incurris, quia illa non est surreptio, sed iusta, & licita acceptio. Vti tradit Caietan. *verbo Excommunicatio cap. 23.* Nauarr. *cap. 27. num. 118.* Sayr. *lib. 3. thesauri casuum conscient. cap. 8. num. 4.* Bonac. *t. 3. de censur. in partic. disp. 1. q. 5. punct. 4. numero 5.* Quod si postmodum voluntatem mutes, nolisque verum dominum quærere, illique bona restituere cùm possis, incidis adminus in excommunicationem latam in *cap. excommunicationi, de Raptoribus.* Vti notauit Bonacina *suprà*, quia verè surripis bona naufragantium, neque ea restituis cum possis. Quinimò existimo te excommunicatione Bullæ innodari; quia ab eo puncto quo voluntatem restituendi mutas, acceptio illorum bonorum iniusta esse censetur: acceptio autem iniusta surreptio est, cui bulla excommunicationem imponit. Ergo.

3 Nomine surreptionis etsi propriè clandestina iniusta acceptio intelligatur, *leg. qui naufrag. ff. de incendio, ruina, & naufragio.* Et notauit Ambros. Calepin. *verbo surripere*: attamen in præsenti quælibet iniusta susceptio siue clandestina, siue manifesta impetu, & vi illata comprehenditur. Vti notauit Duard. *lib. 2. in exposit. huius censuræ, q. 16. num. 4.* Bonac. *t. 3. de censur. dist. 1. q. 5. punct. 1. num. 2.* quia hæc excommunicatio non tam ob modum furti, quàm ob furtum, & acceptationem iniustam vitandam statuitur.

4 Neque ex eo quòd surreptio bonorum naufragantium peccatum mortale constituat, censeri debet sufficiens ad censuram incurrendam. Nam excommunicatio vtpotè pœna grauissima non ob quodlibet furtum mortale imponitur, sed ob furtum magni momenti, & rei non vulgaris. Vti colligitur ex Conc. Trident. *sess. 25. cap. 3. de reformat.* Quapropter si surreptio quantitatem duorum aureorum non excedat, non videtur ex intentione Pontificis excommunicatione affici. Vti docuit Sayrus *lib. 1. de censur. cap. 9. num. 33.* Quaranta *verbo bona naufragantium.* Bonac. *t. 3. de censur. disput. 1. quæst. 5. punct. 4. numero 3.*

5 Neque item surreptio prædictam quantitatem grauem attingens hac excommunicatione Bullæ punitur, nisi contingat in mari, aut eius littore. Quare si extra mare, vel eius littus bona naufragantium surripias ab excommunicatione Bullæ immunis es, non tamen ab excommunicatione lata in *cap. excommunicationi, De Raptoribus.* Vti notarunt Duardus *lib. 2. in canonic. 4. quæst. 8.* Filliucius *tract. 16. cap. 5. num. 97.* Reginald. *lib. 9. numero 270.* Bonac. *t. 3. de censur. disp. 1. quæst. 5. punct. 2. à num. 7.*

6 Bona verò surripienda iactata esse debent occasione naufragij in mare, vel in littus. Nam si ante naufragium ea surripias in hanc excommunicationem non incidis; quia non surripis bona naufragium passi, vti ita prædicta clausula exprimitur. Quod adeò verum existimo, vt etiamsi imminente tempestate, naufragiisque periculo bona in mare iactentur, eâque ibi iactata, vel in naui posita surripias ab hac excommunicatione immunis sis; quia non verificatur te bona illa surripere à naufragium passis, sed à passis naufragij periculum, quod diuersum est. Atque ita docent Hugolin. *in explicat. huius clausulæ cap. 4. §. 2. vers. 2.* Duardus *in præsenti q. 7. num. 1.* Reginald. *lib. 9. praxi. num. 273.* Graffis *1. p. decision. lib. 4. c. 18. num. 62.* Bonac. *t. 3. de censur. disp. 1. quæst. 5. pun. 2. num. 6.* Quod si post surreptionem illorum bonorum tempestate imminente, naufragiive periculo tempestas succedat, nauisque naufragium patiatur, credo te in hanc excommunicationem incidere, si ea bona accepta retineas intentione vero domino non reddendi, quia ea retentio est simul iniqua acceptio bonorum, seu naufragium patientium, quæ est materia huius excommunicationis. Naufragium verò siue contingit ex vetustate nauis, siue scopuli offensione, siue ex ventorum vehementia, siue ex inimicorum bello parum refert; nam ex quocunque capite nauis disrupta sit, mercésque iactentur verum naufragium est, & hac excommunicatione punitum, vt constat ex illis verbis generalibus Pontificis. *Quoquo modo naufragium passis.*

7 Solent autem aliquando occasione tempestatis, & naufragij bona absque intentione recuperationis proijci, & tunc illorum surreptio iniqua non esset, nec excommunicationi subiecta; vtpotè quæ non esset aduersus vllum dominum, cùm antiquus illorum dominus dominium, ea proiectione amiserit. Sed hoc ratiò contingit; neque præsumendum est, nisi coniecturæ manifestæ sint. De quibus Sayrus *lib. 3. thesauri casuum conscient. cap. 8. num. 9. in fine.* Bonac. *t. 3. de censur. disp. 1. q. 5. p. 5. num. 6. & seqq.*

8 Præterea bona rapta vt hanc excommunicationem inducant debent esse Catholicorum; infidelium namque, hæreticorum, & Piratarum bona credendum non est Pontificem velle sua excommunicatione protegere, cùm Ecclesiæ, fideique Catholicæ, & Reipublicæ hostes sint, & grauiter Lædant. Vti ex communi sententia notauit Bonacina *dicta disputat. 1 quæst. 5. p. 3.* Et colligitur apertè ex *capite excommunicationi de Raptoribus.*

9 Personæ, in quas hæc excommunicatio fertur sunt omnes, & singuli cuiuscunque conditionis & qualitatis existant prædictam surreptionem committentes.

10 Sed an his auxilium, consilium vel fauorem præstantes comprehendantur? Doctores dissentiunt. Nam Suar. *disp. 21. sect. 2. n. 32.* Filliucius *tract. 16. c. 4. 14. num. 101.* & alij censent esto consulens non ligetur, ligari tamen auxiliatorem quicun-

que sit; quia verè surreptioni cooperatur. Econtrà verò Hugolin. *in exposit. huius bullæ c. 4. §. 2. vers. 10.* Duard. *q. 23. num. 44.* existimant consulentem, mandantem, ratum habentem, auxilium præbentem hac excommunicatione non ligari; quia Pontifex cùm vult fautores, & receptatores comprehendere illos exprimit. Cum ergo in præsenti eos non exprimat, censendus est noluisse eos comprehendere. Mediâ viâ procedit Bonac. *t. 3. disp. 1. q. 5. punct. 1. n. 3. iuncto num. 4.* affirmat namque spectandum esse auxilium, & cooperationem. Si enim eius conditionis sit, vt verè physicè, & realiter ad surreptionem concurrat hac afficitur excommunicatione; quia sic cooperans verè surreptor est, verèque, & propriè naufragantium bona surripit. Secùs verò si solùm moraliter in surreptione concurras, quia ex morali concursu in surreptionem non surreptor, sed surreptoris motor dicendus es. Et cùm leges pœnales vltra significationem propriam extendi non debeant, æquum non est, vt lex surreptoribus excōmunicationem indicens ad surreptorem moralem extendatur. Ex qua doctrina infert Bonacina famulum ministrantem surreptori, opémque illi in surreptione præbentem tùm res deferendo, tùm instrumenta suppeditando, tum assistendo in hanc excommunicationem incidere, quia verè est surreptor physicus. Et idem erit dicendum de eo qui nauim latroni accommodat ad bona surripienda, cum pacto ea diuidendi.

11 Mihi verò ex his sententiis secunda probabilior apparet, quæ negat consulentem, mandantem, ratum habentem, & auxiliantem hac excommunicatione ligari; quia vltra proprietatem verborum extensio in legibus maximè pœnalibus facienda non est. At consulens, mandans, ratam habens surreptionem non præstat, nec surreptor propriè est, sed surreptoris motor, & approbator. Et idem est de auxiliante quatenus talis est, quia esto per actionem physicam surreptioni concurrat, cùm ipse res naufragantium non surripiat, sed alteri, vt surreptionem præstet, auxilietur, excommunicatione lata aduersus surreptores ligari non potest. Quod manifestum fiet casus difficiliores expendendo. Etenim famulus, vel alius tertius opem ferens surreptori, tū submininistrando instrumenta ad surreptionē necessaria, tum ei assistendo, tum merces deferendo si ipse famulus nihil ex bonis naufragantiū suscipiat, vt sibi retineat, nequaquam surreptor dici poterit; cùm hæc denominatio non ex auxilio ad furtum, sed ex furto, & rei alienæ vsurpatione habeatur. Ob eandem rationem excusari debet qui bona surrepta custodit, vt surreptori tradat, quia si nihil ex illis bonis sibi retinet, non bonorum surreptor, sed iniquus custos nuncupatur. Quod si ob prædictam custodiam, vel auxilium in surreptione delatum surreptor ei aliqua ex bonis surreptis tradat, cùm hæc bonorum susceptio à surreptore habeatur, & titulo oneroso à prædicta excommunicatione lata aduersus eos, qui ex nauibus, vel ex mari, aut littore bona naufragantium surripiunt videtur excusatus, cùm non ex his locis ea bona accipiat, sed ex surreptoris concessione, & donatione.

Ad extremum Pontifex derogat quæcunque priuilegia, &
12 consuetudines in contrarium. Quod intelligendum est, quando absque iusto titulo priuilegium concessum esset, & consuetudo introducta, nam si titulo iusto aliqua bona naufragantium susciperentur, eo quòd ipsis in naufragio auxilium præstetur, prædicto priuilegio, seu consuetudini non derogatur, quia hæc non est surreptio, sed debiti satisfactio. Vti docuerunt *in exposit. huius excommunicat.* Vinald. *num. 34.* Duard. *lib. 2. can. 4. q. 27. n. 4.* Gambarupta *c. 4. n. 6.* Bonac. *t. 3. de cens. disp. 1. q. 5. p. 4. num. 4.*

PVNCTVM VI.

Declaratur excommunicatio quinta aduersus impotentes, augentes, & exigentes noua pedagia, & gabellas.

1 *Statuitur Textus.*
2 *Quis finis sit huius excommunicationis?*
3 *Ob cuius tributi impositionem hac excommunicatio incurratur?*
4 *Hæc impositio facienda est à gubernatore, seu domino in terris suis.*
5 *Debet esse gabella noua impositio, seu accretio extra casus à iure permissos, seu ex licentia Sedis Apostolicæ.*
6 *Negant plures huic excommunicationi subiici eum qui potestatem habet imponendi gabellas, tametsi iniustas imponat.*
6 *Probabilius reputo oppositum.*
8 *Si gabella ex se iusta, & personis exemptis imponatur, verius censeo huic excommunicationi subiici.*
9 *Item excommunicantur exigentes prædicta tributa iniusta.*

QVintò excommunicat, & anathematizat Pontifex omnes qui in terris suis noua pedagia, seu gabellas præterquam in casibus sibi à iure, seu ex speciali Sedis Apostolicæ licentia permissis imponunt, vel augent, seu imponi, vel augeri prohibita exigunt. 1

Finis ob quem hæc excommunicatio fertur est fidelium 2
defensio, ne à dominis temporalibus iniusta tributorum impositione, & exactione grauentur. Materia huius excommunicationis est noua pedagij, seu gabellæ impositio, seu illius accretio, & exactio extra casus à iure, seu à sede Apostolica permissos. Personæ verò aduersus quas hæc excommunicatio fertur sunt omnes, & singuli qui in terris suis hanc gabellæ impositionem, accretionem, seu exactionem præstant.

Hæc igitur excommunicatio non ob cuiuscunque tributi 3
impositionem, vel exactionem incurritur, sed ob impositionem pedagij, seu gabellæ. Vt colligitur ex bulla, ibi: *noua pedagia, seu gabellas.* Pedagium quod à pede dicitur, est tributum impositum ob transitum personæ, seu mercium per aliquem locum. Vt docet Glossa *in c. super quibusdam. verbo Pedagia. de verbor significat.* Sylvest. *verbo Gabella. num. 3.* Tabiena, *verbo Pedagia. num. 4.* Hugolin. *in exposit. bullæ cap. 5. num. 4.* Sayrus *lib. 3. thesauri casuum conscient. cap. 9. num. 4.* Bonac. *t. 3. de censur. disp. 1. quæst. 6. num. 1.* Gabella latè sumpta quodlibet tributum comprehendit, strictè verò, & propriè significat tributum quod pro delatione, translatione, venditione, seu emptione mercium soluitur. Vti Sayrus, & Bonacina *loc. alleg.* notarunt. Ex qua doctrina infert Hugolin. *in exposit. huius censuræ. §. 3. ad finem.* Duard. *ibi lib. 2. can. 5. quæst. 4.* Caiet. *verbo Excommunicatio. cap. 7 1.* Sayrus *lib. 3. thesauri, cap. 9. n. 10.* Bonacina *dicta quæst. 6. pun. 1, in fine.* hanc excommunicationem non extendi ad imponentes taxas, talia, præstantia, collectas, & alia similia onera; quia hæc non sunt pedagia, nec propriè accepta, cùm sint tributa; non pro viarum transitu, aut mercium inuectione impositum. Sed nullà ex hàrationibus spectatà singulis subditis imponitur iuxta cuiusque facultatem. Vbi obseruarunt Sylvest. *verbo Gabella, numero 3. & 4.* Viuald. *in exposit. bullæ Cœnæ. num. 37.* Sayrus *dicto c. 9. numero 10.* Duardus *q. 4. n. 7.* Bonac. *p. 1. n. 4.* Et lex pœnalis vltra proprietatem verborum extendi non debet.

Hæc ped agij, seu gabellæ impositio facienda est à guber- 4
natore, seu domino in terris suis, hoc est in terris quarum ipse dominium, & potestatem habet, vti in Bulla cauetur. Nam alibi tributum impositum, vel exactum non tributum dicendum est, sed furtum, & rapina, quod hac excommunicatione non videtur punitum. Quocirca tyrannus regnum vsurpans, ibique gabellas imponens in hanc excommunicationem videtur incidere, cùm non imponat gabellas in terris suis, vti notauit Bonacina *dicta disp. 1. quæst. 6. punct. 3. num. 5.* Quod si dominus prouinciæ, seu ciuitatis potestatem non habeat imponendi gabellas in terris suis, hac excommunicatione innodatur, nouas gabellas imponens; vel antiquitus impositas denuò augens; quia est impositio, & accretio iniusta, & extra casus sibi permissos. Secùs esset dicendum, si gabellas quarum initij non extat memoria exigeret: quia eo casu præsumitur gabella, eiúsque exactio iusta. Vti benè aduertit Sayrus *lib. 3. thesauri casuum conscient. c. 9. n. 12.* Hugolin. *in exposit. bullæ cœna. c. 5. n. 6.* Graffis *1. p. lib. 4. c. 18. n. 79.* Filliucius *tract. 16. cap. 5. n. 14.* Reginald. *lib. 9. cap. 16. n. 283.* Bonacina *disp. 1. de censur. q. 6. p. 2. num. 2.*

Præterea debet esse gabellæ nouæ impositio, seu accretio 5
extra casus à iure, seu ex licentia Sedis Apostolicæ permissos. Iure namque permittitur nouæ gabellæ impositio Imperatori. *Cap. super quibusdam de verborum significat. & leg. Vectigalia Cod. de vectigalib. & commiss.* Item Regi, *Argum. in cap. nuncamus, de Censib.* Prætærea cuilibet in temporalibus Superiorem non agnoscenti ex *dicto capit. super quibusdam.* Quod à fortiori procedit in Republica perfectè libera habente merum, & mixtum imperium, quæ si suam potestatem in Principem non transtulerit, poterit maiore parte consentiente tributa imponere. Vti aduertit Sayrus *dicto capite 9. num. 19.* Duard. *in præsenti q. 7. num. 4.* Bonac. *q. 6. pun. 3. num. 3.* Denique ille cui ex consuetudine immemoriali hæc impositio competit iuxta Gloss. *in dicto cap. super quibusdam, verbo non extat memoria.* & Panormit. *ibi,* quia ius hoc imponendi gabellas sicut & alia iura consuetudine præscribi possunt. Vt aliis relatis docuerunt Sayrus *dicto. cap. 9. n. 17.* Hugolin. *in præsenti c. 5. §. 1.* Duardus *q. 2. n. 4. & q. 6. n. 8. & q. 7. num. 6.* Bonac. *p. 3. num. 3.* quidquid in contrarium sentiat Bart. *in leg. 1. ff. de aqua pluuia arcenda. & leg. vectigalia ff. de Publicanis. & leg. infamem ff. de publicis iudiciis.* Ex licentia autem summi Pontificis poterit Princeps aliàs non habens potestatem imponendi tributa & gabellas imponere, quia credendum est reliquisse Christum Dominum suo Vicario hanc potestatem, cùm sæpè id necessarium, vel saltem maximè conueniens sit ad spirituale animarum regimen, vt benè aduertit Bonac. *t. 3. de censur. disp. 1. q. 6. p. 3. num. 4.* & colligitur ex dicta clausula bullæ *ibi.* Seu ex speciali Sedis Apostolicæ licentia.

Sed dubium est, An potestatem habentes imponendi gabel- 6
las

las huic excommunicationi subiiciatur, si iniustas imponant? Nogant Nauarr. *cap.27.n.21* Hugolin. *in exposit. huius can.§.3. vers.4.* Tolet. *lib.1. cap.22.num.9. excommunicat.5.* affirmant: quæ sic respondisse Pium V. cuidam Regi id sibi interroganti Sayrus *lib.3.thesauri casuum consc. cap.9. n.7.* Filliucius *tract. 26.cap.4. n.105.* Reginald. *lib.9.praxi. num.274.* Mouentur, quia ea gabellæ impositio prædictis permissa est, tametsi excessus permissus non sit. Cùm ergo Pontifex excommunicat nouas gabellas imponentes extra casus permissos, intelligi debet excommunicare imponentes absque potestate, & iurisdictione, non verò qui stante iurisdictione, & potestate iniustas imponunt. Nam imponentes gabellas iniustas potiùs in causa, & modo impositionis excedunt, non verò in iurisdictione, & potestate, ac proinde dici non debent imponere gabellam extra casus permissos sed extra causam sibi permissam. Et confirmari potest, quia finis Pontificis in hac excommunicatione non videtur fuisse iniustitias supremorum Principum cohibere, sed audaciam particularium Ducum, & Marchionum, tentantium suis vassallis tributa alia imponere, præter ea quæ sibi à iure, vel à Sede Apostolica permissa sunt.

7 Nihilominus etsi prædicta sententia probabilis sit, probabiliorem credo affirmantem ligari hac excommunicatione iniustas gabellas imponentes. Vti docuit Graffis 1. *p. decis. lib.4. cap.18.num.80.* Suar. *disp.21.de censur. sect.2. num.37.* Duard. *in exposit. huius canon. lib.2.q.6.* Bonac. *disp.1. de censur. bulla. q.6. pun.3.num 6.* Quia stante gabellæ iniustitiâ ius non permittit, neque permittere potest illius impositionem, ergo ea impositio est extra casus non permissos. At pontifex absolutè excommunicat imponentes noua pedagia, seu gabellas præterquam in casibus sibi à iure, vel à Sede Apostolica concessis absque vlla limitatione. Ergo comprehendit prædictos imponentes.

8 Sed quid si gabellæ impositio ex se iusta sit, imponatur tamen personis exemptis vti clericis, aliisque priuilegiatis? Negant hac censura talem impositionem puniri Suar. *dicta disp. 21.sect.2.n.30.* Sayrus *cap.9.num.11.* Graffis 1. *p. decis. lib.4. cap. 18.num.84.* Reginald. *lib.9.praxi.num.276.* & alij, cà consideratione moti, quia hæc gabellæ impositio absolutè & simpliciter permissa est, vtpotè ex causa iusta, tametsi in modo iniusta sit ob personarum quibus imponitur exemptionem.

Contrarium rectius censuit Tolet. *lib.1. sum. cap.22.num 12.* Duard. *in exposit. bullæ Cœnæ.q.6.num.16.* & *q.10.n.1.* Bonac. *t.3. de censur. disp.1. q 6. pun.3. num.7.* Nam tributi impositio est obligatio soluendi tributum aliquibus imposita. Si igitur hæc obligatio imponatur iis, qui ab ea exempti sunt, iniusta est ea impositio, & extra casus permissos. Ergo sub prædicta excommunicatione continetur. Si enim Graffis. & Suar. censuerunt excommunicatione ligari tributum ex parte causæ iniustum imponentes, idem censere deberent de imponentibus tributum iniustum ex parte personarum, cùm parum referat qua parte iniustitia contingat; nam ea posita tributum est extra casus permissos, vt benè aduertit Mol. *tom. 2. disputatione 670.*

9 Addit vltimò Pontifex excommunicationem aduersus prædicta tributa iniusta exigentes. Non enim excommunicantur qui se gabellarum exactores fingunt, neque qui fingentes tributum esse impositum exigunt, vel exigunt in maiori quantitate quàm impositum est, quia, hi non exigunt tributum impositum, & exactio ad impositionem referri debet. Præterquam quòd Pontifex coërcere vult authenticam & publicam exactionem gabellarum, non autem priuatam, quæ si rectè spectetur non est gabellarij exactio, cùm nulla adsit gabella, sed est furtum & rapina fictione gabellæ commissum. Atque ita sustinet Bonac. *tit.2. de censur. disp.1.q.6. punct.3.num.14.* Deinde notandum est verbum *exigere*, quod remitentiam denotat. Quapropter si tributum iniustè impositum liberè solutum recipias, exactor censeri non debes; quia ad exactionem opus est, vti soluens inuoluntariè mixtè soluat, aliàs non soluturus si posset, iuxta *leg. soluendo ff. de Negotiis gestis.* Quod semper præsumendum est. Nemo enim præsumi potest tributum soluere, nisi quia credit debitum esse, vel quia timet ex solutionis omissione maius damnum. Sic tradunt Caietan. *verbo Excommunicatio, cap.71.* Suar. *disput.21.sect.2. num.43.* Nauarr. *cap.27.numero 61.* Sayrus *lib.3. thesauri cap. 9.numero 8.* Duard. *in exposit. huius censura. lib.2.quæst.9.* Tolet. *lib.1.cap.22.num.13.* Bonac. *tit.3.de censur. disputat.6.punct.2. num.5.*

PVNCTVM VII.

Expenditur excommunicatio sexta aduersus falsificantes litteras Apostolicas.

1 *Refertur Textus tam Bullæ, quàm aliorum iuriũm, in quibus similis excommunicatio continetur.*
2 *Comparantur hæ excommunicationes.*
3 *Qui sint falsarij huic excommunicationi subiecti.*
4 *Quælibet mutatio litterarum hanc excommunnicationem inducit.*
5 *Non videris falsarius, si iuxtà intentionem Pontificis litteras corripias.*
6 *Hæc falsitas committi debet in litteris Apostolicis.*
7 *Persona quæ huic excommunicationi subiiciuntur, sunt quæ per se falsitatem committunt.*

SExtò excommunicat, & anathematizat Pontifex omnes falsarios litterarum Apostolicarum etiam in forma Breuis, ac supplicationem, gratiam, vel iustitiam concernentium per Romanum Pontificem, vel sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vicecancellarium, seu gerentes vices eorum, aut de mandato eiusdem Romani Pontificis signatarum, necnon falsò signantes supplicationes huiusmodi sub nomine Romani Pontificis, seu Vicecancellarij, aut gerentium vices prædictorum. Similis excommunicatio lata est in *cap. ad falsariorum, de crimine falsi* ibi: *Nos enim omnes falsarios litterarum nostrarum, qui per se vel alios vitium falsitatis exercent cum fautoribus, & defensoribus suis anathematis vinculo decernimus innodatos, statuentes vt Clerici qui falsarij fuerint deprehensi, omnibus officiis, & beneficiis Ecclesiasticis perpetuò sint priuati, ita quòd qui per se falsitatis vitium exercuerint postquam per Ecclesiasticum iudicem fuerint degradati, sæculari potestati tradantur, secundùm constitutiones legitimas puniendi, per quam & laici qui fuerint de falsitate conuicti legitimè puniantur. Qui verò sub nomine nostro litteris falsis vtuntur, si Clerici fuerint, officiis, & beneficiis Ecclesiasticis priuentur, si laici tamdiu maneant excommunicationi subiecti, donec satisfaciant competenter, ita tamen vt in ipsis, & in illis malitia grauiùs quàm negligentia puniatur. Quod & de his qui falsas litteras impetrant duximus obseruandum.* 1

Ex his constat constitutionem aduersus falsarios latam in bulla Cœnæ ex parte latiorem esse & ex parte strictiorem ea, quæ fertur in *cap. ad falsariorum*, vt benè aduertit Sayrus *lib.3. thesauri casuum conscient. cap.10.num.7.* Nam excommunicatio bullæ Pontifici est reseruata, secùs verò quæ habetur in *dicto cap. ad falsariorum.* Item comprehendit non solùm falsificantes litteras Apostolicas. sed etiam supplicationes, quinimo falsò eas litteras vel supplicationes signantes. Cùm tamen in *dicto cap. ad falsariorum*, sola falsitas in litteris Apostolicis puniatur. Ex alia parte constitutio in *dicto cap. ad falsariorum* latior est constitutione Bubbæ, quippe comprehendit non solùm falsificantes litteras, sed falsis, seu falsificatis litteris vtentes, siue per se, siue per alium falsitatem committant, aut falsitate commissa vtantur. Deinde extenditur ad fautores, & defensores falsariorum. Præterea vltra excommunicationem in *dicto cap. ad falsariorum* Clerici falsitate conuicti officiis, & beneficiis spoliantur, quinimo si per se falsitatis vitium exercuerint sunt degradandi, & sæculari potestati tradendi, laici verò arbitrio Iudicis sunt puniendi. Notat autem Bonac. *t.3. de censur. disp.1.q.7.pun.3.n.7.* ad hanc pœnam incurrendam requiri, non semel, aut iterum falsitatem exercuisse, sed frequenter: quia verbum *exercuerit* frequentiam denotat. Sed non placet, quia aliàs nec excommunicarentur in *dicto c. ad falsariorum* qui semel falsitatem commiserint; cùm textus eo verbo exercuerint etiam in principio vsus sit, quod à Doctoribus non admittitur, sed absolutè supponũt semel falsitatem committentes, aut falsis litteris vtentes excommuniri. Pœna igitur priuationis beneficiorum, & officiorum Clericis indicta ob vsum falsarum litterarum, & excommunicatio laicis imposita extenditur ad impetrantes litteras falsas, id est ab aliis falsificatas, vt habetur in *dicto cap. ad falsariorum.* Litteræ falsæ nullatenus dicuntur quas ex falsa causa, vel sub nomine alterius aliquis impetrat, hæ enim non falsæ sunt, sed veræ; cùm verè à Pontifice concessæ sint, tametsi per subreptionem, & errorem dicendæ sunt. Vti notauit Syluest. *verbo excommunicatio 7.§.9.* Caiet. *eodem cap.26.* Tolet. *lib.1.cap.22.n. 10.* Suar. *disp.21. sect 2.num.49.* Sayrus *lib.3.cap.10.num.5.* & alij *in cap. Dura, §. aduertentes. De crimine falsi.* Mandatur excommunicatio imponi habentibus litteras falsas (intellige Apostolicas, de quibus *ibi* erat sermo,) nisi intra 20. dies eas non destruxerint, aut resignauerint. Quæ excommunicatio vsque dum lata fuerit, & per Parochos publicata non contrahitur. Post latam verò, & incursam Pontifici reseruatur. His positis, 2

Excommunicat Pontifex in hac bullæ clausula omnes falsarios litterarum Apostolicarum. Falsarij autem litterarum sunt, qui eisdem litteris aliquid tollunt, aut addunt, ex quo sensus litterarum mutatur, quælibet autem verborum mutatio retento sensu falsitatem propriè non inducit. Argum. *cap. ex conscientia de crimine falsi*; vbi habetur rasuram aliquam in loco non suspecto falsam scripturam non inducere. Et notauit Nauar. *capite 27.num.62.* Viuald. *in exposit. bullæ Cœnæ num. 54.* Sayrus *lib.3 cap.10.num.11.* Tolet. *in præsenti dub.3.* Graffis 1. *p. decis. lib.4. cap.18.num.78.* Bonac. *disp.1. de censur. bullæ qu.7. pun.1. num.4.* & *pun.2.num.4.* tametsi contrarium docue- 3

rit

rit Hostiens. *in sum. lib. 5. tit. de crimine falsi. §. qualiter committatur. vers. sed hodie.* Panormit. *cap. ex litteris de fide instrumentor.* Sylvest. *verbo excommunicatio 7. num. 2.* Caiet. *eodem, cap. 26. in fine.* Neque obest quod in priuilegiis summo Pœnitentiario cõcessis contentum erat, vt posset absoluere ab excommunicatione, quæ ex mutatione verborum incurritur litteræ sensu non mutato, quia ante Clementem VIII. in hac clausula Bullæ Cœnæ addebant Pontifices illa verba. *Excommunicamus eos qui mutant punctum, aut litteram &c.* quæ verba postmodum omissa sunt, vtpotè non inducentia mutationem, quæ falsitatem constituat.

4 Duplex tamen in hac parte est difficultas. Prima An excuseris ab hac censura, si mutationem præstes in litteris iniustitiæ nullum, vel leue damnum parti, aut fisco inferentem? Videris namque excusatus ob leuitatem materiæ; falsificatio namque prohibetur ob damnum quod ex falsitate euenit. Cùm igitur ex tali falsitate nullum, vel leue damnum parti, aut fisco proueniat, non videris peccatum mortale, & consequenter nec censuram incurrere. Sed rectius contrarium docuit Bonac. *t. 3. de censur. disp. 1. q. 7. punct. 2. num. 5.* Quippe falsificatio litterarum non tam ob damnum parti, aut fisco illatum prohiberi censenda est, quàm ob iniuriam expedienti litteras factam, cuius authoritas falsificatione contemnitur. Quod manifestum est in litteris gratiæ, dispensationibus, & indulgentiis à Sede Apostolica concessis, quæ in nullius damnum cedunt.

5 Secunda difficultas est; An si correctio fiat iuxta mentem summi Pontificis falsarius sis, & excommunicationem incurras? V. g. supplicatio facta est pro dispensatione in consanguinitate, & Notarius apposuit loco consanguinitatis affinitatem. Item supplicatio facta est pro impedimento secundi gradus, & tamen litteræ per errorem expeditæ sunt pro tertio, an inquam correctio hæc falsitatem inducat, & censuram. Affirmat vt probabilius Suar. *disp. 21. sect. 2. num. 47.* Alterius *lib. 5. disput. 7. cap. 2. propos. 2.* quia verè mutas sensum litterarum Apostolicarum, neque mens Pontificis est, vt error à Notario commissus per alium, quàm per Notarium corrigatur; alias liceret nouas litteras fabricare, sicuti licet latas emendare, & corrigere. Sed oppositum verius est, vt docuit Sayrus *lib. 3. thesauri, cap. 10. in fine, num. 12.* Hugolin. *in præsenti. §. 2.* Reginald. *lib. 9. num. 288.* Bonac. *disp. 1. q. 7. punct. 2. in fine*, quia illa mutatio verborum comparatione Pontificis mutatio non est, cùm eius intentioni, & concessioni conformis sit. Ergo falsitatem inducere non potest. Etenim mutatio sensus non tam est attendenda secundùm verba materialiter posita in ipsa Bulla, quàm secundùm intentionem Pontificis Bullam expedientis. Nam si licitum est errorem manifestum scriptoris emendare sensu retento, cur non licebit errorem commissum contra mentem, & intentionem Pontificis? Præterea litteræ sic correctæ cùm Pontificis intentioni conformes sint veræ, & non falsæ sunt appellandæ. Ergo sic corrigens falsarius esse non potest, sed veri sensus, & mentis Pontificis restitutor; secùs verò est dicendum de eo qui integras litteras fabricaret, quia illæ litteræ vtpotè à Pontifice non expeditæ supposititicæ sunt, & falsæ.

6 Falsitas autem hanc excommunicationem inducens committi debet in litteris Apostolicis etiam in forma breuis, vel in supplicationibus summo Pontifici, vel Vicecancellario, aut alteri vicem ipsorum gerenti gratiam, vel iustitiam continentibus. Litteræ Apostolicæ appellantur, quæ nomine summi Pontificis expediuntur, quæ si plumbatæ sint bullæ dicuntur, si sigillo cæreo signentur, Breuia. Supplicationes verò, quæ summo Pontifici, offeruntur, & ab eo, seu Vicecancellario signantur. Si igitur in his omnibus falsitas committatur hanc censuram inducit. Quapropter quælibet alia falsitas commissa in litteris, seu supplicationibus, quæ nomine summi Pontificis non expediuntur, vti sunt litteræ sacræ Congregationis, Pœnitentiariæ, Inquisitionis, declarationis, Concilij, Datarij, Nuncij Apostolici, Legati à latere, & Episcopi hac excommunicatione non afficiuntur; quia propriè non sunt litteræ Apostolicæ, neque supplicationes Pontifici, aut Vicecancellario factæ, quarum falsitas hac censura punitur, & pœnæ extra casum expressum extendendæ non sunt. Vti tradit Paludan. *in 4. dist. 12. quæst. 3. art. 2. vers. tertius falsar.* Nauarr. *cap. 27. num. 62.* Alphons. Viuald. *in expos. bullæ Cœnæ, num. 52.* Tolet. *in præsenti, §. 4.* Hugolin. *§. 3. num. 6.* Suar. *disp. 21. sect. 2. num. 49.* Bonac. *disp. 1. de censur. q. 7. pun. 1. num. 2.* Reginald. *lib. 9. cap. 17. num. 289.* Additur præterea excommunicatio aduersus falsò signantes supplicationes prædictas, vti habetur in prædicta clausula.

7 Personæ verò in quas hæc excommunicatio bullæ fertur eæ tantum sunt quæ per se falsitatem committunt in litteris Apostolicis, & supplicationibus à Pontifice, seu eius Vicario signatis. Quare mandans, consulens, approbans prædictam falsitatem hac censura non comprehenduntur, qui hi non falsificantes, sed falsitatem consulentes, mandantes, & approbantes dicuntur; & pœnæ extendendæ, non sunt vltra casus expressos.

PVNCTVM VIII.

Declaratur septima excommunicatio aduersus deferentes arma, & alia instrumenta vsui bellico idonea, ad infideles.

1 *Refertur Textus.*
2 *Quis finis sit huius excommunicationis, & qualiter in iure hæc actio sit prohibita?*
3 *Plures excommunicantur ex constitutionibus qui in Bulla Cœnæ non comprehenduntur.*
4 *Triplex actio sub hac excommunicatione prohibetur.*
5 *Quæ transmissio, seu delatio, & quarum rerum hac excommunicatione prohibeatur.*
6 *Examinatur, an sub prædicta prohibitione vestimenta, pecunia & victualia comprehendantur?*
7 *Verius censeo non comprehendi.*
8 *Debes per te ipsum transferre prædictas res prohibitas.*
9 *Si ex vno loco infidelium ad alium similem hæc deferat, huic excommunicationi non subiaceris, nisi inde grauis damnum Christianis prouenitat.*
10 *Si ex venditione armorum infideles fortiores reddantur ad Catholicorum impugnationem, locus est huic censuræ.*
11 *Si in terris Principi Christiano subiectis ea arma infidelibus vendas, negant aliqui te hac censura innodari.*
12 *Verius censeo oppositum.*
13 *Catholicus Princeps infideles in sui auxilium conuocans aduersus alium Principem Catholicum, illisque arma subministrans hac censurâ non ligatur, si bellum iustum gerit.*
14 *Non est licitum Principi Catholico infidelibus arma subministrare, ne alius Princeps Catholicus superior existat.*
15 *Ad quos hac arma transferenda sint?*
16 *Deferri arma ad Schismaticos, qui hæretici non sint sub hac censura non comprehenduntur.*
17 *Ab hac censura excusari potes ob leuitatem materiæ, & qua hæc sit in præsenti?*
18 *Notitiam præbens infidelibus de statu temporali Christianæ Reipublicæ in hanc censuram incidit.*
19 *Tabellarium deferentem litteras infidelibus non videtur improbabile hac excommunicatione ligari.*
20 *Reuelantem fidelibus statum Christianæ Reipublicæ qui infidelibus secretum manifestaturi sunt non videtur sub hac excommunicatione comprehendi.*
21 *Declaratur qualiter auxiliantes, consulentes, & fauentes in hanc excommunicationem incidant.*
22 *Ob periculum vitæ alterius, vel grauissimi damni excusari possunt à censura consulentes, & fauentes.*

SEptimò excommunicat, & anathematizat Pontifex omnes illos qui ad Saracenos, Turcas, & alios Christiani nominis hostes, & inimicos vel hæreticos per nostras, siue huius sanctæ Sedis sententias expressè, vel nominatim declaratos deferunt, seu transmittunt equos, arma, ferrum, filum ferri, stannum, chalybem, omniáque alia metallorum genera, atque bellica instrumenta, lignamina, canopem, funes tam ex ipso canope, quàm ex quacunque alia materia, aliáque huiusmodi, quibus Christianos, & Catholicos impugnant, necnon illos qui per se, vel alios de rebus statum Christianæ Reipublicæ concernentibus in Christianorum perniciem, & damnum ipsos Turcas, & Christianæ Religionis inimicos, necnon hæreticos in damnum Catholicæ Religionis certiores faciunt; illisque ad id auxilium, consilium, vel fauorem quomodolibet præstant. Non obstantibus quibuscunque priuilegiis, quibusvis personis, Rebuspublicis Per nos, & Sedem Apostolicam hactenus concessis de huiusmodi prohibitione expressam mentionem non facientibus. 1

Hac excommunicatione vult Pontifex fidei Catholicæ, Religionique consulere impediendo, ne Christiani nominis hostes, & inimici Catholicorum subsidiis validiores sint, & potentiores ad bellum Christianis inferendum. Quapropter huius legis violator sacrilegus est, præter iniustitiam commissam suppeditando instrumenta, quibus iniustè Christiani vexentur. Ob quam causam idem est sub grauissimis pœnis iure ciuili prohibitum. *leg. 1. & 2. Cod. quæ res exportari non debeant.* & *leg. finali Cod. de pœnis.* Et iure Canonico variis Textibus excommunicatio, aliæque pœnæ continentur aduersus eos qui aliquo modo potentiam Saracenorum augent. Nam in *cap. ita quorundam de Iudæis* excommunicantur ipso facto qui Sarracenis arma, ferrum, & lignamina deferunt galearum. Secundò qui necessaria subministrant ad Christianorum impugnationem. Tertiò qui pro cupiditate sua in galeis, & piraticis Sarracenorum nauibus regimen, & curam gubernandi exercent. In *cap. quod olim, eodem tit.* excommunicatione afficiuntur 2

ciuntur qui cum Sarracenis mercimonium habuerint, vel per se, vel per alios, naues seu quocunque alio ingenio eis aliqua rerum subsidia, seu consilia quando inter ipsos, & fideles bellum fuerit duxerint impenden da. Tempus belli etiam tempus inducarum comprehendit; quia est ad bellum præparatio in *c. ad liberandum de Iudæis.* Vltra *superius* dicta, quæ *ibidem* confirmantur additur excommunicatio aduersus eos qui Sarracenis galeas vendunt, vel naues: loquitur autem de nauibus venditis in oppugnationem Terræ Sanctæ, præcipitúrque ne huiusmodi personis gremium Ecclesiæ aperiatur (hoc est concedatur absolutio) nisi totum quod ex commercio tam damnato perceperint, & tantundem de suo in subsidium Terræ Sanctæ transmiserint, vt æquo iudicio in quo deliquerint puniantur. Tandem *in Extrauag. multa de Iudæis.* ex Clem. V. excommunicantur ipso facto qui Sarracenis arma, equos, ferrum, lignamina, victualia aliáque merces ferunt, & eos qui permittunt ferri, ferentibúsque ad id auxilium, vel fauorem præstant, quæ excommunicatio reseruata est, & ab ea absolui non possunt, nisi tantum de bonis propriis in subsidium Terræ Sanctæ exoluerint, quantum ad partes prædictas detulerint, vel miserint, vel deferri, aut extrahi permiserint.

3 Ex quibus constat aliquos his constitutionibus excommunicari, qui tamen bulla Cœnæ non comprehenduntur. Excommunicantur autem qui victualia ministrant Sarracenis tempore belli, cùm tamen in bulla secundum probabilem sententiam infra examinandam non sint excommunicati. Item exercentes mercimonia tempore belli cum Sarracenis, quæ actio non videtur bulla Cœnæ prohibita. Verùm esto hæ constitutiones iis in casibus bullam Cœnæ excedant; constitutio tamen bullæ Cœnæ absolutè latior est, & plures casus comprehendit quàm ius commune. Quippè comprehendit non solùm deferentes arma Sarracenis, sed Iudæis, Paganis, & quibuscunque Christiani nominis hostibus, hæreticisve expressè, vel nominatim declaratis; deferentes inquam tempore belli, & pacis. Cùm tamen ante Clementem V. tantùm tempore belli videbatur prohibitum. Item comprehendit eos qui infidelibus notitiam præbent de statu Catholicæ Religionis, cùm tamen hæc actio iure communi non reperiatur pohibita. His positis,

4 Triplex actio sub hac excommunicatione Bullæ prohibetur. Prima deferre equos, arma, &c. infidelibus. Secunda eos certiores facere de statu Christianæ Reipublicæ. Tertia auxilium, consilium, vel fauorem quomodolibet illis præstare.

5 In prima actione continentur qui deferunt, vel transmittunt equos. Sub quo verbo iumenta, boues, muli, aliáque animalia bello inseruientia ad portandos currus, farcinas, & victualia comprehenduntur, vti docuit Sayrus *lib. 3. thesaur. casuum, cap. 11. num. 27.* Nauarr. *cap. 25. num. 63.* Graffis *lib. 4. cap. 18.* Vsald. *in præsenti, casu 7. num. 4.* Duard. *can. 7. q. 19.* Bonac. *t. 3. de censur. disp. 1. q. 8. pun. 2. num. 1.* Secundò transmittentes arma siue offensiua, siue defensiua ex quacunque materia sint. *leg. armorum. ff. de verborum significat. 3. §. leg. armis. ff. de vi & vi armata.* Et tradit Glossa, *in c. ita quorundam de Iudæis, verbo ferrum.* Ea autem sic dicuntur quæ ex communi vsu ad præliandum deseruiunt. Vnde cùm cultellis non soleant homines vti ad prælium, sed ad scindendum panem, pennásque aptandas, tametsi per accidens aliquando illis præliari contingat, in hanc excommunicationem non incurrunt cultellos transferentes. Vti aduertit Nauarr. *in dicto c. ita quorundam de Iudæis, not. ab. 5. num. 25. vers. decimotertio.* Sayrus *dicto cap. 11. num. 28.* Suar. *sect. 2. num. 55.* Bonac. *d. punct. 2. num. 1.* Tertiò ferrum, & filum ferri siue factum, siue infectum, id est siue aptum ad prælium, siue quod potest ad eum finem facilè accommodari. Vnde non solùm massa ferri iam in lamina extensa, & purificata, sed etiam ante purificationem deferri prohibetur, vt henè tradunt supradicti Doctores. Ne lex hæc frustratoria esset. Præterquam quòd non solùm deferentes ferrum, sed alia huiusmodi excommunicantur. Sub quo verbo *alia huiusmodi*, quælibet materia similis contineri debet, extenditúrque prohibitio ad omnia genera metallorum, nempe plumbum, stannum, aurichalcum, & similia, & à fortiori ad aurum, & argentum. Quartò bellica instrumenta, vti sunt tympana, tubæ, fistulæ, litui, cornua, & alia huiusmodi, quibus milites ab bellum excitantur, & ad pugnandum instruuntur. Item scalæ ad conscendendos muros, currus & manus ferreæ ad detinendas naues, globos igneos, aliáque instrumenta apta ad euertendam arcem. Sic Sayrus *dicto cap. 11. num. 30.* Duardus *in exposit. huius canonis 7. q. 24.* Bonac. *pun. 2. num. 4.* Quintò lignamina, id est ligna apta ad faciendas naues, currus, hastas, aggeres, aliáque ad belli vsum. Sed an ipsæ naues fabricatæ intelligantur? Difficultate non caret, cùm ipsæ non sint lignamina, tametsi ex lignaminibus sint confectæ, sicuti domus non est ligna, esto sit ex lignis fabricata. Sic Caiet. *verbo excommunicatio, cap. 20.* Placet tamen mihi sententia Nauarri *in cap. ita quorundam de Iudæis, not. ab. 7. num. 14.* Sayri *dicto cap. 11. num. 31.* Tolet. *lib. 1. sum. cap. 26. num. 8.* sub lignaminibus naues comprehendi, quia verè sunt lignamina non qualiacunque, sed ligata, & compacta, ac proinde ad bellum aptiora. Si enim prohibentur lignamina deferri, ne ex iis naues conficiantur; à fortiori naues confectæ censentur prohibitæ iuxta vulgare prouerbium: *Propter quod vnumquodque tale, & illud magis.* Et *Authent. multo magis de Sacrosanctis Eccles.* Sextò canopem, funes tam ex ipso canope, quàm alia quacunque materia, & ipsam materiam; quia hæc bello maximè deseruiunt. Denique excommunicantur aliæ huiusmodi prædictis transmittentes. Sub quibus verbis comprehenduntur quæ sub prædictis propriè non veniunt; illis tamen similia sunt.

Dubium tamen est; An sub prædictis vestimenta, pecuniæ, 6
merces, & victualia comprehendantur? Negant graues Doctores, quando bellum est. Panormit. *in cap. significauit de Iudæis.* Caiet. *verbo Excommunicatio, cap. 20.* Nauarr. *dicto cap. ita quorundam de Iudæis, not. ab. 10. num. 13. 34. & 37.* Sayrus, *lib. 3. cap. 11. num. 12.* Quibus assentitur Tolet. *lib. 1. c. 26. num. 10.* etiam bello inguente. Ducitur, quia iis formaliter non oppugnantur Christiani, neque per se ad præliandum deseruiunt, sed ad alios vsus. Neque obest in prædicta clausula excommunicari auxilium, & fauorem infidelibus præstantes; quia intelligi debet de auxilio per monitionem, delationemque armorum, aliarúmque rerum, quibus oppugnatio fit, non de auxilio illis in rebus, quæ per se bello non deseruiunt, sed aliis vsibus sunt accommodatæ. Contrariam tamen sententiam defendit Suar. *t. 5. de censur. disp. 21. sect. 2. num. 56.* Bonac. *t. 3. de censur. disp. 1. q. 8. pun. 2. num. 4.* si prædicta transferuntur tempore quo inimici eis vti possunt in religionis Christianæ iacturam. Tum quia sub illis verbis generalibus, *& alia huiusmodi* hæc videntur comprehendi. Tum præcipue quia his rebus auxilium, & fauor quomodolibet præstatur nostræ Religionis hostibus. Nullum enim auxilium bello aptius est, quàm pecuniarum, mercium, & victualium. At in prædicta clausula videntur excommunicari omnes auxilium, consilium, vel fauorem inimicis nostræ Religionis præstantes. Ergo.

Ex his sententiis priorem veriorem existimo tum ob ra- 7
tiones *ibidem* allatas. Tum quia non est certum in hac excommunicatione comprehendi auxiliantes, consulentes, aut fauentes quomodolibet infidelibus, & hæreticis in damnum Catholicæ Religionis, sed necessariò requiri, vt auxilium sit in monitione de statu Christianæ Reipublicæ; quia de his fuit semo prius factus, & relatiuum *illis* & *ad ea*, quod ad immediatè præcedentia refertur, id denotat. Præterquam quòd non de auxilio, consilio, vel fauore Turcis, aliisque Christianæ Religionis inimicis videtur intelligendum, sed de auxilio præstito ipsis Catholicis, vt certiores faciant Turcas de statu Reipublicæ Christianæ, ita vt sensus sit. *Excommunicamus illos qui per se, vel alios de rebus statum reipublicæ Christianæ concernentibus in Christianorum perniciem, & damnum ipsos Turcas, Christianæ Religionis inimicos, necnon hæreticos in damnum Catholicæ Religionis certiores faciunt, illisque scilicet fauentibus hæreticos certiores ad id, hoc est ad prædictum effectum monendi hæreticos, auxilium, consilium, vel fauorem quomodolibet præstant.*

Secundò dubitatur, qualiter debeas deferre, seu transmittere 8
prædicta, vt hanc bullæ excommunicationem incurras? Respondeo certum esse te incurrere, si per te ipsum transferas, siue transferas nomine proprio, siue alieno. At si per alium transferas, quia consilium, auxilium & fauorem ad dilationem dedisti probabilitate non videtur carere te ab hac censura Bullæ excusari, si verba illa, *illisque ad id auxilium, consilium, vel fauorem quomodolibet præstant* non referantur ad hæreticos & inimicos nostræ Fidei, sed ad ipsos Catholicos, quibus ad mouendum infideles, & hæreticos auxilium præstatur. Atque ita tradit Tolet. *in præsenti, cap. 23. num. 7.* Sayrus *lib. 3. capit. 3. cap. 11. num. 25.*

Tertiò dubitatur, An incurras hanc censuram, si arma, 9
equos, reliquaue in hoc canone vetita deferas ex vno loco infidelium ad alium, vel ex vnius infidelis Principis dominio in dominium alterius infidelis? Negant Syluest. *verbo Excommunicatio 7. num. 64.* Tabiena *eodem c. num. 7.* Filliucius *tract. 14. cap. 8. quæst. 3. num. 132.* Alterius *in exposit. huius canonis, disp. 8. cap. 2. ad finem,* & alij apud Sayrum, *cap 21. numero 19.* Quia ea non est delatio armorum ad infideles; siquidem absolutè ea arma apud infideles existerent, parúmque refert hi vel illi sint infideles. Sed hoc limitandum est cum Nauarr. *in cap. ita quorundam de Iudæis, not. ab. 6. num. 27.* Sayro, *lib. 3. cap. 11. num. 19.* Toleto, *lib. 1. c. 23. num. 6.* Duardo *lib. 1. can. 7. q. 8.* Reginaldo *lib. 9. cap. 18. num. 300.* Bonac. *disput. 1. de censur. bull. quæst. 8. punct. 2. num. 17.* vt verum habeat casu quo ex prædicta delatione grauius damnum Christianis non immineri; nam eo casu delatio, quæ solùm ob damnum, quòd Christianis inferri potest prohibetur, hac non punitur censura. At si ea delatione armorum grauius damnum Catholici patiuntur, quàm paterentur illis non delatis, verius videtur eam delationem sub hac censura contineri. Tum quia verè est de-

latio

latio ad infideles in damnum Christianorum. Tum quia secundùm communem sententiam auxiliantes, fauentésque infidelibus in damnum Catholicæ Religionis hac censura comprehenduntur. Negari autem non potest mediâ illa declaratione auxilium infidelibus præstari. Ergo, &c.

10 Quartò dubitatur de vendentibus, permutantibúsve arma cum infidelibus? Et quidem si ex venditione, vel permutatione validiores infideles non fiunt, manifestum est eam venditionem, & permutationem hac censura non prohiberi. Secùs verò si fortiores reddantur ad Catholicorum impugnationem, quia iam esset delatio, & transmissio, tametsi non gratuita, sed onerosa in damnum Christianæ religionis. Vti tradit Nauarr. *in capite, ita quorundam de Iudæis. notab. 8. numero* 23. Azor. 1. *p. instit. moral. lib. 8. capite* 23. *q. 9.* Sayrus. *lib. 3. c. 11. n. 27.* Reginald. *lib. 9. cap. 18. num. 298.* Bonac. *disp. 1. q. 8. punct. 2. numero* 25. Viuald. *in præsenti casu 7. numero* 13. Gambarupta *ibi*, *numero* 12. & 17. Duard. *quæst. 9. numero* 1. & alij.

11 Sed quid si in terris Principi Christiano subiectis ea arma infidelibus vendas? Affirmat Nauarr. *in dicto capite, ita quorundam de Iudæis, notab. 8. num. 41.* Azor. *dicta 1. p. instit. lib. 8. cap. 23. q. 7.* Sayrus *lib. 13. cap. 11. num. 26.* Tolet. *lib. 2. capit. 23. num. 5.* Gambarupta *casu 7. num. 18.* te excusatum esse ab hac censura, quia transmissio quæ hac censura prohibetur est quæ fit ad infideles. At facta infidelibus in terris Christianorum non est transmissio ad infideles propriè, cùm non possint infideles illis armis in damnum Christianorum liberè ibidem vti.

12 Cæterùm certissimum est, si ex hac venditione probabiliter credis damnum Christianos esse accepturos te in excommunicationem latam *in cap. ad liberandum. de Iudæis* incidere; quia ibi excommunicantur arma Sarracenis vendentes. In excommunicationem autem bullæ incidere non ita certum est ob rationem *superius* allatam: & quia non satis constat ibidem excommunicari auxilium, consiliúmve præstantes infidelibus in damnum Christianæ religionis, cùm illa verba, *Illisque ad id consilium, auxilium, vel fauorem quomodolibet præstant*, satis dubia sint ad quos referantur, & in quam materiam. Nihilominus probabilius censeo prædictam venditionem hac censurâ comprehendi. Vti docuit Hugolin. *in exposit. huius censuræ, verò illis, numero* 4. Duard. *q. 7. num. 3.* Bonac. alios referens, *disput. 1. q. 8. pun. 2. num. 31.* Quia bulla non requirit vt arma transferantur ad terras infidelium, cùm translationem ad infideles nullo superaddito prohibuerit; at ea translatio ad infideles est facta. Neque obest quod ipsi ibidem non possint Christianos oppugnare. Satis enim est quod possint in terris infidelium transiati. Præterquam quòd solùm per accidens ab impugnatione Christianorum ibidem impediuntur, scilicet ob protectionem, & potentiam Christiani Principis. Per se autem, & ex concessione armorum illis facta optimè possunt ibidem oppugnare Christianos. Nulla ergo causa est ob quam hac censura ea venditio non afficiatur.

13 Quintò dubitatur de Principe Catholico bellum cum alio Principe Catholico agente; an conuocare possit infideles, illisque arma præbere in sui auxilium? Alicui videri posset hoc illicitum esse, & hac censurâ bullæ prohibitum, cùm sit translatio armorum ad infideles in damnum Christianorum quos oppugnaturi sunt. Et præterea illis armis concessis vti possunt infideles in Christianorum perniciem. Nihilominus longè verius est Principem Catholicum bellum iustum gerentem aduersus alium Catholium Principem posse seclusoscandalo in sui defensionem, & auxilium infideles conuocare, illisque ad præliandum arma concedere; quia ea concessio etsi cedat in damnum Principis oppugnati, illique subditorum, at absolutè cedit in vtilitatem, & commodum Christianæ Religionis, cùm cedat in defensionem, & auxilium Principis iniuriam patientis, & subuersionem Principis iniuriam irrogantis. Ob quam causam ea armorum concessio nedum est dicenda cedere in damnum Principis oppugnati, sed potiùs in illius vtilitatem, vtpotè qui impeditur ab iniustitia, vsurpationéque alieni iuris. Atque ita tradit Alterius *t. 1. lib. 5. disput. 8. cap. 5. dub. 7.* Duardus *in præsenti, lib. 2. canon. 7. quæst. 36. num. 18.* Bonac. *disput. 1. de censur. q. 8. punct. 2. numero* 10. & *de contract. disput. 2. quæst. vltim. sect. 1. punct. vltim. §. 3. quæst. 2.*

14 An liceat Principi Catholico infidelibus arma submínistrare, ne alius Princeps Catholicus superior existat, controuersum est apud aliquos, negat Hugolin. *in præsenti cap. 7. §. vltim. numero* 4. Duardus *quæst. 35. numero* 2. Bonacin. *dicta q. 8. Punct. 4. n. 10.* affirmant alij. Ego rem totam malo intactam relinquere, quàm magnam litem definire.

15 Sextò dubitatur, ad quos arma, equi, aliáque instrumenta bellica transmittenda sunt, vt censura Bullæ contrahatur. Respondeo transmittenda esse non solùm ad Turcas, & Sarracenos, sed etiam ad Tartaros, Mauros, & Iudæos, atróque infideles qui Christianismum detestantur, Christianósque oppugnant, seu parati sunt oppugnare; quia hi omnes Christianæ Religionis sunt hostes. Præterea si deferantur ad hæreticos à Sede Apostolica expressè, vel nominatim declaratos. Dicuntur autem hæretici à Sede Apostolica declarati, qui ab ipso summo Pontifice, vel eius Officialibus, seu Legatis intra curiam degentibus, quippe non proprio nomine, sed nomine summi Pontificis litteras expediunt, declarantur iuxta Clement. *Ne Romani. §. fanè, de electione.* Expressè verò seu nominatim declarantur qui nomine proprio Petri, vel Franciscí notati sunt, vel illis circunstantiis expressis, quæ expressioni nominis æquiualent. Vti docuit Tolet. *lib. 1. cap. 23. numero* 5. Sayrus *lib. 3. cap. 11. num. 16.* Non verò qui solùm genere exprimuntur, vti sunt Lutherani, Caluinistæ, &c. quia ex hac expressione nulla persona est expressè, vel nominatim declarata, cùm non ad declarandas personas, sed hæreses illa expressio referatur. Quod verò inquit Bonac. *disp. 1. quæst. 8. pun. 3. num. 5.* censendum esse hæreticum expressè declaratum qui sub illis circunstantiis declaratur, quæ expressioni nominis æquiualeret verissimum est: attamen omnia exempla quæ adducit mihi non probantur, censet namque expressè esse declaratum, si in sententia dicatur. *Excommunicamus illum qui fungitur tali munere, qui in tali loco verba hæretica protulit, qui in tali libello authoritatem Pontificiam impugnauit.* Sed hæc solùm vera censeo, cùm notorium est quis illo officio fungeretur; quisve hæretica verba protulerit, & libellum publicauerit: nam si hæc delicta occulta sint, censendus non est delinquens expressè, & manifestè declaratus cùm ex illa declaratione solùm eius delictum declaretur, non persona, hæc enim adhuc occulta est, & nemini nota. Non igitur censeri potest expressè declarata.

Deferri autem arma ad Schismaticos vt tales declaratos, cú 16
formaliter hæretici non sint hac censurâ non prohibetur. Vti notauit Duard. *lib. 2. can. 7. q. 5. num. 3.* Bonac. *disp. 1. de censur. q. 8. pun. 3. in fine.* Et à fortiori deferre arma Catholicis habitantibus in terris infidelium hac censurâ non est prohibitum; quia non est spectanda terra, in quam arma deferuntur, sed ad quos transmittuntur; siquidem Bullæ constitutio non de translatione ad infideles locuta est. Excipe nisi timeatur Principem infidelem illis armis vsurum in Christianorum perniciem; quia eo casu sic deferens etiamsi immediatè Catholicis deferat, mediatè defert infidelibus, illisque auxilium in damnum Christianorum præbet. Ergo stante communi sententia affirmante auxiliantes infidelibus & hæreticis in damnum Religionis excommunicari hac censurâ comprehenduntur, sic Catholicis arma deferentes, cùm ex ea delatione damnum Catholicis Proueniat. Sicuti notauit Nauarr. *in cap. ita quorundam, de Iudæis num. 27.* Duard. *in præsenti libro 2. can. 7. quæstio 3. ad finem. & quæst. 6. num. 2.* Bonacina aliis relatis *tit. 3. de censur. disputatio. 1. quæstio 8. puncto 3. numero 6.*

Septimò dubitatur qui ab hac censurâ excusantur, tametsi 17
infidelibus arma deferant? Præter generales excusationes de ignorantia, & inaduertentia tam iuris, quàm facti excusari possunt deferentes. Primò ex leuitate materiæ, sicut enim in aliis legibus hæc admittitur excusatio in hac lege concedenda est, cùm finis huius legis, sit ne damnum Catholici patiantur. At ita leuis esse potest armorum delatio, vt ex ea nullum graue damnum timeri possit. Ergo eo casu deferens à censura excusabitur. Vti tradit Nauarr. *in cap. ita quorundam, de Iudæis, notab 8. num. 31.* Sayr. *lib. 3. cap. 11. num. 22.* Viuald. *in exposit. huius bullæ num. 12.* Duard. *lib. 2. can. 7. quæst. 15. num. 18.* Reginald. *lib. 9. praxi cap. 18. num. 298.* Bonac. *t. 3. de censur. bullæ disp. 1. quæst. 8. pun. 4.* Quæ autem sit materia grauis, quæ leuis? arbitrio prudentis decidenda est spectato fine huius legis, qui est damnum Christianorum vitare. Regulariter traditio vnius pugionis, enfis, arcus, & similium non censetur grauis materia; quia hæc potiùs ad vsum donatarij, illiusque recreationem deseruiunt, quàm in Religionis Christianæ perniciem. Secùs verò dicendum de integra militis armatura, de vnica naui, de bombarda, aliisque bellicis instrumentis; vti constat ex Doctoribus *superiùs* relatis. Secundò excusantur à censura, & peccato deferentes arma, aliáque prohibita, si damnum quod ex delatione Christianis timeri potest aliunde compensent. Sicuti plerunque censetur compensatum cùm in redeptionem captiuorum conceduntur; maximè si aliis mercibus non prohibitis captiui redimi nequeunt. Vti tradit Nauarr. *in dicto cap. ita quorundam notab. 8. num 26.* Sayrus *cap. 11. num. 34.* Duard. *cap. 7. quæst. 11.* Viuald. *in præsenti num. 63.* Hugolin. *§. 1. num. 11.* Reginald. *num. 299.* Bonac. *disp. 1. quæst. 8. punct. 4. num. 12.* Tertiò excusantur, si absque graui iactura delationem omittere nequeunt; quia leges Ecclesiasticæ non censentur ita strictè obligare. Sic Bonac. Nauarr. Sayrus, Duardus, Hugolinus *loc. alleg.*

Secunda actio, quæ sub hac censura prohibetur est infide- 18
libus, & hæreticis notitiâ præbere de statu Christianæ Reipublicæ, quod intelligendum est de statu temporali, vt si reuelares aliquam ciuitatem Christianorum victualibus carere, arcem armis, & militibus esse destitutam, ex qua reuelatione possent Fidei hostes moueri ad eam ciuitatem, vel arcem

oppugnan

oppugnandam, absque dubio in excommunicationem incidere, quia absolutè certiores faceres infideles de statu temporali Christianæ Reipublicæ in eius damnum. Sicuti tradit Hugolin. *in præsenti num.* 2. Sayrus *cap.* 11. *num.* 3 5. Duard. *can.* 7. *quæst.* 30. Bonac. *disp.* 1. *q.* 8. *punct.* 2. *numero* 29. Quod à fortiori procedit, si tempore quo Princeps eligendus est, moneas hæreticos de statu electionis futuræ, quâ monitione factâ hæretici electionem Catholici Principis diuertere conantur. Vt benè aduertunt Hugolin. Duardus & Bonacina *locis alleg.*

19 Sed an sub hac actione comprehendatur Tabellarius deferens litteras infidelibus secretum Christianæ Reipublicæ continentes, cùm ipse probabiliter conscius est iniquitatis; Dissentiunt Doctores. Nam Suar. *disput.* 21. *sect.* 2. *numero* 58. Hugolin. *in præsenti, in verbo necnon illos, vers. secundo.* Duardus *dicto canon.* 7. *quæst.* 31. *numero* 1. & *q.* 38. *numero* 16. Bonac. *titul.* 5. *de censur. disputat.* 1. *q.* 8. *punct.* 1 *in fine*, affirmant; quia moraliter censendus est reuelare, sicuti censetur comburere, qui ignem applicat. Sed alij contrarium non improbabiliter censent, quia reuelatio cùm sit quædam manifestatio, & locutio nullatenus præstatur à Tabellario litteras sigillatas deferente; non enim ipse reuelat, sed reuelationem defert. Applicans autem ignem dicitur comburere; quia ignis solùm physicè non moraliter combustionem præstat; at litteras mittens, & physicè, & moraliter secretum reuelat; eáque de causa deferens reuelationem ab hac denominatione reuelantis excusari potest.

20 Deinde graues Doctores, Hugolinus *in præsenti, vers. secundò afficit.* Duard. *canon.* 7. *q.* 31. *numero* 2. & *q.* 34. *numero* 2. Alterius *lib.* 5, *disputat.* 8. *capit.* 10. *vers. sed modo perquirendum.* Bonacina *disputat.* 1. *de censur. Bullæ. q.* 8. *pun.* 1. *numero* 4. censent reuelantem secretum Christianæ Reipublicæ fidelibus, quos credit infidelibus reuelaturos sub hac censura comprehendi, quia verè infidelibus moraliter reuelare censetur saltem mediatè. Sed contrarium rectius censuit Suar. *disp.* 21. *sect.* 2. *num.* 58. quia in prædicta clausula solùm puniuntur reuelantes per se, vel per alios statum Christianæ Reipublicæ infidelibus. At sic fidelibus reuelans nequaquam dici potest infidelibus per se, vel per alios reuelare, cùm ipsi fideles reuelantes nomine proprio reuelent; non autem nomine prioris reuelantis, qui nunquam ipsis reuelationem demandauit.

21 Tertia actio, quæ in hac clausula sub censura prohibetur est auxilium, consilium, & fauor. Sed quibus præstandum sit consilium, & auxilium & in qua materia, vt hanc censuram inducat; difficultate non caret. Nam vt ex superioribus constat satis probabile videtur verba illa, *Illisque ad id auxilium, consilium, vel fauorem quomodolibet præstant*, referenda esse ad eos, qui Catholicis certiores facientibus hæreticos de statu Christianæ Reipublicæ auxiliantur. Quo casu non est dubium, Tabellarium deferentem litteras reuelatorias status Christianæ Reipublicæ contineri. At quia frequenter expositores illa verba intelligunt de auxilio, consilio, & fauore infidelibus, & hæreticis præstito in damnum Christianæ Religionis, ea de causa explicandum est qui censeantur comprehensi. Et breuiter dico comprehensos esse qui consilium hæreticis præberent qualiter Catholicos oppugnare possent. Item qui eos in pugna iuuarent. Item qui iuuarent in armorum, equorum, aliorúmque prohibitorum delatione, ac tandem in status Reipublicæ manifestatione.

Vt autem hac censura consulentes, & auxiliantes afficiantur, necessariò videtur requiri damnum Catholicis re ipsâ fieri; quia vsque fiat damnum, non censentur consilium, & auxilium effectum habere, essèque perfecta; siquidem ratione damni prohibentur. Vt constat ex illo relatiuo *ad id*, quod ad damnum refertur, sicuti tanquam probabile defendit Bonac. *disp.* 1. *q.* 8. *p.* 2. *num.* 25. & 26.

22 An autem ob periculum vitæ alterius ve grauissimi damni excusari possent consulentes, & fauentes infidelibus, & hæreticis in damnum Christianæ Reipublicæ; Aliqui Doctores censent excusatos non esse, cùm damnum maximum Reipublicæ infertur, aliàs non inferendum, sicuti videtur sentire Molina *titul.* 1. *de iust. disput.* 115. *concl.* 4. Suar. *disput.* 21. *sect.* 2. *num.* 60. Lessius *lib.* 2. *cap.* 9. *dub.* 18. *num.* 123. Sanch. *lib.* 1. *in decalog. cap.* 7. *num.* 18. *post med.* Reginald. *lib.* 9. *praxi. capit.* 18. *num.* 299. quia bonum commune priuato anteponi debet, ad quam antepositionem præstandam vtpotè iure naturæ debitam iustè Pontifex censuris compellit. Sed rectiùs contrarium censuit Sayrus *lib.* 3. *cap.* 11. *num.* 18. Nauarr. *in cap. ita quorumdam de Iudæis, not. ab.* 8. *num.* 26. Petr. Nauarra. *lib.* 3. *de restit. cap.* 4. *dub.* 4. Corduba *sum. q.* 137. Azor. *titul.* 1. *lib.* 2. *instit. mor. cap.* 7. *q.* 6. Man. Rodrig. *in exposit. bullæ. §.* 9. *num.* 85. & alij relati à Sanch. *loco citato.* Nam esto consulentes, fauentésve infidelibus in damnum Christianæ Reipublicæ à peccato non excusentur, credendum tamen est à censura excusari; quia esto eo casu posset Ecclesia eos censura afficere, verosimilius est eam voluntatem non habere, vtpotè à pietate, & benignitate Ecclesiæ alienam.

Ad extremũ reuocantur in hac clausula omnia priuilegia in contrarium concessa dominis, Principibus, Rebuspublicis, & particularibus personis. Nam vt tradit Sylvest. *verbo Excommunicatio 7. num.* 58. Tabiena *eodem.* 6. §. 6. Tolet. *in exposit. huius canon.* §. 5. *dub.* 1. Sayrus *lib.* 3. *cap.* 11. *n.* 36. Genuensibus, & Venetis concessum priuilegium erat à variis Pontificibus asportandi plumbum, & stannum, aliáque prohibita ad Turcas; ideò hac clausula reuocantur.

Punctum IX.

Expenditur octaua excommunicatio aduersus impedientes, ne Romanæ curiæ victualia, aliáque necessaria deferantur.

1 *Refertur Textus.*
2 *Qui finis huius excommunicationis sit?*
3 *Quæ sint personæ aduersus quas fertur?*
4 *Quæ sit materia?*
5 *Quæ sint actiones hac excommunicatione prohibitæ?*
6 *Vtiustus titulus excuset ab hac excommunicatione debet esse certus, non dubius, quod difficultate non caret.*
7 *In foro externo impedimentum præsitum à persona publica præsumitur iustè appositum esse. Secùs à priuata.*
8 *Princeps detinens victualia, quæ ex alieno territorio per suum transferuntur ad Romanam curiam, non videtur huic excommunicationi subiici.*
9 *Hoc impedimentum apponendum est directè; & formaliter.*
10 *Quid nomine Romanæ curiæ intelligatur, ad quam victualia deferuntur?*
11 *Proponitur ratio dubitandi, an impediens victualia illius, qui in proprium vsum, vel in vsum particularis personæ deferat subiiciatur huic excommunicationi.*
12 *Quid respondeat* Bonac.
13 *Probabilius censeo te hac excommunicatione non esse ligatum.*
14 *Non ob quorumlibet victualium impedimentum ligaris hac censurâ, sed debet esse quantitas grauis.*
15 *Hæc excommunicatione solum ad impedientes, & eorum defensores extenditur.*

OCtauò excommunicat, & anathematizat Pontifex omnes impedientes, seu inuadentes eos, qui victualia, seu alia necessaria ad vsum Romanæ curiæ adducunt, ac etiam eos qui ne ad Romanam curiam adducantur, vel afferantur prohibent, impediunt, seu perturbant, seu hoc facientes defendunt per se, vel alios cuiuscunque fuerint ordinis, præeminentiæ, conditionis, & status, etiamsi Pontificali, seu regali, aut alia quavis Ecclesiastica, vel mundana præfulgeant dignitate. 1

Hæc excommunicatio lata est in vtilitatem, commodum, honorem, defensionem, & potestatem Romanæ curiæ, ne scilicet rebus quibus indiget desit tuatur. Quapropter aduersus hanc constitutionem delinquens vltra iniustitiam quam committit, sacrilegus est, vtpotè offendens Ecclesiasticum tribunal, quod maximè ex personis Ecclesiasticis coalescit, sicuti notauit Caietan. *verbo Excommunicatio, cap.* 19. Sayrus *lib.* 3. *thesauri, cap.* 12. *numero* 2. Reginald. *lib.* 9. *capite* 19. *num.* 307. Filliucius *tract.* 10. *cap.* 7. *q.* 1. *numero* 15; Duard. *lib.* 2. *in exposit. huius canon. q.* 10. *num.* 3. Bonac. *disput.* 1. *q.* 9. *p.* 1. *in fine, num.* 15. 2

Personæ aduersus quas excommunicatio fertur sunt omnes & singuli cuiuscunque dignitatis etiam Imperialis, & Regalis victualia, seu alia necessaria Romanæ curiæ impedientes, illorúmque defensores, siue per se, siue per alios, vti constat ex tenore Bullæ. 3

Materia est impedire, siue dolo, & fraude, siue per vim, ne victualia ad Romanam curiam deferantur, deferentesque prohibere, & perturbare ne deferant, necnon eos, qui hæc facientes defendunt per se, vel alios. Materia circa quam excommunicatio versatur sunt victualia, aliáque ad vsum Romanæ curiæ necessaria. Nomine victualium intelliguntur quæ ad esum, potum, & vestitum deseruiunt. *leg. victus & leg. cætera, de verbor. significat.* at sub iis quæ necessaria sunt ad curiam Romanam omnia illa veniunt, quæ curialibus tum ad habitandum, tum ad negotia, & munera peragenda tum ad honestam eorum recreationem deseruire possunt. Sed an sub iis verbis litteræ comprehendantur, ita vt impedientes Tabellarium, aut alium nuntium litteras deferentes in hanc excommunicationem incidant? Negat Bonac. *disp.* 1. *q.* 9. *p.* 1. *n.* 10. nisi in illis litteris chirographum contineatur, quo pecunia ad Romanam curiam cambitur; quia litteræ non pertinent ad victualia, neque ad vsum curiæ Romanæ necessarium. Quando autè chirographum hoc continuerit, cùm hoc pecuniæ dilationi æquiualeat, meritò sub rebus necessariis contineri debet. Ego verò existimo si litteræ continentes chirogra- 4

phum sub nomine victualium,aliarúmque rerum ad vsumque Romanæ curiæ necessarium continentur etiam quælibet litteræ de negotiis, litibúsque tractantes comprehendi debent: cùm hæ curialibus æquè ac pecunia necessariæ sint, tum ad mutuam cum absentibus communicationem,tum ad negotiorum expeditionem, & litium decisionem,beneficiorum,aliarúmque gratiarum impetrationem. Alia tamen via excludi possunt litteræ ab hac materia,eo quòd plerunque non ad curiam Romanam,sed ad singularem personam deferuntur. Prohibitio autem est de impedientibus victualia, aliáque necessaria ad vsum Romanæ curiæ. Quæ autem necessaria sunt ad vsum personæ singularis, non curiæ Romanæ necessaria esse censentur. Vti *inferiùs* examinabimus.

5 Actiones quæ hac constitutione prohibentur sunt tum impedire siue dolo, & fraude siue per vim, ne victualia, seu alia ad Romanæ curiæ necessaria deferantur, tum prohibere,impedire,seu perturbare volentes deferre, ne deferant. Tum defendere per se, vel alios hæc facientes. Quæ omnes actiones iniustitiam denotant. Quapropter si iusto titulo impediat Princeps,ne ex sua ciuitate victualia Romana deferantur;quia illis indiget ad suorum subditorum sustentationem ab hac censura excusatur; quia hæc non est prohibitio, seu impedimentum ne ad Romanam curiam victualia adducantur, sed est suorum defensio, & protectio;tametsi ex ea protectione sequatur, ne in Romanam curiam victualia deueniant. Vti notauit Caiet. *verbo Excommunicatio. capite* 19. Nauarr. *capite* 27.*num.*64. Sayrus *lib.*3.*capite* 12.*num.*4. Suar. *disp.*21. *sect.*2. *num.*63. Quod adeò verum existimo, vt esto Princeps iniquo animo duceretur, ne Romanæ curiæ merces suæ ciuitatis deferrentur,adhuc censuram non incurret;quia hæc non ob prauam intentionem, sed ob iniustum impedimentum imponitur. Vti notat Bonac.*disp.*1.*q.*9.*p.*1.*num.*3. Praua autem intentio non reddit actionem externam iniustam,tametsi reddat illam charitati contrariam.

6 Vt autem iustus titulus à culpa, & censura excuset, plures Doctores, Suar. *disp.*21.*sect.*2.*numero* 64. Duard. *lib.*2.*in can.* 7.*quæst.*10.*num.*11. Filliucius *tract.*16.*capite* 7.*quæst.*2.*num.*156. Bonac. *disp.*1. *quæst.*9. *de censuris bullæ. part.*2. *num.*7. censent debere esse certum non dubium:nam stante dubio videtur lex certa possidere, aduersus quam nequis procedere. Sed hæc doctrina difficultate non caret casu, quo impediens possessionem impediendi habeat: nam esto à lege certa nequeas te eximere ob causam dubiam, id verum est cùm pro lege est possessio. At stante possessione pro parte impedientis non videtur impediens ob causam dubiam se à lege eximere, sed ob causam certam. Præterquam quòd stante dubio; An possit Princeps impedimentum victualibus deferendis præstare,æquum non est quod per legem ea potestate etsi dubia spolietur. Sicuti non est æquum quod ad ieiunandum obligetur qui dubius est an 21. annum compleuerit; quia stante dubio stat pro eius libertate possessio.

7 In foro autem externo si impedimentum præstetur à persona publica præsumitur iusto titulo appositum esse. Secùs verò si à persona priuata, vt benè aduertit Bonacina *disp.* 1. *de censur.quæst.*9.*punct.*3.*num.*2. quia persona publica plerúnque ius habet detinendi victualia ob bonum suorum subditorum. Secùs verò persona priuata, & cùm præsumptio sumatur ex his quæ frequenter contingunt, præsumi debet personam publicam ius habere impediendi, secus personam priuatam. Ex qua præsumptione colligitur cui incumbat onus probandi iusto modo titulo impedimentum appositum esse; an impeditò, an impedienti. Et dicendum est, si impedimentum appositum est à persona publica, impedito competere onus probandi iniustè impeditum esse: si autem à persona priuata appositum impedimentum est, ipsi impedienti competit onus probandi iusto titulo impedimentum apposuisse.

8 Hinc deciditur; An Princeps victualia quæ ex alieno territorio ad Romanam curiam aduehuntur, & per suum territorium transeunt detinens ob suorum subditorum necessitatem hac censurâ ligetur? Respondet Bonac. *disputat.* 1.*q.*9. *punct.*2.*num.*20. incidere, si Romana curia æquè grauem necessitatem patiatur; quia in pari necessitate melior est conditio possidentis. At Romana curia ea victualia virtualiter possidet, cùm in eius vsum destinata sint,& ad ipsam deferantur. Præterea in graui necessitate nemo potest alienum inuito domino surripere, ergo nequit Princeps ob grauem tantùm necessitatem ea victualia detinere. Sed rectiùs contrarium censuit Hugolin. *in exposit. bullæ cœnæ. capite* 8. *vers. non dolo malo.* Duard. *lib.*2.*in can.*8.*q.*4. *num.*2. eo quòd stante graui necessitate subditorum iustè Princeps detinet victualia,quibus ea necessitas succurri potest. Nam esto Romana curia æqualem,vel grauiorem necessitatem patiatur; dum ea victualia non possidet, illiúsque propria non sunt,impedire nequit Principem,ne suis subditis grauiter indigentibus consulat detentione victualium, quæ aliqualiter possidet. Neque obest quòd deferens intentionem haberet deferendi ea victualia in Romanam curiam;quia ea intentio Romanæ curiæ ius in victualia non concedit. Ergo ex vi illius impediri non potest Princeps, per cuius territorium transeunt, & quorum possessionem habet, ne illa in subuentionem suorum subditorum expendat.

Porrò impedimentum apponendum est directè, & formaa 9
liter: non autem consequenter, & per accidens; quia verba legis, & maximè pœnalis propriè accipienda sunt. Vnde Romanæ curiæ victualia deferentem interficias, vel alio modo detineas, animo inquam te ab illo vindicandi, non autem impediendi victualia censuram non incurris; quia illa actio speciem sumit ab eo quod est per se, non autem ab eo quòd per accidens contingit, iuxta *leg. non omnes. ff. si certum petatur*, ac proinde non est victualium impeditiua, sed deferentis victualia vindicatiua. Sic Viuald. *in exposit. bullæ cœnæ, num.*71.*alias* 12. Sayrus *lib.*3.*thesauri,c* 12.*in fine.* Durand.*lib.* 2.*can.*8.*q.*10.*n.*17. Bonac. *disp.*1.*q.*9.*p.*2.*n.*14.*&* 17.

Rursus victualia ad Romanam curiam deferri debent, vt 10
impedientes hac censura afficiantur. Nomine Romanæ curiæ intelligitur locus vbi Pontifex causis decidendis suum tribunal constituit. Clement. *De Romani de Electione.*

Hinc oritur grauis difficultas; An impediens pergentem 11
Romanam curiam, deferentémque victualia in proprium vsum, vel in vsum particularis personæ in eadem curia commorantis incidat in hanc censuram? Ratio ea est; quia verè impeditur deferens victualia ad Romanam curiam,tametsi in vsum particularis personæ deferantur,cõstitutio autem sæpiùs requirit impedimentum præstare deferenti victualia ad Romanam curiam,id est ad locum Romanæ curiæ, non verò vt Romanæ curiæ quatenus talis est deseruiant, cùm hoc raro contingat,& fere sit impossibile. Satis enim est quod aliquibus ex Romana curia deseruire victualia possint, vt censeantur curæ Romanæ deseruire.

In hac difficultate distinctione vtitur Bonacina *disputat.* 1. 12
*de censur. quæst.*9.*pun.*2.*num.*10.*&* 12. Censet namque te censuram incurrere, si spolies victualibus eum, qui in vsum alicuius curialis ea deferebat. Secùs verò si ea deferebat in proprium vsum, vel in vsum alterius personæ, quæ curialis non sit. Priorem partem probat; quia ex eo quòd ea victualia alicui curiali deseruiant, censenda sunt curiæ Romanæ deseruire, cùm curia Romana ex hominibus ad tribunal Pontificis pertinentibus coalescat. Secunda pars probatur; quia si persona cui victualia deferuntur non est ex curialibus, ea victualia dici non possunt deferri ad vsum Romanæ curiæ. Si autem deferantur in proprium vsum, non censentur in vsum Romanæ curiæ deferri, etiamsi deferens curialis sit; quia constitutio distinctionem facit inter deferentem victualia, & eum in cuius vsum deferuntur, vt constat ex illis verbis: *Qui victualia, seu alia ad vsum Romanæ curiæ adducunt.*

Nihilominus probabilius censeo te impedientem victualia 13
in vsum determinatæ personæ, tametsi curialis sit non ligari hac censura. Vti docere videtur Viuald. *in exposit. bullæ Cœnæ. numero* 74. Sayrus *lib.*3.*thesauri, capite* 12.*numero* 4. *in fine.* Duardus *lib.*2. *can.*8. *quæst.*10.*numero* 6. *&* 18. Reginald. *lib.*9. *praxi. cap.*19. *num.* 307. Quia absolutè dici non potes impedire deferentem victualia ad vsum Romanæ curiæ, cùm curialis ille nec sit, nec curiam principaliter constituat,& verba legis maximè pœnalis strictè accipienda sunt. Quapropter necessariò requiritur, vt deferens victualia non determinet personas in quarum vsum deseruire debeant,sed absolutè deferat in locum Romanæ curiæ, vt in vsum illorum, qui curiam constituunt deseruiant, non quidem vt omnibus collectiuè deseruiant: id enim raro posset contingere,sed vt omnibus diuisiuè his, vel illis. Præterea hi ex eo quòd in vsum alicuius curialis victualia deferantur, censentur in vsum curiæ Romanæ deferri; cùm deferens curialis est, & in vsum proprium ea victualia defert, censenda sunt deferri in vsum curiæ Romanæ, Non enim deferens deteriotis conditionis esse debet quodlibet alio curiali. Igitur si impediens deferentem victualia in proprium vsum hac censurâ non comprehenditur,neque etiam comprehendi debet deferens in vsum alterius curialis determinati.

Aduertendum est non ob quorumlibet victualium impedi- 14
tionem hanc censuram contrahi, sed oportere grauem esse quantitatem. Quæ autem hæc sit arbitrio prudentis decidendum est,tum spectato fine præcepti,qui est ne curiæ Romanæ desint quæ ad eius vsum sunt necessaria,tum spectata qualitate rerum quæ deferuntur. Vti notauit Filliucius *tract.*16.*c.*3.*q.* 3.*n.*160. Bonac.*disp.*1.*q.*9.*pun.*3.*n.*4.

Denique hæc excommunicatio solùm ad impedientes,& 15
eorum defensores extenditur; non autem ad consulentes, mandantes,vel approbantes impeditionem; quia esto ij moraliter impediant,non tamen physicè,& propriè,vti per legem requisitum est. Sic tradit Duardus *in exposit. huius can.* 8. *lib.*2. *q.*3.*&* 9.*&q.*10.*num.*21. Bonac.*disp.*1.*q.*9.*pun.*2.*num.*21. aduersus Hugolinum *in exposit. huius censuræ cap.*8.*n.*2.

Post

PVNCTVM. X.

Explicatur excommunicatio nona, lata aduersus eos qui offendunt accedentes vel recedentes à Romana Sede, vel in curia commorantes.

1 *Refertur Textus.*
2 *Finis huius excommunicationis est defensio authoritatis Sedis Apostolicæ.*
3 *Qui in hanc excommunicationem incidant?*
4 *Offendens accedentem ad Pontificem causâ alicuius temporalis negotij expediendi, huic excommunicationi subijcitur.*
5 *Aliqui censent requiri offensionem procedere ex animo impediendi accessum Sedis Apostolicæ.*
6 *Verius oppositum videtur.*
7 *Quæ sit differentia inter offendentes eos, qui à Sede Apostolica recedunt, vel accedunt: & eos qui in curia commorantur.*
8 *Satis est ad hanc censuram vnius interfectio, mutilatio, vel spoliatio.*
9 *Offendens filios, vxores, seruos, & familiares accedentis ad Sedem Apostolicam huic excommunicationi subijcitur, si illis indiget ad negotia peragenda.*
10 *Hæc censura extenditur ad mandantes.*
11 *Vexantes infideles ad Sedem Apostolicam accedentes subijciuntur huic excommunicationi.*

1 NOnò excommunicat, & anathematizat Pontifex omnes illos, qui ad Sedem Apostolicam venientes, vel recedentes ab eadem sua vel aliorum opera interficiunt, mutilant, spoliant, capiunt, detinent; necnon omnes illos qui iurisdictionem ordinariam, vel delegatam à nobis, vel nostris iudicibus non habentes illam sibi temerè vindicantes, similia contra morantes in eadem curia audent perpetrare.

2 Lata est hæc excommunicatio in defensionem authoritatis Sedis Apostolicæ, eiúsque curiæ; ad eam namque accedentes, & in ea commorantes protecti faciliùs, securiùs, & frequentiùs ad Sedem Apostolicam accedunt, ex quo eius authoritas crescit, cui fini obest qui eos offenderet; ac proinde vltra peccatum iniustitiæ sacrilegus est, vti notat Caietan. *verbo Excommunicatio capite* 14. Sayrus *lib.* 3. *thesauri, cap.* 13. *numero* 1. Bonac. *disputat.* 1. *de censur. quæst.* 9. *punct.* 1. *numero* 34.

3 Incidunt in prædictam excommunicationem. Primò interficientes, mutilantes, spoliantes, capientes, detinentes sua vel aliorum opera aliquem, qui ad Sedem Apostolicam venitet, vel ab ea recederet. Secundò qui authoritate vsurpata aliquam ex prædictis actionibus perpetraret aduersus aliquem in eadem curia commorantem. Vnde vt delinquens prædictâ censurâ afficiatur, debet offensus, quando offenditur ad Sedem Apostolicam accedere, vel ab ea recedere, ac in ea commorari. Dicetur autem accedere ad Sedem Apostolicam, si causâ alicuius negotij ad Sedem Apostolicam pertinentis deueniat: sicuti si deueniat causâ alicuius litis, cuius decisio à Pontifice, vel eius Officialibus facienda est. Item si deueniat causa soluendi Pontifici tributum, decimas, vel alicuius beneficij, priuilegij, gratiæ, aut dispensationis impetrandæ. Secùs verò si ob aliam causam illuc accedat, quia verba legis formaliter, & rigorosè accipienda sunt; ac proinde de accessu ad Sedem Apostolicam quatenus talis est intelligi debet. Vt rectè notauit Caietan. *verbo Excommunicatio, capit.* 14. Nauarr. *capite* 27. *numero* 65. Tolet. *lib.* 1. *cap.* 26. *dub.* 1. *numero* 3. Sayr. *lib.* 3. *thesauri, cap.* 13. *num.* 3. Suar. *disp.* 21. *sect.* 2. *num.* 66 Duard. *in explicat. bullæ can.* 9. *quæst.* 1. Hugolin *capit.* 9. Filliucius *tract.* 16. *cap.* 7. *q.* 6. *n.* 164. Bonac. *disp.* 1. *q.* 10. *pun.* 1. *num.* 3.

4 Sed an sufficiat offendere accedentem ad summum Pontificem causâ alicuius negotij temporalis expediendi, quod ad Pontificem pertinet non quà Pontifex est, sed quà dominus est temporalis; difficultate non caret; quia verba legis & maximè pœnalis strictè accipienda sunt. At nomine Sedis Apostolicæ non venit Pontifex, quatenus temporalem iurisdictionem obtinet, siquidem hac seclusâ Pontifex est, & Sedem Apostolicam habet, sed quatenus spirituali iurisdictione gaudet. Ergo qui ad Pontificem accederet, quatenus iurisdictionem temporalem habet non est censendus ad Sedem Apostolicam accedere, neque in hanc censuram incurrere: vti tradit Alterius *in præsenti disp.* 18. *cap.* 2. *dub.* 4. Sed contrarium rectius censuit Duardus *in præsenti quæst.* 1. *numero* 2. Filliucius *tract.* 15. *capit.* 6. *quæst.* 2. *numero* 139. & *tract.* 16. *capit.* 7. *quæst.* 6. *numero* 164. Bonac. *de censur. bullæ. disputat.* 1. *quæst.* 10. *punct.* 1. *numero* 2. Nam esto sub nomine Sedis Apostolicæ si strictè sumatur non intelligatur Pontifex quà dominus temporalis est, vt probat superior ratio. At si Sedes Apostolica pro curia Pontificis accipiatur Pontificem comprehendit non solùm quatenus Pontifex est, sed quatenus est temporalis dominus; quia secundùm vtramque iurisdictionem tribunal constituit. Sed in hac constitutione nomine Sedis Apostolicæ curia intelligitur, vt constat ex illo relatiuo *inferius* posito *in eadem curia* quo indicatur antea de curia sermonem esse, ac proinde sub nomine Sedis Apostolicæ curiam esse subintellectam.

5 Grauior tamen dubitatio est; An requiratur ad hanc censuram offensio accedentium ad Sedem Apostolicam, eo quòdi ad Sedem Apostolicam accedunt, seu ex animo impediend accessum Sedis Apostolicæ? Affirmant id esse necessarium Caiet. *verbo Excommunicatio cap.* 15. Gambarupta *in præsenti cap.* 9. *numero* 1. Duard. *canon.* 9. *numero* 2. & *canon.* 10. *quæst.* 10. *numero* 2. Nam cùm hæc censura in fauorem Sedis Apostolicæ principaliter lata sit, & secundariò in fauorem eorum qui ad ipsam sedem accedunt, non sunt censendi excommunicatione hac ligati, qui non ipsam sedem, sed ipsos accedentes principaliter offendunt. Sicuti quia excommunicatio aduersus hæreticorum receptatores principaliter lata est in hæresis detestationem non incurritur, nisi receptio sit hæretici quatenus talis est. Hinc fit, si accedentem ad Sedem Apostolicam interficias, spolies, vexes animo vindicandi iniuriam tibi factam, & non ex intentione impediendi accessum ad Sedem Apostolicam, hac excommunicatione non ligaris.

6 Cæterùm etsi hæc sententia probabilis sit, probabiliorem existimo, te in excommunicationem incurrere quacunque intentione accedentem ad Sedem Apostolicam vexes. Vti docuit Hugolin. *in præsenti capit.* 9. § 1. *num.* 3. *vers.* 8. Viualdus *hic num.* 81. alias 2. *in noua edit.* Alterius *disputat.* 1. *capit.* 1. *ad finem.* Reginald. *lib.* 9. *praxi cap.* 19. *num.* 309. Bonac. *tit.* 3. *de censur. bullæ disputat.* 1. *q.* 10. *punct.* 2. *num.* 13. Ratio est, quia esto hæc excommunicatio lata sit in fauorem Sedis Apostolicæ, attamen hic fauor mediâ protectione accedentium ad dictam Sedem obtinetur, ob quam causam primò per se, & directè eorum vexatio interdicitur. Neque restringitur ad vexationem sub hac vel illa intentione factam, cùm ex qualibet intentione contingat idem præiudicium Sedi Apostolicæ eueniat, Secùs verò est in receptantibus hæreticos ex alio fine ab hæresis fauore; quia secundariò excommunicantur, & ex ea receptione non per se sequitur hæresis promotio.

7 Est tamen notanda differentia inter offendentem eos, qui ad Sedem Apostolicam accedunt, vel ab ea recedunt, & eum qui offendit in curia commorantes. Nam offendens accedentes, siue recedentes, siue authoritate publica, siue priuata offendat, incidit in hanc excommunicationem. At offendens commorantes debet offendere vsurpans authoritatem ordinariam, vel delegatam Sedis Apostolicæ. Vti notauit Tolet. *libro* 1. *capite* 26. *numero* 4. Sayrus *libro* 3. *capite* 13. *num.* 4. Suar. *sect.* 2. *numero* 66. Bonac. *disp.* 1. *quæst.* 10. *part.* 1. *num.* 34.

8 Neque opus est ad hanc excommunicationem contrahendam, vt plures interficias, mutiles, vel spolies: Satis enim est vnius interfectio, mutilatio, spoliatio, vel detentio vt hac censurâ ligeris, quia grauissima materia est. Neque obest quòd Pontifex numero plurali fuerit vsus dicens. *Excommunicamus eos, qui ad sedem Apostolicam accedentes:* quia id factum est, eo quòd loquens de delinquentibus numero etiam plurali vsus fuerit, cùm tamen opus non sit ad incurrendam hanc censuram, vt plures simul interficiant, mutilent, sufficit enim, si vnus tantùm has actiones præstet. Vt aduertit Bonac. *titul.* 3. *de censur. disputat.* 1. *q.* 10. *punct.* 1. *numero* 13.

9 Solùm est dubium; An si offendas filios, vxorem, seruos, & familiares illius qui ad Sedem Apostolicam accedit in hanc censuram incurras? Breuiter respondeo, si accedens ad Romanam curiam illis indiget ad negotia peragenda, non est dubium in excommunicationem incidere eos offendentem. Vt docuit Bonac. *suprà pun.* 1. *numero* 22. quia eo casu censentur pergere ob negotiorum expeditionem in Romana curia. Neque obest, quòd proficiscantur ex intentione suo domino obsequendi. Nam cùm domini obsequio ad negotia peragenda necessarius sit eorum comitatus, intendentes obsequi domino intendunt negotia illius peragere. Quod procedit in his, qui esto ad negotia peragenda necessarij directè non sint, sunt tamen necessarij ad domini comitatum, vtpotè qui absque illis nequit decenter incedere, quia saltem indirectè ad negotia peragenda deseruiunt, ac proinde ad Sedem Apostolicam moraliter deueniunt. At si filij, serui, aliique familiares, & dominum comitantes necessarij non sint ad negotia peragenda directè, neque indirectè, sed dominus illos secum ducat vel ratione solatij, vel ne eo absente aliquod damnum patiantur, vel ob aliam causam ad ipsos pertinentem, verius censeo eos offendentem hac censura non comprehendi; quia non comprehenditur quatenus eos

offendit, cùm non offendat ad Sedem Apostolicam formaliter accedentes; neque etiam quatenus offendit dominum in eorum offensione; quia hæc offensio est solùm secundùm quid, & denominatiuè, neque ex illa dici propriè potest dominus interfectus, mutilatus, spoliatus, aut captus, quæ sunt actiones in prædicta Bulla expressæ, & sub censura prohibitæ.

10 Hæc censura extenditur ad mandantes, si eorum mandato offendatur accedens, vel commorans in Romana curia; quia Textus excommunicationem inducit aduersus eos qui suâ, vel aliorum operâ interficiunt, mutilant, spoliant, &c. Mandans verò mandatarij operâ vtitur, cùm mandatarius nomine mandantis operetur. Sicuti tradit Hugolinus *in præsenti*, §. 1. *num.* 1. *vers. item excommunicatio.* Duard. *lib.* 2. *can.* 9. *q.* 4. Suar. *disput.* 22. *sect.* 2. *num.* 66. Bonac. *disputat.* 1. *de censur. bulla. q* 10. *punct.* 2. *à num.* 2. Sed nullatenus extenditur ad consulentes, ratum habentes, seu non impedientes, vel alio modo auxilium præstantes, quia in omnes non dicuntur suâ operâ interficere, mutilare, spoliare, vt de se constat, cùm has actiones physicè non præstent. Neque etiam dici possunt opera executorum eas actiones præstare, cùm executores nomine consulentium, ratum habentium, non impedientium, seu alio modo auxiliantium non operentur. Vti benè aduertit. Suar. *disp.* 21. *de censur. sect.* 2. *num.* 66. Filliucius *tract.* 16. *cap.* 7. *quæst.* 5. *num.* 163. Alterius *disputat.* 10. *cap.* 3. *vers. sed videndus.* Duardus *lib.* 2. *canon.* 9. *q.* 8. & *q.* 8. *num.* 12. Bonac. *disp.* 1. *de censur q.* 10. *p.* 2. *à num.* 5.

11 Sed an extendatur hæc censura ad eos qui vexarent infideles ad Sedem Apostolicam accedentes? Dissentiunt Doctores. Nam Couarruu. 2. *variar. cap.* 20. *num.* 11. Farinac. *de carcerib. & carcer. quæst.* 28. *num.* 68. Duardus *lib.* 2. *de censur. bullæ can.* 9. *quæst.* 2. Petrus Gambarupta *de immunit. Eccles. ar. lib.* 4. *cap.* 7. & 8. negant. Tum quia ipsi infideles si Catholicos vexarent non inciderent in excommunicationem. Ergo neque Catholici ob eorum vexationem incidere debent. Tum quia non est æquum Ecclesiam suis legibus, & pœnis protegere, qui vel ipsam oppugnant, vel saltem recusant eius obedientiæ se submittere. Ob quam causam diximus Pyratas bona infidelium rapientes ab excommunicatione lata aduersus Pyratas excusari.

Nihilominus contrarium verius censuit Sylvest. *verbo Excommunicatio* 3. *n.* 2. Alfons. Viuald. *in præsenti casu* 9. *num.* 5. *in noua edit.* Hugolin. *hic verbo spoliant. num.* 4. Alterius *disp.* 10. *cap.* 2. *dub.* 3. Filliucius *tract.* 16. *cap.* 4. *num.* 20. Bonacina *disp.* 1. *de censur. bullæ. q.* 10. *pun.* 2. *num.* 12. Quippe hæc excommunicatio non tam est lata in fauorem venientium ad Sedem Apostolicam, quàm in ipsius Sedis Apostolicæ fauorem, & authoritatem, quæ sine dubio crescit quo plures illuc confluunt negotia expediturí. Ideóque mirum non est, si æquè fideles, ac infideles suis legibus, & pœnis protegat, cùm eorum protectio in ipsius Sedis fauorem cedat.

Punctum XI.

Expenditur excommunicatio decima aduersus offendentes Romipetas, & peregrinos accedentes ad Vrbem, vel in ea morantes, aut ab ea recedentes.

1 *Refertur Textus.*
2 *Finis huius excommunicationis quis dicatur?*
3 *Quæ sint personæ sub hac censura comprehensæ?*
4 *Quæ actiones prohibitæ?*
5 *Aduersus quas personas predictæ actiones præstari debeant, vt censuræ locus sit?*
6 *Dupliceм excommunicationem incurrit peregrinum interficiens, seu vulnerans, tametsi contrarium censeat* Bonacina.
7 *Peregrinatio debet esse ad Vrbem, siue in ea Pontifex existat, siue non.*
8 *Quiinchoato itinere ad Vrbem, & domum reuersus est occasione aliquid accipiendi protinere, protectione huius canonis gaudet.*
9 *Qualiter morantes in Vrbe hac excommunicatione protegantur?*
10 *Extenditur hæc excommunicatio ad dantes auxilium, consilium, vel fauorem.*

1 DEcimò excommunicat, & anathematizat Pontifex omnes interficientes, vulnerantes, mutilantes, detinentes, capientes, seu deprædantes Romipetas, seu peregrinos ad Vrbem causâ deuotionis, seu peregrinationis accedentes, & in ea morantes, vel ab ipsa recedentes, & in his dantes auxilium, consilium, vel fauorem. Ferè eadem excommunicatio habetur in *cap. Romipetas. & capilli.* 24. *q.* 1. & *aliis iuribus* 87. *dist.*

Finis ob quem hæc excommunicatio fertur est promotio cultus, & reuerentiæ sacrorum locorum Vrbis, qui cultus sine dubio promouetur, si illuc accedentes, commorantes, & recedentes hac excommunicatione protegantur, ne illis iniuria irrogetur. Vnde lædens prædictos præter iniustitiam sacrilegium committit. Vti docet ex communi sententia Caiet. *verbo Excommunicatio. cap.* 18. Sayrus *lib.* 3. *cap.* 14. *num.* 2. Filliucius *tract.* 16. *cap.* 4. *quæst.* 7. *num.* 119. Bonac. *disp.* 1. *de censur. bullæ, quæst.* 11. *p.* 1. *num.* 1. 2

Personæ verò in quas hæc excommunicatio fertur sunt omnes, & singuli fideles cuiuscunque conditionis, & dignitatis existant qui Romipetas, & peregrinos vexauerint. Dictio namque *omnes* neminem excludit. *Leg. Textoribus*, & *leg. Iuiginus. ff. de legat.* Excipe Regem, & Imperatorem, qui ex recepta consuetudine censentur excepti, dum non exprimuntur. 3

Actiones ob quas fertur sunt interfectio, mutilatio, vulneratio, detentio, captio, seu deprædatio Romipetarum, seu peregrinorum. Non enim ob quamlibet læsionem, neque ob quodlibet furtum, & iniustitiam hæc censura incurritur. Percutere namque potes, & ferire grauiter peregrinum, quin hanc censuram incurras; quia non omnis percussio est interfectio, mutilatio, seu vulneratio. Nam ad interfectionem necessarium est vitæ priuatio, ad mutilationem scissio alicuius membri principalis, id est habentis officium ab aliis partibus distinctum, vti oculus, pes, manus, &c. ad vulnerationem apertio alicuius partis corporis, ex qua sanguis copiosus effluat, iuxta *legem si seruus. §. inquit lex, ff. ad lege Aquil.* Ad captionem, seu detentionem personalis comprehensio, & detentio, vti tradit Glossa *in extrauag. vnica, verbo capere de Priuilegiis.* Et constat *ex capite ad Apostolicæ, de re iudicata. Cap. vt famæ, de sententia excommunicat.* & *capite cum Episcopus de officio ordin. libro* 6. Tandem ad deprædationem violentia bonorum ablatio necessaria est, clandestina enim surreptio deprædatio nuncupari non debet. argum. *leg. hostes ff. de Verborum significat.* & *leg. hostes ff. de captiuis & postliminio reuersis.* 4

Prædictæ actiones, vel aliqua illarum committi debet aduersus Romipetas, vel peregrinos Vrbis causâ deuotionis, seu peregrinationis. Censetur autem Romipeta qui alibi habitans Romam petit, esto Romæ domicilium habeat. Satis enim est alibi habere habitationem, vt Romipeta, & peregrinus communi modo loquendi censeri debeat, secùs verò si in Vrbe communiter habitaret. Vti tradit Caiet. *verbo Excommunicatio, capite* 13. Sayrus *lib.* 3. *capite* 14. *numero* 6. Filliucius *tract.* 16. *cap.* 5. *quæst.* 8. *numero* 120. Duard. *in expos. bullæ. lib.* 2. *can.* 10. *quæst.* 4. Alterius *disp.* 31. *cap.* 2. *post initium.* Bonac. *t.* 3. *de censur. disp.* 1. *q.* 11. *part.* 3. *num.* 2. Accedit autem causâ deuotionis, si ob aliquem actum virtutis exercendum accedat, quam intentionem si signis externis manifestet habitu, vestitu, modóque procedendi peregrinationis causâ pergere iudicabitur, vt notat Cajetan. Sayrus, & Filliucius *supra.* Bonacina *numero* 10. Neque huic intentioni, & peregrinationi obest, quòd peregrinatio suscipiatur ob alia negotia tractanda minus, vel æquè principaliter; quia ea intentio non impedit, quin causâ deuotionis principaliter peregrinatio fiat, cùm actio duplicem finem æquè præcipuum habere possit. Secùs esset si deuotio solùm accessoriè, & indirectè susciperetur, & primario negotiorum expeditio, quia eo casu dici nequit peregrinus causâ deuotionis ad Vrbem accedere; cùm actio ex fine præcipuè intento denominationem accipiat, argum. *cap. cum voluntate, de sententia excommunicat. & leg. qui iniuria, in princ. ff. de Furtis.* 5

Hinc dubitant Doctores, An duplicem excommunicationem incurras prædictum peregrinum interficiens, seu vulnerans, alteram impositam ob vexationem illorum, qui ad Romanam curiam accedunt, alteram ob vexationem illorum qui causâ deuotionis ad Vrbem peregrinantur? Negat Bonac. *t.* 3. *de censur. in particul. disp.* 1. *q.* 11. *pun.* 3. *n.* 16. eâ motus ratione; quia prohibitum vtroque canone idem est, & sub eodem fine securitatis, ob quam Pontifex consulere, & prospicere intendit accedentibus ad Romanam curiam causâ negotiorum, & deuotionis, ob idque in vtroque casu sacrilegium committunt vexantes eos, qui ad Romanam curiam causâ deuotionis, & negotiorum accedunt. Sed rectiùs Viuald. *in expos. bullæ cœnæ, numero* 8. & Duard. *libro* 2. *can.* 10. *quæst.* 9. *numero* 1. & 2. contrarium censent, qui a esto in vtroque casu idem sit prohibitum quoad materiale obiectum, quoad formale tamen diuersum est. Quippe vexatio accedentium ad Romanam curiam causa negotiorum prohibetur, vt Romana curia, & Pontificium tribunal tum authoritate, tum negotiorum copiâ abundet, pluribus illuc causâ negotiorum concurrentibus. At vexatio peregrinorum causâ deuotionis prohibetur in augumentum cultus, honoris, & reuerentiæ sacrorum locorum Vrbis. Qui fines sunt omnino distincti, & consequenter distinctum sacrilegium cõstituunt. Dicò namque vulneratio peregrini, si Clericus sit, duplex sacrilegium, duplicémque excommunicationem inducit, alteram huius Canonis aduersus vulnerantes peregrinos 6

grinos, alteram Canonis *si quis suadente Diabolo.* 14. q. 5. aduersus eos qui Clericos percutiunt, quia fines ob quos vulneratio prohibetur distincti sunt, nempe honor Clericalis Ordinis, & honor sacrorum locorum. Et idem est de vulneratione facta alicuius Clerici in Ecclesia, quæ duplex sacrilegium constituit, alterum aduersus Ordinem Clericalem, alterum aduersus Ecclesiam, & honorem ipsi debitum.

7 Rursus peregrinàtio debet esse ad vrbem, id est ad Romanam ciuitatem, siue in ea Pontifex, siue eius curia existat, siue non: quia hæc excommunicatio non in honorem Pontificis, eiúsve curiam, sed in cultum sacrorum locorum Vrbis fertur. Quinimò iuxta satis probabilem sententiam, docet Bonacina *disputat. 1. q. 11. punct. 3. num. 7.* offendens peregrinum qui ad Ecclesias suburbias tantùm peregrinaretur, vti est Ecclesia S. Laurentij. S. Sebastiani hac censurâ non comprehenderetur; quia non vexat peregrinum ad Vrbem accedentem. Nomine enim Vrbis maximè in lege pœnali loca extra mœnia comprehendi non debent. *cap. Rodulphus, de Rescriptis. & ibi* Panormit. *num. 4.* Felin. *n. 11.* Neque obest quòd interdictâ Ciuitate suburbia, & loca contigua interdicuntur, quia id est à iure dispositum. *Cap. si ciuitas de sententia excommunicat. in 6.* ne lex interdicti frustranea redderetur. At in præsenti non est iure dispositum suburbia nomine Vrbis comprehendi. Neque ex eo quòd non comprehendantur, redditur lex prohibens vulnerationem illorum qui ad Vrbem accedunt, inutilis.

8 Sed an qui inchoato itinere ad Vrbem domum reuertitur, vt aliquid faciat vel accipiat pertinens ad dictam peregrinationem gaudeat protectione huius canonois? Dissentiunt Doctores. Bonac. *disputat. 1. quæst. 11. punct. 3. num. 26.* negat, quia verba huius legis huic non videntur conuenire, cùm non accedat ad Vrbem, sed ad propriam domum, neque recedit ab Vrbe, cùm ad illam nondum peruenerit. Sed probabilius est oppositum, vt tradit Hugolin. *in præsenti capit. 10. §. 1.* Duardus *lib. 2. canon. 10. quæst. 12.* quia ille reditus ad domum est formalis accessus ad Vrbem, cùm sit pro re necessaria ad prædictum accessum. Neque censendum est ob prædictum reditum iter ad Romanam curiam moraliter discontinuatum. Si enim, vt ipsemet Bonac. *punct. 3. numero 24.* concedit, non interrumpitur accessus, vel recessus ab Vrbe ex eo quod ad amicum diuertat, vel aliam ob causam in itinere detineatur; eadem ratione non debet censeri interrupta peregrinatio ex reditu ad domum necessario, & quasi per transennam.

9 Non solùm accedentes ad Vrbem causâ deuotionis, & peregrinationis hæc excommunicatione proteguntur, sed etiam in Vrbe morantes, & ab ea recedentes, vti ex tenore excommunicationis constat. Debent autem morari in Vrbe tanquam aduenæ, & peregrini, aliàs hoc protectionis priuilegio non fruentur, si mutatâ voluntate peregrinationis incolæ, & habitatores Vrbis facti sint, quia desinunt esse Romipetæ, seu peregrini, tametsi opera peregrinorum exerceant. Vti tradit Caietan. *verbo Excommunicatio cap. 13* Duardus *in præsenti can. 10. q. 11.* Viuald. *casu 10. num. 10.* Alterius *lib. 5. disput. 11. capite 5. quæst. 3.* Banac. *titul. 3. de censur. disputat. 1. quæst. 11. punct. 3. numero 21. & 22.* Eadem ratione recedentes ab Vrbe vt prædictâ excommunicatione protegantur, debent recedere opere deuotionis præstito, ratione cuius peregrinationem susceperunt saltem quantum est ex se: nam ex prædicti operis executione censentur in reditu peregrini esse, qui nullatenus iudicandi forent, si sua culpa opera deuotionis, ob quæ peregrinationem susceperunt omitterent. Nam eo ipso peregrini deuotionis non essent. Vt benè notauit Hugolinus *in præsenti, verbo vel ab ipsa recedentes.* Duardus *canonic. 10. quæst. 13.* Alterius *disput. 11. cap. 5. q. 2.* Bonacina *disp. 1. q. 11. pun. 3. num. 24.*

10 Tandem hæc excommunicatio extenditur ad dantes auxilium, consilium, vel fauorem vexantibus Romipetas. Debet autem vexatio subsequi, vt auxilium, consilium, vel fauor excommunicationem inducat, siquidem ob vitandam vexationem prohibentur. Quare vexatione cessante cessat excommunicatio ob auxilium, consilium, vel fauorem inducta. Vti rectè tradit Hugolin. *in præsenti cap. 10. vers. in his dantes, numero 1. & 2.* Filliucius *tract. 16. cap. 5. quæst. 10. num. 126.* Alterius *disput. 11. cap. 5. sub finem.* Bonac. *disp. 1. q. 11. pun. 1. num. 15.* Tametsi contrarium sentiat Duard. *lib. 2. canone 10. quæst. 17. num. 2.*

Punctum XII.

Vndecima excommunicatio lata aduersus offendentes Cardinales, & alios Prælatos declaratur.

1 *Refertur Textus.*
2 *Hæc excommunicatio aliis in iuribus lata est.*
3 *Finis huius excommunicationis quis sit?*
4 *Actiones ob quas fertur expenduntur.*
5 *Declarantur personæ, quæ his actionibus offendi debent.*

VNdecimò excommunicat Pontifex omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, ac Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sedis Apostolicæ Legatos, vel Nuntios; aut eos à suis diœcesibus, territoriis, terris, seu dominiis eicientes; necnon ea mandantes, vel rata habentes, seu præstantes in eis consilium, auxilium, vel fauorem. 1

Hæc excommunicatio extensa est *in Extrauag. super gentes*, Ioann. *XXII. inter communes*, vt comprehendat non solùm eiicientes Legatos, & Nuntios à suis diœcesibus, sed impedientes eorum officium exercere, quæ tamen excommunicatio nec reseruata est, neque extenditur ad mandantes, & consulentes. At *in Clement. si quis suadente, de Pœnis*, & *cap. felicis, eodem tit. in 6.* fertur excommunicatio cum reseruatione non solùm aduersus eos, qui in Bulla continentur, sed etiam aduersus receptatores, & defensores eorum, qui prædictum delictum perpetrauerint, postquam iam delictum completum est. Hæc tamen receptio, & defensio debet esse delinquentium quà tales sunt, id est quia prædictum delictum commiserunt, quia verba legis pœnalis formaliter, & propriè sumenda sunt. Pius verò V. *in Bulla quæ incipit Infelicis sæculi, edita anno 1564. 14. kalend. Ianuarij*, prædictam excommunicationem, & pœnas contentas in *dicto capite felicis* extendit ad eos qui conspirationem in Cardinalem sciunt & non reuelant, modò antequam patrata sit aliâ viâ mitiore scilicet correctione fraternâ impedire non possint. Si verò conspiratio fuerit consummata, & delictum publicum sit, delinquénsque infamia laboret, eiúsque delictum probari facilè possit obligabitur sciens reuelare, secus si aliqua ex prædictis conditionibus deficiat. Addit verò Filliucius *tract. 14. cap. 6. quæst. 11. numero 97.* cui Bonacina *disp. 1. de censur. quæst. 12. pun. 3. in fine* consentit, hanc constitutionem vsu, & consuetudine receptam non esse ob præcepti difficultatem. 2

Finis ob quem hæc excommunicatio fertur est defensio dignitatis Cardinalitiæ, & Episcopalis, Legati, & Nuntij Apostolici; éaque de causa aduersus hanc constitutionem delinquens præter iniustitiam graue sacrilegium committit, vtpotè offendens Ecclesiam in suis membris principalibus. Vt benè notauit Caietan. *verbo Excommunicatio, capite 11. & 12.* Sayrus *libro 3. thesauri, capite 15. numero 2.* Bonacina *disp. 1. de censur. q. 12. punct. 1. numero 1.* Quinimò satis probabile est offendentem personas hoc canone comprehensas duplex sacrilegium committere, duplicísque excommunicatione innodari. Tum quia offendit Clericum. Tum quia offendit in dignitate constitutum. Etenim Textus *in cap. si quis suadente diabolo 17. q. 4.* prohibet sub excommunicatione omnem violentam manuum impositionem in Clericos quatenus tales sunt, id est ob reuerentiam Ordinis Clericalis. At Bulla non Clericalem Ordinem spectat, sed dignitatem Ecclesiasticam. 3

Actiones verò ob quas hæc excommunicatio statuitur, sunt interficere, mutilare, vulnerare, percutere, capere, carcerare, detinere, vel hostiliter insequi Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, ac Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sedis Apostolicæ Legatos, vel Nuntios, aut eos à suis diœcesibus, territoriis, terris, seu dominiis eiicere, necnon mandantes, vel rata habentes, seu præstantes in eis auxilium, consilium, vel fauorem. Quælibet enim ex his iniquis actionibus (vt sæpè *in superioribus* notaui) excommunicationem prædictam inducit. Plures ex se notæ sunt, & §. *præcedenti* explicatæ: *ibi* enim diximus quid requisitum sit ad interfectionem, mutilationem, & vulnerationem, captionem, carcerationem, detentionem. Solum superest explicare percussionem, insecutionem hostilem, & eiectionem. Percussio namque est læsio cum dolore, siue fiat virga, siue ligno, siue pugno. Argum. *leg. Cornelia ff. de iniuriis.* Insecutio verò hostilis est insecutio ad læsionem, seu captionem, quia ad huiusmodi finem hostes insequimur. Denique eiectio est expulsio dictorum Prælatorum à suis diœcesibus, territoriis, terris & dominiis. Quocirca si expelleres Prælatum ex vno loco diœcesis in alium, non videtis hanc censuram incurrisse, quia non eiicis ex diœcesi. Requiritur ergo, vt ex loco in quo Prælatus iurisdictionem spiritualem, vel temporalem habet eiicias in locum sibi non subiectum; aliàs non erit eiectio absoluta ex loco dominij, sed mutatio violenta. An verò sub hac censura comprehendaris si eiicias Prælatum ex loco originis, vel domicilij, tametsi ibi nullam iurisdictionem habeat; Affirmat Alterius *lib. 5. disputatio 12. capite 4. vers. seu dominij.* Bonac. *disputat. 1. de censur. quæst. 12. punct. 1. numero 17.* quia in communi hominum æstimatione terra originis vniuscuiusque sua dicitur, ceditque in gratiam dignitatis, ne ab hac terra Prælatus eiiciatur. Sed rectiùs contrarium Nauarr. *capit. 27. n. 67.* Hugolin. *in præsenti* 4

§.1.*num.*4. Duardus *quæst.*4. *num.*6. & *q.*9.*numero* 6. *& seqq.* quia hæc excommunicatio lata est in fauorem dignitatis Ecclesiasticæ; ac proinde eiectio debet esse à terris, quatenus sub dignitate Ecclesiastica continentur. Item locus originis etsi quoad natiuitatem sit locus cuiusque; at non est illi proprius, cùm in illum non habeat dominium, neque est magis suus, quàm omnium qui illo in loco nati sunt. Cùm igitur in pœnalibus legibus stricta, & rigorosa verborum acceptio sumenda sit, non debemus originis locum Prælatorum dicere proprium. Præterquam quòd verbum illud, *seu dominiis*, quod videtur appositum ad verba præcedentia explicanda apertè denotat eiectionem debere esse à loco, in quo Prælatus eius spirituale, vel temporale habet.

5 Personæ quæ his actionibus offendi debent. Primò sunt Cardinales S.Romanæ Ecclesiæ, qui sic dicuntur ex quo electi sunt à summo Pontifice, & electionem acceptarunt, tametsi capellum nondum obtinuerint. Vti tradit Sayrus *lib.*3.*cap.*15. *numero* 3. Filliucius *tract.*16 *cap.*9.*quæst.*5.*numero* 239. Duardus *lib.* 2. *canon.*11.*q.*6. *num.*1. Bona. *disputat.* 1. *q.*12. *punct.*2. *numero* 2. Secundò Patriarchæ, id est summi Patres inter Episcopos primum locum tenentes. Tertiò Archiepiscopi, id est Episcopi Metropolitani pluribus Episcopis præsidentes sic nuncupati post pallij receptionem. *cap. transmissa de Electione. Cap. Nisi specialis de authorit. & vsu pallij.* Quartò Episcopi vnius ciuitatis, vel diœcesis. Debent autem secundùm probabiliorem sententiam, quam defendit Caietan. *verbo Excommunicatio cap.*12. Sayrus *lib.*3. *cap.*15. *numero* 4. Nauarr. *cap.* 27.*num.*67. Hugolin. *in præsenti*, *verbo Patriarchæ*, *numero* 3. Filliucius *q.*5.*numero* 240. Suar. *disput.*21.*sect.*2.*numero* 69. Bonac. aliis relatis *disputat.*1.*q.*12.*pun.*2.*num.*7. aduersus Graffis 1.*p.decis.lib.*4.*cap.*18. *num.*101. esse consecrari, neque sufficit esse electos, & confirmatos; quia ante consecrationem non sunt Episcopi verè, & propriè, cùm non sint charactere Episcopali insigniti, tametsi Episcopali iurisdictione gaudeant. Et cùm versemur in materia odiosa, non debet nomen Episcopi vltra propriam, & strictam significationem extendi. Quintò Legati, seu Nuncij, qui à summo Pontifice causâ negotiorum ad Principes mittuntur, dum eorum legatio durat.

Aliæ personæ vltra suprædictas hac excommunicatione non proteguntur, ideóque illas offendentes in prædictam excommunicationem non incidunt. Quapropter offendens Clericum, vel Religiosum, esto incidat in excommunicationem latam in *canone si quis suadente diabolo.* At in huius canonis excommunicationem non incidit. Si verò sit Religiosus, vel Clericus offensus ex familia Cardinalis, Episcopi, seu Legati, etsi Armilla, *verbo Excommunicatio, num.*2. Sayrus *lib.*3.*cap.*15.*num.*3. existiment offendentem hac censurâ ligari, quia Cardinalem offendit. At rectius negat Marius Alterius *lib.*5. *disputat.*12. *cap.*3. *dub.*7. Duardus *lib.*2. *canon.*11. *quæst.* 10. *numero* 1. Bonac. *disputat.* 1. *de censur. quæst.* 12. *punct.*2.*numero* 11. quia ex illa offensione dehonestatur Cardinalis, vel Episcopus; attamen non vulneratur, nec percutitur, quod necessariò erat requisitum ad censuram huius canonis incurrendam. Non enim ob quamlibet offensionem hæc excommunicatio imponitur, sed ob offensionem interfectionis, mutilationis, percussionis, aliarúmque actionum, quæ eo canone exprimuntur.

Extenditur hæc excommunicatio ad mandantes, consulentes, & fauentes offensoribus. Debet Autem offensio cum effectu subsequi ex vi mandati, consilij, vel fauoris, aliàs non reputabuntur causa offensionis. Sicuti ex communi sententia tradit Viuald. *in præsenti, num.*89. aliàs 9. Hugolin. *verbo necnon & mandantes.* §.1. *n.*1. Sayrus *lib.*3. *cap.*15. *num.*9. Bonac. *disputat.*1.*de censur.quæst.*12.*pun.*3 *num.*8.*&* 9. Deinde extenditur ad ratam habentes offensionem. Ad quam ratihabitionem necessarium est, vt offensio nomine seu in gratiam illorum, qui eam ratam habent patrata sit. Nam offensionem quæ tui contemplatione facta non est, nequis propriè, & strictè ratam habere. Argum. *cap. ratum de Regul. iuris in* 6. *& cap. cum quis, de sententia excommunicat.* Ideóque ratihabitio mandato comparatur, quia mandato æquialet. Atque ita tradit Nauarr. *cap.*27.*num.* 67. Suar. *disp.*21.*sect.*2.*numero* 69. Bonac. alios referens *disputat.*1. *q.*12. *pun.*1.*num.*23. Quinimò vt aduertit Bonac. *loco citato* eo tempore quo offensio facta fuit, debet ratum habens habilis esse ad illam perpetrandam, vel mandandam, aliàs ratihabitatio mandato æquialere non poterit.

PVNCTVM XIII.

Duodecima excommunicatio aduersus offendentem recurrentes ad curiam Romanam pro suis negotiis, exponitur.

1 *Refertur Textus.*
2 *Finis huius excommunicationis quis sit?*
3 *Expenduntur actiones, ob quas excommunicatio fertur.*
4 *Declarantur personæ, in quas prædicta actiones, vel aliqua illarum præstanda sunt, qui sunt recurrentes ad Romanam curiam per se, vel per litteras.*
5 *Item prosequentes in eadem curia negotia.*
6 *Item eorum defensores.*
7 *Vt prædicta persona hac excommunicatione protegantur, debent recurrere ad curiam Romanam causa alicuius negotij in ea expediendi.*
8 *Extendit Pontifex excommunicationem Ad eos, qui auxilium, consilium vel fauorem in hac offensione præstant.*
9 *Debet offensio cum effectu subsequi.*
10 *Ob ratihabitionem offensionis non contrahitur hæc excommunicatio.*
11 *Neque item ex eo quòd prædicta delicta non impedias, cum facilè possis.*

DVodecimò excommunicat Pontifex omnes illos, qui per se, vel per alios personas Ecclesiasticas quascunque, vel sæculares ad Romanam curiam super eorum causis, & negotiis recurrentes, ac illa in eadem curia prosequentes, aut procurantes, negotiorúmque gestores, Aduocatos, Procuratores, & agentes, seu etiam anditores, vel Iudices super dictis causis, vel negotiis deputatos occasione causarum, vel negotiorum huiusmodi occidunt, seu quocunque modo percutiunt, bonis spoliant; seu qui per se, vel per alios directè vel indirectè delicta huiusmodi committere, exequi, vel procurare, aut eisdem auxilium, consilium, vel fauorem præstare non verentur cuiuscunque præeminentiæ, vel dignitatis fuerint. 1

Concidit ex parte hæc excommunicatio cum excommunicatione lata *in canone* 9. *huius bullæ.* Latior tamen est, & plures actiones comprehendit, vt *ex sequentibus* constabit. Quinimò *in Extrauag. diuina, De Priuilegiis* excommunicationi, suspensioni, & interdicto subiiciuntur Ordinarij, aliique Superiores quamlibet sententiam excommunicationis, suspensionis, priuationis officij, vel beneficij, & similium ferentes aduersus officiales in obsequiis Papæ, vel Sedis Apostolicæ existentes, vel contra venientes ad Sedem Apostolicam pro suis, vel eorum causis prosequendis, & contra in ea morantes, dum durat prosecutio causarum, & contra ab eadem Sede recedentes, omniáque sic facta irrita, & inania decernuntur. In Concilio autem Constantiensi *in cap. quod incipit sacrosancta synodus.* & in Concilio Basileen. *sess.* 1. *in capite sacrosancta generalis synodus* extenditur excommunicatio ad inuasores, seu spoliatores accedentium ad Concilium generale, vel ab eo recedentium, aliisque variis pœnis multantur. 5 6 7

Finis huius excommunicationis est, vt Romanæ curiæ negotia promoueantur; ideóque offendens recurrentem ad Romanam curiam causâ negotiorum ipsam Romanam curiam directè offendit; ac proinde vltra iniustitiam sacrilegium committit. Sicuti excommuni sententia tradit Caiet. *verbo Excommunicatio. cap.*15. Sayrus *lib.*3. *c.*16. *n.*2. Filliucius *tract.* 16. *c.*7. *q.*9. *num.*172. Alterius *disp.*13. *c.*1. Bonac. *disp.*1. *de censur. bulla. q.*13 *p.*1. *num.*1. 4

Actiones verò ob quas hæc excommunicatio fertur sunt occisio, percussio, & bonorum spoliatio, quæ satis *superiùs* explicatæ sunt. Solùm aduerte spoliationem esse violentam rapinam, & deprædationem, non clandestinam surreptionem, vt colligitur ex *cap. excommunicationi. de Raptoribus.* Hæc autem spoliatio quorumcunque bonorum sit siue mobilium, siue immobilium hanc excommunicationem inducit; quia Pontifex non restringit spoliationem, & hæc æquè de bonis mobilibus, ac immobilibus dicitur, sicuti tradit Hugolin. *in præsenti num.*1. Marius Alterius *lib.*5. *disputat.*13. *cap.*1. Duardus *lib.*2. *canon.*12. *qu.*7. *num.*1. Bona autem circa quæ spoliatio versari debet sunt fortunæ, non honoris, nec famæ, nec vitæ. Nam esto infamatio, & inhonoratio, spoliatio famæ, & honoris nuncupetur, frequenter tamen hoc nomen soli spoliationi bonorum fortunæ adaptatur, vt videre est in Ambrosio Calepino, *verbo spoliatio.* Et in materia pœnali verba extendenda non sunt ad inusitatos vsus. Sic docet Viuald *in præsenti, num.*91. aliàs *num.*4 Duardus *can.*12.*q.*5.*num.*53. Alterius *disp.*13.*cap.*1.*sub finem.* Bonac. *disp.*1.*de censur.quæst.*13.*pun.*1. *num.*5. 8

Præterea debet esse occisio, percussio, vel spoliatio occasione causarum, vel negotiorum, scilicet quia eas causas, vel negotia deferunt ad Romanam curiam, vel ea ibi prosequuntur, vel defendunt, vt constat ex verbis Textus ibi, *occasione causarum, vel negotiorum huiusmodi occidunt*, &c. Atque ita notant Hugolin. *in præsenti*, §.1. *vers.*4. Viuald. *num.*92. alias 3. Suar. *disp.*21.*sect.*2.*n.*73. Sayr. *cap.*16. *num.*4. Reginald. *lib.* 9. *c.*20.*n.*315. Bonac. *disp.*1.*q.*13. *punct.*1.*n.*7. Quare si ob vindictam, vel commodum proprium vel alias ob causas, quàm ob occasionem negotiorum occisio, mutilatio, spoliatióve recurrentium ad curiam contingat, hac excommunicatione non punitur, vti aduertunt prædicti Doctores 9

Personæ autem in quas prædictæ actiones, vel aliqua illarum præstandæ sunt, vt excommunicationem inferant, variæ sunt. 4

sunt. Primò enumerantur omnes recurrentes ad curiam Romanam causâ negotiorum. Sed an personaliter recurrere debeant, an sufficiat si per alios, vel per litteras recurrant? difficultate non caret. Nam verbum *recurro*, vt constat ex eius propriâ significatione, indicat iterum currere non literis, sed personali motu, & cursu. Neque obest quòd Textus dicat per se, vel per alios: nam hæ particulæ non aptantur offensis, sed offendentibus, vt consideranti perspicuum erit. Quapropter Hugolinus *in præsenti.* §. 1. *num.* 2. vers. *quintò in excommunicationem*, probabile censet recurrentem per litteras hac excommunicatione non protegi, benè tamen qui per se, vel per alios ad Romanam curiam recurrit. Nihilominus tenenda est communis sententia affirmans quemlibet recurrentem ad Sedem Apostolicam siue personaliter, siue medio Procuratore, siue per literas recurrat hac censurâ protegi. Quia esto retentâ proprietate verbi latini recursus indicet repetitiõ personalem cursum; at spectato Canonico stylo, & praxi recepta is ad Iudicem recurrit pro negotiis decidendis qui in eum Iudicem negotia decidenda transfert, tametsi ad ipsum personaliter non accedat. Argum. *cap. qualiter. de accusationib.* & *tum ex litteris de restitut. spoliator. Cap. licet ex suscepto. de foro competenti.* Sic Sayrus *lib.* 3. *cap.* 16. *num.* 5. Duardus, *Canon.* 12. *q.* 1. *lib.* 9. *praxi. cap.* 20. *num.* 316. Bonac. aliis relatis *t.* 7. *de censur. in partic. disp.* 1. *quæst.* 12. *punct.* 2. *num.* 2. Parum. *numero* 1. Alterius *disputat.* 13. *capit.* 3. *verbo per se.* Reginald. autem refert cuiusnam conditionis sit recurrens; nam esto hæreticus, & infidelis sit hac excommunicatione protegitur; quia hæc excommunicatio non tam in fauorem recurrentium, quàm in fauorem Romanæ cutiæ, & illius negotiorum promotionem lata est, qui finis ex protectione cuiuslibet recurrentis obtinetur, vt benè tradit Hugolin. *in præsenti* §. 1. *n.* 2. *versquinto.* Alterius *disput.* 13. *cap.* 3. *post princ.* Bonac. *part.* 2. *num.* 3.

5 Secundò continentur prosequentes in eadem curia Romana negotia incœpta.

6 Tertiò extenditur ad eorum defensores, vti sunt Procuratores, Aduocati, gestores, & quicunque alij siue mandato accepto, siue non procurent expeditionem negotiorum ad Romanam curiam recurrentium. Item Iudices, seu Auditores super dictis causis, vel negotiis deputati à Romana curia, tametsi extra curiam morentur. Quod intelligendum est, cùm adhuc negotium in Romana curia pendet. Secùs verò si causa decidenda integrè illis committatur, quia eo casu dici non possunt esse Iudices recurrentium ad Romanam curiam, cùm iam curiæ Romanæ recursus finitus sit.

7 Vt verò prædictæ personæ hac excommunicatione protegantur debent ad curiam Romanam recurrere causâ alicuius negotij expediendi, vel in ea negotium prosequendi. Quare si ob alios fines curiam Romanam pergant hac protectione non fruuntur, vt notant omnes prædicti Doctores, & constat ex verbis Textus, ibi; *Super eorum causis, & negotiis accurrentes, & iterum occasione causarum, vel negotiorum huiusmodi.* Quod adeò verum est, vt si negotiis finitis in curia commorentur, vel domum redeant sub hoc priuilegio non comprehenduntur; quia eo tempore non sunt accurrentes pro causis, & negotiis nec ea prosequentes, sed fuerunt accurrentes, & prosequentes. Hic verò Canon solùm accurrentibus, & prosequentibus negotia, & eorum defensoribus dum actu defendunt fauere intendit, vt bene aduersus alios tradit Bonac. *disp.* 1. *q.* 13. *pun.* 2. *n.* 4. &c.

8 Denique extendit Pontifex excommunicationem ad eos qui per se, vel per alios directè, vel indirectè delicta huiusmodi committere, exequi, vel procurare, aut in eisdem auxilium, consilium, vel fauorem præstare non verentur cuiuscunque præeminentiæ, vel dignitatis fuerint. Ex quibus manifestè constat non solùm concurrentes per se directè; sed etiam per alios indirectè ad prædicta delicta patranda in hanc excommunicationem incidere. Diceris autem directè per alios concurrere, si iubeas, consulas, auxilieris in his delictis. Indirectè verò si iubeas, consulas, auxilieris eam actionem, ex qua prædicta delicta sequuntur. Sicuti si sciens in aliqua via adesse latrones qui viatores deprædantur, consulas, & persuadeas recurrentem ad Romanam curiam, vt ea via transeat ea intentione, vt à latronibus deprædetur. Sicuti docet Hugolin. *in præsenti* §. 1. *num.* 1. *vers.* 3. Alterius *disp.* 13. *cap.* 2. Duardus *can.* 9. *num.* 4. Reginald. *lib.* 9. *praxi. cap.* 20 *n.* 318. Bonac. *disp.* 1. *de censur. q.* 13. *part.* 3. *n.* 6. vbi alia exempla refert.

9 Requiritur tamen, (vt sæpè dixi) vexationem cum effectu subsequi; aliàs consilium, seu fauor excommunicationem non inducent: quia cùm non prohibeantur per se, sed ratione vexationis, & ad illam vitandam, vexatione non subsecuta cessabit pœna consilio, auxilio, vel fauori imposita. Vti notarunt Hugolin. Alterius, & Bonac. *locis allegatis.* Insuper requiritur, vt malo animo, & scienter consilium, auxilium & fauor ad offensionem præstetur, vt manifestè indicant illa, verba textus, *præstare non vterentur*, quæ præsumptionem indicant. Quare debes esse conscius offensum ad Sedem Apost. recurrere, & in odium illius recursus præstare consilium, auxilium, vel fauorem offendenti, vt benè docuit Regin. *lib.* 9. *praxis, cap.* 20. *num.* 317. Duardus *in præsenti qu.* 9. *num.* 9. *ad finem.* Alterius *disp.* 13. *cap.* 2. *ad finem.* Bonac. *disp.* 1. *q.* 13. *p.* 3. *num.* 6.

Aliquibus, vt Alterio *disp.* 13. *cap.* 2. *vers. quæret aliquis,* placet te hac censura ligari, si ratas habeas prædictas actiones: eo quòd ratihabitio mandato comparatur, & ratum habens delictum videtur saltem indirectè delicto cooperari. Sed rectius contrarium docuit Hugolin. *in præsenti* §. 1. *num.* 1. *vers. item locum.* Duard. *can.* 11. *quæst.* 9. *num.* 3. Filliucius *tract.* 16. *cap.* 7. *quæst.* 12. *numer.* 181. Bonac. *tom.* 2. *de censur. disp.* 1. *q.* 13. *punct.* 3. *num.* 7. Etenim ratihabitio delictum factum subsequitur, igitur illius causa esse non potest. Neque obest quod mandato comparetur; quia id fictione iuris contingit, non tamen propriè; ideóque censura afficiens mandantem extendi non potest ad ratum habentem, nisi à iure facta fuerit extensio. 10

Grauior dubitatio est; An si prædicta delicta non impedias, cùm facilè possis in hanc censuram incidas? Affirmat Duardus *dicto can.* 11. *qu* 9. *num.* 7. Alterius *disp.* 13. *cap.* 2. *dub.* 3. Filliucius *tract.* 16. *cap.* 7. *num.* 182. casu quo sis persona publica, & ex praua intentione impediendi recursum ad curiam Romanam omittas impedire offensionem; quia peccas contra iustitiam, & censeris causa offensionis saltem indirecta. Nihilominus oppositum probabilius censeo cum Bonac. *disput.* 1. *q.* 13. *punct.* 3. *num.* 8. si solùm non impediendo offensionem concurras, quia non impediendo offensionem moraliter tantùm ad illam concurris, & contra officij publici obligationem. At Textus de concursu physico, & reali loquitur, non de morali nisi per mandatum, & consilium, vt constat ex illis verbis *per se, vel per alios directè, vel indirectè delicta huiusmodi committere, exequi, vel procurare non verentur.* Ergo ex vi illius negatiui concursus hac censura ligari nequis. 11

Punctum XIV.

Declaratur decimatertia excommunicatio aduersus appellantes à grauamine, & executione litterarum Apostolicarum ad potestatem laïcam, & aduersus impedientes accedentem ad curiam Romanam pro negotiorum, & gratiarum expeditione.

1 *Refertur Textus.*
2 *Finis huius excommunicationis quis dicatur?*
3 *Hæc materia hoc tempore maximè controuersa est.*
4 *Diuiditur in triplicem partem.*
5 *In prima parte excommunicantur qui friuolam appellationem prætexentes ad curiam sæcularem, laïcámque potestatem recurrunt.*
6 *Aliqui censent ob quamlibet appellationem hanc contrahi excommunicationem.*
7 *Alij censent solam appellationem friuolam hac excommunicatione puniri.*
8 *Resoluitur quæstio.*
9 *A quibus appellatio interponenda est?*
10 *Referuntur personæ, quæ in secunda huius canonis parte excommunicantur.*
11 *Actiones quæ in hac parte sub excommunicatione prohibentur fieri debent occasione impediendi executionem litterarum Apostolicarum.*
12 *Non excommunicantur qui litteras Apostolicas non exequuntur, cùm possint.*
13 *Si detineantur litteræ, quæ præsumuntur subreptitiæ eo tantùm fine, vt Pontifex informetur, non videtur esse locus huic excommunicationi.*
14 *Neque item, si Princeps velit examinare, an litteræ Legati Pontificij veræ sint.*
15 *Hæc excommunicatione non ligantur tentantes impedire executionem litterarum, si de facto executio impedita non est.*
16 *Expenduntur personæ quæ in tertia parte huius canonis excommunicantur.*

DEcimotertiò excommunicat, & anathematizat Pontifex omnes tam Ecclesiasticos, quàm Sæculares cuiuscunque dignitatis, qui prætexentes friuolam quamdam appellationem à grauamine, vel futura executione litterarum Apostolicarum etiam in forma Breuis tam gratiam, quàm iustitiam concernentium. Necnon citationum, inhibitionum, sequestrorum, monitoriorum, processuum, executorialium, & aliorum decretorum à nobis, & à sede Apostolica, seu Legatis, Nuntiis, Præsidentibus, Cameræ Apostolicæ Auditoribus, Commissario, aliisque Iudicibus, & Delegatis Apostolicis 1

emanatorum,& quæ pro tempore emanauerint; aut aliàs ad curias sæculares,& laicam potestatem recurrunt, & ab ea instante etiam fisci procuratore, vel aduocato appellationes huiusmodi admitti;ac litteras,citationes,inhibitiones,sequestra,monitoria,& alia prædicta capi, & retineri faciunt. Quive illa simpliciter sine eorum beneplacito, & consensu, vel examine executioni demandari,aut ne Tabelliones,& Notarij super huiusmodi litterarum,& processuum executione instrumenta, vel acta conficere, aut confecta parti cuius interest tradere debeant,impediant,vel prohibeant, ac etiam partes, seu eorum agentes,Notarios,& executores,subexecutores litterarum,citationum monitoriorum, & aliorum prædictorum capiunt,percutiunt,vulnerant,carcerant,detinent,ex ciuitatibus,locis, & regnis eiiciunt,bonis spoliant, perterrefaciunt, concutiunt, & comminantur per se vel alium, seu alios publicè,vel occultè. Quive aliàs quibuscunque personis in genere, vel in specie, ne pro quibusvis eorum negotiis prosequendis,seu gratiis, vel literis impetrandis ad Romanam curiam accedant,aut recursum habeant,seu gratias ipsas à dicta Sede impetrent,seu impetratis vtantur directè, vel indirectè prohibere,statuere,seu mandare,vel eas apud se,aut Notarios, seu Tabelliones, vel aliàs quomodolibet retinere præsumunt.

2 Constat hanc excommunicationem latam esse in defensionem authoritatis Sedis Apostolicæ, quæ sine dubio labefactatur actionibus in hoc canone prohibitis, ideóque eas præstans sacrilegus est, vtpote Sedis Apostolicæ authoritatem offendens. Sicuti ex communi tradit Caietan. *verbo Excommunicatio,cap.*29. Sayrus *lib.*3.*thesauri,cap.*17.*num.*1. Filliucius *tract.*16.*q.*4.*num.*192.Reginald. *praxi lib.*9.*cap.*21.*num.* 320. Bonacina *disp.*1.*de censur.bulla.q.*14.*p.*1.*n.*1. Et alij communiter.

3 Materia huius canonis hoc tempore maximè controuersa est,eo quod videamus in Hispania,& Gallia sæpè à grauamine,& executione litterarum Apostolicarum ad sæculares potestates appellari,& prætextu violentiæ impediendæ,Cõsiliarij Regis illarum executionem impediunt, qui omnes videntur sub hoc canone comprehendi, nisi fortè authoritas Doctorum maximè Couarruu. *lib.*1. *pract. qq. c.*33. *à numero* 1. affirmantium id licitum esse, eos excusat : quam doctrinam latè, & eruditè impugnat Ioan. Azor. *tom.*1. *institut. moral.lib.*9.*cap.*14. per plures quæstiones, maximè *q.*6. eámque examinauimus *tract.* 12. *de immunit. person. Ecclesiast. p.* 12. *in fine.*

4 Hic canon claritatis gratiâ in tres partes communiter à Doctoribus diuiditur. Prima est aduersus offendentes iurisdictionem Sedis Apostolicæ, qui prætextu alicuius friuolæ appellationis à grauamine, seu executione litterarum Apostolicarum ad curiam sæcularem,laicásque potestates recurrunt, & ab illa huiusmodi appellationes admitti procurant,litterásque capi, & retineri faciunt. Secunda est aduersus eos qui præfatarum litterarum executionem aliquo modo impediunt, vel prohibent. Tertia est contra eos qui accedentes ad curiam Romanam pro negotiis prosequendis, aut litteris, seu gratiis impetrandis prohibent directè, vel indirectè ne accedant, néve recurrant, & ne impetratis vtantur, quique prædictas litteras apud se,vel alios detinere præsumunt.

5 In prima parte huius canonis variæ personæ excommunicationi subiiciuntur. Primò namque excommunicantur qui friuolam appellationem prætexentes à grauamine, & executione litterarum Apostolicarum ad curiam sæcularem, laicámque potestatem recurrunt. Secundò qui procurant huiusmodi appellationem admitti. Tertiò qui faciunt litteras Apostolicas, monitoria, &c. retineri. Et meritò excommunicatione ligantur. Nam cùm appellatio semper sit à minori ad maiorem prouocatio, *Cap. omnis oppressus. Cap.si quis. Cap. placuit.*2.*quæst.*6. grauem iniuriam Sedi Apostolicæ infert qui ab eius littteris ad sæcularem potestatem appellat, siquidem ea appellatione protestatur sæcularem potestatem Sedi

6 Apostolicæ superiorem esse, quod est absurdum.

Sed an ob quamlibet appellationem hæc excommunicatio contrahatur? Non ita certum est. Nam Textus dicit prætexentes friuolam appellationem. Ergo seclusâ appellatione friuolâ, & positâ iustâ hæc excommunicatio non contrahitur, Bonac. aliis relatis *disp.*1.*q.*14.*punct.*1.*num.*2. censet ob quamlibet appellationem incurri, câ motus ratione, quia quælibet appellatio quantumuis procedat ad manifestam iniuriam, & grauamen Iudicis Apostolici propulsandum est vana inanis & nullius momenti, vtpotè facta ad Iudicem non superiorem, sed potiùs inferiorem, & in detrmentum libertatis Ecclesiasticæ, cuius immunitas cuilibet bono priuato præferenda est. Item est facta sine legitima causa, cùm nulla adesse possit, quæ iurisdictionem Iudici sæculari concedat aduersus Iudicem Ecclesiasticum. Neque obest quod sic appellans alia via quàm inuocatione sæcularis auxilij non possit iniuriam sibi factam propulsare : quia adhuc tenetur eam sustinere, ne libertas Ecclesiastica detrimentum patiatur, & aperiatur via iurisdictionem Ecclesiasticam labefactandi.

Econtrà Sayrus *lib.*3.*thesauri casuum conscient. cap.*17. *numero* 3. probabile reputat solam eam appellationem excommunicatione innodari, quæ friuola est ex parte appellantis, & ex defectu sufficientis causæ. Cùm autè appellatio quæ ad propulsandam iniuriã certò cognitam, & quæ aliâ viâ repelli non potest, dici nequeat appellatio friuola, hanc excommunicationem hæc appellatio inducere non potest. Etenim si quælibet appellatio ad sæcularem potestatem hanc inferret excommunicationem;vt quid Pontifex vsus est verbo *prætexentes*, & verbo *friuolam*; faciliùs namque suam intentionem explicaret affirmans hac excommunicatione innodari qui appellatione interpositâ à grauamine, & executione litterarum Apostolicarum ad curiam sæcularem, & laicam potestatem recurreret; absque eo quòd aliis verbis restrictuis vsus fuisset. 7

Cæterùm ego existimo plerunque recurrentes ad curiam sæcularem, laicámque potestatem pro impediendo grauamine, & executione litterarum Apostolicarum hac excommunicatione ligari; quia appellationem friuolam prætexunt.Quippè sic recurrentes appellationem interponunt non quidem ad curiam sæcularem, sed ad Pontificem, eiúsque Legatum, vt ex praxi constat; at quia non habent animum hanc appellationem prosequendi, sed solùm verbo tenus proponuntiea de causa appellationem prætexere, id est fingere dicuntur,friuolam namque,& inanem : cùm re vera recursum ad curiam sæcularem tantùm intendant. Quod satis insinuauit Pontifex puniens recursum ad curiam sæcularem prætextu friuolæ appellationis, omittens appellationem ad curiam sæcularem esse factam, quasi supponens ad curiam sæcularem non appellationem, sed recursum fieri. Præterquam quòd aduerbium illud *alias* indicat etsi alio modo quàm per appellationem ad curiam sæcularem recurratur, hac excommunicatione comprehendi. Vti notauit Bonac. *disp.*1.*q.*14 *p.*1.*num.*24. 8

Notanter dixi *plerunque* hac excommunicatione innodari recurentes ad curiã sæcularem, interpositã friuolã appellatione,quia plerunque recurrunt non pro manifesto, sed dubio,& præsumpto grauamine impediendo. At si in casu manifestæ iniuriæ, & grauaminis recursus contingeret non videtur improbabile sic recurrentem, & auxilium potestatis sæcularis implorantem ab excommunicatione immunem esse; quia non est verisimile velle Pontificem, & Ecclesiam iniuriantem suis armis protegere, & se defendentem punire. Quod si dicas hanc defensionem illicitam esse, vtpotè in præiudicium libertatis Ecclesiasticæ; cuius immunitas vtpotè commune bonum cuilibet priuato præferendum est:obstat:quia Ecclesia nemini concedit iurisdictionem ad iniuriam, grauamenque iniustum inferendum,cùm non sit potestas in destructionem, sed in ædificationem. Ergo potestas sæcularis iniustitiam impediens iurisdictioni Ecclesiasticæ non contradicit, neque eius immunitatem lædit. Quod à fortiori procedit, cùm appellatio facta est ad Sedem Apostolicam vel eius Legatum, & iudex executor eam admittere renuit, & nulla via suppetit impediendi grauamen, nisi recurrendo ad sæcularem curiam, vt cogat appellationem iustè factam admitti. Tunc enim non recurritur ad curiam sæcularem pro appellatione friuola admittenda, quod in Bulla prohibetur, sed pro impedienda violentia,& iniuria denegatæ appellationis. Præterea litteræ Apostolicæ obtentæ ex falsa causa, & contra ordinem iuris surreptitiæ sunt,& contra Pontificis voluntatem, qui nullatenus vult vt executioni mandentur. Ergo sæcularis potestas earum executionem impediens voluntati Pontificis conformatur,témque iustam præstat. Non igitur ob hanc actionem excommunicatio imponenda est. Deinde confugiens ad Iudicem sæcularem tanquam priuatam personam, vt damnum iniustè, ex litteris Apostolicis inferendum impediat hac excommunicatione non ligatur,teste Bonac. *disp.*1. *quæst.*14. *part.*1. *num.*7. *&* 24. Tum quia rem præstat iustam. Tum quia Pontifex excommunicat recurrentes ad curiam sæcularem, laicámque potestatem; qui autem ad Iudicem vt priuatam personam recurrit,non ad potestatem laicam formaliter recurrit. Ergo neque ligari debet qui ad potestatem laicam in eo casu recurrit; nam defensio innocentis quæ priuatæ personæ conceditur,à fortiori publicæ concedenda est. 9

Appellatio interponenda est à grauamine tum litterarum Apostolicarum etiam in forma breuis gratiam vel iustitiam continentium, tum citationum, seu vocationum per Nuntium, Epistolam, vocem præconis, vel edictum, iuxta *leg.*1. *ff. de in ius vocando*, tum inhibitionum, seu prohibitionum, ne aliquid fiat, ne incœptum prosequatur, tum sequestrorum quibus res mandatur apud aliquem deponi. Tum monitorialium, quibus quis monetur, seu citatur absque causæ cognitione, apposita clausula. *Si senserit se grauatum :* tum processuum, quibus acta iudicij publico Notario conscripta continentur, tum executorialium, quibus executio committitur,

titur, tùm aliorum decretorum quocunque nomine nuncupentur à summo Pontifice, eiúsque iudicibus expeditorum, scilicet Legatis, Nuntiis, Præsidentibus Palatij, & Cameræ Apostolicæ Auditoribus, Commissariis, aliisque iudicibus, & delegatis Apostolicis. Sed an sub nomine decretorum supplicationes summo Pontifici factæ, & ab eo, vel eius Vicecancellario signatæ contineantur? Variant Doctores. Negat Reginald. *lib. 9. cap. 21. num. 33.* quia nomine decretorum intelligi debent quæ ab ipso Pontifice, eiúsque Iudicibus promanant: at supplicationes non à Pontifice, sed à supplicantibus promanarunt, tametsi eatum signatio à Pontifice facta fuerit. At Filliucius *tract. 16. cap. 8. q. 4. n. 198.* contrarium verius censet, quam opinionem probabilissimam reputat Bonac. *disp. 1. de cens. q. 14. pun. 1. n. 17.* Nam eo ipso, quo Pontifex supplicationibus annuit, eásque signat, verum est dicere à Pontifice decretas esse.

10 In secunda parte huius canonis excommunicantur primò impedientes, seu prohibentes executionem prædictarum litterarum, siue impediant, & prohibeant absolutè, siue absque eorum consensu. Secundò impedientes, & prohibentes, ne Tabelliones, & Notarij super huiusmodi litterarum, & processuum executione instrumenta, vel acta conficiant, aut confecta parti cuius interest tradant. Tertiò omnes illos qui capiunt, percutiunt, vulnerant, carcerant, detinent, eiiciunt è ciuitatibus, locis, & regnis, spoliant bonis, perterrefaciunt, concutiunt, & comminantur per se vel alium, seu alios publicè, vel occultè habentes, seu impetrantes litteras prædictas, eorum agentes, consanguineos, affines, famil ares. Notarios, executores, subexecutores literarum, citationum, monitoriorum, & aliorum prædictorum.

11 Omnes actiones quæ in hac parte sub excommunicatione prohibentur fieri debent, occasione impediendi executionem litterarum Apostolicarum, cùm finis constitutionis sit, ne his litteris impedimentum præstetur. Vti notauit Toler. *in præsenti excommunicat. 9. numero 4.* Reginald. *lib. 9. praxi cap. 21. num. 320.* Bonac. *disput. 1. q. 14. punct. 1. num. 8.* Nec refert, an authoritate publicâ, vel priuatâ actiones fiant, quia in hac parte Pontifex absolutè loquitur, nec restringit ad magistratus, aliásque personas publicas. Idque indicat verbum illud *publicè, vel occultè*: quæ enim à magistratu quatenus talis est fiunt, publica sunt. Ergo si occultè prædictæ actiones fieri possunt, signum est authoritate priuatâ fieri posse. Atque ita docuit Nauarr. *cap. 27. num. 68.* Viualdus *in præsenti num. 9.* 5. aliàs 7. Duardus *can. 13. quæst. 9 numer. 5.* Reginald. *lib. 9. cap. 21. numero 328.* Bonac. *disput. 1. de censur. q. 14. p. 2. num. 9.* Tametsi Sayrus *cap. 17. num. 6.* Graffis *lib. 4. cap. 18. num. 107.* & Filliucius *tract. 6. cap. 8. quæst. 7. numero 202.* non improbabiliter censeant solos magistratus, & iudices hac censura ligari. Et moueri possunt. Tum quia Textus loquens de his impedientibus, mentionem facit tantùm illorum, qui impedire, vel prohibere possunt simpliciter, vel siue eorum beneplacito, vel examine executionem litterarum: at hæc prohibitio absoluta, vel cum examine solis personis publicis competit. Item Textus vtitur illo pronomine relatiuo, *Quive illa simpliciter, &c.* cuius proprium est referri ad præcedentia; at *in præcedentibus* solùm est Pontifex locutus de curia sæculari, laicáque potestate, ad quam friuolam præterentes appellationem recurrunt. Ergo hi tantùm in hac secunda parte comprehendúntur.

Neque item refert, an publicè, vel occultè fiant, an per se, vel per alios, quomodocunque enim præstentur hanc inducunt censuram: ille autem per alios operari dicitur cuius mandato præstatur actio, vt tradit Bonac. *disp. 1. q. 14. p. 2. n. 11.* Consulens verò impedimenti litterarum, vel illam ratam habens nequaquam hac censurâ comprehenduntur, quia horum nomine effectus non fit. Sicuti aduertit Bonac. *dicto pun. 2. num. 12. & 13.*

12 Notandum tamen est aliud esse impedire, vel prohibere litterarum executionem, aliud executionem non exequi, excommunicatio lata est aduersus impedientes, vel prohibentes executionem, non verò aduersus non exequentes. Quare Prælatus, cui litteræ exequendæ diriguntur, & Notarius, vel executor qui instrumenta conficere, vel confecta debet parti tradere, si ea præstare renuant in hanc excommunicationem non incidunt, quia ii propriè non impediunt, vel prohibent: impedimentum namque, & prohibitio, si propriè sumantur actiones positiuas denotant executionis impeditiuas. Qui verò renuit executionem præstare, seu ad eam cooperari, actionem positiuam non præstat, sed negat actionem debitam, ac proinde non est positiua causa quòd litteræ non mandentur executioni, sed negatiua, & consequenter hac censura non punitur. Sic tradit Nauarr. *cons. 36. de sentent. excommunicat.* Reginald. *lib. 9. cap. 21. numero 324. & seqq.* Duard. *lib. 2. can. 13. quæstio 9. numero 10.* Alterius *disput. 14. capite 2. dub. 3.* Bonacina *de censur. in partic. disp. 1. quæst. 14. pun. 2. numero 3. & 18.*

13 Supereſt tamen triplex difficultas. Prima: an censeatur contra hunc canonem procedere magistratus, qui probabiliter credens litteras surreptitias esse eas detinet, illarúmque executionem impedit, quousque summus Pontifex informetur? Et quidem si eas detineret, vt ipse iudicium ferret, an validæ sint, sine dubio credo censura huius canonis comprehendi; quia nemini alteri quàm à Pontifice deputatis datum est litteras Apostolicas examinare, & de earum valore iudicare. Et idem est si detineat, quousque Princeps conscius fiat, & consensum executioni præstet, cùm executio litterarum Apostolicarum ex consensu Principis sæcularis nullatenus pendeat. At si litteræ detineantur præcisè, vt veritas illarum à Pontifice inuestigetur, probabile videtur esse sic detinentem non aduersari huic canoni. Tum quia credendum est Pontificem loqui de litteris validis, non autem de inualidis, & quarum executionem iure ipso prohibet. Tum quia sic detinens non impedit absolutè, vel absque eius consensu, seu beneplacito litterarum executionem, vti requiritur in dicto canone. Sed impedit quousque beneplacitum certum Sedis Apostolicæ accedat, ad cuius expectationem ius habere videtur ob præsumptam litterarum surreptionem. Sic colligitur ex Toleto *in præsenti excommunicat. 9.* Sayr. *lib. 3. cap. 17. num. 5.* Reginald. *lib. 9. cap. 1. num. 321.* Graffis *lib. 4. cap. 18. num. 108* Bonac. *disp. 1. q. 14. punct. 2. num. 20. & 21.*

14 Secunda difficultas est; An incidat Princeps in excommunicationem huius canonis, eo quòd litteras Apostolicas, quibus Nuncius, seu Legatus ad eum mittitur examinare velit, an veræ sint, an surreptitiæ? Certum est non esse obligatum Principem admittere legatum, quousque ipse Legatus litteras patentes suæ legationis, & de quarum veritate dubitari non possit exhibeat, & manifestet; aliàs facilè posset quis se Legatum fingere, si eius dicto tantùm fides adhibenda esset, grauiáque inconuenientia inde orirentur. Vt benè Mascard. *de probationib. conclus. 491.* Excipe tamen nisi Cardinalis esset: huic enim asserenti viuæ vocis oraculo Legatum esse constitutum, vel litteras legationis amississe credendum est, teste Gambaro *lib. 1. de officio legati. cap. 3.* Alterio *lib. 5. disp. 12. c. 3. dub. 5.* Exhibitis verò litteris, & nulla falsitatis suspicione probabili subortâ iniquè Princeps earum veritatem examini subiiciet, cùm ipsi datum non sit. Quod si ob huiusmodi examen earum executio detineretur, hac excommunicatione ligabitur; quia verè litterarum Apostolicarum executionem impedit. Secùs verò si ex prædicto examine nullam moram executio passa est, quia Textus solùm prohibentes, & impedientes executionem, non verò litterarum examinatores excommunicationi subiicit. Sicuti aduertit Bonac. *disp. 1. q. 14. p. 2. num. 24.*

15 Tertia difficultas: An impedientes, seu prohibentes executionem litterarum hac excommunicatione innodentur, si de facto executio impedita non est; Affirmat Bonac. *dicta disp. 1. q. 14. p. 2. num. 27.* quia textus expresè excommunicat impedientes, & prohibentes, ergo ex eo quòd aliquis prohibeat, tametsi cum effectu non impediat, huic canoni aduersatur. Sed oppositum mihi placet, quia finis huius constitutionis est, ne litterarum Apostolicarum executio detineatur. Ergo prohibitio quæ hanc constitutionem non detinet, fini huius constitutionis non obest, ac proinde ea puniri non debet. Præterea apponens impedimentum ex cuius positione executio litterarum non impeditur, nullatenus dici potest apposuisse verum impedimentum, verèque executionem impedisse; sed solùm dici potest inualidum, & attentatum impedimentum apposuisse, attentasséque impedire executionem. At Pontifex non excommunicat attentantes impedire executionem, sed verè impedientes. Neque obstat ratio Bonacinæ: nam esto Pontifex disiunctiuè impedientes, seu prohibentes puniat, non inde infertur prohibitionem executioni non obstantem puniri tum ob rationes dictas; tum quia Pontifex illa disiunctione vsus est, vt omnem modum verbo, & opere executioni obstantem comprehenderet. Vnde sub impedientibus intellexit omnes eos qui facto, & opere executionem impediunt, sub prohibentibus verò qui verbo, & mandato executionem detinent.

16 Tertia pars huius canonis excommunicat eos qui per se, vel per alios publicè, vel occultè aut alio quouis modo directè, vel indirectè, in genere, vel specie prohibete, statuere, seu mandate quibuscunque personis, ne pro quibusvis eorum negociis prosequendis, seu gratiis, vel litteris impetrandis ad Romanam curiam accedant, aut recursum habeant, seu gratias ipsas à dictâ Sede impetrent, seu impetratis vtantur. Notanda sunt prædicta verba, vt ex illis colligatur quibus in casibus delinquentes censura afficiantur. Si enim mandes, statuas, prohibeas per te, vel per alium directè, vel indirectè ne quis ad Romanam curiam accedat, aut recursum habeat, néue litteras impetret, néue impetratis vtatur, hac censura ligaris. Consultò appositum est *accedant, seu recursum habeant*; quia siue impedias, ne quis personaliter accedat, siue ne accedat per litteras, vel per procuratorem quod est recurrere sub hac excommunicatione est prohibitum, & sub eadem prohibetur, ne mandato, vel aliàs impedias litterarum Apostolicarum impetrationem, aut illius vsum. Debes au-

tem præsumptiuè procedere, id est animo iniusto impediendi dictum accessum, seu recursum, litterarum impetrationem, illarúmve vsum. Vt notat aliis relatis Sayrus *lib. 3. cap. 17. in fine.* Duard. *lib. 2. can. 13. quæst. 9. num. 17.* Alterius *lib. 5. disp. 14. cap. 3. ad finem.* Bonac. *disp. 1. q. 14. p. 3. num. 2.* Non est autem censendus Episcopus impedire litterarum Apostolicarum vsum, ex eo quòd velit cognoscere, an veræ sint, vel subreptitiæ, maximè cùm aliqua subest surreptionis suspicio, qua stante optimè denegare executionem potest quousque Pontifex informetur, & de veritate constet; quia tunc non malitiosè; & iniustè sed potius licitè, & iustè impedit litterarum vsum. Sicuti docet Reginald. *lib. 9.*

Punctum XV.

Explicatur excommunicatio decima quarta, aduersus eos qui causas à Iudicibus Ecclesiasticis auocant, vel earum cursum, executionémque litterarum Apostolicarum impediunt.

1 *Refertur Textus.*
2 *Alijs in iuribus similis excommunicatio lata est.*
3 *Quæ persona hac excommunicatione comprehendantur.*
4 *Quæ sint actiones, ob quas hæc excommunicatio iniungitur?*
5 *Hæ actiones præstandæ sunt authoritate publica, vt huic excommunicationi locus sit.*
6 *Item debent fieri à potestate laica, tametsi contrarium satis sit probabile.*
7 *Non est opus; vt hæ actiones præstentur prætextu exemptionum, vel aliarum gratiarum Sedis Apostolicæ, tametsi contrarium graues Doctores sentiant.*
8 *Debet esse auocatio causarum pendentium coram Iudice Apostolico, etsi contrarium sit probabile.*
9 *Expenduntur causæ, quæ ab hac excommunicatione excusare possunt.*
10 *Quid specialiter dicendum est in casu violentiæ?*

1 DEcimoquartò excommunicat Pontifex, & anathematizat omnes, & singulos qui per se, vel alios authoritate proprià, ac de facto quarumcunque exemptionum, vel aliarum gratiarum, & litterarum Apostolicarum prætextu beneficialis & decimarum, ac alias causas spirituales, & spiritualibus annexas ab Auditoribus, & Commissariis nostris, aliisque Iudicibus Ecclesiasticis auocant, illorúmque cursum, & audientiam, ac personas, Capitula, Conuentus. Collegia causas ipsas prosequi volentes impediunt, ac se de illarum cognitione tanquam Iudices interponunt. Quiue partes actrices, quæ illas committi fecerunt citationes, vel inhibitiones, aut alias litteras in eis decretas, & ad faciendum, vel consentiendum eos contra quos tales prohibitiones emanarunt à censuris, & pœnis in illis contentis absolui per statutum, vel aliàs compellunt, vel executionem litterarum Apostolicarum, seu executorialium, processuum, & decretorum prædictorum quomodolibet impediunt, vel suum ad id fauorem, consilium, aut assensum præstant, etiam prætextu violentiæ prohibendæ, vel aliarum prætensionum, seu etiam donec ipsi ad nos informandos (vt dicunt) supplicauerint, aut supplicari fecerint, nisi supplicationes huiusmodi coram nobis, & Sede Apostolica legitimè prosequantur, etiamsi talia committentes fuerint Præsidentes Cancellariarum, Consiliorum, Parlamentorum, Cancellarij, Vicecancellarij, Consiliarij ordinarij, vel extraordinarij quorumcunque Principum sæcularium, etiamsi Imperiali, Regali, Ducali, vel alia quacumque præfulgeant dignitate, aut Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Commendarij, seu Vicarij fuerint.

2 Similis excommunicatio lata est in *cap. quoniam de immunit. Eccles. lib. 6.* aduersus eos qui in causis ad forum Ecclesiasticum spectantibus impediunt directè, vel indirectè per se, vel per alios, ne litteræ Apostolicæ impetrentur, néue litigetur coram Iudice Ecclesiastico ordinario, vel delegato, comprehenditque dantes consilium, auxilium, vel fauorem: à qua excommunicatione absolui nequeunt quousque Iudici Ecclesiastico, & parti læsæ satisfactionem præstiterint. In *cap. quicumque de sententia excommunicat. eodem lib. 6.* fertur excommunicatio aduersus offendentes, vel offendendi licentiam concedentes eos qui sententiam excommunicationis, vel suspensionis tulerunt, seu quorum occasione hæ censuræ latæ sint, siue offendant in personis, siue in bonis. *In cap. verò vnico de his quæ vi, metúve causa fiunt, lib. 6.* fertur excommunicatio aduersus absolutionem excommunicationis, suspensionis, & interdicti à Iudicibus extorquentes. Hæ omnes excommunicationes in defensionem authoritatis Ecclesiasticæ, & maximè Sedis Apostolicæ latæ sunt, ideóque delinquens sacrilegium committit. Vti ex communi sententia docet Sayrus *lib. 3. thesauri, c. 18. n. 1.* Bonac. *disp. 1. de cens. q. 15. p. 1. n. 1. & 25.*

3 Personæ aduersus quas hæc excommunicatio Bullæ fertur sunt omnes, & singuli qui *propria authoritate, & de facto* actiones ibidem prohibitas exercuerint, vel ad eas exercendas auxilium, consilium vel fauorem præstiterint, etiamsi talia committentes fuerint Præsidentes Cancellariarum, Consiliorum, Parlamentorum, Cancellarij, Vicecancellarij, Consiliarij Ordinarij, vel Extraordinarij quorumcunque Principum sæcularium, etiamsi Imperiali, Regali, Ducali, vel alia quacunque præfulgeant dignitate, aut Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Commendarij, seu Vicarij fuerint. Notanda sunt verba *propria authoritate, & de facto.* Nam si ex concessione iuris, vel summi Pontificis concessione hæc præstentur excommunicatio cessat.

4 Actiones verò ob quas hæc excommunicatio iniungitur variæ sunt. Prima est auocare propriâ authoritate, & de facto quarumcunque exemptionum, vel aliarum gratiarum, & litterarum Apostolicarum prætextu causas spirituales, & spiritualibus annexas ab Auditoribus, & Commissariis Sedis Apostolicæ, aliisque Iudicibus Ecclesiasticis. Censetur quis causas ab aliis iudicibus auocare, si apud ipsos pendentes ad se trahi faciat, tum citando partes vt coram se compareant, causamque prosequantur, tum inhibendo iudices, coram quibus causæ agitantur, ne vlteriùs procedant; tum inhibendo partes, ne ibidem amplius litigent, vti colligitur ex *capit. Vt nostrum. de appellationib.* Secunda, impedire earumdem causarum cursum, & audientiam, ac personas, Capitula, Conuentus, Collegia causas ipsas prosequi volentes. Ar Alterio *lib. 5. disputat. 15. cap. 2. post initium.* & Bonac. *disp. 1. quæstio 15. punct. 1. numero 14.* placet & satis probabiliter non incurri hanc censuram, ex eo tantùm quòd authoritatiuè impedias causarum spiritualium cursum, & audientiam, ac ipsas personas, Capitula, & collegia causas prosequi volentes, nisi simul te interponas tanquam Iudicem in prædictarum causarum cognitione, quia Pontifex vtitur illa particula *ac*, quæ coniunctiua est, & simultatem cum præcedenti requirit. Sed contrarium mihi videtur dicendum ex solo impedimento authoritatiuè posito cursui, & audientiæ prædictarum causarum, quin te in illarum cognitione tanquam Iudicem interponas hanc censuram incurrere, quia esto illa particula *ac* coniungat subsequentia cum præcedentibus, non inde infertur vtramque actionem apponendam esse ad hanc excommunicationem incurrendam, sed ob quamlibet illarum incurri; quia illa particula ac, etsi coniungat actionem subsequentem cum præcedenti, non illam coniungit vt necessariò præcedenti annectendam, sed qui eadem excommunicatione ac præcedens afficitur, ita vt sensus sit qui impedit cursum, & audientiam causarum excommunicatione innodatur, at etiam qui de illarum cognitione tanquam iudicem se interponit. Sicuti eadem particula *ac* vsus fuerat Pontifex loquens de impediente causarum cursum, & audientiam, & de impediente personas, cùm tamen quodlibet ex his impedimentis sufficiat ad censuram incurrendam. Tertia actio in hoc canone prohibita est in cognitione causarum spiritualium se tanquam Iudicem interponere. Et licèt hæc actio in sub sequentibus Canonibus Bullæ videatur prohibita, latiùs tamen prohibetur quàm in præsenti. nam ibi quælibet causarum spiritualium cognitio prohibetur laïcis, in præsenti autem solùm prohibetur cognitio causarum, quæ à Iudicibus Apostolicis auocantur, & quarum cursus Iudicibus Apostolicis impeditus est. Quarta actio cõpellere partes actrices, quæ committi fecerunt huiusmodi causas ad reuocandum, vel reuocari faciendum orationes, vel inhibitiones, aut alias litteras in eis decretas. Quinta compellere per statutum, vel aliàs easdem partes ad faciendum, vel consentiendum eos contra quos tales prohibitiones emanarunt à censuris, & pœnis in illis contentis absolui. Notandum est verbum *compellere* quod vim, seu violentiam significat, & inuoluntarium saltem mixtum inducit. *Cap. conquestus de foro competent.* Sexta impedire quomodolibet executionem litterarum Apostolicarum, executorialium, processuum, & decretorum prædictorum. Septima quæ his actionibus accessoria est præstare consilium, auxilium, vel fauorem ad aliquam ex prædictis actionibus patrandam. Ob has igitur actiones, & quamlibet illarum, siue per se, siue per alium fiat excommunicatio iniungitur. A qua nullo modo excusat (inquit Pontifex) Prætextus violentiæ prohibendæ, nec aliarum prætensionum, exemptionum, & gratiarum, litterarum Apostolicarum, seu futurarum supplicationum ad Sedem Apostolicam, nisi supplicationes huiusmodi legitimè prosequantur.

5 Vt autem hæc pleniùs innotescant, plures difficultates enodandæ sunt. Prima est; An auocare causas, impedire earum cursum, prohibere litterarum Apostolicarum executionem, compellere partes actrices ad faciendum, vel consentiendum absolui eos contra quos tales prohibitiones emanarunt, authoritate publica præstandum sit, vt huic censuræ locus

locus detur? Ratio difficultatis est; quia Pontifex absolutè has actiones prohibet, nec exprimit, an authoritate publica, an priuata præstari debeant. Ergo quomodocunque præstentur cessendæ sunt sub hac excommunicatione comprehendi. Nihilominus communis sententia quæ verissima est, censet has actiones solùm prohibitas esse sub excommunicatione, cùm ex munere, & officio publico fiunt. Sic tanquam certum docuit Sayrus *lib. 3. thesauri, cap. 18. num. 5. ad finem*, Suar. *disp. 21. sect. 2. num. 75.* Reginald. *lib. 9. cap. 22. num. 335.* Duard. *in præsenti lib. 2. can. 14. quæst. 3. n. 1.* Bonac. alios referens *t. 3. de censur. in partic. disp. 1. quæst. 15. pun. 1. num. 4. & 19.* Nam licèt Pontifex expressis verbis non declarauerit has actiones authoritate publicâ præstandas esse, id satis insinuauit tenore actionum prohibitarum; prohibet enim auocationem causarum prætextu exemptionum, gratiarum, & litterarum Apostolicarum: auocatio autem causarum, & maximè prætextu priuilegiorũ non à priuatis personis, sed à publicis fit; cum hæc priuilegia, & exemptiones non priuatis personis, sed publicis concedantur. Quibus verò prohibet earumdem causarum cursum, & audientiam impedire, vt constat ex illa dictione coniunctiua *illorúmque cursum*, & ex ipso verborum contextu. Item prohibet se de illarum cognitione tanquam Iudices interponere, quod non priuatis, sed publicis personis competit. Et licèt cõpellere partes actrices ad faciendum, vel consentiendum absolui eos contra quos inhibitiones, seu citationes factæ sunt, præstari à persona priuata possint; attamen hac excommunicatione sola compulsio authoritate publicâ facta punitur. Vti aduersus Hugolinum, & Filliucium tradit Bonac. *dicto pun. 1. num. 19.* quia punitur compulsio facta ab his personis, quæ statutum condere possunt, vt constat ex illis verbis. *Per statutum, aut aliàs compellunt*; statuti autem factio soli personæ publicæ competit. Neque obest aduerbium *aliàs*, id enim indicat aliter quàm per statutum compellere personam publicam posse, scilicet vi illata, priuatione bonorum, ejectione è ciuitatibus, & regno.

6 Secunda difficultas: An prædictæ actiones, auocationis, impeditionis, compulsionis præstandæ sint à potestate laica, an satis sint si præstentur à potestate Ecclesiastica, scilicet Episcopo, vel Archiepiscopo comparatione Iudicis Apostolici. Prima sententia & satis probabilis docet qualibet authoritate fiant sub hac excommunicatione comprehendi. Sic tradit Filliucius *tract. 16. cap. 10. q. 2. n. 253.* Reginald. *lib. 9. cap. 22. num. 335.* Et probabile reputat Sayrus *lib. 3. cap. 18. num. 5.* Ducuntur, quia hæc censura lata est in defensionem authoritatis Sedis Apostolicæ; siquidem solæ auocationes factæ Auditoribus Commissariis Sedis Apostolicæ, aliisque Iudicibus Ecclesiasticis subintelligitur eiusdem Sedis hac censurâ puniuntur. At has auocationes, impeditiones, & compulsiones præstare possunt absque vllo titulo non solùm laici, sed etiam Ecclesiastici, tum authoritate laica, tum Ecclesiastica. Ergo sub hac excommunicatione comprehenduntur, cum authoritas Sedis Apostolicæ vtroque modo labefactetur.

Sed rectius contrarium docuit Nauarr. *cap. 27. num. 70.* Sebastian. de Medicis *in sum tit. 9. quæst. 78. num. 18.* Sayrus *dicto cap. 18. num. 5.* Suar. *disp. 21. sect. 2. num. 76.* Alterius *lib. 5. disp. 15. cap. 1.* Duard. *lib. 2. canon. 14. quæst. 4. num. 1. concluſ. 1.* Bonac. *disp. 1. de censur. 1 5. pun. 1. num. 6.* Ij omnes existimant necessariò authoritate laica præstandas esse dictas actiones siue præstentur a laico, siue ab Ecclesiastico. Moueor; quia auocatione, impeditione, & compulsione facta ab Ecclesiastico Iudice ex potestate Ecclesiastica, etsi aliqualiter offendatur Sedes Apostolica auocando, vel impediendo eius iurisdictionem contra iuris ordinem. At litteras Ecclesiastica non offenditur, Pontifex autem videtur hunc canonem, sicut & sequentes in defensionem immunitatis Ecclesiasticæ statuere; ergo non comprehendit auocationem, impeditionem, & compulsionem à iudice Ecclesiastico quatenus talis est, factas. E contrà verò si iudex Ecclesiasticus ex potestate laica, qua fungitur causas iudicum Apostolicorum auocet, earúmve cursum impediat absque dubio hac excommunicatione ligabitur, quia tunc non Ecclesiastici, sed laici personam gerit, & quatenus laicus operatur, ideóque libertatem Ecclesiasticam offendit. Quod satis colligitur ex ipso Textu vbi inter personas quæ hac censura affici possunt enumerantur Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Commendarij &c. vtpotè qui gaudere possunt potestate laica, & hac potestate vtentes offendere libertatem Ecclesiasticam.

7 Tertia difficultas: An prædictæ actiones non solum præstandæ sint à potestate laica, sed etiam prætextu exemptionum, gratiarum, aliorumque priuilegiorum Sedis Apostolicæ? Affirmat Suar. *disp. 21. sect. 2. num. 75.* in cuius sententiam inclinat Bonac. *disp. 1. de censur. q. 15. pun. 1. num. 6.* Ducuntur, quia sub eadem continuatâ oratione proponitur afficiendos esse excommunicatione auocantes causas spirituales authoritate propria, ac de facto quarumcunque exemptionum, & litterarum Apostolicarum prætextu. Ergo hac censurâ ligandus necessariò duci debet prætextu priuilegiorum Sedis Apostolicæ. Neque huic intentioni obest, quòd authoritate propria, & de facto ducatur. Nam cùm hæ exemptiones nullius momenti sint; vtpotè falsò confictæ, vel præsenti Bullâ reuocatæ illarum prætextu ductus authoritate propria ducitur. Nihilominus verius reputo opus non esse ad contrahendam hanc censuram, vt actiones prædictæ prætextu exemptionum, vel aliarum gratiarum, & litterarum Apostolicarum fiant. Sicuti docuit Reginald. *lib. 9. praxi. cap. 22. num. 336.* Alterius *lib. 5. disp. 15. c. 1. vers. quarumcunque exemptionum.* Duard. *lib. 2. can. 14. q. 3. num. 2.* Moueor, quia Textus à prædicta excommunicatione eximit illum tantùm qui prædictas actiones operatur animo expresso supplicandi Sedem Apostolicam, & supplicationem coram ipsa prosequendo. Ergo quocunque alio titulo, & fine prædictæ actiones fiant, ab hac censura non excusant; quia exceptio firmat regulam in contrarium. Item hac censurâ innodatur qui prætextu violentiæ prohibendæ prædictas actiones præstat. Vti notatur *in dicto Can.* Ergo necessarium non est fieri prætextu exemptionum, gratiarum, seu priuilegiorum Sedis Apostolicæ.

8 Quarta difficultas; An causæ auocandæ pendere debeant coram Iudice Apostolico, vel satis sit quod à quolibet Iudice Ecclesiastico authoritate laica auocentur, & impediantur? Filliucius *tract. 16. c. 10. q. 1. n. 250.* Anton. de Sousa *in præsenti, c. 15. n. 1.* Duardus *canon. 14. q. 7. num. 1.* affirmant satis esse à quolibet Iudice Ecclesiastico causas auocari, & impediri. Mouentur, quia Pontifex generaliter censurâ puniuit eos qui ab Auditoribus, & commissariis Sedis Apostolicæ, aliisque Iudicibus Ecclesiastic s causant. Si igitur vellet solam auocationem à Iudicibus Apostolicis punire non vteretur illis verbis generalibus, *aliisque Iudicibus Ecclesiasticis* sed diceret, aliisque Iudicibus Apostolicis.

Cæterùm verius est præsenti Canone solam auocationem, & impeditionem causarum pendentium coram Iudice Apostolico comprehendi. Vti fuit sententia Hugolini *in præsenti, §. 1. num. 1. vers. Tertio in excommunicationem.* Alterij *lib. 5. disp. 15. capite 1. vers. sed postulabij.* Moueor, quia esto illa particula *aliis* aliquando non sit repetitiua similium, vt constat ex illo *Matth. 28.* & *Marci. 15.* vbi de Christo Saluatore nostro inquiunt; *& cum eo crucifixi sunt alij duo latrones.* Et ex *c. Nouatianos. 7. q. 1.* ibi; *alios pseudoprophetas.* Et tradit Glossa in *leg. non solùm. §. quæretur. ff. de procuratorib. & cap. sedes, verbo maiores de Rescriptis*, vbi Immola *num. 11.* Felin. *num. 6* id tamen contingit, quando ratio subiectæ materiæ id suadet, vt benè Immola, & Felin. *suprà.* Attamen in præsenti subiecta materia hanc dissimilitudinem non suadet, sed potiùs Textui maximè congruit, vt ea qualitas, quæ in Auditoribus, & Commissariis exprimitur scilicet quod sint Auditores, & Commissarij Sedis Apostolicæ subintelligatur in Iudicibus Ecclesiasticis. Tum quia regulariter dictio *aliis* repetit præcedentem qualitatem, cuius est persona expressa, vt constat ex *leg. si fugitiui, ibi, alia pœna. Cod. de seruis fugitiuis. iuncta Glossa, leg. quidam relegatus. ff. de Rebus dubiis.* Et tradit Menoch. *lib. 1. de arbitr. q. 80 num. 122.* Gutierr. *de iuram. 1. p. cap. 14. num. 13.* August. Barbosa, *de dictionib. dict. 17.* Alius *num. 1.* Sanch. *lib. 3. de matr. disp. 20. num. 2.* Tuschus *t. 2. concluſ. 245.* & alij apud ipsos. Tum quia huiusmodi Canon, etsi expeditus sit in fauorem libertatis Ecclesiasticæ, non tamen protegit omnes Iudices Ecclesiasticos, sed solùm Apostolicos, imò nec ipsos Iudices Apostolicos ab omnibus actionibus, quibus eorum immunitas lædi potest, sed ab aliquibus eorum immunitas lædi potest, sed ab aliquibus tantùm. Aliàs si huiusmodi Canon quorumcunque Iudicum causarum auocationem, & impeditionem puniret superfluus esset, vtpotè indistinctus à subsequentibus, in quibus generaliter de qualibet iniusta auocatione, & impeditione Ecclesiasticæ iurisdictionis per potestatem laicam sermo est. Neque obest quòd Pontifex expressiùs suam intentionem declarare poterat, dicens; *A Iudicibus Apostolicis.* Satis enim eam expressit illa dictione *aliis*, vtpotè qualitatem antecedentis in subsequenti adesse denotat, nisi subiecta materia contrarium suadeat, vti probatum est.

9 Prædicta procedunt, cùm Iudex Apostolicus causas spirituales, vel spiritualibus annexas iudicat, quæ autem hæ sint *tract. 12. de relig.* latè definitum est.

Superest ergo solùm in præsenti examinare; An aliquot dentur excusationes, ob quas Iudex sæcularis absque culpa, & excommunicationis pœna auocare possit causas à Iudicibus Ecclesiasticis, earúmque cursum, & audientiam impedire? De qua materia in *eodem tract.* actum est, *ibi* enim decidimus, *punct. 6. num. 13.* & *punct. 7. in fine* ob negligentiam Iudicis Ecclesiastici non posse Iudicem sæcularem se intromittere; tametsi causæ essent mixti fori, quia nequit Iudex sæcularis cognoscere de negligentia à Iudice Ecclesiastico commissa, quod necessarium est, vt causam à Iudice Ecclesiastico susceptam posset auocare. Item in *eodem tract. punct. 12.* resoluimus

mus titulo consuetudinis non posse sæcularem Iudicem causas Ecclesiasticas apud Iudicem Ecclesiasticum pendentes auocare, earúmque cursum impedire. Tum quia nequit ab inhabili, & incapaci consuetudo introduci. Tum quia hæc consuetudo in hac bulla expresè reuocatur, & reprobatur. Ob titulum autem violentiæ prohibendæ *eodem pun. 12. in fine*, affirmauimus hanc iurisdictionem laico competere non posse, quod manifestum est, cùm de violentia non constat, & per Iudices Ecclesiasticos præueniri potest, vti plerunque contingit. Quippe Iudices sæculares ob solam violentiam à parte propositam causas Iudicum Ecclesiasticorum auocant, & informationem summariam, processúmque recognoscunt. Non igitur supponunt notoriam violentiam, sed ob dubiam, & incertam tantùm prædictos actus exercent; incidunt ergo in hanc excommunicationem, nisi priuilegium habeant.

10 Quod si in aliquo casu violentia manifesta esset, & notoria, neque alia via quàm sæcularis Iudicis ope impediri possit, adhuc plures, quos refert & sequitur Bonac. *disp. 1. q. 15. punct. 4. §. 4.* existimant non esse datum Iudici sæculari causas Ecclesiasticas ad se auocare, & earum cursum impedire. Tum quia necessitas non concedit iurisdictionem alias inhabili, & incapaci. Tum quia innocentem nemini licet defendere cum graui præiudicio Reipublicæ, bonique communis, & positâ hac defensione Ecclesiastica immunitas lædetur, & iurisdictio Ecclesiastica diminuitur. Non igitur cum hoc graui damno ea defensio licita esse potest. Nihilominus in hoc casu licitum esse sæculari Iudici cursum causæ apud Iudicem Ecclesiasticum impedire, quousque Pontifex informetur, tradunt latè Couarruu. *pract. cap. 34. & 35.* Zeallos *tract. de cognit. per viam violentiæ*, quia ea violentiâ posità Iudex sæcularis non impedit cursum causæ apud Iudicem Ecclesiasticum agitatæ ob iurisdictionem quam habeat in Ecclesiasticum Iudicem, sed ob iurisdictionem sibi à natura concessam defendendi innocentem, quæ potestas tum priuatis personis, tum maximè publicis concessa est. Neque ob hanc defensionem Ecclesiastica iurisdictio, & immunitas lædetur; quia non impediuntur Ecclesiastici Iudices à iudicio ferendo iuxta iuris ordinem in illa causa, sed solùm impediuntur iniuriam inferre. At nulli iudici, & maximè Ecclesiastico data est potestas iniuriandi, cùm sit potestas à Deo non in destructionem, sed in ædificationem concessa. Ergo impediens notoriam violentiam libertatem, iurisdictionémque Ecclesiasticam non lædit. Item Pontifex immunem reddit ab hac excommunicatione qui causas spirituales auocat, earúmque cursum impedit supplicatione interpositâ ad Sedem Apostolicam, si postmodum causam legitimè prosequantur. Sed in hac auocatione, & impeditione causarum sæcularis Iudex non iurisdictionem in Ecclesiasticas personas exercet, sed iurisdictionem à natura concessam defendendi innocentem. Ergo stare optimè potest auocatio causarum Ecclesiasticarum, & earum cursus impeditio, quin iurisdictio in Ecclesiasticas personas exerceatur. Adde, Pontifex cum causas recenset, ob quas Iudex sæcularis auocare causas Ecclesiasticas iniustè soleat, vtitur verbo *prætextu*, quod fictionem, non veritatem significat. Inquit enim: *Excommunicamus eos qui prætextu exemptionum, gratiarum, & aliorum priuilegiorum, &c.* quasi diceret, *qui titulo exemptionis, gratiæ, & priuilegij simulati*, nam, si verum est, cessat prætextus. At eodem verbo *prætextus* vtitur, cum de violenria prohibenda sermonem facit. Ergo non de vera violentia, sed ficta, & simulata intelligi debet. Ergo stante violentiâ verâ, & manifesta, quæ alia via nequit impediri sub hac censura non continetur.

Punctum XVI.

Expenditur decimaquinta excommunicatio contra trahentes, vel procurantes trahi personas Ecclesiasticas ad sæculare tribunal; & contra condentes statuta libertati Ecclesiasticæ præiudicantia, eísque vtentes.

1 *Refertur Textus.*
2 *Aliis in uuribus similis excommunicatio continetur.*
3 *Excommunicantur Iudices, qui ex officio, seu alicuius instantia personas Ecclesiasticas ad suum tribunal trahunt.*
4 *Item excommunicantur facientes, & publicantes statuta &c. libertati Ecclesiastica præiudicantia.*
5 *Quæ persona hac excommunicatione comprehendantur.*
6 *Quas actiones præstare debeant, vt in hac excommunicationem incurrant.*
7 *Item excommunicantur vtentes prædictis statutis.*
8 *Huiusmodi vsus debet esse à persona publica.*
9 *Quæ sint statuta libertati Ecclesiastica opposita.*

Decimoquintò excommunicat Pontifex eos, qui ex prætenso eorum officio, vel ad instantiam partis, aut aliorum quorumcunque personas Ecclesiasticas, Capitula, Conuentus, Collegia Ecclesiarum quarumcunque coram se ad suum tribunal, audientiam, cancellariam, consilium, vel parlamentum præter iuris Canonici dispositionem trahunt, vel trahi faciunt, vel procurant directè, vel indirectè quouis quæsito colore. Necnon qui statuta, ordinationes, constitutiones, pragmaticas, seu quæuis alia decreta in genere, vel in specie ex quauis causa, & quouis quæsito colore, ac etiam prætextu cuiusvis consuetudinis, aut priuilegij, vel aliàs quomodolibet fecerint, ordinauerint, vel publicauerint, vel factis, & ordinatis vsi fuerint, vnde libertas Ecclesiastica tollitur, seu in aliquo læditur, vel deprimitur, aut aliàs quouis modo restringitur, seu nostris, & dictæ Sedis, ac quarumcunque Ecclesiarum iuribus quomodolibet directè, vel indirectè, tacitè, vel expresè præiudicatur. 1

Hæc excommunicatio, quæ cum præcedenti, & subsequentibus connectitur duas partes continet. Prima afficit trahentes, vel procurantes trahi ad sæculare tribunal Ecclesiasticas personas præter iuris ordinem. Secunda fertur aduersus condentes statuta, ordinationes, & quælibet alia decreta, quibus Ecclesiastica libertas lædituir, seu diminuitur, & contra eis vtentes, & eorum titulo præiudicantes iuribus Sedis Apostolicæ, & quarumcunque aliarum Ecclesiarum. De hac secunda parte extat latior excommunicatio in iure, tametsi non reseruata in *cap. nouerit. de sententia excommunicat.* ibi enim vltra personas assignatas in Bulla, comprehenduntur qui leges, & statuta facta ante decretum illud libertatem Ecclesiasticam lædentia scripserint, & scripta non amouerint, & de libris suis publicis eradi non fecerint, eáque seruari conati fuerint. Deinde qui prætextu consuetudinis derogantis libertatem Ecclesiasticam ea statuta fecerint obseruari. Cùm tamen in Bulla solùm excommunicentur qui statuta libertati Ecclesiasticæ contraria faciunt, vel obseruant, seu eis vtuntur Illùd verò est indubitatum excommunicationem Bullæ, & quæ fertur in *cap. nouit* impositam esse in defensionem libertatis Ecclesiasticæ, ac proinde ob peccatum sacrilegij. 2

In priore parte canonis ij tantùm excommunicantur qui ex officio, seu ob alicuius instantiam personas Ecclesiasticas ad suum tribunal trahunt, vel trahi procurant præter iuris canonici dispositionem. Hi qui trahunt siue sint Laici, siue Ecclesiastici afficiuntur hac censurâ, modò non vt Ecclesiastici, sed vt sæculares, & potestate sæculari gaudentes Ecclesiasticas personas trahant. Parum enim refert quis sit qui trahit, sed qua potestate trahit. Hæc enim excommunicatio vtpotè præcedenti annexa fertur aduersus lædentes Ecclesiasticam iurisdictionem vi potestatis Laicæ. Vti tradit Caiet. *verbo Excommunicatio, c. 20 verb. vbi nota.* Hugolin. *in præsenti. §. 1. ad finem.* Duardus *in hunc canon. quæstion. 28. num. 6.* Bonac. *disputat. 1. de censur. quæst. 16. sect. 1. punct. 5. num. 3.* 3

Lædunt dictam libertatem trahendo, seu trahi faciendo, seu procurando cum effectu personas Ecclesiasticas ad suum tribunal sæculare. Quod tunc contingit quando nolentem, & inuoluntarium saltem mixtè adducunt, sicuti docet Suar. *disputat. 21. sect. 2. num. 78.* Bonac. *part. 5. num. 3.* Sayrus *lib. 3. cap. 19. num. 6.* Quam adductionem quocunque modo præstent hac excommunicatione afficiuntur, siue eam præstent ex officio prætenso, hoc est nemine petente, sed ipsis iudicantibus id sibi ex officio competere, siue ad instantiam partis, vel alterius cuiuscunque, quia sic cauetur *in dicto Canone.* Quinimò non est opus, vt directe persona Ecclesiastica ad sæculare tribunal trahatur, sufficit si indirecte cogatur ibidem comparere, vti contingit si eius consanguinei, vel intimi amici grauiter vexentur ea intentione, vt persona Ecclesiastica ad sæculare tribunal accedat. Vt benè Suar. *dicta sect. 2. numero 78.* Filliucius *tractat. 16. capit. 10. quæstion. 6. numero 261.* Hugolin. *in præsenti §. 1. numero 2.* Duard. *quæst. 12. num. 1.* Bonac. *disp. 1. quæst. 16. sect. 1. part. 4. num. 16.*

Notandum est hanc adductionem personarum Ecclesiasticarum faciendum esse à Iudicibus quatenus Iudices sunt, vt constat ex illis verbis, *ad suum tribunal.* Quare personæ quæ tribunal non habent, tametsi ad sæculare tribunal personas Ecclesiasticas adducant hoc Canone non comprehenduntur. Neque item comprehenduntur qui esto tribunal habeant, non ad ipsum, sed ad aliud personas Ecclesiasticas trahunt, quia in his non verificatur ad suum tribunal personas Ecclesiasticas trahere, quæ est actio præsenti canone prohibita.

Nomine *Ecclesiasticarum personarum* intelliguntur qui fori priuilegio gaudent. Qui autem hi sint late explicuimus *tract. 12. de immunit. Ecclesiast. personar. p. 2.*

Prædictis apposita est limitatio, nisi ex dispositione Canonici iuris ea adductio concedatur: sunt etenim plures casus, in quibus Ecclesiasticas personas possunt sæculares iudicare,

iudicare. De quibus *eodem tract.12.p.4. & seqq.* & maximè *punct.9.*

4 Secunda pars huius Canonis excommunicat facientes, ordinantes,& publicantes statuta,ordinationes, constitutiones, pragmaticas, seu quævis alia decreta in genere, vel in specie libertati Ecclesiasticæ præiudicantia. Item eis decretis factis, seu ordinatis vtentes, ex quorum vsu libertas Ecclesiastica, vel ius Sedis Apostolicæ, vel alterius Ecclesiæ præiudicatur.

5 Explicemus singula. Excommunicantur facientes, ordinantes, & publicantes, omnes hæ actiones requiruntur, & vna alteram explicat. Nemo enim statutum facere potest, quin illud perfectè exprimat, & declaret, & si declaratum publicet:nam ante ordinationem,& publicationem statutum non est. sic Hugolin. *in præsenti §.4.vers.tertio.* Duard. *qu.21. num.2.* Tametsi contrarium sentiat Filliucius *tract.16.cap.10. quæst.7.num.266.* Alterius *disputat.16.cap.3.dub.1.* Bonac. *disputat.1.quæst. 16. sect.2. punct.1.in fine.* Neque his obest, quòd Princeps denuò publicans statutum sui prædecessoris hac excommunicatione afficiatur, quia ea publicatio est virtualis statuti antiqui factio, ordinatio & renouatio. Non igitur factio statuti ab ordinatione, & publicatione authentica separari potest ad prædictam censuram incurrendam.

Aliquibus placet Consiliarios disponentes statuta, & præcones voce publicantes hac excommunicatione innodari; quia verè ordinant, & publicant statuta. Sic Filliucius *tract. 10.cap.10.quæst.7. num.267.* Alter.*lib.5.disp.16.cap.3.dub.2.* Sed rectiùs oppositum sentit Suar. *disp.21.sect.2. num.79.* Duardus in *præsenti canon. 15. quæst. 22. numero 2.* quia ij executiuè tantùm ad statuti ordinationem, & publicationem concurrunt, id est, exequuntur ordinationem, & publicationem quæ Principis authoritate fit: ipse enim Princeps est qui mediis illis ministris propriè statutum ordinat, & publicat, non autem ministri, cùm non à ministris, sed ab ipso Principe authoritatem ea ordinatio, & publicatio habeat.

6 Portò facere,ordinare, & publicare debent,vt hac excommunicatione innodentur, statuta, ordinationes, constitutiones, pragmaticas seu quæuis alia decreta in genere, vel in specie libertati Ecclesiasticæ præiudcantia.

Nomine *statutorum, ordinationum, &c.* idem intelligitur, sed claritatis gratiâ omnia illa verba apponuntur, eo quòd leges,& præcepta alicubi nuncupentur statuta, alibi ordinationes, alibi pragmaticæ, seu decreta. Oportet autem vt præceptum firmum sit, & quasi per modum legis latum,aliàs sub nomine statuti, constitutionis, ordinationis, pagmaticæ, seu quorumvis aliorum decretorum similium non continebitur. Vti aduertit Bonacina *disp.1. de censur. quæst.16.sect.2.pun.1. num.3.* aduersus Alterium *disp.16.cap.3.col.4.* existimantem quodlibet mandatum nomine decreti comprehendi.

7 Præterea excommunicat Pontifex eos,qui prædictis statutis contra libertatem Ecclesiasticam factis,seu ordinatis vtuntur: ille verò vti his statutis censetur,qui ea obseruat, illorúmque prætextu libertati Ecclesiasticæ præiudicat. Vti si Iudex nixus statuto sententiam contra libertatem Ecclesiasticam proferret, tributa exigeret, loca sacra violaret, & alia similia.

8 Sed an huiusmodi vsus debeat esse à persona publica quatenus talis est, vel sufficiat ab ea, & à quolibet alio priuatim præstari; Dissentiunt Doctores. Nam Sayrus *lib.3. cap.19. numer.10.* Alterius *in hunc canon. disputat.16. cap.3. post medium.* Duardus *hic quæst.24. num.2.* censeat quocunque modo vsus contingat hac excommunicatione puniri, quia Textus generaliter punit eos omnes, qui factis statutis,& ordinatis vsi fuerint. Cùm igitur non solùm authoritate publicâ, sed priuatâ præstari hic vsus posset, efficitur quemlibet vsum siue authoritatiuum, siue priuatum hac excommunicatione puniri. Et quamvis in legibus non sit facienda extensio, id intelligendum est, cùm extensio non continetur sub genuino, & proprio verborum sensu.Præterquam quòd extensio libertati Ecclesiasticæ fauens, & sub proprietate verborum contenta optimè fieri potest.

Nihilominus etsi hæc sententia probabilis sit, probabiliorem reputo affirmantem eum tantùm vsum hac excommunicatione puniri, qui à persona publica formaliter præstitus fuerit. Hic tanquam probabile defendit Bonacina *t.3. de censur. in partic. disp. 1.q.16. sect.2.punct.1. num.10.* Moueor; quia ex tenore canonis non obscurè colligitur his tantùm sub hac excommunicatione vsum statutorum prohibere qui statuta, ordinationes, seu decreta condere possunt, inquit enim Textus: *Necnon qui statuta,&c.fecerint, ordinauerint, seu publicauerint, vel factis, & ordinatis vsi fuerint.* Cùm igitur in eadem clausula statutorum factio,& vsus contineatur, credendum est his tantùm prohiberi statutorum vsum, quibus eorum factio prohibetur. Præterea finis huius canonis est, ne potestas laïca prætextu alicuius cõsuetudinis, priuilegij,vel aliàs iurisdictionem Ecclesiasticam,& Ecclesiarum iura præiudicet. Tum condendo statuta illis contraria. Tum illis vtendo. Ergo vsus ad potestatem laïcam referendus est,vt sic dispositio canonis cum illius fine congruat.

Quæ autem sint statuta libertati Ecclesiasticæ, & Ecclesiarum iuribus præiudicantia pendet ex his quæ latè diximus *tract.11. & 12.* vbi de immunit. Ecclesiar. personarum, bonorúmque Ecclesiasticorum latè disseruimus, ideóque lectorem illuc remittimus. 9

PVNCTVM XVII.

Decimasexta excommunicatio, aduersus impedientes, ne Prælati Ecclesiastici suâ iurisdictione vtantur, declaratur.

1 *Refertur Textus.*
2 *Finis huius excommunicationis qui; dicatur?*
3 *Quæ sint actiones hac excommunicatione prohibitæ?*
4 *Impedire, ne Ordinarij sua iurisdictione vtantur huic excommunicationi subiicitur,dummodò authoritate publicâ impedimentum præstetur,*
5 *Item debet esse impedimentum vsus iurisdictionis Ecclesiastica.*
6 *Item debet esse iurisdictio competens Ordinario secundùm sacros canones.*
7 *Excommunicantur recurrentes ad sæculare tribunal pro reuocatione sententiarum Iudicis ordinarij Ecclesiastici.*
8 *Aliquibus placet recursum ad sæculare tribunal occasionè impediendi decreta ordinaria puniri hac excommunicatione.Sed verius est oppositum.*
9 *Pluribus placet locum esse huic excommunicationi ex eo præcisè quòd recurras, tametsi non impetres auxilium.*
10 *Opposita sententia verior est,etsi prædicta sit probabilis.*
11 *Hac excommunicatione non punitur recursus pro impediendâ confirmatione alicuius sententiæ, quam Ecclesiasticus Iudex à sæculari tribunali expostulat.*
12 *Non oportet mandata à curia sæculari obtenta esse pœnalia, etsi plures contrarium censeant.*
13 *Item excommunicantur Iudices prædictas inhibitiones decernentes, & exequentes.*
14 *Item præstantes consilium,patrocinium, & fauorem.*

DEcimo sextò excommunicat Pontifex eos, qui Archiepiscopos, Episcopos, aliósque superiores, & inferiores Prælatos, & omnes alios quoscunque Iudices Ecclesiasticos ordinarios quomodolibet hac de causa directè, vel indirectè carcerando, vel molestando eorum agentes, procuratores, familiares, necnon consanguineos, & affines impediunt quominus suâ iurisdictione Ecclesiasticâ contra quoscumque vtantur,secundum quod canones, sacræ constitutiones Ecclesiasticæ, & decreta Conciliorum generalium; & præsertim Concil.Trident. statuunt, ac etiam eos qui post ipsorum Ordinariorum, vel etiam ab eis delegatorum quorumcunque sententias & decreta, aut aliàs fori Ecclesiastici iudicium eludentes, ad cancellarias & alias curias sæculares recurrunt, & ab illis prohibitiones, & mandata etiam pœnalia Ordinario, aut delegatis prædictis decerni, & contra illos exequi procurant, eos quoque qui hæc decernunt, & exequuntur, seu dant consilium, patrocinium, & fauorem in eisdem. 1

Hæc excommunicatio in protectionem iurisdictionis ordinariæ lata est, ideoque aduersus eam delinquens vltra iniustitiam sacrilegium committit. Vti tradunt Caietan. *verbo Excommunicatio.cap.29.* Sayrus *lib.3.cap.20.numero 1.* Bonac. *disput.1.de censur.quæst.17.pun.1.num.1.* & omnes. Et licèt aliquibus videatur materiam huius excommunicationis iure Canonico interdictam esse sub excommunicatione non reseruata in *cap.quoniam de immunit.Eccles* & *in cap. quicunque de sententia excommunicat.in 6.* Verius est prædictis iuribus non contineri, sed aliam longè diuersam. Nam Textus *in cap.quoniam,* excommunicat eos qui impediunt,ne quis litteras Apostolicas impetret,néue litiget coram Iudice ordinario,vel delegato. Et quamuis impediens litigantem videatur indirectè impedire iudicem,ne sua iurisdictione vtatur;id solùm est remotè, & mediatè, & per materiæ subtractionem; quod non videtur sufficiens,vt propriè iudicem impedire censeatur. In *cap. quicunque* sermo est de vexantibus iudices Ecclesiasticos siue in personis, siue in bonis ob censuras latas. Quæ vexatio cùm iurisdictionis vsum supponat, propriè iurisdictionem non impedit. 2

Duplicem actionem præcipuam hæc excommunicatio respicit. Prima est impedire,ne Ordinarij sua iurisdictione vtantur. Secunda recurrere ad sæculare tribunal pro illius iurisdictionis vsus reuocatione. Circa primam. Præstare potes impedimentum directè, si vi, vel metu incusso; vel mandato, cui non audet Ecclesiasticus resistere impedias; 3

ne sua iurisdictione vtatur. Indirectè tamen impedis carcerando, vel molestãdo eorum iudicum Ecclesiasticorum agentes, procuratores, familiares, necnon consanguineos, & affines. Sicuti notatur in *dicto canone*.

4 Sed an authoritate publica hoc impedimentum apponere debeas? non conueniunt Doctores. Nam Hugolin. *in præsenti. §.1. num.1. vers. quæ excommunicatio.* Alterius *lib.5. disp.17. capit.1. vers. sed dubitari potest:* censent non esse opus authoritate publica impedimentum apponi, sed quocumque modo ponatur hac censura comprehendi. Moueri possunt ex illo aduerbio *quomodolibet*, quod quemcunque modum impediendi comprehendit. Nihilominus verius est solùm impedimentum authoritate publica positum hac puniri censura. Sicuti docuit Nauarr. *cap.27.num.69.& 70* Graffis *1.p. lib.4. cap.18. numero.* 139. Suar. *de censur. disputat.21. sect.2.n.* 75. Filliucius *tract.16.c.10.q.10.n.277.* esto *q.6. ad finem* contrarium docuisse videatur. Alterius *lib.5. disp.17. cap.1. initio.* Bonac. *disp.1. quæst.17. pun.1.num.7.* Etenim hæc censura præcedenti connexa est, vt constat ex eius initio, ibi: *Necnon qui Archiepiscopos &c.* At præcedens censura solùm fertur aduersus eos, qui prætextu iurisdictionis laicæ Ecclesiasticas personas ad suum tribunal trahunt, vt dictum est. Ergo etiam hæc censura fertur tantùm aduersus eos qui prætextu eiusdem iurisdictionis Ecclesiasticæ ordinariorum impediunt. Neque obstat aduerbium illud *quomodolibet*, quia appositum est ad declarandum quocunque modo à potestate laica iurisdictio Ecclesiastica iniquè impediatur sub hac censura comprehendi.

5 Deinde impedire debes vsum iurisdictionis Ecclesiasticæ; vt in textu habetur, ne sua iurisdictione Ecclesiastica contra quoscunque vtantur. Non enim ob impedimentum Episcopo appositum, ne sua temporali, & sæculari iurisdictione vratur hac excommunicatione ligaris. Item impedire debes vsum iurisdictionis Ecclesiasticæ ordinariæ non delegatæ, nam Textus expressè dicit *impedientes ordinarios, ne sua iurisdictione vtantur.* Iurisdictio autem propria Ordinariorum ordinaria est non delegata. Sub qua iurisdictione ordinaria comprehenditur potestas à Conc. Tridentino Ordinariis concessa tanquam Apostolicæ Sedis delegatis, nempe corrigendi Religiosos exemptos extra monasterium delinquentes. Vt habetur *sess.6. cap.3. de reformat.* & absoluendi subditos in casibus occultis Sedi Apostolicæ reseruatis, *sess.24. cap.6. de reformat.* & aliæ potestates similes, quia hæ potestates induunt naturam potestatis ordinariæ, vtpotè personis ratione dignitatis, & in perpetuum concessæ. Sicuti probat Bart. *in leg. ambitiosa num.3 4. ff. de decretis ab ordine faciendis.* Bald. *in cap. fin. num. vnico de officio Ordinarij.* Couarruu. *3. var. cap.20. num.6.& 9.* Et pluribus exornat Sanch. *lib.2. de matr. disp.40. num.14.& seqq.* Et tradit in præsenti Sayrus *lib.3. cap.20. num.4.* Suar. *disp.21. sect.1. num.75.* Filliucius *tract.15. cap.2. quæst.6.* Alterius *disputat.17. cap.1. col.6.* Duardus *canon.16. quæst.2. numero 2.* Bonacina *disp.1. de censur. quæst.17. part.1. num.12.*

6 Non solùm ad hanc censuram incurrendam impediri debet iurisdictio quæ Ecclesiastica sit, & ordinaria, sed debet esse secundùm quod canones, & sacræ constitutiones Ecclesiasticæ, & decreta Conciliorum, maximè Tridentini statuunt. Quapropter si iurisdictio adsit, quæ solùm ex consuetudine, vel ex synodali constitutione Ordinariis competat, quæ tamen Conciliorum decretis saltem in genere approbata non sit (quæ vix potest contingere) hac censura non protegitur. Quippe nomine canonis, sacræ constitutionis leges à Pontifice latæ intelliguntur maximè in materia pœnali. argum. Textus *in c.2. de constitut.* & tradit Bonac. *disp.1. de censur. q.17. pun.1. num.18.& seqq.*

7 In secunda parte huius canonis excommunicantur qui post Ordinariorum, seu ab eis delegatorum sententia, & decreta, aut aliàs fori Ecclesiastici iudicium eludentes ad cancellarius, aliásque curias sæculares recurrunt, & ab illis prohibitiones, & mandata etiam pœnalia ordinariis, aut delegatis prædictis decerni, & contra illos exequi procurant. Secundò excommunicantur qui hæc decernunt, & exequuntur. Tertiò qui dant consilium, patrocinium, & fauorem in eisdem.

8 Aliquibus scilicet Reginald. *lib.9. praxi cap.24. num.369.* Filliucio *tract.16. cap.10.q.11. num.283.* Bonac. *disp.1. de censur. quæst.17. punct.1. numero 23.* placet recursum ad sæcularia tribunalia timore alicuius decreti à Iudice Ecclesiastico ferendi hac censura puniri; quia esto illis verbis *qui post sententiam &c.* indicet Textus solùm recursum post sententiam, & decretum latum à Iudice Ecclesiastico hac affici excommunicatione. At illud aduerbium *aliàs* quod idem est ac *aliter*, & *alio modo. leg.1. §. iure. ff. de conditionib. & demonstrationib.* & *leg. denique, §. interdum. ff. de priuilegiis legatis.* indicat non solùm post sententiam, & decretum, sed etiam ante comprehendi. Sed longè verius est oppositum, vti tradit Hugolin. *in præsenti, vers. ac etiam numero 1.* Duardus *in can.16. quæst.1. vers. Nam in primis.* Alterius *disp.17. cap.2. vers. quare.* Si enim Pontifex vellet recursum ad curiam sæcularem ante & post sententiam, seu decretum Iudicis Ecclesiastici punire, omitteret exprimere *post sententiam*, apertiùs namque suam intentionem explicaret appositis illis verbis. *Et qui fori Ecclesiastici iudicium eludentes ad curias sæculares recurrunt*, omissis antecedentibus verbis *post sententiam, seu decretum, aut aliàs.* Neque obest aduerbium illud *aliàs*, quia non refertur ad præcedens aduerbium *post*, sed ad sententiam, & decretum, ita vt præster hunc sensum, qui post litis decisiuam, hæc enim propriè sententia nuncupatur, vel post sententiam interlocutoriam, quæ decretum dicitur, vel post quamlibet aliam prouisionem, ordinationem, citationem, monitionem à Iudice Ecclesiastico factam, vt illius iudicium eludat, & vanum reddat ad sæculares curias confugit, excommunicatus existat. Præterea Pontifex requirit, vt iudicium fori Ecclesiastici eludens ad curias sæculares recurrat. At dum iudicium incœptum non est, neque Iudex Ecclesiasticus aliquem iudicialem actum exercuit, nequit esse eius iudicij elusio, ergo recursus ante vllam sententiam, decretum, seu prouisionem, ordinationémve Iudicis Ecclesiastici hoc canone non punitur. Quapropter præsens canon solùm afficit excommunicatione eos qui post Ordinariorum, seu ab eis delegatorum sententias, & decreta, aut aliàs, id est aut aliam quamlibet prouisionem, seu ordinationem ad curias sæculares recurrerint.

Sed an opus sit, vt non solùm recurrant, sed etiam impetrent inhibitiones, seu mandata, quæque executioni mandentur? grauior est dubitatio. Partem negatiuam tuetur Reginald. *lib.9. praxi. capite 24. numero 269.* Alterius *in præsenti disp.17. cap.2. vers. verum hic oritur.* Bonac. *disp.1. de censur. q.17. p.1. num.28.* Ducuntur, quia libertas Ecclesiastica sufficienter læditur solo recursu ad sæculare tribunal, tametsi nulla inhibitio obtineatur, & à fortiori præindicatur inhibitionis consecutione & expeditione, esto executioni non mandetur. Ergo quælibet ex his actionibus puniri hac excommunicatione debet. Neque obest omnibus illis actionibus copulam & additam esse, quia sæpe hæc dictio & inter diuersa constituitur, & sensum disiunctiuum facit. Sicuti colligitur ex *leg. generaliter. Cod. de institutionib. & substitut.* & *capite 2. de Rescriptis*, vbi Felin. *à numero 11. vsque ad 28.* Et docuit Iason. *in leg. Gallus. numero 23 & 24. ff. de liberis, & posthumis.* Et in præsenti videtur necessariò, dicendum, cùm plures actiones interdicantur appositæ dictione &, quarum singulæ sufficiunt, ad censuram. 9

Cæterùm etsi hæc sententia probabilissima sit, veriorem reputo affirmantem, ad incurrendam prædictam censuram necessarium esse omnes illas tres actiones adesse, scilicet recurrere ad sæculare tribunal, obtinere prohibitionem, seu mandatum contra Ecclesiasticos Iudices, & illud exequi. Sicuti docuit Nauarr. *conf.20. de sententia excommunicat.* Filliucius *tract.16. cap.10.q.12. num.284.* Viuald. *in præsenti.* Hugolin. *vers. ac etiam eos, num.2.* Duard. *quæst. 4. num.3 & seqq.* Ducor, quia finis huius canonis est protegere iudices Ecclesiasticos, ne in vsu suæ iurisdictionis, à potestate laica deturbentur. At ex solo recursu ad sæculare tribunal, & ab eodem inhibitione, & mandato contra præfatos expedito non deturbatur eorum iurisdictio, nisi prædicta inhibitio & mandatum executioni mandetur. Ergo ad incurrendam hanc censuram recursus, inhibitio, & illius executio necessaria est. Præterea esto illa dictio & aliquando apponatur inter diuersa, & disiunctiuum sensum præstet, plerunque tamen copulatiuum sensum facit, & omnia copulata requirit, vt dispositio subsistat. *Leg. si is qui ducenta, 14. ff. de Rebus dubiis. leg. si quis ita stipulatus. ff. de verbor. obligatum.* Glossa *in Rub. ff. de iuris, & facti ignorantia.* Bart. & Bald. *ibidem.* Et pluribus comprobat Euerard. *in loco à natura copula.* Et Franciscus Paunus *in tract. de officio, & potest. capituli Sede vacante, præludio 3. per totum.* At in præsenti nulla est ratio cogens ab hac communi intelligentia recedere, quin potius ex ipso textu non leuiter confirmatur; siquidem ea dictio & in eadem clausula apposita semper copulatiuum sensum præstat, vt consideranti innotescere potest. Præterquam quòd in legibus pœnalibus semper mitior interpretatio facienda est. Neque obest solo recursu ad sæculare tribunal, solàque inhibitionis consecutione libertatem Ecclesiasticam lædi, quia non læditur ea libertas Ecclesiastica, quæ præsenti canone protegitur, quippe non impeditur vsus iurisdictionis Ecclesiasticæ. 10

Illud est certum non puniri hac excommunicatione recursum ad curiam sæcularem pro impedienda confirmatione alicuius sententiæ vel decreti; quam ibidem Ecclesiasticus Iudex postulat, quia hoc recursu non impeditur iurisdictio Ecclesiastica, sed solùm legalis illius confirmatio. At præsens canon non punit impedimentum præstitum iurisdictionis Ecclesiasticæ legali confirmationi, seu illius vsui. Vt benè notauit Sayrus, *lib.3. cap.20. num.5.* Filliucius *tract.16, cap.10.* 11

cap.10.q.12.n.285. Duard. *in hunc Canon.*16.q.6.n.4. Bonac. *disp.*1.q.17.*punct.*1.n.30.

11 Sed an mandata à curia sæculari obtenta debeant esse pœnalia, vt hac censura illa obtinens innodetur? Difficultate non caret. Nam Hugolin. *in præsenti, vers. ac etiam, num.*3. & Filliucius *tract.*16. *c.*10. *num.*285. sentiunt debere esse pœnalia, & moueri possunt, quia dictio *etiam* apposita mandatis, nequit esse ampliatiua, sed restrictiua, cùm sub nomine mandatorum Ecclesiasticæ iurisdictioni præiudicantium absolutè prolato mandata pœnalia primò, & per se veniant. Ergo illa dictio *etiam pœnalia* mandatis apposita non ampliat mandatum, sed restringit, præstatque hunc sensum. Excommunicamus eos qui aduersus Iudices Ecclesiasticos procurant decerni, & exequi inhibitiones, & mandata, quæ pœnalia sint, sicuti plerumque sunt inhibitiones. Sed rectiùs docuerunt contrarium Reginald. *lib.*9.*praxi. c.*24. *n.*369. Alterius *disp.* 17. *cap.*2. *vers. & ab illis.* Duardus *in hunc canon.*16.q.7. *num.*9. Bonac. *disp.*1. *quæst.*17.*pun.*1. *num.*32. Mouentur; quia dictio *etiam* regulariter non apponitur restrictiuè, sed ampliatiuè: vt pluribus comprobat August. Barbosa *in suo dictionario, dict.*95. *num.*1. Sed hæc ratio facilè dilui potest ex probatione contrariæ sententiæ. Quapropter ea moueor ratione, quia si solùm inhibitiones, & decreta pœnam imponentia sub hoc canone comprehenderentur non satis consultum esset iurisdictioni Ecclesiasticæ, eiúsve liber vsus non satis defenderetur, siquidem sæpè inhibitione, & mandato simplici à curia sæculari expedito vsus Ecclesiasticæ iurisdictionis impeditur. Quapropter existimo dictionem illam *etiam* non tam esse appositam ad ampliationem mandati, quàm ad declarationem, illius, quod grauiùs, & efficaciùs iurisdictionis Ecclesiasticæ vsum impedit.

13 Deinde excommunicantur Iudices qui ex potestate laïca prædictas inhibitiones, & mandata aduersus præfatos Ordinarios decernunt, & exequuntur. Non enim satis esse videtur ea quæ *num. præcedenti* dicta sunt, si Iudices decernant, nisi simul exequi faciant. Sed an non solùm ipsi Iudices qui authoritatiuè mandata exequuntur mediis ministris, sed etiam ipsi ministri de facto exequentes hac excommunicatione innodentur; Alicui videri posset non innodari, quia ipsi non decernunt mandata, sed mandata exequuntur, & non authoritate propria, sed aliena, at Textus eos executores punit qui simul mandata, & inhibitiones decernunt, eáque propria authoritate siue ordinaria, siue delegata exequuntur. Sed dicendum est, esto huiusmodi ministri liberi sint ab hac excommunicatione ex vi huius clausulæ: at in illam incidunt quatenus auxilium, & fauorem præstant iudicibus ad sua iniqua mandata exequenda.

14 Tandem excommunicantur præstantes auxilium, patrocinium, & fauorem in eisdem, hoc est in eisdem actionibus, quæ prædicto canone sub excommunicatione prohibentur. Quare si impedienti vsum iurisdictionis Ecclesiasticæ ordinariæ vel recurrenti ad curias sæculares ad eius iudicium eludendum, vel decernenti, exequentique inhibitiones, & mandata contra dictos iudices Ecclesiasticos consilium, patrocinium, & fauorem præstes in hanc incidis excommunicationem: dummodò ex vi consilij, patrocinij, & fauoris impedimentum iurisdictionis Ecclesiasticę, vel recursus ad curias sæculares, vel iniqui decreti expeditio, & executio subsequatur. Sicuti tradit ex communi sententia Reginald. *lib* 9. *cap.*24. *numero* 369. Hugolin. *in præsenti, vers. seu dant.* Alterius *disputat.*17.*cap.*2. *circa finem. vers. Nihilominus.* Bonac. *de censur. in part. disputat.*1. *quæst.*17. *part.*1. *in fine.*

Dixi *præstantes consilium, patrocinium, & fauorem*; non quia omnia hæc sint necessaria ad incurrendam censuram. Satis enim est, si consilium vel patrocinium præstetur, seu quicunque alius fauor, quia hæ actiones in suo genere completæ sunt, neque vna est via ad aliam, sicuti sunt plures actiones hoc canone prohibitæ. Etenim recursus est propter impetrandam inhibitionem, & inhibitio propter executionem, quam vt finem vltimum petit.

Et quamuis sub fauore patrocinium comprehendatur, inde inferri non potest superfluè appositum esse, quia non est appositum post prohibitum fauorem, sed ante illius prohibitionem, & tunc fauor non comprehendit patrocinium, sed quodlibet aliud auxilium à patrocinio distinctum, ita vt sensus sit, excommunicantur qui præstant consilium, vel patrocinium, vel quemlibet alium fauorem in prædictis. Præterquam quòd iustissimum erat, vt patrocinium exprimeretur, & verbis expressis denotaretur, quia in actionibus hoc canone prohibitis nullus alius fauor reperitur frequentior, nec qui magis iniquitatem earum actionum promoueat.

PVNCTVM XVIII.

Expenditur decimaseptima excommunicatio aduersus vsurpatores, & sequestratores sine legitima Superiorum licentia, reddituum, fructuum, & prouentuum ad Pontificem, Sedémque Apostolicam, vel alias personas Ecclesiasticas pertinentium.

1 *Refertur Textus.*
2 *Materia huius excommunicationis continet iniustitiam, & sacrilegium.*
3 *Quæ persona huic excommunicationi subiiciantur?*
4 *Ob quas actiones hac excommunicatio incurratur?*
5 *Quis dicatur illegitimè bona Ecclesiastica sequestraye?*
9 *Referuntur casus, in quibus de iure sequestrum permissum est.*
7 *Non est opus sequestrationem fieri sub ea ratione, quòd bona Ecclesiastica sint, tametsi oppositum plures censeant?*
8 *Quid si bona ab alio vsurpata, vel sequestrata retineres.*
9 *Nomine bonorum quæ sequestrari debent intelliguntur iurisdictiones tam Ecclesiastica, quàm temporales.*
10 *Item fructus, reditus, & prouentus.*
11 *Fructus vsurpatus debet competere personæ vsurpatæ ratione Ecclesiæ, vel beneficij Ecclesiastici.*
11 *Aliquibus placet bona pertinentia ad Pontificem, quatenus dominus temporalis est, hac excommunicatione protegi.*
13 *Verius oppositum videtur.*
14 *Satisfit contrarijs argumentis.*
15 *Quid nomine Ecclesiastica persona in hoc Canone intelligatur?*
16 *Comprehenditur vsurpatio bonorum beneficij vacantis.*
17 *Negant aliqui comprehendi vsurpationem ipsius Ecclesiæ, monasterij, vel beneficij.*
18 *Oppositum alij affirmant.*
19 *Prior sententia spectato iuris rigore videtur probabilior, sed secunda tenenda est.*
20 *Non comprehenditur pecunia ex fructibus beneficij venditis acquisita.*
21 *Neque item comprehenditur vsurpatio fructuum beneficij conductori facta.*

SVb eodem tenore, quo duo præcedentes canones lati sunt, inquit Pontifex se communicare, qui iurisdictiones, seu fructus, reditus & prouentus ad Nos & Sedem Apostolicam, & quascunque Ecclesiasticas personas ratione Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum pertinentes vsurpant; vel etiam quauis occasione vel causa sine Romani Pontificis, vel aliorum ad id legitimam facultatem habentium expressa licentia sequestrant. 1

Nemini est dubium vsurpatorem horum bonorum, & sequestratorem iniquum iniustitiam committere, vtpotè qui actionem præstat iuri alieno præiudicantem, & præterea sacrilegum esse; offendit enim Ecclesiasticam libertatem, & authoritatem, in cuius protectionem hæ vsurpationes, & sequestrationes sub excommunicatione interdicuntur. Sicuti tradit Caiet. *verbo Excommunicatio cap.*27. Sayrus *lib.*3.*thesauri casuum conscientiæ.cap.*21.*n.*2. Filliucius *tract.*16.*cap.*8.*quæst.*8. *num.*209. Alterius *in præsenti disp.*18.*cap.*1.*vers. hinc sequitur.* Bonac. *disp.*1.*de censur.in partic.quæst.*18.*pun.*1.*num.*1. & alij communiter. 2

Personæ verò in quas hæc excommunicatio fertur sunt omnes cuiuscunque sexus, & conditionis existant, qui prædicta bona vsurpauerint, vel sine legitima licentia sequestrauerint prætextu potestatis laïcæ. Nam cùm hic canon latus in defensionem bonorum Ecclesiasticorum præcedentibus annectatur, & sub eodem tenore, vt constat ex eius initio, *Necnon qui, &c.* & præcedentes de defensione iurisdictionis Ecclesiasticæ aduersus laïcas potestates loquantur, censendus est hic canon similiter latus in defensionem Ecclesiasticorum bonorum contra potestatem laïcam. Quare etsi verba canonis generalia sint, ex subiecta materia & ex antecedentibus restringuntur. Si enim Pontifex in huiusmodi canone vellet suam dispositionem non solùm aduersus potestatem laïcam, sed etiam Ecclesiasticam extendere, nullatenus hunc canonem præcedenti annecteret, sed diuersum, & omnino ab eo distinctum statueret, verbisque apertioribus suam intentionem exprimeret. Quod cùm factum non sit, credendum est velle solam potestatem laïcam coërcere, & ab illius audacia, & temeritate bona Ecclesiastica protegere. Vt tradit Hugolin. *in præsenti, cap.*17. 3

ne sua iurisdictione vtatur. Indirectè tamen impedis carcerando, vel molestãdo eorum iudicum Ecclesiasticorum agentes, procuratores, familiares, necnon consanguineos, & affines. Sicuti notatur in *dicto canone*.

4 Sed an authoritate publica hoc impedimentum apponere debeas? non conueniunt Doctores. Nam Hugolin. *in præsenti. §.1. num.1. vers. quæ excommunicatio.* Alterius *lib.5. disp.17. capit.1. vers. sed dubitari potest:* censent non esse opus authoritate publica impedimentum apponi, sed quocumque modo ponatur hac censura comprehendi. Moueri possunt ex illo aduerbio *quomodolibet*, quod quemcunque modum impediendi comprehendit. Nihilominus verius est solùm impedimentum authoritate publica positum hac puniri censura. Sicuti docuit Nauarr. *cap.27.num.69.& 70* Graffis *1.p. lib.4. cap.18. numero.* 139. Suar. *de censur. disputat.21. sect.2.n.* 75. Filliucius *tract.16.c.10.q.10.n.277.* esto *q.6. ad finem* contrarium docuisse videatur. Alterius *lib.5. disp.17. cap.1. initio.* Bonac. *disp.1. quæst.17. pun.1.num.7.* Etenim hæc censura præcedenti connexa est, vt constat ex eius initio, ibi: *Necnon qui Archiepiscopos &c.* At præcedens censura solùm fertur aduersus eos, qui prætextu iurisdictionis laicæ Ecclesiasticas personas ad suum tribunal trahunt, vt dictum est. Ergo etiam hæc censura fertur tantùm aduersus eos qui prætextu eiusdem iurisdictionis Ecclesiasticæ ordinariorum impediunt. Neque obstat aduerbium illud *quomodolibet*, quia appositum est ad declarandum quocunque modo à potestate laica iurisdictio Ecclesiastica iniquè impediatur sub hac censura comprehendi.

5 Deinde impedire debes vsum iurisdictionis Ecclesiasticæ; vt in textu habetur, ne sua iurisdictione Ecclesiastica contra quoscunque vtantur. Non enim ob impedimentum Episcopo appositum, ne sua temporali, & sæculari iurisdictione vratur hac excommunicatione ligaris. Item impedire debes vsum iurisdictionis Ecclesiasticæ ordinariæ non delegatæ, nam Textus expressè dicit *impedientes ordinarios, ne sua iurisdictione vtantur.* Iurisdictio autem propria Ordinariorum ordinaria est non delegata. Sub qua iurisdictione ordinaria comprehenditur potestas à Conc. Tridentino Ordinariis concessa tanquam Apostolicæ Sedis delegatis, nempe corrigendi Religiosos exemptos extra monasterium delinquentes. Vt habetur *sess.6. cap.3. de reformat.* & absoluendi subditos in casibus occultis Sedi Apostolicæ reseruatis, *sess.24. cap.6. de reformat.* & aliæ potestates similes, quia hæ potestates induunt naturam potestatis ordinariæ, vtpotè personis ratione dignitatis, & in perpetuum concessæ. Sicuti probat Bart. *in leg. ambitiosa num.3 4. ff. de decretis ab ordine faciendis.* Bald. *in cap. fin. num. vnico de officio Ordinarij.* Couarruu. *3. var. cap.20. num.6.& 9.* Et pluribus exornat Sanch. *lib.2. de matr. disp.40. num.14.& seqq.* Et tradit in præsenti Sayrus *lib.3. cap.20. num.4.* Suar. *disp.21. sect.1. num.75.* Filliucius *tract.15. cap.2. quæst.6.* Alterius *disputat.17. cap.1. col.6.* Duardus *canon.16. quæst.2. numero 2.* Bonacina *disp.1. de censur. quæst.17. part.1. num.12.*

6 Non solùm ad hanc censuram incurrendam impediri debet iurisdictio quæ Ecclesiastica sit, & ordinaria, sed debet esse secundùm quod canones, & sacræ constitutiones Ecclesiasticæ, & decreta Conciliorum, maximè Tridentini statuunt. Quapropter si iurisdictio adsit, quæ solùm ex consuetudine, vel ex synodali constitutione Ordinariis competat, quæ tamen Conciliorum decretis saltem in genere approbata non sit (quæ vix potest contingere) hac censura non protegitur. Quippe nomine canonis, sacræ constitutionis leges à Pontifice latæ intelliguntur maximè in materia pœnali. argum. Textus *in c.2. de constitut.* & tradit Bonac. *disp.1. de censur. q.17. pun.1. num.18.& seqq.*

7 In secunda parte huius canonis excommunicantur qui post Ordinariorum, seu ab eis delegatorum sententia, & decreta, aut aliàs fori Ecclesiastici iudicium eludentes ad cancellarius, aliásque curias sæculares recurrunt, & ab illis prohibitiones, & mandata etiam pœnalia ordinariis, aut delegatis prædictis decerni, & contra illos exequi procurant. Secundò excommunicantur qui hæc decernunt, & exequuntur. Tertiò qui dant consilium, patrocinium, & fauorem in eisdem.

8 Aliquibus scilicet Reginald. *lib.9. praxi cap.24. num.369.* Filliucio *tract.16. cap.10.q.11. num.283.* Bonac. *disp.1. de censur. quæst.17. punct.1. numero 23.* placet recursum ad sæcularia tribunalia timore alicuius decreti à Iudice Ecclesiastico ferendi hac censura puniri; quia esto illis verbis *qui post sententiam &c.* indicet Textus solùm recursum post sententiam, & decretum latum à Iudice Ecclesiastico hac affici excommunicatione. At illud aduerbium *aliàs* quod idem est ac *aliter*, & *alio modo. leg.1. §. iure. ff. de conditionib. & demonstrationib.* & *leg. denique, §. interdum. ff. de priuilegiis legatis.* indicat non solùm post sententiam, & decretum, sed etiam ante comprehendi. Sed longè verius est oppositum, vti tradit Hugolin. *in præsenti, vers. ac etiam numero 1.* Duardus *in can.16. quæst.1. vers. Nam in primis.* Alterius *disp.17. cap.2. vers. quare.* Si enim Pontifex vellet recursum ad curiam sæcularem ante & post sententiam, seu decretum Iudicis Ecclesiastici punire, omitteret exprimere *post sententiam*, apertiùs namque suam intentionem explicaret appositis illis verbis. *Et qui fori Ecclesiastici iudicium eludentes ad curias sæculares recurrunt*, omissis antecedentibus verbis *post sententiam, seu decretum, aut aliàs.* Neque obest aduerbium illud *aliàs*, quia non refertur ad præcedens aduerbium *post*, sed ad sententiam, & decretum, ita vt præster hunc sensum, qui post litis decisiuam, hæc enim propriè sententia nuncupatur, vel post sententiam interlocutoriam, quæ decretum dicitur, vel post quamlibet aliam prouisionem, ordinationem, citationem, monitionem à Iudice Ecclesiastico factam, vt illius iudicium eludat, & vanum reddat ad sæculares curias confugit, excommunicatus existat. Præterea Pontifex requirit, vt iudicium fori Ecclesiastici eludens ad curias sæculares recurrat. At dum iudicium incœptum non est, neque Iudex Ecclesiasticus aliquem iudicialem actum exercuit, nequit esse eius iudicij elusio, ergo recursus ante vllam sententiam, decretum, seu prouisionem, ordinationémve Iudicis Ecclesiastici hoc canone non punitur. Quapropter præsens canon solùm afficit excommunicatione eos qui post Ordinariorum, seu ab eis delegatorum sententias, & decreta, aut aliàs, id est aut aliam quamlibet prouisionem, seu ordinationem ad curias sæculares recurrerint.

Sed an opus sit, vt non solùm recurrant, sed etiam impetrent inhibitiones, seu mandata, quæque executioni mandentur? grauior est dubitatio. Partem negatiuam tuetur Reginald. *lib.9. praxi. capite 24. numero 269.* Alterius *in præsenti disp.17. cap.2. vers. verum hic oritur.* Bonac. *disp.1. de censur. q.17. p.1. num.28.* Ducuntur, quia libertas Ecclesiastica sufficienter læditur solo recursu ad sæculare tribunal, tametsi nulla inhibitio obtineatur, & à fortiori præindicatur inhibitionis consecutione & expeditione, esto executioni non mandetur. Ergo quælibet ex his actionibus puniri hac excommunicatione debet. Neque obest omnibus illis actionibus copulam & additam esse, quia sæpe hæc dictio & inter diuersa constituitur, & sensum disiunctiuum facit. Sicuti colligitur ex *leg. generaliter. Cod. de institutionib. & substitut.* & *capite 2. de Rescriptis*, vbi Felin. *à numero 11. vsque ad 28.* Et docuit Iason. *in leg. Gallus. numero 23 & 24. ff. de liberis, & posthumis.* Et in præsenti videtur necessariò, dicendum, cùm plures actiones interdicantur appositæ dictione &, quarum singulæ sufficiunt, ad censuram. 9

Cæterùm etsi hæc sententia probabilissima sit, veriorem reputo affirmantem, ad incurrendam prædictam censuram necessarium esse omnes illas tres actiones adesse, scilicet recurrere ad sæculare tribunal, obtinere prohibitionem, seu mandatum contra Ecclesiasticos Iudices, & illud exequi. Sicuti docuit Nauarr. *conf.20. de sententia excommunicat.* Filliucius *tract.16. cap.10.q.12. num.284.* Viuald. *in præsenti.* Hugolin. *vers. ac etiam eos, num.2.* Duard. *quæst. 4. num.3 & seqq.* Ducor, quia finis huius canonis est protegere iudices Ecclesiasticos, ne in vsu suæ iurisdictionis, à potestate laica deturbentur. At ex solo recursu ad sæculare tribunal, & ab eodem inhibitione, & mandato contra præfatos expedito non deturbatur eorum iurisdictio, nisi prædicta inhibitio & mandatum executioni mandetur. Ergo ad incurrendam hanc censuram recursus, inhibitio, & illius executio necessaria est. Præterea esto illa dictio & aliquando apponatur inter diuersa, & disiunctiuum sensum præstet, plerunque tamen copulatiuum sensum facit, & omnia copulata requirit, vt dispositio subsistat. *Leg. si is qui ducenta, 14. ff. de Rebus dubiis. leg. si quis ita stipulatus. ff. de verbor. obligatum.* Glossa *in Rub. ff. de iuris, & facti ignorantia.* Bart. & Bald. *ibidem.* Et pluribus comprobat Euerard. *in loco à natura copula.* Et Franciscus Paunus *in tract. de officio, & potest. capituli Sede vacante, præludio 3. per totum.* At in præsenti nulla est ratio cogens ab hac communi intelligentia recedere, quin potius ex ipso textu non leuiter confirmatur; siquidem ea dictio & in eadem clausula apposita semper copulatiuum sensum præstat, vt consideranti innotescere potest. Præterquam quòd in legibus pœnalibus semper mitior interpretatio facienda est. Neque obest solo recursu ad sæculare tribunal, solàque inhibitionis consecutione libertatem Ecclesiasticam lædi, quia non læditur ea libertas Ecclesiastica, quæ præsenti canone protegitur, quippe non impeditur vsus iurisdictionis Ecclesiasticæ. 10

Illud est certum non puniri hac excommunicatione recursum ad curiam sæcularem pro impedienda confirmatione alicuius sententiæ vel decreti; quam ibidem Ecclesiasticus Iudex postulat, quia hoc recursu non impeditur iurisdictio Ecclesiastica, sed solùm legalis illius confirmatio. At præsens canon non punit impedimentum præstitum iurisdictionis Ecclesiasticæ legali confirmationi, seu illius vsui. Vt benè notauit Sayrus, *lib.3. cap.20. num.5.* Filliucius *tract.16, cap.10.* 11

cap.10.q.12.n.285. Duard. *in hunc Canon.*16.q.6.n.4. Bonac. *disp.*1.q.17.*punct.*1.n.30.

11 Sed an mandata à curia sæculari obtenta debeant esse pœnalia, vt hac censura illa obtinens innodetur? Difficultate non caret. Nam Hugolin. *in præsenti, vers. ac etiam, num.*3. & Filliucius *tract.*16. *c.*10. *num.*285. sentiunt debere esse pœnalia, & moueri possunt, quia dictio *etiam* apposita mandatis, nequit esse ampliatiua, sed restrictiua, cùm sub nomine mandatorum Ecclesiasticæ iurisdictioni præiudicantium absolutè prolato mandata pœnalia primò, & per se veniant. Ergo illa dictio *etiam pœnalia* mandatis apposita non ampliat mandatum, sed restringit, præstatque hunc sensum. Excommunicamus eos qui aduersus Iudices Ecclesiasticos procurant decerni, & exequi inhibitiones, & mandata, quæ pœnalia sint, sicuti plerumque sunt inhibitiones. Sed rectiùs docuerunt contrarium Reginald. *lib.*9.*praxi. c.*24. *n.*369. Alterius *disp.* 17. *cap.*2. *vers. & ab illis.* Duardus *in hunc canon.*16.q.7. *num.*9. Bonac. *disp.*1. *quæst.*17.*pun.*1. *num.*32. Mouentur; quia dictio *etiam* regulariter non apponitur restrictiuè, sed ampliatiuè: vt pluribus comprobat August. Barbosa *in suo dictionario, dict.*95. *num.*1. Sed hæc ratio facilè dilui potest ex probatione contrariæ sententiæ. Quapropter ea moueor ratione, quia si solùm inhibitiones, & decreta pœnam imponentia sub hoc canone comprehenderentur non satis consultum esset iurisdictioni Ecclesiasticæ, eiúsve liber vsus non satis defenderetur, siquidem sæpè inhibitione, & mandato simplici à curia sæculari expedito vsus Ecclesiasticæ iurisdictionis impeditur. Quapropter existimo dictionem illam *etiam* non tam esse appositam ad ampliationem mandati, quàm ad declarationem, illius, quod grauiùs, & efficaciùs iurisdictionis Ecclesiasticæ vsum impedit.

13 Deinde excommunicantur Iudices qui ex potestate laïca prædictas inhibitiones, & mandata aduersus præfatos Ordinarios decernunt, & exequuntur. Non enim satis esse videtur ea quæ *num. præcedenti* dicta sunt, si Iudices decernant, nisi simul exequi faciant. Sed an non solùm ipsi Iudices qui authoritatiuè mandata exequuntur mediis ministris, sed etiam ipsi ministri de facto exequentes hac excommunicatione innodentur; Alicui videri posset non innodari, quia ipsi non decernunt mandata, sed mandata exequuntur, & non authoritate propria, sed aliena, at Textus eos executores punit qui simul mandata, & inhibitiones decernunt, eáque propria authoritate siue ordinaria, siue delegata exequuntur. Sed dicendum est, esto huiusmodi ministri liberi sint ab hac excommunicatione ex vi huius clausulæ: at in illam incidunt quatenus auxilium, & fauorem præstant iudicibus ad sua iniqua mandata exequenda.

14 Tandem excommunicantur præstantes auxilium, patrocinium, & fauorem in eisdem, hoc est in eisdem actionibus, quæ prædicto canone sub excommunicatione prohibentur. Quare si impedienti vsum iurisdictionis Ecclesiasticæ ordinariæ vel recurrenti ad curias sæculares ad eius iudicium eludendum, vel decernenti, exequentique inhibitiones, & mandata contra dictos iudices Ecclesiasticos consilium, patrocinium, & fauorem præstes in hanc incidis excommunicationem: dummodò ex vi consilij, patrocinij, & fauoris impedimentum iurisdictionis Ecclesiasticę, vel recursus ad curias sæculares, vel iniqui decreti expeditio, & executio subsequatur. Sicuti tradit ex communi sententia Reginald. *lib* 9. *cap.*24. *numero* 369. Hugolin. *in præsenti, vers. seu dant.* Alterius *disputat.*17.*cap.*2. *circa finem. vers. Nihilominus.* Bonac. *de censur. in part. disputat.*1. *quæst.*17. *part.*1. *in fine.*

Dixi *præstantes consilium, patrocinium, & fauorem*; non quia omnia hæc sint necessaria ad incurrendam censuram. Satis enim est, si consilium vel patrocinium præstetur, seu quicunque alius fauor, quia hæ actiones in suo genere completæ sunt, neque vna est via ad aliam, sicuti sunt plures actiones hoc canone prohibitæ. Etenim recursus est propter impetrandam inhibitionem, & inhibitio propter executionem, quam vt finem vltimum petit.

Et quamuis sub fauore patrocinium comprehendatur, inde inferri non potest superfluè appositum esse, quia non est appositum post prohibitum fauorem, sed ante illius prohibitionem, & tunc fauor non comprehendit patrocinium, sed quodlibet aliud auxilium à patrocinio distinctum, ita vt sensus sit, excommunicantur qui præstant consilium, vel patrocinium, vel quemlibet alium fauorem in prædictis. Præterquam quòd iustissimum erat, vt patrocinium exprimeretur, & verbis expressis denotaretur, quia in actionibus hoc canone prohibitis nullus alius fauor reperitur frequentior, nec qui magis iniquitatem earum actionum promoueat.

PVNCTVM XVIII.

Expenditur decimaseptima excommunicatio aduersus vsurpatores, & sequestratores sine legitima Superiorum licentia, reddituum, fructuum, & prouentuum ad Pontificem, Sedémque Apostolicam, vel alias personas Ecclesiasticas pertinentium.

1 *Refertur Textus.*
2 *Materia huius excommunicationis continet iniustitiam, & sacrilegium.*
3 *Quæ persona huic excommunicationi subiiciantur?*
4 *Ob quas actiones hac excommunicatio incurratur?*
5 *Quis dicatur illegitimè bona Ecclesiastica sequestraye?*
9 *Referuntur casus, in quibus de iure sequestrum permissum est.*
7 *Non est opus sequestrationem fieri sub ea ratione, quòd bona Ecclesiastica sint, tametsi oppositum plures censeant?*
8 *Quid si bona ab alio vsurpata, vel sequestrata retineres.*
9 *Nomine bonorum quæ sequestrari debent intelliguntur iurisdictiones tam Ecclesiastica, quàm temporales.*
10 *Item fructus, reditus, & prouentus.*
11 *Fructus vsurpatus debet competere personæ vsurpatæ ratione Ecclesiæ, vel beneficij Ecclesiastici.*
11 *Aliquibus placet bona pertinentia ad Pontificem, quatenus dominus temporalis est, hac excommunicatione protegi.*
13 *Verius oppositum videtur.*
14 *Satisfit contrarijs argumentis.*
15 *Quid nomine Ecclesiastica persona in hoc Canone intelligatur?*
16 *Comprehenditur vsurpatio bonorum beneficij vacantis.*
17 *Negant aliqui comprehendi vsurpationem ipsius Ecclesiæ, monasterij, vel beneficij.*
18 *Oppositum alij affirmant.*
19 *Prior sententia spectato iuris rigore videtur probabilior, sed secunda tenenda est.*
20 *Non comprehenditur pecunia ex fructibus beneficij venditis acquisita.*
21 *Neque item comprehenditur vsurpatio fructuum beneficij conductori facta.*

SVb eodem tenore, quo duo præcedentes canones lati sunt, inquit Pontifex se communicare, qui iurisdictiones, seu fructus, reditus & prouentus ad Nos & Sedem Apostolicam, & quascunque Ecclesiasticas personas ratione Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum pertinentes vsurpant; vel etiam quauis occasione vel causa sine Romani Pontificis, vel aliorum ad id legitimam facultatem habentium expressa licentia sequestrant. 1

Nemini est dubium vsurpatorem horum bonorum, & sequestratorem iniquum iniustitiam committere, vtpotè qui actionem præstat iuri alieno præiudicantem, & præterea sacrilegum esse; offendit enim Ecclesiasticam libertatem, & authoritatem, in cuius protectionem hæ vsurpationes, & sequestrationes sub excommunicatione interdicuntur. Sicuti tradit Caiet. *verbo Excommunicatio cap.*27. Sayrus *lib.*3.*thesauri casuum conscientiæ.cap.*21.*n.*2. Filliucius *tract.*16.*cap.*8.*quæst.*8. *num.*209. Alterius *in præsenti disp.*18.*cap.*1.*vers. hinc sequitur.* Bonac. *disp.*1.*de censur.in partic.quæst.*18.*pun.*1.*num.*1. & alij communiter. 2

Personæ verò in quas hæc excommunicatio fertur sunt omnes cuiuscunque sexus, & conditionis existant, qui prædicta bona vsurpauerint, vel sine legitima licentia sequestrauerint prætextu potestatis laïcæ. Nam cùm hic canon latus in defensionem bonorum Ecclesiasticorum præcedentibus annectatur, & sub eodem tenore, vt constat ex eius initio, *Necnon qui, &c.* & præcedentes de defensione iurisdictionis Ecclesiasticæ aduersus laïcas potestates loquantur, censendus est hic canon similiter latus in defensionem Ecclesiasticorum bonorum contra potestatem laïcam. Quare etsi verba canonis generalia sint, ex subiecta materia & ex antecedentibus restringuntur. Si enim Pontifex in huiusmodi canone vellet suam dispositionem non solùm aduersus potestatem laïcam, sed etiam Ecclesiasticam extendere, nullatenus hunc canonem præcedenti annecteret, sed diuersum, & omnino ab eo distinctum statueret, verbisque apertioribus suam intentionem exprimeret. Quod cùm factum non sit, credendum est velle solam potestatem laïcam coërcere, & ab illius audacia, & temeritate bona Ecclesiastica protegere. Vt tradit Hugolin. *in præsenti, cap.*17. 3

§.1. *vers. vel etiam.* Anton. de Sousa, *cap.*18. *disp.*90. *vers. respondendum.* Duard. *lib.*2. *can.*17. *quæst.*13. *vers. ampliatur.* Alterius *lib.*5. *disp.*18. *cap.*2. *vers. respondeo,* & alij; tametsi contra sentiat Reginald. *lib.*9. *cap.*25. *num.*372. Bonac. alios referens *disputat.*1. *de censur. bullæ, quæst.*18. *punct.*3. *numero* 2.

4 Vt igitur hæ personæ in censuram huius canonis incidant debent bona ibidem contenta vsurpare, vel sine legitima facultate sequestrare. Is autem propriè dicitur bona aliena vsurpare, qui ea tanquam propria, & vt sibi debita assumit, tametsi sciat ad alium pertinere, vt tradit Glossa *in cap. multi* 2. *q.*1. & in præsenti docet Caiet. *verbo Excommunicatio cap.*27. Nauarr. *cap.*27. *num.*69. Suar. *disput.*21. *sect.*2. *num.*96. Tolet. *lib.*1. *sum. cap.*28. *verbo tertia.* Filliucius *tract.* 16. *cap.*8. *num.*225. Bonac. *disp.*1. *q.*18. *pun.*1. *num.*3. & alij communiter. Quocirca si ea bona non tanquam propria, seu tibi debita acciperes, sed vt aliena, vti faciunt fures, & latrones in hanc excommunicationem non incideres, quia esto aliena inuito domino accipias, non vsurpas, vt benè aduertunt prædicti Doctores.

5 Is verò ea bona sequestrare illegitimè dicitur, qui ea absque legitima facultate apud se, vel alium deponit, impediens illorum liberum vsum iis quibus de iure competebat. Vt docet Suar. *sect.*2. *num.*98. Bonac. *pun.*1. *in fine, num.*8. Hanc facultatem concedere possunt omnes illi, quibus de iure sequestrum facere permittitur. Vti est summus Pontifex, Episcopus, eius Vicarius, Legatus Sedis Apostolicæ, & Nuncius. Debet tamen causa rationabilis adesse. Non enim prohibito sequestrum fieri potest, cùm res odiosa sit, & regulariter interdicta. *leg. vnica. Cod. de prohibita sequestrat.* & *arg. cap.*1. *vt lite pendente, cap.*1. *de sequestrat. possessionis, & fructuum.* Et comprobat Franciscus Curtius *in tract. de sequestris num.*6.

6 Attamen plures casus referunt Doctores, in quibus de iure sequestrum permissum est, vt videre est *in Glossa leg.*1. *Cod. de prohibita sequestrat. pecunia.* & *in Glossa fin. in c.*2. *de sequestrat. possessionis.* Et in Abbate *ibidem à num.*7. Gregorio Lopez, *leg.*1. *tit.*9. *part.*3. per Textum *ibi.* Lancelloto *de attentatis* 2. *p. cap.*12. *limit.*12. & 3. *p. cap.*29. *num.*148. Frequentiores sunt, cùm beneficium vacat, quia tunc sequestrantur fructus cum appositione œconomi, iuxta Textum *in cap. cum vos, de officio Ordinar. leg. regia* 11. *tit.*15. *part.*1. Secundò quando possessio beneficij est attentata, vtpotè capta lite pendente statim ante sententiam conceditur sequestrum, vt pluribus relatis docet Gonzalez *in reg.*8. *cancellar.* §.7. *procem. num.*37. Tertiò cùm adest probabilis timor fructus dilapidandos esse, vel non esse commodè recuperandos, iuxta Textum *in cap.*2. *& fin. de sequestrat. possessi.* & *fructuum.* Quartò cùm adest iis inter prouisum à Sede Apostolica, & Ordinario iuxta constitut. Pii V. incipientem *Cordi nobis est,* datam 1. Kalend. Aprilis, anno 1568. Quintò ad coërcendum alicuius contumaciam, *cap.*2. *de Dolo, & contumacia.* Tandem quoties iudici visum fuerit adesse iustam causam apponendi sequestrum. Vt notat Bart. *in leg. imperatores.* §. *fin. num.*3. *ff. de appellationib.* Lancellot. *de attentatis* 3. *p. cap* 29. *num.*149. Gonzalez aliis relatis *reg.*8. *cancellariæ,* §.7. *procem. numero* 27. Hi igitur casus Ecclesiasticis conceduntur. Qui ergo extra illos absque Ecclesiasticorum legitima facultate sequestrum prætextu authoritatis laicæ apponeret in hanc censuram incurreret. Neque immunis ab illa erit, ex eo quòd sequestrationem, vel vsurpationem fecerit ex præsumpta licentia, seu ratihabitione, quia Pontifex expressam licentiam requirit. Præsumptio autem licentiæ, seu illius ratihabitio non est licentia expressa, sed ad summum tacita, & virtualis. Quod à fortiori procedit, cùm ratihabitio, & præsumptio est de futuro, quia hæc neque virtualiter est licentia, sed erit, ac proinde honestare non potest actum, cui licentia expressa requiritur. Vt benè tradit Alterius *lib.*5. *disput.*18. *cap.*2. *q.*2. Duard. *in præsenti can.* 17. *quæst.*13. *num.*7. Bonac. *disputat.*1. *de censur. q.*18. *p.*3. *numero* 15.

7 Sed an vsurpans, vel sequestrans dicta bona debeat vsurpare, vel sequestrare ex eo quòd sunt bona Ecclesiastica? Doctores dissentiunt. Nam Caiet. *verbo Excommunicatio, cap.*27. *vers. secunda.* Nauarr. *cap.*27. *sum. num.*70. Sebastianus de Medicis *in sum. peccat. capit. sit.*9. *q.*78. *num.*18. & 83. Alterius *lib.*5. *disp.*18. *cap.*1. *dub.*2. existimant opus esse ea intentione vsurpationem, & sequestrationem fieri, quia hæc vsurpatio, & sequestratio puniuntur vt Ecclesiæ libertati præiudicans, quæ non satis videtur præiudicari, si eius bona ea intentione non vsurpentur, & sequestrentur. Sed oppositum tenendum est; satis esse ad hanc censuram, si vsurpans, & sequestrans ea bona sciat ad Ecclesiam, Ecclesiasticásve personas pertinere, quacunque intentione ducatur; quia Textus solùm requirit vsurpationem, vel sequestrationem bonorum ad Pontificem, eiúsque Sedem, & Ecclesiasticas personas ratione Ecclesiæ, Monasterij, vel beneficij Ecclesiastici pertinentium, quod sufficienter verificatur, esto desit intentio formalis vsurpandi, vel sequestrandi ea bona quatenus sunt Ecclesiæ. Etenim si hæc intentio necessaria esset, vt hæc censura locum haberet, ferè nullius esset vtilitatis, cùm raro, vel nunquam vsurpantes, vel sequestrantes eam intentionem habeant, & in sequestratione id est manifestum, cùm expresè Textus damnet sequestrationem illegitimè factam quauis occasione, vel causa. Atque ita tradit Tolet. *lib.*1. *cap.*29. *num.*7. Sayrus *lib.*3. *cap.*21. *num.*4. Filliucius *tract.*16. *cap.*8. *num.*223. Bonac. *disp.*1. *de censur. d.*18. *part.*1. *num.*7.

8 Ex eo autem quòd ab alio vsurpata, vel sequestrata bona tu retineres, alicui videri posset te non ligari huius canonis censura; siquidem non fertur aduersus eos qui vsurpantibus, vel sequestrantibus auxilium, vel fauorem præstant. Sed distinguendum est, si prætextu potestatis sæcularis ea bona retineas pro certo haberi debet te excommunicationi subiici; quia illa retentio est noua vsurpatio, vel sequestratio, seu præcedentis vsurpationis, & sequestrationis authentica continuatio. Secus esset, si ex obedientia, & mandato vsurpantis, vel sequestrantis retineres; quia tunc non ex prætextu potestatis laicæ cum nullam habeas, retines, sed prætextu mandati, cui non audes contradicere.

9 Bona verò quæ vsurpare, vel sequestrare debes, vt in hanc excommunicationem incidas, sunt primò iurisdictiones tum Ecclesiasticæ, tum temporales, quia vtraque iurisdictio nomine iurisdictionis continetur, & vtraque ex beneficio Ecclesiastico tanquam illius fructus nasci potest. Sicuti docet Suar. *disp.*21. *sect.*2. *num.*95. Filliucius *tract.*16. *cap.*8. *num.*225. Hugolin. *in præsenti cap.*17. *numer.*1. Duard. *lib.*2. *can.*17. *q.*3. *num.*13. Bonac. *disput.*1. *de censur. bulla, quæst.*18. *punct.*2. *num.*3. Neque obest quod *Canone* 14. 15. & 16. actum sit de iurisdictione spirituali, quia in illis Canonibus non vsurpatio, sed impedimenti appositio libero iurisdictionis Ecclesiasticæ vsui prohibetur. Præterquam quòd nullum est inconueniens, quòd obiectum vna lege prohibitum, alia partialiter prohibeatur.

10 Secundò fructus, redditus, & prouentus, sub quorum appellatione quælibet emolumenta, & temporales vtilitates comprehenduntur. Fructus namque sunt illi, qui tum à natura, tum intercedente hominis industriâ ex re fructifera prouenium. Redditus appellatur fructus fundi singulis annis rediens, vel quem ipse fundus naturaliter reddit. Prouentus comprehendit omne emolumentum quocunque titulo proueniat, ac proinde quemlibet fructum, & prouentum. Et licèt hæc nomina idem videantur significare, non tamen censendum est superflue apponi, quia claritatis gratiâ. & ad tollendam omnem dubitationem apponuntur. Qui igitur quemlibet fructum, redditum, seu prouentum Pontificis, eiúsque Sedi, vel cuilibet alteri personæ Ecclesiasticæ ratione Ecclesiæ, Monasterij, vel Beneficij Ecclesiastici pertinentem vsurparet, vel absque expressa licentia Pontificis, seu aliorum qui eam concedere possunt sequestraret, hac excommunicatione innodabitur.

11 Notandum est fructum vsurpatum, vel sequestratum competere debere personæ Ecclesiasticæ ratione Ecclesiæ, Monasterij, vel beneficij Ecclesiastici. Quapropter si aliunde competat nempe ex labore, vel propria industria, tametsi occasione beneficij, vt contingit in distributionibus quotidianis quæ interessentibus conceduntur non ob beneficium, esto beneficium vt conditio ad illas percipiendas requiratur, sed ob assistentiam, & præsentiam diuinis officiis sub hac excommunicatione non continetur. Vt benè aduertit Bonac. *disput.*1. *de censur. q.*18. *punct.*2. *num.*10. Nomine Ecclesiæ non quilibet locus pius venit intelligendus, sed authoritate Episcopi deputatus ad sacra peragenda. Vti latius diximus *tract.*11. *religionis, punct.*6. Nomine Monasterij intelligitur Conuentus quorumcunque Religiosorum, siue virorum, siue fœminarum, ideòque vsurpantes, vel sequestrantes bona ad prædictos Religiosos pertinentia in hanc excommunicationem incidunt, quia omnia Religiosorum bona proueniunt Religiosis, quæ sunt Ecclesiasticæ personæ ratione Monasterij. Nam esto à principio illis proueniant titulo donationis, ea tamen facta, cùm non ipsis, sed Monasterio acquirantur, ratione Monasterij Religiosis proueniunt. Tandem nomine beneficij Ecclesiastici ius de se perpetuum percipiendi fructus ob spirituale officium intelligitur. Vt latiùs explicaui *tract.*13. *religionis, disputat.*1. *p.*1. & *seqq.*

12 Rursus ea bona ratione Ecclesiæ, Monasterii, vel Beneficij prouenientia pertinere debent Pontifici, sedique Apostolicæ, aut cuique personæ Ecclesiasticæ. Sed an satis sit quòd Pontifici vt domino temporali pertineant, vt huic censuræ locus sit? Difficultate non caret. Bonac. *disp.*1. *de censur. quæst.*18. *punct.*2. *num.*33. affirmatiuam partem defendit. Ducitur; quia Pontifex prohibens vsurpationem bonorum ad se pertinentium vtitur illa particula *Nos*, absque vlla distinctione: at sic prolata comprehendit non solùm iurisdictionem spiritualem, sed temporalem. Ergo, &c. Neque obest quod

quòd in hoc Canone intenderit Pontifex bonorum Ecclesiasticorum immunitati consulere, nam simul cum illo fine præcipuo intendere potuit suorum omnium bonorum immunitati prouidere. Neque item obest quòd vsus fuerit illa dictione *&*, quæ extrema coniungit dicens: *ad Nos & Sedem Apostolicam*, quasi bona vsurpanda Pontifici, & eius Sedi Apostolicæ pertinere debeant. Non inquam obest: nam esto illa dictio *&* plerunque copulatiua sit, sæpè tamen disiungit & pro *vel* accipitur. Vti contingit in præsenti Canone, cùm dicitur ratione Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum Beneficiorum Ecclesiasticorum pertinentes. Non enim requiritur, vt bona vsurpata pertineant personis Ecclesiasticis ratione Ecclesiarum, Monasteriorum, & Beneficiorum simul, sed quocunque ex his titulis ad ipsos pertineant, siue pertineant ratione Ecclesiarum, siue Monasteriorum, siue Beneficiorum sufficiens est ad hanc censuram incurrendam.

13 Nihilominus verius censeo non esse locum huic censuræ, si prædicta bona pertineant ad summum Pontificem vt dominum temporalem, sed necessariò debent ad illum vt Christi Vicarium pertinere. Moueor, quia non quælibet vsurpatio, & sequestratio iurisdictionis, fructus, redditus, & prouentus Pontifici pertinentis hac excommunicatione punitur, sed pertinentis Pontifici ratione Ecclesiæ, Monasterij, seu beneficij Ecclesiastici, vt inquit Textus. Hæc enim verba, vt potè in fine clausulæ appositæ ad omnia præcedentia referri debent. At iurisdictiones, fructus, redditus, & prouentus Pontifici vt domino temporali competentes, non illi competunt titulo Ecclesiæ, Monasterij, vel Beneficij, vt de se constat: ergo, &c. Præterea Pontifex huiusmodi excommunicationem fert in protectionem Ecclesiasticæ immunitatis quoad sua bona aduersus laicam potestatem, vt probatum est. Si autem seipsum comprehenderet vt temporalem dominum, non solùm esset defensio potestatis Ecclesiasticæ, sed laicæ aduersus laycam potestatem. Item cum Pontifex seipsum nominat, illo pronomine *Nos* Pontificiam dignitatem, non temporale dominium denotat. *Cap. si gratiosa de Rescript.*

14 Argumenta verò in contrarium non vrgent. Ad primùm dico, esto videatur Pontifex generaliter prohibere vsurpationem, & sequestrationem suorum bonorum ad se pertinentium eam prohibitionem restrinxit, tum ex fine quem in hac lege intendit. Tum ex illis verbis, *ratione Ecclesiarum, Monasteriorum* &c. tum ex ipso pronomine *Nos*, quod eius dignitatem Pontificiam significat. Etenim si vsurpatio bonorum Pontifici competentium ratione sui patrimonij priuati sub hac censura non comprehenditur, quia non sunt bona Ecclesiastica, neque Pontifici competunt quatenus Pontifex est, & Christi Vicarius, neque etiam vsurpatio bonorum ipsi competentium ratione dominij temporalis comprehendi debet, cùm hæc bona Ecclesiastica sint, neque Pontifici vt Christi Vicario competentia. Ad secundum fateor dictionem *&*, sæpè disiunctiuè sumi, sed id contingit, cùm subiecta materia suadet, vt in exemplo *ibi* appositio. Secùs est in præsenti, vbi finis legis, & materia subiecta cogunt, vt copulatiuè accipiatur, sicuti regulariter accipi solet.

15 Si autem bona vsurpata, vel sequestrata Pontifici, eiúsque Sedi non competunt, competere debent alicui personæ Ecclesiasticæ, vt locus sit huic excommunicationi, vt ex Textu constat. Nomine personæ Ecclesiasticæ veniunt qui Canonis, & fori priuilegio gaudent, quos latè explicuimus *tract. 12. religione, pun. 2. & seqq.*

16 Hinc dubium oritur, An vsurpatio, vel sequestratio illegitima bonorum beneficij vacantis sub hac censura comprehendatur? Videtur namque non comprehendi, quia ea bona nulli personæ Ecclesiasticæ competunt, sed competunt beneficij possessuro. Atque ita sentit Caietan. *in sum. verbo Excommunicatio. c. 27. vers. tertia.* Tolet. *lib. 1. sum. c. 29. numero 5.* sed rectiùs docuit contrarium Nauarr. *cap. 27. num. 71.* Sayrus *lib. 3. cap. 21. num. 4.* Suar. *disput. 21. sect. 2. num. 97.* Reginald. *lib. 9. cap. 25. num. 372.* Filliucius *tract. 16. cap. 8. num. 217.* Hugolin. *in præsenti c. 17. §. 1. vers. quinto.* Alterius *disp. 18. cap. 2. vers. ex his quinque* Duardus *lib. 2. can. 17. q. 12.* Bonac. *disp. 1. q. 18 pun. 2. num. 31.* Mouentur; quia illa bona ex eo quòd beneficiato futuro adiudicata sunt personæ Ecclesiasticæ competunt, non quidem quoad actuale dominium, sed quoad futurum. Deinde dominium illorum bonorum vacante beneficio penes aliquem residet, at non est alius penès quem residere possit nisi Ecclesia, & Pontifex, ergo penès Ecclesiam, & Pontificem residet, transferendum tamen in futurum beneficiatum. Præterea si vsurpatio bonorum beneficij vacantis hac excommunicatione non protegeretur, non satis Pontifex immunitati bonorum Ecclesiasticorum prouidisset, cùm grauius periculum vrgeat ea bona vsurpandi mortuo beneficiato, quàm eo viuente.

17 Secundum dubium est de vsurpatione ipsius Ecclesiæ, Monasterij, vel Beneficij, An sub hac Censura comprehendatur? Negat comprehendi Duard. *lib. 2. can. 17. quæst. 4. num. 18.* quia Pontifex solùm vsurpatorem, & sequestratorem iurisdictionum, fructuum, reddituum, & prouentuum ex Ecclesia, Monasterio, vel Beneficio prouenientium excommunicationi subiicit; at sub prædictis non videtur Ecclesia, Monasterium, & Beneficium contineri. Neque obest grauiùs delinquere, & grauiori pœna dignum esse vsurpatorem Ecclesiæ, Monasterij, & Beneficij, quàm vsurpatorem fructuum ex ipsis prouenientium; quia id solùm probat debuisse Pontificem grauiori censuræ, & pœnæ subiicere delinquentem, non tamen probat de facto hac lege subiectum esse. Neque id est mirandum, cùm rarò vsurpatio Ecclesiæ, Monasterij, vel Beneficij contingat, frequentiùs tamen vsurpatio fructuum inde prouenientium, & Pontifex consuluit delicto frequentiori, relinquens ratum, & extraordinarium arbitrio Iudicis puniendum.

Oppositum affirmat Alterius *lib. 5. disp. 18. cap. 1. dub. 1.* quem 18
sequitur Bonac. *disp. 1. de censuris bullæ q. 18. pun. 2. num. 28.* Mouetur Alterius, quia si propter vsurpationem fructuum fertur excommunicatio, à fortiori propter Ecclesiæ vsurpationem vtpote grauius delictum. Sed hæc ratio dissoluta est *num. præcedenti.* Secundò probat, quia intentio legislatoris videtur esse, ne fructus Ecclesiæ, & à fortiori ne ipsa Ecclesia à potestate laica vsurpetur, atqui finis legis potiùs quàm verba inspiciendus est. *Cap. fin. de Regul. Iuris in 6.* & *leg. cum pater, §. dulcissimis, ff. de legatis, 2.* Et confirmari potest ex eo quod si pontifex interrogaretur, id sine dubio affirmaret. At id pro lege habendum est quod legislator decerneret, iuxta Glossam *in leg. tale pactum, §. fin ff. de Pactis.* Sed hæc parum vrgent. Non enim finis legis sub lege comprehenditur, neque intentio Pontificis mente retenta constituere legem potest. *leg. si repetendi ff. de conditionib. ob causam.* Neque Pontifex interrogatus respondet sub sua lege hunc casum comprehendi. Bonacina verò aliis ducitur rationibus. Prima, quia vsurpans Ecclesiam, Monasterium, vel beneficium regulariter fructus vsurpat, ac proinde effugere non potest excommunicationem. Secundò quia vsurpans Ecclesiam, vel beneficium eo ipso vsurpat ius fruendi fructibus qui ex beneficio proueniunt. At nomine fructuum non solùm veniunt qui suapte naturâ, vel intercedente hominis industriâ enascuntur, sed etiam ius percipiendi hos fructus, iuxta *leg. vacca emptor. ff. de euictionib.* & *leg. per seruum. §. si vsusfructus. ff. de vsu, & habitat.* Ergo. Neque etiam hæ rationes conuincunt. Admitto namque vsurpatorem Ecclesiæ, Monasterij, vel beneficij regulariter illius fructus vsurpare. Quâ positâ vsurpatione hanc excommunicationem non effugiet, non quia vsurpauit Ecclesiam, sed quia vsurpauit illius fructus. Minus secunda ratio conuincit; nam ius spirituale vtendi fructibus beneficij ab ipso beneficio realiter, & physicè non distinguitur. Non igitur de vsurpatione huius fructus qui impropriè fructus dicitur, loquitur Pontifex, sed de vsurpatione fructus ab Ecclesia, Monasterio, & beneficio distincti, indèque prouenientis. Quod apertè colligi potest ex eo quòd nomine fructuum, reddituum, & prouentuum idem significetur. At sub nomine reddituum, & prouentuum non comprehenditur ius spirituale percipiendi fructus, ergo neque sub nomine fructuum. Item ipsemet Bonac. *dicto punct. 2. numero 6.* concedit sub his nominibus comprehendi quodlibet emolumentum temporale ex Ecclesia, seu beneficio prouenies. At ius spirituale percipiendi fructus non est emolumentum temporale, sed spirituale æquè ac est ipsa Ecclesia, & beneficium. Ergo hoc ius sub nomine fructuum præsens Canon non comprehendit.

Ego verò dicendum existimo priorem sententiam specu- 19
latiuè loquendo veriorem esse; quia in materia censurarum vtpotè odiosa, verba legis extendenda non sunt, sed in sensu stricto, & proprio sumenda. At verba sic sumpta non comprehendunt vsurpatorem Ecclesiæ, Monasterij, vel beneficij præcisè, & formaliter, sed vsurpatorem iurisdictionum, & fructuum inde prouenientium. Vti colligitur ex ipsis verbis Canonis. *Ergo, &c.* Verùm practicè loquendo, secunda sententia tenenda est, quia rarò, vel nunquam Ecclesia, Monasterium, vel Beneficium vsurpatur, quin eorum fructus vsurpentur, cùm ob vsurpandos fructus vsurpatio Ecclesiæ, Monasterij, vel Beneficij fiat.

Tertium dubium est de vsurpatione pecuniæ, ob quam 20
fructus Beneficij venditi sunt, An sub hoc Canone comprehendatur? Affirmat Filliucius *tract. 16. cap. 8. q. 9. num. 221.* eo quòd illa pecunia fructibus æquiualeat, & loco fructuum subrogata sit. Sed rectiùs Bonac. *disp. 1 q. 18. punct. 2. numero 9.* inclinat in oppositum, quia illa pecunia propriè, & formaliter non prouenit ex beneficio, sed ex beneficij fructibus venditis, Pontifex autem solùm vsurpatorem bonorum prouenientium ex Beneficio, Ecclesia, vel Monasterio excommunicationi subiicit. Ergo vsurpator bonorum prouenientium personæ Ecclesiasticæ ex alio titulo sub hac censura non comprehenditur. Et idem est dicendum de vsur-

patione aliorum bonorum, in quæ beneficiatus fructus sui beneficij permutaret. Non enim illa bona sunt propriè, & formaliter fructus beneficij, sed permutationis.

21 Quartum dubium est de vsurpatione fructuum beneficij non beneficiato facta, sed conductori, An sub hoc Canone contineatur? Videtur contineri si conductor persona Ecclesiastica sit; quia personæ Ecclesiasticæ subtrahuntur fructus ei competentes ratione beneficij conducti. Sed oppositum tenendum est cum Duardo in *præsenti canon. 17. quæstio 9. numero 7.* Bonacina *disp. 1. quæst. 18. punct. 2. numero 26.* Quia esto illi fructus sint beneficij, conductori autem non ex beneficio proueniunt, cùm ipse Beneficium non habeat, sed ex conductione. At Pontifex hoc Canone excommunicat vsurpatorem bonorum pertinentium personæ Ecclesiasticæ ratione Beneficij, Ecclesiæ, vel Monasterij. Ergo non comprehendit vsurpatorem bonorum pertinentium personæ Ecclesiasticæ titulo conductionis.

PVNCTVM XIX.

Explicatur decimaoctaua excommunicatio, aduersus imponentes decimas, collectas, & alia onera Ecclesiasticis personis.

1 *Refertur Textus.*
2 *Comparatur hæc excommunicatio cum aliis excommunicationibus à iure latis.*
3 *Diuiditur hic Canon in triplicem partem.*
4 *Quæ persona in prima parte huius Canonis excommunicationi subiiciantur?*
5 *Vt huic excommunicationi sit locus, debent exigi, & percipi tributa imposita prætextu potestatis laicæ.*
6 *Imponens tributa realia quæcunque sint extra casus à iure concessos excommunicationi subiicitur.*
7 *Imponentem personale tributum non videtur improbabile sub hoc Canone non comprehendi.*
8 *Referuntur casus, in quibus à Clericis tributum licitè exigitur.*
9 *Ad hanc censuram incurrendam requiritur non solùm tributi impositio, sed illius exactio.*
10 *Quomodocunque à Clericis hæc tributa exigantur, est locus huic excommunicationi.*
11 *Item excommunicantur qui tributum recipiunt etiam à sponte dantibus.*
12 *Exigere tributum ab Ecclesiasticis, quod non ipsis, sed laicis impositum est hac excommunicatione non punitur.*
13 *Tributum impositum Clericis, & ab eis exactum etiamsi exiguum sit, hac excommunicatione punitur.*
14 *In secunda parte huius Canonis excommunicantur qui per se, vel per alios imponunt, exigunt, vel recipiunt tributum.*
15 *Item excommunicantur qui prædicta procurant, in eisque auxilium, consilium, vel fauorem præstant.*
16 *In tertia parte innouantur decreta super his à sacris Canonibus lata.*
17 *Ex vi huius innouationis censet* Bonacina *censuras innouatas non reseruari.*
18 *Verius est reseruationem Bullæ accipere ex hac innouatione.*

1 DEcimo octauò eandem excommunicationem præcedentium Canonum protendit Pontifex ad eos qui collectas, decimas, tallias, præstantias, & alia onera Clericis, Prælatis, & aliis personis Ecclesiasticis, ac eorum, & Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum Beneficiorum Ecclesiasticorum bonis, illorúmque fructibus, redditibus, & prouentibus huiusmodi absque simili Romani Pontificis speciali, & expressa licentia imponunt, & diuersis etiam exquisitis modis exigunt, ac sic imposita etiam à sponte dantibus, & concedentibus recipiunt. Necnon qui per se, vel alios directè, vel indirectè prædicta facere, exequi, vel procurare, aut in eisdem auxilium, consilium, vel fauorem præstare non verentur, cuiuscunque sint præeminentiæ, dignitatis, ordinis, conditionis, aut status, etiamsi Imperiali, aut Regali præfulgeant dignitate, seu Principes, Duces, Comites, Barones, & alij potentatus quicunque etiam Regnis, Prouinciis, Ciuitatibus, & quoquo modo Præsidentes, Consiliarij, & Senatores, aut quauis etiam Pontificali dignitate insigniti. Innouantes decreta super his per sacros Canones, tam in Lateranensi nouissimè celebrato, quàm aliis Conciliis generalibus edita etiam cum censuris, & pœnis in eis contentis.

2 Nullâ aliâ viâ frequentiùs Ecclesiasticæ personæ vexari solent à potestate laica quàm gabellarum impositione, ideóque Pontifex præsenti Canone protegit quælibet illorum bona à sæculari tributo. Et vt firmior sit hæc defensio innouat decreta censuras, & pœnas in Conciliis generalibus edita, super his quæ in huiusmodi Canone Bullæ exprimuntur. Notandáque est illa dictio *super his*. Non enim omnia decreta de immunitate bonorum Ecclesiasticorum loquentia innouantur, sed solùm decreta, quæ de continentis in hoc Canone loquuntur, & quatenus de his mentionem faciunt. Vt rectè aduertit Toletus *libro 1. summæ c. 30. n. 8.* Sayrus *lib. 3. thesauri c. 22. num 11.* Suar. *disp. 21. n. 4. de censur. sect. 2. n. 100.* Bonacina his relatis *disp. 1. q. 19. p. 4. n. 4.*

In primis namque innouantur Textus *in capite non minus. & capite aduersus de immunit. Ecclesiar.* vtpotè editi in Concilio generali Lateranensi. At non censentur innouati, nisi quatenus prohibent impositionem, & exactionem tributi, quia hæ actiones tantùm in Bulla continentur. Non verò innouantur quatenus excommunicationem ferunt aduersus successorem imponentis tributum, nisi per ipsum fiat satisfactio intra mensem, vel ex bonis communicatis, si in eius vtilitatem tributum conuersum est, vel communitate deficiente ex bonis sibi à predecessore relictis, vtpotè qui onera bonis prædecessoris annexa subire tenetur. Quia in huiusmodi Canone nulla est mentio facta de restitutione, sed de impositione, exactione, & receptione tributi. Neque etiam innouatur *capite quamquam de Censibus libro 6.* ea parte qua loquitur de soluentibus tributum, quia Bullæ Textus nullam soluentium mentionem fecit. Minus innouatur Textus in *cap. Clerici de immunit. Ecclesiar.* & Extrauagans *Quod olim, eodem tit.* quia hæc per Clementem V. *in Clement. quoniam* redacta sunt ad dispositionem Concilij Lateranensis. In *cap. Non minus, & cap. aduersus de immunit. Ecclesiar.* ob tollenda dubia, & contentiones ortas ex dispositione *dicti c. Clericus.* & *Extrauag. quod olim.*

Triplicem partem hic Canon continet. Prima fert excommunicationem aduersus imponentes, exigentes, vel recipientes tributum sine speciali Romani Pontificis facultate. Secunda eandem excommunicationem profert contra patrantes per se vel alios directè, vel indirectè prædicta crimina. Item contra id procurantes, vel auxilium, consilium, vel fauorem præstantes. Tertia innouat sacros canones in Conciliis generalibus editos de hac materia loquentes pœnas, & censuras *ibidem* contentas.

Quoad primam partem attinet excommunicationi subiicit Pontifex quoscunque quauis authoritate etiam Regali, vel Pontificali fulgentes qui personis Ecclesiasticis, & eorum & Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum Beneficiorum Ecclesiasticorum bonis, illorúmque fructibus, redditibus, & prouentibus absque eius speciali, & expressa licentia, collectas, decimas, tallias, præstantias, & alia onera imponunt, & diuersis etiam exquisitis modis exigunt, aut sic imposita etiam à sponte dantibus, & concedentibus recipiunt. 4

Vt autem locus sit huic excommunicationi hæ actiones imponendi, exigendi, & recipiendi tributa imposita præstari debent prætextu potestatis laicæ siue à laico, siue à Clerico præstentur, quia hic Canon vtpotè præcedentibus annexus in defensionem Ecclesiasticarum personarum, & bonorum Ecclesiasticorum latus est aduersus laicam potestatem: ab hac enim Ecclesiastica libertas, & immunitas violatur. Secùs verò ab ipsàmet Ecclesiastica potestate, tametsi iniustitiam committat, & sacrilegium, cùm tributa aliis personis Ecclesiasticis indebitè, & contra sacros Canones imponit. vt bene Filliucius *tractatus 16. capite 11. quæstio 3. numero 300.* 5

Qui verò tributa realia, quæcunque sint, imponit extra casus à iure concessos, & absque speciali, & expressa Romani Pontificis licentia huic excommunicationi subiicitur. Nam esto Textus tantùm expresserit collectas, decimas, tallias, præstantias, vtpotè tributa frequentiora, non obinde infertur vectigal, gabellam, pedagium, quidagium, & aliud simile tributum non comprehendi, quia hæc similia sunt expressis, & Pontifex vt ea comprehenderet, addidit *& alia onera*, id est quælibet alia onera, quæ expressis fuerint similia: nam illud relatiuum *alia*, rem distinctam ab antecedenti significat, eiusdem tamen qualitatis, & conditionis, Argum. *cap. sedes de Rescriptis. & leg. quidam relegatus. ff. de Rebus dubiis.* Et pluribus comprobat August. Barbosa, *in suo diction. dict. 17.* Atque ita tradit ex communi sententia Syluest. *verbo Gabella. 4. in princ.* Duard. *lib. 2. can. 18. q. 2. n. 12.* Bonac. *3. de censur. disp. 1. q. 19. p. 1. num. 2.* 6

Notanter dixi *realia onera*: nam si tributum aliquod personale consistens in aliqua personali actione Ecclesiasticis personis imponeretur, non videtur improbabile sub hoc Canone non comprehendi; quia hoc tributum non est simile tributis expressis, ac proinde contineri nequit sub illa dictione *& alia onera*. Vt tradit Hugolin. *in præsenti capite 18. numero 2.* Bonac. *disp. 1. de censur. bellæ. quæst. 19. part. 1. num. 3.* Attamen vt benè aduertit Bonacina *vers. verumtamen*, sic tributum imponens non effugiet censuram latam *can. 15.* aduersus condentes statuta, ordinationes, & quælibet alia decreta libertatem Ecclesiasticam derogantia. 7

8 Dein

8 Deinde dixi hæc facienda esse extra casus à iure expressos, & absque speciali, & expressa summi Pontificis licentia, sunt enim aliqui casus in quibus à clericis tributum licitè exigitur. De quibus latè *tract. 12. de immunit. personarum Ecclesiasticarum, & bonorum. p. 9.*

9 Et licèt ad contrahendam censuram latam *can. 15.* satis sit tributi impositio per modum statuti, seu legis facta, ad hanc tamen censuram insuper requiritur illius tributi exactio. Vti tradit Duard. *can. 18. quæst. 4. num. 1.* Bonac. *disp. 1. q. 19. pun. 1. num. 3. & 4.* quia Textus vtitur dictione *&*, quæ regulariter copulatiua est, & extrema quæ coniungit postulat simul esse, vt dispositio subsistat. Argum. *leg. si quis ita, ff. de verbor. obligat.* inquit enim Textus Bullæ; *Imponunt, & diuersis etiam exquisitis modis exigunt.* Impositio ergo tributi, & illius exactio adesse debet.

10 Tributa verò imponi, exigique debent clericis, Prælatis, aliisue Ecclesiasticis personis. Neque opus est (vt minus benè censuit Caietan. *verbo Excommunicatio. cap. 39.* Nauarr. *capit. 27. num. 128.*) eam impositionem fieri Clericis ratione bonorum Ecclesiasticorum. Quomodocunque enim ipsis directè imponantur, & exigantur hæc excommunicatio locum habet; siquidem non solùm prohibet tributi impositionem bonis ipsorum Clericorum quatenus talia sunt, sed etiam ipsis Clericis. Vt apertè constat ex illis Verbis Textus: *Et onera Clericis, Prælatis, & aliis personis Ecclesiasticis, ac eorum, & Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum Beneficiorum Ecclesiasticorum bonis, illorúmque fructibus, redditibus, & prouentibus absque speciali, expressáque Pontificis licentia imponunt, & diuersis etiam exquisitis modis exigunt.* Nam vt rectè Sayrus *lib. 3. thesauri, cap. 21. num. 9.* apertè Pontifex distinguit inter bona Clericorum, & Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum Beneficiorum: bona autem Clericorum distincta à redditibus, fructibus & prouentibus Ecclesiæ, Monasterij, seu Beneficij patrimonia sunt legalia, & sæcularia, non Ecclesiastica. Ergo etiam hæc intendit Pontifex à tributorum impositione eximere, iuxta Textum *in cap. quanquam de Censibus lib. 6.* Atque ita tradit Sayrus *loco relato*, Alterius *lib. 5. disp. 18. cap. 3. vers. quartò notandum.* Bonac. *disp. 1. de censur. bullæ, q. 19. pun. 1. num. 7.* Suar. *disp. 21. de censur. sect. 2. num. 99.* Cùm hoc tamen stat, si Clerici habeant aliqua bona titulo donationis, vel hæreditatis quibus aliquod tributum annexum est, non impeditur laica potestas ab illius tributi exactione, quia hoc tributum nec bonis Ecclesiasticis nec personis Ecclesiasticis impositum est. Neque exigitur à Clericis quatenus tales sunt, sed quatenus sunt hæredes, legatarij, vel donatarij rei cui est tributum annexum, Vti aduertit Suar. *de censur. disp. 21. sect. 2. num. 99. in fine.*

11 Non solùm imponentes tributum personis Ecclesiasticis, vel bonis Ecclesiasticis, illúdque exigentes hac innodantur excommunicatione. Sed qui illud impositum recipiunt etiam à sponte dantibus, vt habetur in Textu, hoc est qui recipiunt tributũ ab iis qui nullâ alia viâ vel coactione præter eam quã secum trahit impositio, tributum soluunt, Sicuti explicat, Suar. *disp. 21. sect. 2. num. 99.* Sayrus *lib. 3. thesauri, cap. 22. num. 10.* Bertachin. *tract. de gabell. par. 7. num. 23.* Duard. *lib. 2. can 18. q. 16.* Bonac. alios referens *disput. 1. de censur. bullæ q. 19. punct. 1. num. 10.*

12 Exigere verò ab Ecclesiasticis tributum, quod non ipsis, neque eorum bonis, sed laicis impositum est sub hac excommunicatione non comprehenditur, vt apertè colligitur ex illis verbis textus. Sic *imposita exigunt, &c* solùm namque exactio, & receptio tributi impositi hac censura punitur. Sicuti ex communi sententia docuit Bonacina *d. disput. 1. q. 19. punct. 1. numero 6.*

13 Sed an tributum Clericis impositum, vel ab eis exactum debeat esse in graui materia, vt imponens, vel exigens hac censura afficiatur? Doctores dissentiunt. Nam bonac. *disp. 1. de censur. bullæ, q. 19 pun. 1. num. 12.* censet in hanc censuram non incurrere, quia ob paruitatem materiæ credit exigentem à culpa mortali excusari. Sed contrarium longè verius existimo cum Alterio *lib. 5. disp. 19. cap. 3. ad finem.* Qua grauitas huius impositionis, & exactionis non desumitur ex quantitate tributi, sed ex iniuria libertati Ecclesiasticæ facta, & ex illius contemptu. Sicuti grauitas simoniæ non desumitur ex quantitate pretij exhibiti pro re spirituali, sed ex contẽptu, & iniuria rei spiritualis factæ eam pretio temporali coæquando. At negati non potest impositione, exactionéque tributi quantumuis minimi statum Ecclesiasticum grauiter lædi, vtpotè qui ea actione denotatur potestati laicæ subiectus esse, & tributorum solutioni obligatus, Ergo &c. Et confirmo, si pro negotio leuis momenti Clericum ad tribunal sæculare traheres iudicandum, cui dubium erit te graue sacrilegium committere, & in excommunicationem incidere, quia ad huius peccati grauitatem non debet spectari materia, de qua iudicium est ferendum, sed ipsum iudicium, cui clericus iniquè subiicitur. Sic in præsenti non quantitas tributi, sed illius impositio, & exactio spectanda est, vtpotè quæ ex se libertatem Ecclesiasticam grauissimè lædit.

In secunda parte huius Canonis excommunicantur qui per 14
per se, vel alios directè, vel indirectè prædicta faciunt, hoc est imponunt, exigunt, vel recipiunt tributum impositum. Dicuntur autem per se imponere, & exigere qui nullo intermedio imponunt, & exigunt; per alios verò qui mediis suo ministris. Directè autem imponunt, si ipsis Clericis, vel eorum bonis Ecclesiasticis immediatè tributum imponatur, iis directè tamen si alius imponatur: ex qua impositione necessariò Clerici grauantur: vti benè explicat Carol. de Graffis *de effectu clericali, effectu 3. n. 50 77. & 146.*

Deinde excommunicantur qui hæc procurant, id est qui di- 15
ligentiam, & opera præstant, vt impositio, exactióque tributi ad effectum perducatur. Quapropter Officiales, & Ministri qui Ecclesiasticos citant, capiunt, accipiunt pignus, fructus sequestrant, vt tributum soluant hac excommunicatione innodantur, quia qualibet ex his actionibus tributi exactio, & receptio procuratur. Præterea excommunicantur qui in eisdem auxilium, consilium, vel fauorem præstare non verentur; hoc est qui non verentur imponendis, exigendis, recipiendisve tributis consulere quomodo & qualiter imponenda, exigendáque sint, nec verentur imponentes, exigentésque adiuuare, tum componendo edicta illáve conscribendo, vel publicando: tum assistendo exactioni, ne Ecclesiastici contradicant, tum illos manifestando, ne insoluti recedant. Vt benè tradit Hugolin. *in præsenti, can. 17. vers. ac in eisdem.* Alterius *lib. 5. disput. 18. c. 4.* Duard. *lib. 2. can. 17. q. 20. n. 4. vers. 9.* Bonac. *disp. 1. q. 19. p. 1. n. 16. & seqq.*

In tertia parte innouantur decreta super his per sacros Ca- 16
nones tam Concilij Lateranensis, quàm aliorum Conciliorum generalium etiam cum censuris, & pœnis in eis contentis. *Initio huius* §. notaui solùm renouari decreta cum censuris, & pœnis, quatenus attingunt materiam in hoc Canone contentam, hoc est quatenus attingunt impositionem, exactionem, receptionémve tributi personis, & bonis Ecclesiasticis factam.

Sed an ex vi huius innouationis censuræ & pœnæ in decre- 17
tis renouatis contentæ reseruationem Bullæ obtineant? Non conueniunt Doctores. Bonac. *disp. 1. de censur. bullæ. q. 19. p. 4. num. 3.* negatiuam tuetur partem. Tum quia innouare canones non est reseruare, sed in pristinum statum constituere, ac si aboliti non essent. At in pristino statu reseruationem Bullæ non habebant. Tum quia versamur in materia pœnali, in qua benigna interpretatio fieri solet. Ex quo rectè infert Bonacina te absolui posse à quolibet Sacerdote, si ignarus excommunicationis Bullæ, & conscius excommunicationis iure communi inductæ, nec reseruatæ actionem præstitisti, cui est excommunicatio annexa.

Cæterùm verius censeo ex vi huius innouationis censuras, 18
& pœnas in antiquis decretis contentas reseruationem Bullæ accipere. Quæ fuit sententia Toleti, *lib. 1. cap. 30 n. 5.* Filliuci *tract. 16. cap. 11. q. 5. num. 303* Alterij *lib. 5. disp. 19. capit. 5. vers. his omnibus.* Duardi *lib. 1. can. 3. q. 3.* & aliorum. Ducor quia innouare legem, illiusque pœnam est illam de nouo constituere, ac si nunquam esset constituta. At pœnæ per Bullam constitutæ reseruationem obtinent. Ergo eam obtinent pœnæ innouatæ vtpotè per Bullam constitutæ. Neque his obest fundamentum Bonac. Admitto innouare Canones per se non esse illis reseruationem imponere, sed tantùm in pristinum statum constituere. At si illa innouatio simul sit reseruatio. Canonésque innouentur lege reseruatiua, non est dubium ex innouatione reseruationem accepturos. Bullæ autem constitutio, quiâ huiusmodi Canones innouantur reseruationem continet. Ergo eam tribuit Canonibus innouatis.

Punctum. XX.

Explicatur decimanona excommunicatio, aduersus Iudices sæculares, qui in causis capitalibus, seu criminalibus Clericorum se interponunt.

1 *Refertur Textus.*
2 *Finis huius excommunicationis quis dicatur?*
3 *Quæ personæ sub hac excommunicatione comprehendantur?*
4 *Non comprehenduntur qui suo consilio, auxilio, vel fauore personam Ecclesiasticam processam bannitam &c.*
5 *Quæ sint actiones hac censura prohibitæ?*
6 *Quæ censenda sit specialis Pontificis licentia, ne huic excommunicationi sit locus?*
7 *Ad hanc licentiam specialem reducuntur plures casus, in quibus iure communi permittitur Ecclesiasticas personas capere & iudicare.*
8 *Ex mandato Ecclesiastici Iudicis potest, imò tenetur quilibet Laicis suam opem præstare in processu, seu captura Clerici.*

9 *Non est opus summariè cognoscere iustitiæ causam, sed satis est de iniquitate Iudicis Ecclesiastici non constare.*
10 *In causa sanguinis plures censent oppositum.*

1 DEcimononò excommunicat, & anathematizat Pontifex omnes, & quoscunque magistratus, & iudices, notarios, scribas, executores, subexecutores quomodolibet se interponentes in causis capitalibus, seu criminalibus contra personas Ecclesiasticas, illas processando, banniendo, capiendo, seu sententias contra illos proferendo, vel exequendo sine speciali, specifica, & expressa huius sanctæ Sedis Apostolicæ licentia. Quippe huiusmodi licentiam ad personas, & casus non expressos extendunt, vel aliàs perperam abutuntur, etiamsi talia committentes fuerint Consiliarij, Senatores, Præsidentes, Cancellarij, Vicecancellarij, aut quouis alio nomine nuncupati.

2 Lata est hæc excommunicatio in protectionem Ecclesiasticarum personarum, ne à Laica potestate iudicentur. Vnde ad incurrendam hanc censuram opus est, vt Magistratus, Iudices, & alij *in supradicto Textu* contenti in causis criminalibus Clericorum se interponant potestate Laica, & non Ecclesiastica. Vti colligitur ex illis verbis, *quomodolibet se interponentes contra personas Ecclesiasticas.* Illis namque significatur eos qui se interponant non esse futuros Ecclesiasticos saltem formaliter, hoc est quatenus se interponunt: vt benè tradit Filiucius *tract.16.cap.11.q.7.num.309.* Hugolin. *in præsenti, can.19.§.2.vers.quinto.* Duard. *d.can.19.q.8.num.5.vers.quarto.* Bonac. *disp.1.de censur.Bull.q.20.p.2.num.8.*

3 Personæ verò suut omnes infrà Regem, & Imperatorem quocunque nomine nuncupentur, qui actiones præsenti Ganone prohibitas ausi fuerint perpetrare. Exprimuntur Magistratus, & Iudices sub quibus hominibus veniunt Gubernatores ciuitatum, vel prouinciæ, Proteges, Conciliarij, Senatores, Cancellarij, Vicecãcellarij, &c. Secundò exprimuntur Notarij, quibus competit acta iudicij, & instrumenta publica conficere. Tertiò Scribæ qui acta iudicij, citationes, dilationes, exceptiones, depositiones testium, appellationes, sententias scribunt. Quartò Executores qui sententias, & mandata iudicum exequuntur. Quintò Subexecutores, quorum opera Executores vtuntur in sententiarum, & mandatorum iudicialium executione.

4 Hi omnes & singuli, si præter iuris ordinem, & specialem, expressamque licentiam summi Pontificis se intromiserint in causis capitalibus, seu criminalibus personarum Ecclesiasticarum hac excommunicatione innodantur. Bonac. *disp.1. de censur.q.20.pun.1.num.1.& 2.* existimat in hanc censuram incurrere Iudices, & Magistratus, Notarios, Scribas, Executores, qui suo consilio, auxilio, vel fauore personam Ecclesiasticam processant, banniunt, &c. Mouetur ex illo aduerbio *quomodolibet*, quod omnem penitus modum includit. *ex cap. indemnitatibus. §. si qua verò, de Electione. lib.7.* Sed contrarium mihi dicendum videtur, eo quòd Pont. fex modos, quibus Iudex sæcularis in causis criminalibus Clericorum se interponens in hanc excommunicationem incidit explicuit illas processando, banniendo, capiendo, seu sententias proferendo, vel exequendo. Nam vt ipsemet Bonacina notauit, verbum illud *se interponere*, genericum est, commune ad processus, bannum, capturam, sententiam, illiusque executionem. Quapropter sensus est magistratus, qui se interposuerit in causis criminalibus Clericorum quocunque modo ex *infrà* scriptis, scilicet processando, banniendo, &c. huic excommunicationi subiiciatur. Et explicatio hæc inde confirmari potest, nam Iudex clericum verbaliter citans, & ad suum tribunal adducens, ibique de crimine examinans verbaliter, etsi in censuram latam Canone 15 incidat, hac tamen non innodatur. Vti tradit Nauarr. *cons.33.de sententia excommun.* Alterius *lib.5.can.19.disp.20.c.1.ver.quæret quis* Duardus *ibi.q.9.ad finem.* & ipsemet Bonac. *disp.1.q.20.p.1.n.10.* quia hæc citatio, & examinatio non constituit processum, capturam, vel sententiam, quæ sunt actiones hoc Canone interdictæ. Ergo aduerbium illud *quomodolibet* non quamlibet interpositionem in causis Clericorum denotat, sed eam interpositionem, quæ modis expressis in dicto Canone contingit. Præterea concedamus (vt Bonacina prætendit) aduerbium illud *quomodolibet*, quamlibet ex interdictis actionibus afficere, ita vt præstet hunc sensum: *Excommunicamus qui personas Ecclesiasticas quomodolibet processauerit, bannierit, ceperit, sententiauerit, seu sententiam executioni mandauerit*; non inde infertur consiliantes, auxiliantes, & fauentes comprehendi; quia non propriè, & formaliter processant, banniunt, capiunt, &c. sed consulunt, & adiuuant ad processum, bannum, seu capturam. Cùm igitur Pontifex inquit se excommunicare iudicem quomodolibet processantem, intelligi debet de modo, quo processus confici potest, non de modo qui extra expressum fit.

5 Actiones Iudicibus, Magistratibus, Notariis &c. interdictæ in hoc Canone sunt, primò processare Ecclesiasticas personas, hoc est, illorum crimina inquirere, & iudicialiter inuestigare. Nam eo ipso quo hæc inquisitio, & iudicialis inuestigatio scripto mandetur, persona processata est quamuis processus completus non sit, nec causa substantiata, adèsque quidquid ad hanc censuram requiritur. Vt benè tradit Bonac. *disp.1.de censur. Bull. q.20. p.1. num.6 & seqq.* Neque ab ea excusabitur ex eo quòd intentione inuestigandi veritatem, non pœnam sumendi processum fecerit, quia Textus actionem processandi damnat absolutè, quæ intentionem pœnæ infligendæ non inuolunt necessariò. Sicuti notauit Bonacina *supra, n.9.* Neque item liberatur ex eo quòd animo remittendi delinquentem suo Iudici processum fecerit, quia hæc intentio non præstat iurisdictionem sæculari potestati aduersus Ecclesiasticos, neque impedit processum fieri indebitè contra ipsos. Sicuti aduertit idem Bonac. *d.disp.1.q.20. punct.1.n.7.* Secunda est bannire personas Ecclesiasticas, hoc est eas authoritatiuè à regno, prouincia, ciuitate, vel patria relegare, siue in perpetuum siue ad tempus, iuxta Textum *in l. relegatus, ff. de interdictis.* Tertia est capere, seu apprehendere prædictas personas, vinculis alligare, vel in aliquo loco inclusas detinere, vt inde liberè exire nequeant. Quarta est proferre sententiam siue definitiuam, siue interlocutoriam. Quinta est dictam sententiam executioni mandare. Quælibet autem ex his actionibus sufficiens est ad censuram, vt constat ex illis dictionibus *seu, vel*, qua disiunctiuæ sunt, & notant omnes.

Excipitur autem, nisi hæ actiones fiant ex speciali, & expressa licentia summi Pontificis; quia eo casu non offenditur Ecclesiastica libertas, cùm non ex potestate laica, sed Ecclesiastica procedatur. Censetur autem specialis, & expressa licentia, si fuerit concessa ad inuestigandum aliquod delictum in specie, V.g. proditionem Reipublicæ, crimen læsæ Maiestatis etiam aduersus Ecclesiasticas personas, cùm delictum, nec persona Ecclesiastica in individuo exprimantur. Vt aduertit Suar. *de censur.disp.21. sect.2.num.103.* Filliucius, *tract. 16.cap.11.q.8.num.314.* Alterius *lib.5. disp.26. capite 1.col.10.* Duard. *can.19.q.6.* Bonacina *disp.1.de censur. bull.q.20.num. 18.* Qui verò prædictam licentiam ad alios casus non expressos extenderit manifestè in hanc censuram incidet: Sicuti notatur in ipso Textu. Quippè operatur ex propria authoritate, non ex facultate Pontificis. 6

Ad hanc licentiam specialem, & expressam reducuntur plures casus, in quibus iure communi sæculari potestati permittitur Ecclesiasticas personas iudicare, vel saltem capere, de quibus egi *tract. 12. religionis. punct.6.* extra quos nemini licitum est Ecclesiasticas personas propriâ authoritate processare, bannire, capere, vel sententiare. Quinimò neque ex facultate delegata Episcopi. Non enim Episcopo concessum est posse delegare laicis facultatem procedendi aduersus Ecclesiasticas personas: aliàs Bulla non postularet specialem, & expressam licentiam summi Pontificis. Atque ita tradit Glossa communiter recepta *in cap.2. verbo præsumat, de Iudicijs*, vbi Panorm. *num.5.* Ripa *num.34.* Decian. *tract.crimin.1. lib.4.cap.9.num.70.* Farinac. *praxi.q.8.num.4.* & aliis relatis Augustin. Barbosa *de potest. Episc.3.p.allegat.108.num.1.* Quod adeò verum est, vt nec laico simul cum Clerico hæc facultas concedi possit, quia ex societate Clerici non purgatur laici inhabilitas. Sicuti tradit Decius *in cap.2.de Iudicijs. num.5.* Abbas *in cap. significasti de foro compet.* Farinac. *d.q.8. num.4.* Decian. *dicto cap.9. num.71.* Sigismund. Scaccia *1.p. de iudiciis. cap.11.n.40.* & alij, quod refert, & sequitur Barbosa *allegat. 108.num 2.* 7

Cùm verò nullus adesset Clericus, cui delegatio fieri posset, esséque necessario facienda, credit Barbosa *num.1.* laico fieri posse delegationem. Sed verius oppositum existimo, quia nunquam adest necessitas huius delegationis, siquidem committi potest causa laico, non vt ipse propria authoritate etiam delegata processum faciat, & sententiam proferat, sed vt minister Episcopi delictum inquirat, etsi facta inquisitione culpabilem inuenerit tali pœna puniat, quam ipse Episcopus ex tunc in ipsum profert.

Neque item est vera alia limitatio Barbosæ in delictis, vbi pœna sanguinis esset inferenda. Nam esto Iudex Ecclesiasticus eam exequi non possit, iudici tamen sæculari illius iudicium committere nequit, solùm causæ iudicatæ executionem.

Illud est certum ex mandato Ecclesiastici Iudicis posse, imò teneri quemlibet laicum suam opem præstare in capturæ processu, & sententia aduersus Clericum. Vti colligitur ex Conc. Trident. *sess.25. cap.3. de reformat.* vbi Iudicibus Ecclesiasticis conceditur facultas capiendi, & animaduertendi subditos per proprios, vel alienos executores. Quam potestatem sæpè nequirent ad praxim reducere, si laicis non possent obligationem imponere. Vti tradunt Decian. *tract.crimin.1.1.lib.4.cap.10. num.3.* Farinac. *praxi crimin.q.97.num. 82.* Menoch. *de arbitrar. casu 452.num.2.* Augustin. Barbosa *3. part. de potest. Episc. allegat.107. num.25.* Zenedo *ad decretal. collect.101.num.12.* Bonac. *disp.1. de censur.bull.q.20.pun.3. §.2.* & alij apud ipsos. Quod si laici renuant obedire censuris Ecclesiasticis compelli possunt, vti tradunt præcitati 8

Docto

Doctores. Aliis verò pœnis temporalibus praxi non est receptum. Tametsi Menoch. *casu* 452. *numero* 3. & Riccius *in praxi imprecationis brachij secularis. §. notabilia. numero* 2. iudicent arbitrio Iudicis Ecclesiasticis puniendos fore.

9 Sed an ad præstandum hoc auxilium debeant laici saltem summariè cognoscere causæ iustitiam ? Difficultate non caret, cùm certum, non sit iudices Ecclesiasticos semper seruato iuris ordine procedere. Sed dicendum est quoties de iniquitate, & iniustitia Iudicis Ecclesiastici non constat obligatos esse nulla causæ cognitione præmissa suam opem Iudici Ecclesiastico præstare, quia dum in Superioris mandato iniquitas non relucet, subditi obedire tenentur. Quod maximè procedit, cùm auxilium sæcularis imploratur ad inuestigandum Clerici delictum, & processum conficiendum, sicuti tradit Marcus Anton. Genuens. *in curia Neapolit. cap.* 36. Bonac. *disput.* 1. *de censur. bulla. q.* 20. *p.* 3. §. 3. *n.* 1. quia in his nullum est periculum obediendi.

10 Verùm in executione sententiæ, maximè in causa sanguinis plures grauésque Doctores, Iulius Clarus §. *fin. q.* 96. *num.* 7. Nauarr. *cap. cùm contingat de Rescriptis, remedio* 1. *n.* . Salcedo *pract. cap.* 154. *alias* 160. Zenedo *ad decreral. collect.* 105. *n.* 5. Azeuedo *leg* 15. *n.* 1. *tit.* 1. *lib* 4. *recopilat.* & alij plures, quos refert, & sequitur Barbosa *alleg.* 107. *num.* 26. censent præmittere laicum debere summariam causæ cognitionem antequam opem suam præstet, ne damnum irreparabile inferat contra iuris ordinem. A qua doctrina excipiunt & benè causam hæresis, in qua tenentur nulla dilatione facta hæreticum sibi traditum debita animaduersione punire. Vt latiùs probaui *tract.* 4 *fidei. disp.* 8. *p.* 14. *à num.* 5.

Sed vt prædicta sententia sustineri possit, adesse debet probabilis suspicio iniustitiæ, illiúsque probationes incontinenti offerri debent. Vti notaui *supradicto loco num* 7. aliàs non video qua ratione laicus supersedere ab executione sententiæ debeat, aut illi concedenda sit processus, & sententiæ examinatio. Cùm ipsi non tanquam iudici, sed tanquam executori, & potestatis Ecclesiasticæ subdito committatur reus puniendus.

PVNCTVM XXI.

Expenditur vigesima, & vltima excommunicatio Bullæ, aduersus occupantes bona, aut terras Ecclesiæ Romanæ, eiúsque supremam iurisdictionem vsurpantes.

1 *Refertur Textus.*
2 *Comparatur hæc excommunicatio cum ea qua lata fuit* Canon. 17.
3 *Declarantur personæ, aduersus quas hæc excommunicatio fertur.*
4 *In triplicem partem diuiditur hic Canon.*
5 *Quæ actiones in prima parte prohibentur?*
6 *Aduersus quem prædictæ actiones præstari debeant.*
7 *Qui & ob quas actiones in secunda parte huius canonis excommunicentur.*
9 *Perturbans iurisdictionem Legati, Commissarij, alterius ve gubernatoris à Sede Apostolica constituti, hac excommunicatione innodatur.*
9 *Vsurpatio suprema iurisdictionis Pontificia Sede vacante, sub hoc Canone comprehenditur.*
10 *In tertia parte huius Canonis excommunicantur auxilium. consilium, vel fauorem præstantes supradictis.*
11 *Hæc censuræ non incurritur, nisi adsit dolus, & malitia.*

1 VIgesimò excommunicat, & anathematizat Pontifex illos omnes, qui per se, seu alios directè, vel indirectè sub quocunque titulo, vel colore inuadere, destruere, occupare, & detinere præsumpserint in totum vel in partem Almam Vrbem, Regnum Siciliæ, insulas Sardiniæ, & Corsicæ, Terras citra Pharum, patrimonium B. Petri in Thuscia, Ducatum Spoletanum, Comitatum Venusinum, Sabinensem Marchiæ Anconitanæ, Massæ, Trebariæ, Romandiolæ, Campaniæ, & maritimas prouincias, illarúmque terras, & loca, ac terras specialis commissionis Arnulphorum, ciuitatésque nostras Bononiam, Cæsenam, Ariminum, Beneuentum, Perusium, Auenionem, ciuitatem Castelli, Tudertum, Ferrariam, Colomacum, & alias ciuitates, terras, loca, vel iura ad ipsam Romanam Ecclesiam pertinentia, dictæque Romanæ Ecclesiæ mediatè, vel immediatè subiecta, necnon suprema iurisdictionem in illis nobis & eidem Romanæ Ecclesiæ competentem de facto vsurpare, perturbare, retinere, & vexare variis modis præsumunt, necnon adhærentes, fautores, & defensores eorum, seu illius auxilium, consilium, vel fauorem quomodolibet præstantes.

2 Tametsi *Canone* 17. lata fuerit excommunicatio aduersus vsurpantes bona, reditus, & prouentus tùm ad summum Pontificem, tum ad alias personas Ecclesiasticas pertinentia: attamen in præsenti in defensionem bonorum temporalium Sedis Apostolicæ, illiúsque suprema iurisdictionis specialis excommunicatio fertur aduersus inuadentes, destruentes, occupantes, & detinentes prædicta bona, necnon perturbantes, & vsurpantes dictam iurisdictionem, iisque auxilium, consilium, vel fauorem præstantes. Vnde delinquentes vltra iniustitiam sacrilegium committunt, vtpotè Sedis Apostolicæ authoritatem offendentes: sicuti ex communi docet Caietan. *verbo excommunicatio, cap.* 17. Sebastian. Medices *in sum. peccator. capital. titul.* 9. *quæst.* 78. *numero* 26. Sayrus, *lib.* 3 *thesauri, cap.* 24. *numero* 1. Bonac. *disp.* 1. *de censur. bulla. q.* 21. *punct.* 1. *num.* 1.

Personæ aduersus quas hæc excommunicatio fertur sunt 3
omnes, & singuli fideles cuiuscunque qualitatis, & conditionis existant, qui aliquam ex prædictis actionibus aut fuerint perpetrare. Et licèt Regalis, Imperialisque dignitatis mentio expressa facta non fuerit, quia tamen materia subiecta speciaLiter Reges, & supremos Principes spectat, ab eisque Romana Ecclesia grauius vexationis periculum subit, ea de causa verius censendum est hanc excommunicationem ad Reges, Imperatorem, aliósque supremos Principes extendi. Vt tradit Hugolin. *in præsenti can.* 20 §. 1. *num.* 1. Duard. *quæst.* 10. *num.* 4. Bonacina *disputat.* 1. *de censur. Bulla. quæst.* 21. *punct.* 2. *numero* 1.

In triplicem partem hic Canon diuiditur. Prima agit de 4
inuadentibus, destruentibus, occupantibus, & detinentibus loca, dominia, & iura Romanæ Ecclesiæ. Secunda de vsurpantibus, perturbantibus, seu vexantibus eius supremam iurisdictionem. Tertia de præstantibus auxilium, consilium, & fauorem in eisdem.

In prima parte hæ actiones sunt sub excommunicatione 5
prohibitæ. Prima inuadere terras Romanæ Ecclesiæ, hoc est in eas irruere, seu cum impetu aggredi, quod proprium est hostium; ideóque Suar. *disp* 21. *de censur. sect.* 2. *num.* 104. Filliucius *tract.* 16. *cap.* 3. *num.* 62. Hugolin. *in præsenti, capite* 20. *numero* 3. *vers. quoad secundum*, & alij, requirunt hostilem incursum; quia aliàs non erit inuasio propriè sumpta, vt ex Ambrosio Calepino *verbo inuadere*, & *inuasio* colligi potest. Neque obest quod in Bullis V. & Gregor. XIII. dictionibus *inuadere*, & *destruere* addebatur hostiliter, quod præsentibus Bullis sublatum est, quia non inde infertur mutatam esse dispositionem (vt censet Bonacina *dicta disp.* 1. *quæst.* 21. *punct.* 1. *num.* 3.) quia illud aduerbium *hostiliter* credendum est omissum esse, vtpotè non necessarium. Satis enim ex verbo inuadere, & ex subiecta materia perspicuum erat inuasionem debere esse hostilem; siquidem quælibet alia inuasio propriè inuasio non est. Quòd si ex consensu iniusto gubernatoris, & aliorum ciuium ciuitatem aliquam Ecclesiæ ingrediatis occupandam nullo impetu facto, etsi hanc excommunicationem effugias ob actionem inuadendi, at in eam incidis ob actiones vsurpandi, occupandi, perturbandi, vexandi more hostili dictam ciuitatem. Secunda actio prohibita in dicto Canone est, destruere, deuastare, demoliri dicta loca, & terras Romanæ Ecclesiæ. Tertia eadem occupare, hoc est rapere, seu vsurpare. Quarta sic vsurpata, & rapta detinere, & non restituere. Hæc enim si per se, vel per alios directè, vel indirectè quouis quæsito colore præstentur hanc excommunicationem induunt, vt ex ipso Textu notatur. Neque opus est omnes has actiones adesse, vt excommunicatio locum habeat, satis enim est si adsit quælibet actio ex prædictis. Aliàs Pontifex non satis suo dominio consuleret. Neque obest quod Textus vtatur hac dictione *&*, quæ vim habet extrema coniungendi. Nam id intelligitur, cùm subiecta materia contrarium non suadet. Vti tradit August. Barbosa in *suo dictionario, dict.* 93. *num.* 18. At in præsenti subiecta materia suadet dictionem *&* non copulatiuè, sed disiunctiuè sumi, quippe eius extrema nequeunt simul existere. Non enim simul existere potest actio destruendi ciuitatem, & illam retinendi. Atque ita tradit Suar. *disp.* 21 *sect.* 2. *num.* 105. Alterius, *lib.* 5. *disp.* 21. *cap.* 1. *vers. dixi.* Duardus *lib.* 2. *canone* 20. *q.* 2. *num.* 2. Bonac. *disp.* 1. *de censur. bulla, quæst.* 21. *p.* 1. *num.* 8.

Prædictæ verò actiones inuadendi, destruendi, occupandi, 6
& detinendi versari debent circa loca, & terras Pontificis, Romanæque Ecclesiæ, siue ipsi immediatè, siue mediatè subiecta, hoc est siue Pontifex in illis iurisdictionem temporalem exerceat, siue eam in alios transtulerit feudo, vel emphyteusi, dominio directo retento. Quapropter si quis destruat, vel occupet terras, & loca ad priuatos ciues pertinentia, esto per accidens Romana Ecclesia damnum patiatur, nequaquam hac excommunicatione ligabitur, quia non occupat, vel destruit, terras summi Pontificis & Romanæ Ecclesiæ, quod expressè requiritur. Vti tradit Filliucius *tract.* 14. *cap.* 3 *q.* 3. *numero* 65. Hugolin. *in præsenti, cap* 20. §. 1. *vers. ex hac clausula.* Duardus *lib.* 2. *can.* 20. *q.* 10. *n.* 5. Bonac. *disp.* 1. *de censur. bulla. quæst.* 21. *punct.* 1. *num.* 11. & *pun.* 3. *num.* 4. Quinimò esto destruerentur loca, & terræ ad Pontificem, vt priuatam personam pertinentia

tinentia, non obinde esset locus huic censuræ. Quia hac censura solùm proteguntur bona quæ simul sunt Pontificis, & Ecclesiæ, vt constat ex illis verbis sæpiùs repetitis: *Ad Romanam Ecclesiam: dictæ Romanæ Ecclesiæ*, quæ manifestè indicant ea tantùm bona protegi hac censura, quæ Romanæ Ecclesiæ, & Pontifici vt supremo Principi competunt. Vt benè aduertit Bonac. *d. disp. 1. q. 21. p. 3. in fine.*

7 Secunda pars huius Canonis excommunicatione afficit eos, qui supremam Pontificis, & Romanæ Ecclesiæ iurisdictionem de facto vsurpare, perturbare, retinere, & vexare variis modis præsumunt, supremam inquam iurisdictionem in temporalibus; nam de spiritualibus satis in præcedentibus canonibus actum est. Nomine *supremæ iurisdictionis* non intelligitur dominium directum, & vtile, quod Pontifex habet in suas prouincias, & ciuitates: nam hoc dominium prima parte huius canonis protegitur, cùm ibi protegantur ciuitates, & iura Pontifici, Romanæque Ecclesiæ pertinentia: aliàs omnes habentes dominium directum, & vtile in suas ciuitates & loca, supremam haberent iurisdictionem, quod non est concedendum. Sed nomine *supremæ iurisdictionis* venit intelligendum merum, & mixtum imperium, iuxta Textum *in c. quod translationem, de officio delegati. & leg. imperium. ff. de iurisdictione omnium iudic.* Quippe potestas puniendi Ecclesiasticos etiam vltimo supplicio supremam arguit iurisdictionem, cùm nemini alteri concessum sit. Sicuti tradit Alterius *lib. 5. disp. 20. cap. 1. vers. per supremam.* Bonac. *disp. 1. de censur. q. 21. punct. 1. num. 16.* & generaliter eam iurisdictionem, quam Pontifex vt supremus Princeps exercet suprema iurisdictio appellanda est, vtpotè nemini subiecta, & ab omni alia independens.

8 Circa hanc supremam iurisdictionem est duplex difficultas. Prima; an illam offendat, qui Legatos, & commissarios, aliósque gubernatores à Sede Apostolica constitutos impedit, & perturbat, ne sua iurisdictione vtantur? Negat Alterius *disp. 21. cap. 1. vers. per supremum.* Bonac. *disp. 1. de censur. Bullæ, q. 21. p. 1. num. 20.* quia prædictorum iurisdictio cùm sit à iurisdictione Pontificis, & Romanæ Ecclesiæ distincta non potest esse suprema. At præsenti Canone sola suprema iurisdictio protegitur. Ergo, &c. Nihilominus satis probabile est sic impedientem, & perturbantem hac excommunicatione innodari; non quidem quatenus perturbat Legatorum iurisdictionem formaliter, sed quatenus inde censetur Pontificia iurisdictio perturbata. Etenim cùm Legati, Commissarij, aliique Gubernatores ciuitatum Ecclesiæ Romanæ nomine Pontificis iurisdictionem exerceant, eorum iurisdictione perturbata, & Pontificis iurisdictio perturbata censeri debet.

9 Secunda difficultas: An vsurpatio, vel perturbatio supremæ iurisdictionis Pontificia Sede vacante sub hoc Canone comprehendatur? Pro certo affirmandum est comprehendi: Quia esto illa iurisdictio non sit Pontificis mortui, neque futuri, cùm vterque incapax sit iurisdictionis actualis, vtpotè carentes Pontificia dignitate: at est iurisdictio Romanæ Ecclesiæ hoc Canone protecta. Neque obest quòd Textus dicat. *Nobis, & eidem Romanæ Ecclesiæ competentem*, denotans eam iurisdictionem, quæ Pontifici, & Romanæ Ecclesiæ simul competit, hoc Canone comprehendi, non verò quæ solùm Romanæ Ecclesiæ. Non inquam obest, quia pronomini *Nobis* subintelligenda est conditio vitæ, & existentiæ per se in eo pronomine imbibita: præstatque hunc sensum: *Excommunicamus eos, qui supremam iurisdictionem nobis viuentibus, & Romanæ Ecclesiæ competentem vsurpare, & perturbare præsumpserint.*

10 In tertia huius Canonis parte excommunicantur adhærentes, fautores & defensores supradictorum delinquentium, seu illis auxilium, consilium, vel fauorem quomodolibet præstantes. Sub his verbis: *omne consilium, auxilium, & fauor ex vi cuius aliqua ex supradictis actionibus subsequatur hac excommunicatione punitur.* Quippe illorum verborum *adhærentes, fautores, & defensores* sequentia videntur explicatio esse, vti colligitur ex illa dictione *seu*: ita vt sensus sit, adhærentes per consilium, præstantes fauorem, exhibentes auxilium hac innodantur excommunicatione. Non tamen caret probabilitate quod tradit Bonac. *disp. 1. de censur. q. 21. punct. 1. num. 26. & 27.* huic excommunicationi subiici eum qui prædictorum criminum reo adhæreret paratus eum comitari, & auxiliari, & fauere, tametsi de facto nondum consilium, auxilium, & fauorem præstitisset; quia ex illa animi præparatione manifesta sufficienter adhærere delinquenti dicitur. Illud verò est certum opus esse, vt delictum à principali operante committatur, vt adhærentes, consulentes, auxiliantes, & fauentes excommunicatione ligentur. Vt sæpè dictum est, & notauit in præsenti Filliucius *tract. 16. cap. 3. num. 69.* Alterius *lib. 5. disp. 21. c. 1. vers. merito.* Bonac. *disp. 1. de censur. Bullæ, q. 21. pun. 1. num. 28.*

11 Ad extremum aduerte hanc censuram non incurri nisi adsit dolus, & malitia, vt manifestè indicat verbum præsumo, quo textus vtitur. Vti notauit Bonacina ex communi sententia *dicta disp. 1. q. 21. pun. 1. num. 25.* Quocirca Reges, aliique supremi Principes Catholici terras & iurisdictionem Romanæ Ecclesiæ competentia possidentes, ab hac excommunicatione excusantur, quia bona fide procedunt. Tum ex præsumpto Sedis Apostolicæ priuilegio, tum ex præscriptione legitima. Neque his obest, quod per huiusmodi Bullam derogentur priuilegia omnia, etiam in vi contractus, & præscriptio videatur interrupta, quia non derogantur priuilegia quæ grauissima sunt, & ob grauissimam causam concessa, quæque ad sui derogationem expressam sui mentionem requirunt, vti sunt priuilegia prædicta. Neque præscriptio interrumpi censetur, quoties mala fides præscribenti non superuenit. Atque ita tradit Couarruu. *reg. possessor. malæ fidei, §. 12. num. 5.* Alterius *lib. 5. disp. 21. cap. 3. vers. in hac quæstione.* Bonacina *de censur. bulla. q. 21. p. 2. n. 3. & p. 1. n. 24.*

Punctum XXII.

Expenduntur reliqua quæ in Bulla continentur.

1 *Processus Bullæ durant, quousque alij authentici, & obligatorij publicentur.*
2 *Absolutio harum censurarum Pontifici est reseruata, præter mortis articulum.*
3 *Absolutio in mortis articulo præstanda est præmissa satisfactione.*
4 *Proponitur ratio dubitandi, an valida sit absolutio non præmissa satisfactione. Et respondetur validam esse.*
5 *Sacerdos sine legitima facultate ab his censuris absoluens ipso iure excommunicatur, eiusque absolutio est nulla.*
6 *Absolutio generalis à Pontifice facta, non comprehendit eos qui his censuris ligati sunt.*
7 *Reuocat Pontifex omnia priuilegia dispositioni huius Bullæ contraria.*
8 *Præscribitur omnibus Patriarchis, Episcopis, aliisque Ordinariis huius Bullæ publicatio.*
9 *Transumptum huius Bullæ habere debent omnes Ordinarij, & qui ad confessiones fuerint deputati.*
10 *Hanc obligationem pluribus placet esse sub mortali.*
11 *Contrarium non videtur probabilitate carere.*
12 *Ex ratione officij audiendi confessiones obligatio grauis esse potest.*
13 *Aduersus eos qui huic Bullæ contraire præsumpserint, indignatio Dei incurrenda indicitur.*

POst censuras latas statuit Pontifex, vt omnia, quæ in Bulla continentur durent, suúmque effectum sortiantur, quousque alij huiusmodi processus ab ipso, aut Romano Pontifice pro tempore existente fiant, vt publicentur, fiant inquam, authentici, & obligatorij, quod absque publicatione esse nequit, ideóque particula *aut* declaratiua est verbi antecedentis, præstátque hunc sensum. Processus Bullæ durant, effectúmque sortiuntur, quousque alij processus fiant authentici, & obligatorij, seu quousque alij processus publicentur. Atque ita tradit Duardus *in bulla Cœnæ, lib. 1. cap. 4. q. 8. num. 9.* Bonac. *disp. 1. de censur. bullæ, q. 22. p. 1. n. 2.* & latiùs dictum est *hac disp. §. 1.* 1

Secundò absolutionem harum censurarum sibi reseruat Pontifex præter mortis articulum, neque tunc (inquit) præstanda est, nisi cautione præstita de stando mandatis Ecclesiæ, & satisfaciendo parti offensæ, reuocátque omnia priuilegia iis contraria, etiamsi per generale Concilium concessa fuerint. Ex quibus verbis grauis est controuersia Doctorum; an priuilegium à Trident. Episcopis concessum ad absoluendum ab hæresi, aliisque criminibus occultis ex vi huius clausulæ censeatur reuocatum? In qua quæstione vt probabilius defendimus partem affirmatiuam *tr. 4. de fide, disp. 4. p. 3. §. 1. n. 22.* ibique contrariis satisfecimus. 2

In mortis verò articulo qui potest à peccatis absoluere, potest à censura. Præstanda tamen est prius satisfactio realis, si possibilis sit, sin minus cautio, pignoratitia, fideiussoria, vel iuratoria sufficiet, iuxta regulas generales in materia restitutionis, & absolutionis à censuris. Quod si nulla cautio præstari potest, eo quòd infirmus est in extremis sensibus destitutus, non obinde absolutio omitti debet, quia cautio requiritur casu quo præstari possit, vt benè aduertit Sayrus *lib. 3. thesauri casuum conscient. capite 15. numero 4.* Bonacina *disputat. 1. de censur. q. 22. pun. 3. in fine.* Suar. *de censur. disput. 21. sect. 3. num. 2.* 3

Grauior dubitatio est, An valida sit absolutio satisfactione reali omissa cùm fieri posset; vel nulla vel non sufficiente præstita cautione? Et ratio dubitandi est, quia non est credendum velle Pontificem suas vices concedere illi abutenti. Sed dicendum est ob omissam realem satisfactionem, & cautionem debitam non irritari absolutionem, modò aliqua cautio exhibeatur; quia Pontifex non satisfactionem realem, sed cautionem requirit, neque speciem cautionis exprimit, tametsi de 4

de legitima videatur intelligendus. Atque ita tradit Suar. *disp. 21. de censur. sect. 3. num. 1.*

5 Tertiò addit Pontifex Sacerdotem sine legitima facultate ab iis censuris absoluentem ipso iure excommunicatum esse, eiusque absolutionem esse nullam. Quæ excommunicatio etsi olim reseruata fuerit teste Caietano, *verbo Excommunicatio cap. 7.* attamen iuxta tenorem Bullæ præsentis Vrbani VIII. nullam continet reseruationem, siquidem post reseruationem præcedenti clausula appositam, quæque ad subsequentia non extenditur statuta est, Vti docuit Nauarr. *capit. 27. numero 74.* Tolet. *lib. 1. cap. 31. n. 7.* Suar. *disp. 21. de censur. sect. 3. n. 6.* Sayrus *lib. 3 thesauri, cap. 25. num. 7.* Filliucius *tract. 16. c. 7. q. 8. num. 124.* Duardus *de absolut. ab excommunicat. bulla, lib. 3. §. 3 q. 1. num. 2.* Alterius *disp. 22. cap. 3. dub. 2. col. 7.* Antonius de Sousa *cap. 24. disp. 101. num. 3.* Bonacina *disp. 1. de censur. q. 22 pun. 3. num. 8.* Quod si absoluens ab his censuris extra Vrbem, in Italia tamen existat excommunicationem incurrit reseruatam ex decreto Clement. VIII. & declaratione Cardinalium edita anno 1601. die 9. Mensis Ianuarij, quæ incipit *Sacra Congregatio*, dummodò absoluat prætextu priuilegiorum à Sede Apostolica concessorum. Aliàs si ex malitia, vel ignorantia, aut in Vrbe, vel extra Italiam ab excommunicationibus absoluat sub decreto, & reseruatione Clement. non continetur. Vti aduertit Bonac. *disputat. 1. de censur. q. 22. punct. 3. numero 9.*

6 Quartò declarat Pontifex quamcunque absolutionem etiam solemniter ab ipso faciendam non comprehendere, nec suffragari his excommunicatis per Bullam, nisi priùs à præmissis cum vero proposito vlterius similia non committendi desiterint; & meritò quia impœnitenti absolutio concedenda non est. Imò qui constitutiones, pragmaticas, leges, & decreta libertati Ecclesiasticæ contraria fecerunt, non sunt absoluendi nisi priùs ea publicè reuocauerint, & ex archiuis, seu Capitularibus, locis, aut libris, in quibus annotata repetiuntur deleri, & cassari; ac summum Pontificem de reuocatione certiorem fecerint. Quod si contrà factum fuerit, nullus effectus erit absolutio, vtpotè data absque facultate, quæ non censetur concessa, nisi ea conditione posita. Additque Pontifex se protestari, non sumque omnibus facere per absolutionem solemniter factam, aut quoscunque alios actus contrarios tacitos, vel expressos, ac etiam per patientiam, seu tolerantiam suam, vel successorum quantocunque tempore continuatam in omnibus, & singulis contentis in Bulla, & quibuscunque iuribus Sedis Apostolicæ, ac S. Romanæ Ecclesiæ vndecunque, & quandocunque quæsitis, vel quærendis, nullatenus præiudicare posse, ac debere.

7 Quintò reuocat Pontifex omnia priuilegia etiam in vi contractus concessa, quæ dispositioni huius Bullæ contraria fuerint. Ex qua reuocatione colligitur ferè nulla priuilegia subsistere, quæ Bullæ dispositioni derogent. Vide quæ dicta sunt *tr. 1. de leg. disp. 4. p. 21.* vbi de priuilegij reuocatione, & cessatione.

7 Sextò præcepit Pontifex Patriarchis, Episcopis, Prælatis, aliisque locorum Ordinariis, vt cùm primùm ad suas manus processus huius Bullæ peruenerint, seu earum habuerint notitiam, publicari faciant semel in anno aut pluries (si id sibi expedire visum fuerit) in Ecclesiis suis quando maior fuerit populi conuentus. Quod præceptum obligat Prælatos sub mortali, vt constat ex illis verbis. *In virtute sanctæ obedientiæ, districtè præcipiendo mandamus.* Neque ab hoc præcepto excusati possunt, nisi graue damnum ex publicatione timeant. Vti tradit Sayrus *lib. 3. thesauri, cap. 25. num. 12.* Alterius *lib. 5. disp. 22. cap. 6. ad finem*: neque dissentit Bonac. *disp. 1. de censur. bullæ quæst. 2. p. 6 num. 3.* satisfaciunt tamen huic obligationi, si vnusquisque in sua Ecclesia matrice publicationem faciat. Vt docet Alterius *lib. 5. disp. 22. c. 6. vers. 4.* Neque obest Textum vti plurali numero *in Ecclesiis suis*, quia id factum est eo quòd plurali numero Patriarchas, Episcopos &c. nominarat, & vt singula singulis corresponderent dixit *in Ecclesiis suis*, hoc est omnes in suis Ecclesiis & quilibet in Ecclesia sua.

9 Septimò inquit Pontifex, *Patriarchæ, Episcopi, Archiepiscopi, aliique locorum Ordinarij, & Ecclesiarum Prælati, necnon Rectores, cæterique curam animarum exercentes, ac Presbyteri seculares, & quorumuis Ordinum regulares ad audiendas peccatorum confessiones, quatuis authoritate deputati, transumptum præsentium litterarum penes se habeant, easque diligenter legere, & percipere studeant.* Ex his verbis constat quoslibet curam animarum ex officio exercentes, tametsi sacerdotali dignitate insigniti non sint. Itemque quoslibet Presbyteros, sæculares, vel regulares ad confessiones audiendas deputatos obligatos esse transumptum Bullæ penès se retinere, hoc est in sua Ecclesia, vel domo habere, illudque diligenter legere, & percipere, aliàs illius tentio vana esset, & inutilis.

10 Sed an hæc obligatio habendi Bullæ transumptum grauis sit? Non conueniunt Doctores; Hugolin. *in præsenti 3. p. c. 7. n. 3.* Duardus *lib. 3. §. 8. q. 1. num. 3.* Bonac. *disp. 1. de censur. bullæ, q. 22. p. 7. num. 5.* censent obligare sub mortali, quia verba imperatiuo modo prolata in legibus præceptum continent. Retentio autem Bullæ, illiúsque diligens lectio, & perceptio imperatiuo modo in Bulla profertur ibi: *Penès se habeant, studeant &c.* ex alia parte materia grauis esse videtur; vtpotè animarum curæ, & regimini non leuiter necessaria. Ergo.

Nihilominus censeo satis probabilem esse sententiam Alterij *lib. 5. disp. 22. cap. 7. col. 3.* Anton. de Sousa *cap. 18. num. 2* asserentium ex vi Bullæ non esse obligationem grauem habendi, vel legendi eius transumptum. Moueor quia esto plerunque verba imperatiui modi obligationem præcepti inducant, si materia grauis est. Vt docui *tract. 3. de legib. disp. 1 pun. 9. num. 3. & seqq.* At in præsenti non videtur esse grauis materia, neque maximè necessaria ad finem à Pontifice intentum, cùm possit hic facilè obtineri, quin Bullæ transumptum apud te habeas: ex eo namque quòd apud alium sit, ipséque tibi omnia ibidem contenta referat, illorum notitiam perfectam habere poteris. Præterea, si Pontifex vellet sub mortali obligare ad hanc retentionem, & lectionem, vt quid omisit illa verba: *In virtute sanctæ obedientiæ*, quæ superiori clausulæ apposuerat? Tacitè enim ea omissione indicauit longè minori obligatione astrictos esse curam animarum habentes, aliosque Presbyteros ad retinendum transumptum, quàm astricti sunt Prælati ad illius publicationem. Adde tempore Pij V. huiusmodi clausulæ verbum præceptiuum addebatur, qua additione manifestè indicabat alia verba præceptum non continere; aliàs superflua esset additio. At in his Bullis ea additio sublata est, & verba in communi significatione relicta. Ergo ex se præceptum non continent. 11

Verùm esto ita sit, ex officio tamen fideles regendi, eorúmve confessiones audiendi obligatio grauis tibi adesse potest retinendi transumptum, illúdque legendi, si id iudicas necessarium ad perfectam illius notitiam. Hanc enim sub grauj culpa habere debes, ne te periculo exponas alicuius erroris, & absolutionis indebitæ. 12

Octauò addit Pontifex Bullæ transumptis etiam impressis fidem adhibendam esse tam in iudicio, quàm extra, dummodò Notarij publici manu subscripta sint, & sigillo Iudicis ordinarij Romanæ curiæ, vel alterius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munita. Vtraque conditio requiritur, subscriptio publici Notarij, & sigillum personæ in dignitate constitutæ. Vt aduertit Sayrus *lib. 3. cap. 25. in fine.* Bonac. *disp. 1. q. 22. p. 7. num. 9.* Is autem dicitur in dignitate constitutus, cui ex munere competit iurisdictio in Ecclesiasticas personas, iuxta *leg honor ff. de munerib. & honorib. Cap. cum accessissent, de constitut. & c. ad aures de Rescript.* 13

Vltimò profert Pontifex indignationem Dei, & sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli incurrendam ab iis qui Bullæ exemplar ausu temerario præsumpserint infringere, hoc est rumpere, & destruere, vel ei contraire, tum impediendo publicationem, eiúsque obseruationem, tum negando eius obligationem. Ob has tamen actiones nulla pœna ipso iure fertur, sed arbitrio Pontificis grauiter venit delinquens puniendus.

Punctum XXIII.

De excommunicationibus summo Pontifici in Decreto iuris reseruatis.

VNica tantùm est excommunicatio reseruata in Decreto per Gratianum collecto, namque ea quæ fertur *in Canone si quis suadente 17. q. 4.* aduersus eos qui manus violentas in Clericum, vel Monachum iniiciunt. Quæ sic se habet. *Si quis suadente diabolo manus violentas in Clericum, vel Monachum iniecerit, anathematis vinculo subiaceat, & nullus Episcoporum illum præsumat absoluere nisi mortis vrgente periculo, donec Apostolico conspectui præsentetur, & eius mandata recipiat.* Vt igitur hæc excommunicatio plenè intelligatur, plura sigillatim excutienda sunt. Primò qui nomine Clerici, vel Monachi comprehendantur, ob quorum vexationem iniuriosam excommunicatio contrahatur. Secundò quas actiones hæc excommunicatio comprehendat. Tertiò, quis possit ab ea excommunicatione absoluere.

§. I.

Qui veniant nomine Clerici, vel Monachi in prædicto Textu?

1 *Expenditur qui veniant nomine Clerici?*
2 *Plures censent omnia requisita, vt Clericus fori priuilegio gaudeat, requiri etiam, vt priuilegio Canonis potiatur.*
3 *Contrarium videtur verius.*
4 *Fundamento oppositio fit satis.*

5 *A priuilegio Canonis, & fori excluduntur Clerici coniugati, dum habitum, & tonſuram non deferunt.*
6 *Item bigami bigamia vera, & interpretatiua in minoribus conſtituti, ſecus in ſacris.*
7 *Item Clerici qui deſerto habitu Clericali grauibus criminibus ſe immiſcent.*
8 *Item Ioculatores, Goliardæ, aut Bufones.*
9 *Item exercentes officium Carnificum, Macellariorum, &c.*
10 *Item qui ter ab Epiſcopo moniti habitum Clericalem depoſitum aſſumere nolunt.*
11 *Aliquibus placet ſupradictos non priuari priuilegio fori, quouſque degradentur, ſi in ſacris ſint conſtituti.*
12 *Dicendum eſt requiri authenticam declarationem incorrigibilitatis.*
13 *Veniunt nomine Monachi Religioſi vtriuſque ſexus veram profeſſionem emittentes, imò & Nouitij.*
14 *Item Fratres tertij Ordinis D. Franciſci vitam in communitate gerentes.*
15 *Equites S. Ioannis hoc priuilegio gaudent.*
16 *De aliis, conſuetudini eſt ſtandum.*

1 NOmine Clerici veniunt non tantùm ij, qui characterem ſacrum habent, ſed qui Ordines minores receperunt, imò & qui primâ tantùm tonſurâ fuerunt initiati. Vti conſtat ex *c. cleri. 21. diſt.* & *c. cùm contingat de ætate, & qualit.* Quod adeò verum eſt, vt eſto ſint excommunicati, ſuſpenſi, irregulares, aut verbaliter depoſiti hoc priuilegio non priuantur, ſicuti communiter notant Doctores in *capite ex parte de Clerico coniugato*: & tradit Tolet. *lib. 1. cap. 31. num. 8.* Coninch. *dict. 14. de excomm. dub. 15. numero 157.* Sayrus *lib. 3. theſauri. cap. 26. num. 8 & 9.* Secùs verò realiter degradati, ij enim omni priuilegio Clericali priuati ſunt, *Cap. degradatio de Pœnis, in 6.*

2 Sed an initiati primâ tonſurâ, vel minoribus Ordinibus teneantur tonſuram, & habitum Clericalem communiter geſtare, & inſuper ex licentia Epiſcopi alicui Eccleſiæ inſeruire, vel in aliqua publica academia litteris vacare, vt prædicto Canone protegantur? Non conueniunt Doctores. Nam Man. Rodrig. *lib. 1. ſum. cap. 80. num. 17.* Florian. de Solis *tract. de cenſib. lib. 2. cap. finali, num. 14.* Bañes *2. 2. q. 12. articul. 1. difficult. 3. dicto vltim.* Suar. *de cenſur. diſp. 22. ſect. 1. num. 11.* Ægid. Coninch. *diſp. 14. de cenſur. dub. 15. num 164.* & probabile reputat Paul Layman. *lib. 1. ſum. tract. 5. part. 2. capit. 5. numero 4.* cenſent omnia illa requiſita eſſe, vt locus ſit Canonis priuilegio. Mouentur; quia ex Conc. Trident. *ſeſſ. 23. cap. 6. de reformat.* ea omnia requiruntur, vt Clerici in minoribus conſtituti priuilegio fori gaudeant. Sed Priuilegium Canonis inferius eſt fori priuilegio, quippe priuilegium Canonis iure tantùm poſitiuo eſt introductum: priuilegium verò fori ex iure Diuino prouenit. Ergo Clerico cui non competit priuilegium fori, nec Canonis priuilegium competere debet. Deinde Trident. *dicto cap. 6.* ſub priuilegio fori Canonis priuilegium videtur comprehendiſſe; ſiquidem refert *c. vnicum de Clericis coniugat. in 6.* vbi Pius II. expreſsè de priuilegio Canonis loquitur.

3 Nihilominus contrariam ſententiam veriorem reputo cum Nauarr. *lib. 5. conſil tit. de priuileg. conſ. 24. edit. 2.* Molina *tract. 3. de iuſtit. diſp. 54. numero 9.* Stephanus Dauila *2. punct. cap. 1. diſput. 2. dub. 9 concl. 3.* Hieronym. Gonzalez *in reg. 8. cancell. gloſſ. 5. §. 5. num. 7.* & Fauet Clarus *lib. 5. ſententiar. §. fin. q. 36. num. 19.* Moueor, quia iure communi Clerico in minoribus Ordinibus conſtituto conceſſum erat priuilegium Canonis, tametſi alicuius Eccleſiæ ſeruitio addictus non fuerit, neque in aliqua ſchola ex licentia Epiſcopi verſaretur. At Conc. Trident. ſolùm reſtrinxit priuilegium fori, ergo priuilegium Canonis ſub diſpoſitione iuris communis relictum eſt, iuxta *leg. præcipimus. Cod. de appellationib.* ſunt enim hæc priuilegia omnino diſtincta. Atque ita declarauit ſacra Cardinalium Congregatio, prout Gonzalez refert in hæc verba: *Clerici qui in hoc decreto Concilij priuilegio fori priuantur, priuilegio tamen Canonis non intelliguntur priuati.*

4 Neque fundamentum contrarium vrget. Nam eſto priuilegium Canonis inferius ſit priuilegio fori, eſt tamen magis neceſſarium perſonis Eccleſiaſticis, & earum ſtatui, cùm grauiùs offendantur ex vexatione perſonali, quàm ex forenſi iudicio. Præterquam quòd priuilegium fori cedit aliqualiter in diminutionem laïcæ poteſtatis: at priuilegium Canonis in nullius cedit præiudicium. Ergo mirum non eſt plures conditiones pro priuilegio fori requiri, quàm pro priuilegio canonis. Conc. Trident. verò ſi benè perpendatur nobis contrarium non eſt; non enim dixit ſeruandam eſſe conſtitutionem Bonifac. VIII. *in cap. Clerici, de clericis coniugatis in 6.* pro omnibus Clericis, ſed pro Clericis coniugatis, hi enim nec priuilegio fori, nec Canonis gaudent, niſi conditiones à Conc. Trident. præſcriptas obſeruent, vt ſtatim dicam.

5 Quapropter à priuilegio Canonis, & fori excluduntur Clerici coniugati dum habitum, & tonſuram non deferunt, iuxta Textum in *dicto c. vnico de clericis coniugatis in 6.* & inſuper ſeruitio alicuius Eccleſiæ ex Epiſcopi deputatione non vacant. Sicuti ex communi docet Coninch. *diſp. 14. dub. 14. num. 158.* Paul. Layman. *lib. 1. ſum. tr. 5. par. 2. c. 5. n. 4.* Bonac. *t. 1. diſp. 2. de excomm. q. 4. p. 3. num. 1.*

Secundò excluduntur bigami bigamia vera, & interpretatiua in minoribus Ordinibus conſtituti, quia ij omni priuilegio denudantur, ideóque geſtatio tonſuræ, habitus Clericalis illis interdicitur. *Capite vnico, de Bigamis in 6.* & notauit *ibi* Gloſſa *verbo bigamus.* Coninch. *numero 157.* Molina *tract. 3. diſp. 54. num. 8.* Paul. Layman. *cap. 5. numero 4.* Bonacina *dicto pun. 3. num. 6. & t. 3. de cenſur. in part. diſp. 2. q. 3. pun. 6. ſect. 3. num. 3. & ſeqq.* Secùs verò dicendum eſt de bigamia ſimilitudinaria, vt iidem Doctores aduertunt. Quod ſi Clerici bigami ſacris ſunt initiati vel ex diſpenſatione, vel illegitimitate hoc priuilegio Canonis gaudent, quia Textus in *capite vnico de Clericis coniugatis in 6.* & *capite vnico de Bigamia in 6.* expreſsè loquuntur de bigamis in minoribus conſtitutis. Et tradit Gloſſa *dicto capite vn. de bigamis.* Sylueſt. *verbo bigamus, quæſt. 8.* Molina *diſputat. 54. numero 8.* Layman. *ſuprà.* 6

Tertiò excluduntur ab hoc priuilegio canonis Clerici qui deſerto habitu Clericali grauibus criminibus, vtpote tyrannidi, & ſeditioni, aliiſque facinoribus ſe inuerecundè immiſcent ex Textu *in capite. perpendimus. Capite cùm non ab homine, de ſententia excommunicat.* Et notat Nauarr. *capite 27. numero 81.* Suarez *diſputatio. 22. de cenſur. ſect. 1. numero 14.* Coninch. *diſputatio 14. dubit. 15. numero 157.* Quod à fortiori procedit. Si in crimen aſſaſſini inciderint, iuxta Textum *in capite 1. de homicidio in 6.* Et tradit Sylueſt. *verbo aſſaſſini. quæſt. 3. & 4.* Couarruu. *lib. 2. var. c. 20. n. 10.* Iulius Clarus *§. finali, q. 36. num. 30.* 7

Quartò excluduntur Ioculatores, Goliardæ, aut Bufones, ſi per annum huic ignominioſo officio vacauerint. argum. *capite vnic. de vita, & honeſt. Clericor. in 6.* Et tradit Suar. *dicta ſect. 1. numero 14.* Paul. Layman. *lib. 1. ſum. tract. 5. parte 2. capite 5. numero 5.* Molina *tract. 3. diſputat. 54. numero 6.* 8

Quintò excluduntur exercentes officium Carnificum, Macellariorum, Tabernariorum, modò coniugati ſint, vel habitum Clericalem dimiſerint, atque ter moniti ab Epiſcopo non deſiterint, vel ſi poſtquam deſiterint idem officium reaſſumunt. Quod ſi coniugati non ſint, habitúmque clericalem retineant; priuilegio Canonis & fori quoad perſonas non priuantur, ſed ſolùm quoad eorum bonaita vt eorum negotium non ſit defendendum à iudice Eccleſiaſtico, ſed ſæculari, & inſtar ſæcularium ſoluere debent tributa. Sic habetur *Clement. de vita, & honeſt. Cleric.* Et notauit Suar. *dicta ſect. 1. num. 15.* Paul. Layman. *lib. 1. ſum. tract. 5. part. 2. capite 5. numero 4.* Molin. *d. tract. 3. diſputat. 54. numero 7.* 9

Sextò excluduntur qui ter ab Epiſcopo moniti habitum Clericalem depoſitum reaſſumere nolunt, vel ab officio vili non deſiſtunt, vel ſæcularibus negotiis ſe immiſcent, iuxta textum *in capite in audientia. Capite contingit, de ſententia excommunicat.* Neque ſufficit vna monitio pro tribus, ſed neceſſariò trina, ſpecialis, & nominatim adhibenda eſt. Vti ex *Clemen. 1. verbo tertia, de vita, & honeſt. Clericor.* notat Suar. *dicta ſect. 2. numero 14.* Molin. *diſputat. 54. num. 1.* 10

Sed an ii Clerici criminoſi, ioculatores, incorrigibiles ſi in ſacris ſint conſtituti priuilegium fori ipſo iure amittant? Non eſt conſtans ſententia. Nam Ioann. Monach. *in addit. Gloſſæ, ad capit. 1. de vita, & honeſt. clericor.* Ioann. Lupus *titul. de libert. Eccleſiaſt. 2. part. quæſt. 5. num. 5. & 9.* & *quæſt. 8. numero vnico.* Suar. *in lib. 4. de defenſ. fidei aduerſus Regem Angliæ. capit. 17. numero 24.* Paul. Layman. *lib. 1. ſum. tract. 5. part. 2. cap. 5. numero 4.* negatiuam partem tuentur, eo quòd ſentiant Clericos in ſacris conſtitutos priuilegio fori gaudere, quouſque deprædentur realiter, vel per ſententiam iudicis eo priuilegio denudentur. Colligiturque ex *capite cum non ab homine de iudiciis*, vbi poſt incorrigibilitatem remittitur poteſtati ſæculari Clericus puniendus. Non igitur ipſo iure ob incorrigibilitatem priuilegio fori priuatur, conſentitque *cap. vt fame, 35. de ſententia excommunicat.* vbi laïcis conceditur poteſtas capiendi incorrigibiles non tanquam propriis Iudicibus, ſed tanquam Eccleſiæ miniſtris, cui illi Clerici adhuc ſubiecti ſunt. Contrarium videtur affirmaſſe Gloſſa *in cap. 1. de Apoſtatis.* Couarruu. *pract. quæſt. cap. 31. numero 2.* Iulius Clarus, *dicta quæſt. 36. num. 23.* eo quòd trina monitio ſententiæ degradationis, ſeu priuationis videatur æquiualere. 11

Ego verò dicendum exiſtimo requiri neceſſariò authenticam declarationem incorrigibilitatis, & regulariter ſententiam degradationis, ſeu priuationis. Vti latiùs probaui *tractat. 12. de immunitat. perſonar. Eccleſiaſtic. punct. 6.* 12

Nomine Monachorum veniunt Religioſi vtriuſque ſexus 13

ram

tam veram professionem emittentes, quàm alij vocati Conuersi, quippe verâ professionem in aliquibus Religionibus non emittunt. Vt colligitur ex *cap. ex tenore. capit. de monialibus. de sententia excommunicat.* Et tradit Glossa *in cap. non dubium, verbo conuersos.* Nauarr. *capit. 27. num. 79.* Iulius Clarus *lib. 5. sentent. §. finali. quæst. 77. num. 5.* Molina *tract. 3. disp. 50. num. 4.* Quinimò etiam Nouitij, vtpotè in via ad Religionem susciendam prædicto priuilegio gaudent, ex Textu in *cap. religiosi de sententia excommunicat. in 6.* & tradunt Doctores relati. Neque ab hoc priuilegio excluditur Religiosus bigamus, siquidem nullo iure constat priuilegio Religiosis concesso priuari, sicuti constat priuari priuilegio clericali. Sic ex communi sententia tradit Sylvest. *verbo bigamus, q. 8.* Sayrus *lib. 3. cap. 27. n. 32.* Bonac. *t. 1. disp. 2. de excommunicat. quæst. 4. p. 3. n. 8.* & *t. 3. de excommunicat. in part. disput. 2. q. 2. pun. 6. sect. 3. num. 8.*

14 Deinde Fratres tertij Ordinis D. Francisci, & Dominici vitam in communitate gerentes, & habitum religionis gestantes hoc priuilegio canonis, imo fori gaudent, quia esto veri Religiosi non sint, Religionis tamen statum imitantur, ideóque priuilegiũ Religiosis concessum vtpote fauorabile ad ipsos extenditur. Sicuti ex communi notat Felin. *in capite 2. de foro competenti.* Nauarr. *cap. 27. num. 79.* Tolet. *lib. 1. cap. 31. num. 10.* Suar. *disput. 22. sect. 1. num. 20.* Molin. *tract. 3. de iustit. disp. 50. num. 4.* Carol. de Graffis *de effectu cleric. effectu 1. numero 92.* Bonacina *locis suprà citatis*, Secùs verò dicendum est de iis Fratribus qui in propriis domibus commorantur, etsi se suâque bona Religioni obtulerint, habitúmque illius gestauerint. Sicuti notauit Rodrig. *titul. 2. regular. quæst. 65. art. 5.* Miranda *in manuali Prælat. t. 1. quæst. 29.* Paul. Layman. *lib. 1. sum. tract. 5. part. 2. cap. 5. num. 4. circa finem*, decisúmque est à Leone X. vt refert Rodrig. *suprà.* Idem ferè dicendum est de Eremitis, qui si sub aliqua regula, & obedientia vitam agerent edito paupertatis, vel obedientiæ voto, vel pacto inito hoc priuilegio proteguntur. Secùs verò si nullam ex his obligationem susceperint, tametsi ex commissione Episcopi alicui Ecclesiæ inseruiant, & habitum gestent singularem, quia non firmum, & stabilem modum viuendi habent, cùm pro libito possint ab eo recedere. Sic tradit Mol. *disp. 50. num. 4.* Rodrig. *quæst. regul. q. 63. art. 4.* Suar. *disput. 22. sect. 1. num. 22.* Ægid. *dub. 15. num. 164.* Paul. Layman. *lib. 1. sum. tract. 5. par. 2. cap. 5. num. 4. in fine.* Carol. de Graffis *effectu 1. num. 104.* Bonac. aliis relatis, *titul. 1. disp. 2. de excommunicat. q. 4. pun. 3. in fine.* & *titul. 3. de cons. in partic. disputat. 2. quæst. 3. pun. 6. sect. 3. in fine.*

15 De Commendatariis laicis Ordinis S. Ioannis, D. Iacobi Alcantaræ, Calatrauæ: Et idem est de Commendatariis Ordinis Christi in Lusitania, & S. Lazari in Sabandia, S. Stephani in Florentia, & aliis similibus grauis controuersia est inter Doctores, num hoc priuilegio canonis fruantur? Et quidem de Equitibus S. Ioannis certissimum esse debet hoc priuilegio gaudere, quippè sunt veri religiosi absolutam castitatem, Paupertatem, obedientiam vouentes, ideóque in *cap. canonica de sententia excommunicat.* cauetur quod si se inuicem percusserint à Priore conuentus absoluantur, sicuti alij Religiosi. Atque ita tradit Nauar. *lib. 5. consilior. de regularib. cons. 13.* Molina *tract. 3. disp. 50. num. 5.* Azor. *1. part. instit. moral. lib. 13. cap. 4. q. 4.* Carol. de Graffis *de effectib. clericor. effectu 1. numero 109.* Sanch. aliis relatis *lib. 4. sum. capit. 16. numero 11.*

16 De aliis verò Equitibus, & Commendatariis esto veri Religiosi non sint, neque in communitate viuant, affirmat Garcia *de beneficiis, 1. part. capit. 4. num. 15.* Bonac. *t. 1. disput. 2. de excomm. q. 4. pun. 3. num. 9.* Et *t. 3. disp. 2. q. 3. pun. 6. sect. 3. num. 9.* Priuilegio canonis, & fori gaudere, quia sunt verè personæ Ecclesiasticæ. Sed in his censeo consuetudini standum esse, & priuilegia spectanda. Molina *tract. 3. disp. 50. n. 5.* testatur per multos annos diligenter hanc rem examinasse, reperisséque nullo priuilegio canonis hos milites in Castella, & Lusitania gaudere.

§. II.

Quæ personæ, & ob quas actiones hac excommunicatione afficiantur?

1 *Comprehendit omnes fideles manus in Clericum, vel Monachum iniicientes.*

2 *Actio ob quam hac excommunicatio incurritur est violenta manuum iniectio, quæ grauis esse debet.*

3 *Non excusatur ab hac etiam excommunicatione, etiamsi Clericus offensus consentiat.*

4 *Communis est sententia seipsum vulnerantem in hanc excommunicationem incurrere. Sed contrarium probabilitate non caret.*

5 *Extenditur hac excommunicatio ad mandantes, seu incitantes ad prædictam offensionem.*

6 *Debet subsequi percussio, vt mandans vel consulens excommunicatione innodetur.*

7 *Vt hac excommunicatio vitetur à mandante, vel consulente, debet fieri reuocatio mandati, vel consilij ante patratum delictum nota mandatario.*

8 *Aliquibus placet reuocationem sufficientem arbitrio prudentis excusare ab excommunicatione. Aly oppositum affirmant.*

8 *Prior sententia sustinetur, & explicatur quando censeatur sufficienter mandatum, vel consilium reuocatum.*

10 *Displicet differentia inter excommunicationem, & obligationem restituendi, quam* Paul. Layman. *adstruere conatur.*

11 *Consentiens percussioni cùm posset impedire hac excommunicatione innodatur.*

12 *Non impediens percussionem etiamsi solùm contra charitatem peccet in hanc excommunicationem incurrit ex pluriũ sententia.*

13 *Verius est debere esse obligatum ex iustitia.*

14 *Ratum habens Clerici percussionem in sui gratiam factam hac excommunicatione innodari.*

COnstat omnes, & singulos fideles vtriusque sexus qua- 1
uis authoritate fulgentes, hac excommunicatione innodari, si suadente diabolo manus violentas in Clericum, vel Monachum iniecerint. Nam Textus vtitur verbo *si quis*, quod vniuersale est, omnes comprehendit. Ex *leg. qui filiabus §. 1. ff. de legatis 1* & *leg. si necessarias, § si annua, ff. de pignorat. actione.* Neque ab hac excommunicatione excusantur etiamsi pueri sint in minoritate ætate constituti, modò rationis vsum perfectum habeant. Vti colligitur ex *capite 1. cap. mulieres. capite pueris de sententia excommunicat.* Et notauit Molina *tract. 3. disputat. 51. numero 2.* Bonac. *titul. 1. disputat. 2. de excommunicat. q. 4. pun. 2.* & *tit. 3. disputat. 2. q. 3 punct. 6. sect. 2. num. 2.*

Actio autem ob quam hæc excommunicatio infligitur est 2
violenta manuum iniectio in Clericum, vel Monachum, id est in personam illius, seu res illi adhærentes. Vnde si eum occidas, mutiles, percutias, vulneres, pede, ense, fuste, imò veneno secretè propinato in hanc incidis excommunicationem, quia violentiam eius corpori infers. Item si eum quomodocunque violenter detineas, ne ex aliquo loco egrediatur, vel eum ita insequaris vt ea insecutio causa fuerit se præcipitem dandi, aliúdve damnum sustinendi: sunt enim omnes hæ actiones violentæ. Secùs esset, si per metum verbis illatum occasio clerico esses grauis damni. Item si Clericum, conspuas, arundine percutias, puluerem in eum iactes, eius vestimenta illi adhærentia dilaceres: nam etsi hæ actiones non grauiter lædant corpus, lædunt tamen honorem ideóque hac excommunicatione puniuntur. Vti colligitur ex *cap. nuper de sententia excommunicat.* cui consentit. *lex apud Labeonem, ff. de iniurijs.* Et in his conueniunt Doctores, vt videre est apud Sylvest. *verbo excommunicatio 6. à numero 5.* Caiet. *eodem cap. 10.* Nauarr. *cap. 27. numero 77.* Molina, *tractat. 3. disputat. 51. numero 1.* Sayrum *capit. 26. à num. 11.* Auilam *2. part. cap. 5. disp. 3. dub. 12* Bonacinam *t. 1. disp. 2. de excomm. q. 4. pun. 1. § 1 per totum.* & *t. 3. disp. 2. de censur. extra bullam. q. 3. punct. 6. sect. 1.* Paul. Layman. *lib. 1. sum. tract. 5 part. 2. capit. 5. num. 5.*

Debet autem actio ita grauis esse, & statui Clericali iniu- 3
riosa, vt secluſa excommunicatione arbitrio prudentis sufficiat ad peccatum mortale constituendum. Vt colligitur ex *cap. Nemo. 11 q. 3.* & ex illis verbis Textus: *Suadente diabolo.* Et tradit ex communi sententia Suar. *disp. 22. sect. 1. num. 27.* Mol. *tr. 3. disp. 51. n. 8.* Coninch. *disp. 14. dub. 15. n. 190.* Aurila *dub. 13.* Bonac. & Layman. *loc. alleg.*

Neque ab hac excommunicatione excusatur sic Clericum 3
offendens, esto offensus offensioni consentiat; quia si offensio est iniuriosa, & status Clericalis dehonestatiua; eius consensus nullus est, ac proinde impedire nequit excommunicationem in honorem Clericalis status constitutam. Vti ex communi notat Caiet. *verbo Excommunicatio. cap. 10.* Sayrus *lib. 3. thesauri, c. 26. n. 18.* Suar. *disp. 22. sect. 1. n. 58.* Coninch. *disp. 14. dub. 15. num. 168.* Filliucius *tract. 15. cap. 1. q. 7. n. 33.* Bonac. *t. 1. de censur disp. 2. q. 4. pun. 2. num. 5.* Mol. *tract. 3. disp. 51. num. 3.* Paul Laym. *lib. 1. sum. tract. 5. part. 2. cap. 5. num. 5.* & alij apud ipsos. Ipse autem offensus ex eo quòd huic iniuriosæ actioni consensum præstet, hanc excommunicationem non incurrit; quia non permittens offensionem, sed offendens opere, vel consilio, aut mandato excommunicatur. Vti ex communi notant Sylvest. Nauarr Molina, Suar. Bonac. Sayrus, *loc. alleg.* & colligitur manifestè ex *cap. contingit de sententia excommunicat.* vbi Pontifex decernit hunc consentientem esse excommunicandum, ibi. *Si quis Clericus post prohibitionem huiusmodi sponte se subiecerit, excommunicetur.* Ergo ipso iure excommunicatus non est.

At si quis seipsum malitiosè occidat, aut vulneret, vel sui 4

occisionem, aut vulnerationem iniuriosam consulat, aut præcipiat, communis sententia docet in hanc excommunicationem incurrere, quia de ipso verificatur violentas manus in Clericum iniicere. Sic Panormit. *in dicto cap. contingit.* Nauarr. *capit. 27 num. 78.* Sayrus *lib. 3. cap. 26. num. 20.* Molin. *disp. 51. num. 4.* Paul. Layman. *lib. 1. sum. tract. 5. part. 2. cap. 5. numero 5.* Suar. *disp. 22. sect. 1. num. 59.* Coninch. *disp. 14. dub. 15. numero 170.* Bonac. *t. 1. disp. 2. de excommunicat. q. 4. pun. 2. in fine.* & *tit. 3. de censur. in part. disp. 2. q. 3. pun. 6. sect. 2. in fine.* Tametsi contrarium non improbabiliter sustineri possit, teste Suar. & Bonac. *loc. allegatis.* Quippè Pontifex videtur locutus de tertia persona offendente, & ab offenso distincta. Vt colligitur ex illis verbis; *Si quis suadente diabolo, manus violentas in Clericum iniecerit,* &c.

5 Porrò etsi ex supradicto Textu *Si quis suadente diabolo*, solùm comprehendantur physicè Clericum, vel Monachum offendentes: at ex aliis capitibus iuris hæc excommunicatio extenditur ad mandantes, seu precibus, & promissis incitantes ad prædictam offensionem. Vt habetur *cap. mulieres. §. illi, de sententia excommunicat.* Item ad consentientes, *capit. quanta, 27. de sententia excommunicat.* Item ad ratam habentes offensionem suo nomine factam, *Cap. cùm quis de sententia excommunicat.* Et licèt in nullo Textu reperiatur expressum consulentes, auxiliúmve præbentes hac excommunicatione innodari, nihilominus Doctores communiter sub consentientibus eos comprehendunt. Satis enim consentit operi, qui illud consulit, eiúsque executioni auxilium præbet. Quinimò esto in *dicto cap. quanta*, solùm sermo sit de consentientibus iis qui manus violentas in Rectores Ecclesiæ iniiciunt, at communis sententia extendit ad consentientes percussioni cuiusvis clerici vel monachi. Vt videre est in Nauarro *c. 27. n. 78.* Coninch. *disp. 14. dub. 15. n. 172.* Sayro *cap. 26. à numero 22.* Molina *tract. 3. disp. 52.* Paul. Layman. *lib. 1. sum. tract. 5. part. 2. cap. 5. à num. 5.* Bonac. *de censur. in part. disp. 2. q. 3. punct. 6. sect. 1. §. 2. initio.*

6 Igitur mandans, consulens, & fauens Clerici percussioni hac excommunicatione innodatur, dummodò percussio subsequatur, subsecutáque fuerit ex vi mandati, consilij, vel fauoris, quia hæ actiones tanquam accessoriæ prohibentur. Vnde cessante actione principali, scilicet percussione accessoriæ non puniuntur. Ex alia parte cùm solùm puniantur, quia actionem principalem causant, necessariò requisitum est, vt ex vi illarum actio principalis subsequatur. Sicuti docet Molina *tract. 3. disputatio 52. numero 2. 8. & 9.* Nauarr. *cap. 27. num. 51.* Coninch. *disp. 14. dub. 15. num. 175.* Bonac. *supra, num. 2.* Layman *à num. 6.* Et colligitur ex *dicto cap. mulieres, de sententia excommunicat.* ibi: *quia is committit verè cuius authoritate, vel mandato delictum committi probatur.* Requiritur ergo mandatum, & idem est de consilio, & fauore causam esse delicti. Et quidem nisi de contrario constet id semper præsumendum est, vt benè notauit Coninch. *supra.*

7 Quod si posito mandato, vel consilio pœnitentia ductus reuoces ante patratum delictum, quamuis Glossa *in cap. cum quis de sententia excommunicat. in 6.* affirmet reuocationem etiam madatario, vel Consiliario ignotam sufficientem esse ad hanc excommunicationem vitandam, præcipuè cùm impossibile est ad notitiam mandatarij, vel Consiliarij reuocationem venire; eo quòd non videatur credendum te affici excommunicatione, cùm nullius peccati reus es, sed in gratia existis. Attamen omnino dicendum est necessarium esse reuocationem notam fieri mandatario, vel Consiliario. Vti ex cõmuni omnium sententia docet Innocent. *capite ad audientiam de Homicidio.* Molina *tract. 3. disputat. 52. numero 3.* Coninch. *disp. 14. dub. 15. num. 176. & 183.* Stephanus Dauila *2. part. cap. 5. disp. 3. dub. 7. conel. 2.* Paul. Layman. *lib. 1. sum. tract. 5. part. 2. capit. 5. num. 7.* Lessius *lib. 2. capite 13. dub. 3. numero 17.* Suar. *disp. 44. de irregular. sect. 3. num. 3.* Bonac. *de censur. in partic. disp. 2. q. 3. pun. 6. sect. 1. §. 1. numero 4.* Quippè dum reuocatio mandati, vel consilij nota non est mandatario, vel Consiliario præsumendi necessariò sunt ex vi mandati, vel consilij moueri. At excommunicatio lata est in eos, quorum mandato, vel consilio Clericus offenditur: ergo. Neque obest quòd eo tempore quo excommunicationem contrahis in gratia existas; quia ad contrahendam excommunicationem, sicut & irregularitatem non est opus delictum formaliter committi tempore contractionis; sufficit si antea commissum sit. Vti contingit in eo qui propinato veneno, vel sagitta emissa Clericum occidit, cuius delicti ante mortem Clerici pœnituit, qui non obinde ab excommunicatione, & irregularitate excusatur, quia his pœnis contrahendis sufficientem causam præstitit hæque pœnæ simul cum gratia Dei compati possunt.

8 Quinimò neque ad vitandam hanc excommunicationem sat's est reuocationem mandati, vel consilij notam fieri mandatario, vel Consiliario: sed opus est, vt reuocatio efficax sit, & mandati, seu consilij positi motionem tollat, alias delictum ex vi mandati, vel consilij patratum censebitur. Vti docet Coninch. *disp. 14. dub. 15. numero 183.* Molina *tract. 3. disp. 52. num. 3.* Difficultas verò est, si mandatum, vel consilium reuoces sufficienter arbitrio prudentis, attamen mandatarius, vel Consiliarius illo permouetur ad facinus perpetrandum, vel quia credit reuocationem fieri non seriò, & ex animo, sed fictè, & ob vitandam pœnam; vel quia ratione pro reuocatione aliatæ non destruunt præcedentes, an inquam tunc in excommunicationem incidas; Negant graues Doctores te incidere. Syluest. *verbo Homicidium, 1. num. 11.* & *§. 3. num. 11.* Petr. Nauarra, *lib. 3. cap. 4. num. 27.* Paul. Layman. *lib. 1. sum. tract. 5. part. 2. cap. 5. num. 7. vers. resolut. 6.* Stephan. Dauila *2. p. de censur. capit. 5. disputat. 3. dub. 7. conel. 3* Mouentur, quia factâ reuocatione mandati vel consilij de se efficaci non est censendus mandatarius, vel Consiliarius eo moueri, sed ob suam malitiam, cùm reuocationi stare possit, & debeat. Alij videlicet Nauarr. *cap. 27. num. 33.* Anton. Gomez *lib. 3. resolut. cap. 3. num. 40. & 44.* Molin. *tract. 3. disput. 52. num. 2 & 3.* Coninch. *disp. 24. dub. 15. num. 183.* Lessius *cap. 13. dub. 3. num. 8.* contrarium opinantur asserentes, si mandatarius, vel Consiliarius dissuaderi non potuit quin ex mandato, vel consilio moueatur ad facinus patrandum mandantem, vel consulentem in excommunicationem incidere, quia facinoris causa fuit medio suo mandato, vel consilio, quod de facto remouere non potuit. Sicuti in excommunicationem incidit qui propinato veneno Clericum occidit, tametsi diligentiam adhibuerit ad damnum impediendum.

9 Ego verò dicendum existimo: reuocans mandatum, vel consilium sufficienter arbitrio prudentis non est censendus in excommunicationem, imò neque in irregularitatem, aut obligationem restituendi incideres; quia eo casu non debet præsumi mandatum, vel consilium causam esse delicti. Vti ex omnium sententia tradit Coninch. *disp. 14. dub. 15. num. 184.* Paul. Layman. *lib. 1. tract. 5. part. 2. c. 5. à num. 7.* Quod si roges quando censearis mandatum, vel consilium sufficienter reuocasse? Respondeo, mandatum censendum est sufficienter reuocatum, si verbo, epistola, vel interuntio seriò reuocationem mandatario significes. Quinimo, si amicitiam ineas cum eo cui tuo mandato damnum parabas; quia eo ipso non potest mandatarius in executionem tuæ voluntatis, & in tui gratiam delictum operari. Vt benè aduertit Molina *dicta disp. 52 num. 2.* Coninch. *disp. 14. dub. 15. concl. 4. n. 184.* At consilium non ita facilè reuocatur, cùm non solâ authoritate consulentis nitatur, sed rationibus ab eo propositis. Quare consulens tenetur rationes contrarium persuadentes consiliario proponere, quæ si prudentis arbitrio iudicentur sufficientes ad consilium iniquum remouendum non est censendus suo consilio causa delicti; neque in excommunicationem, vllámve pœnam, & obligationem consulentibus impositam incidere. Vt benè Coninch. *supra concl. 4. & 5.* Verùm si adhuc tibi constet mandatarium, vel Consiliarium tuo mandato, vel consilio moueri, vel quia non credit animo te reuocare, vel rationes reuocationis non sunt æquè efficaces ad contrarium persuadendum, etsi probabilis sit sententia, quæ te ab omni censura, pœna, & obligatione excusat; at probabiliorem reputo sententiam, quæ te condemnat: tum quia communior. Tum quia de facto tuum mandatum, vel consilium causa fuit delicti. Nam esto malitiæ mandatarij, vel consiliarij adscribi debeat, quòd reuocationi nolit adhærere, attamen dum de facto reuocationi non assentitur, mandatum, seu consilium firmum persistit, causáque est delicti. Ergo excommunicatio imposita iis qui suo consilio, vel mandato in percussionem Clerici concurrunt, hos comprehendit.

10 Neque probanda mihi est differentia, quam astruere conatur Paul. Layman. *lib. 1. sum. tract. 5. part. 2. cap. 5. num. 7.* speciatim *vers. deinde*, inter excommunicationem, irregularitatem, & obligationem damni illati restituendi: asserit namque consulentem, seu mandantem obligatum esse ad damni illati reparationem, in defectum principalis, quantumvis consilium, seu mandatum reuocauerit, si ei constet homicidium ex mandato, seu consilio motum esse: non tamen incurrere excommunicationem consulenti, seu mandanti impositam; imò neque irregularitatem, quæ propter culpam iure Canonico decernitur. Quia obligatio restituendi naturaliter oritur ex damno iniustè illato: excommunicatio verò & irregularitas non naturaliter ex damno illato, sed ex iuris canonici dispositione contrahuntur. At verisimile non est ius Canonicum velle excommunicatione, & irregularitate pœnali afficere eum qui consilium, & mandatum iniquè datum sufficienter reuocauit. Non inquam probanda mihi hæc differentia venit, quia nullo firmo fundamento nititur: sicut enim obligatio restituendi ex damno iniustè illato naturaliter oritur, sic excommunicatio, & irregularitas iure positiuo disponente ex eodem iniurioso damno ortum habet: at sicut reuocatio consilij, & mandati de facto inefficax non impedit obligationem restituendi, quia non impedit damnum ex vi illius iniustè illatum esse: sic impedire non potest excommunicationem, & irregularitatem, quæ ex iure positiuo ob damnum iniustè illatum ex vi consilij, vel mandati imponitur. Quapropter Doctores communiter

muniter eodem modo ratiocinantur de pœna excommunicationis, ac de pœna irregularitatis, & obligatione restituendi. Vt videre est apud Lessium *lib. 2. c. 13. dub. 3. num. 17.* Coninch. *disp. 14 dub. 15. num. 176.*

11 Porrò non solùm mandans, consulens, & fauens Clerici percussioni, sed qui eius percussioni consentit potens eam impedire hac excommunicatione innodatur. Vti expressè decidit *cap. quanta de sententia excommunicat.* quia vt inquit Textus, eos delinquentibus fauere interpretamur, qui cùm possint, manifesto facinori desinunt obuiare. Notandáque est dictio *possint*, quæ necessariò requirit, vt absque graui incommodo possit factinus impediri.

12 Quæstio verò inter Doctores est: An ad prædictam excommunicationem incurrendam satis sit non impedire percussionem, cùm possis, an insuper debeas esse ex iustitia obligatus? Caietan. *verbo Excommunicatio cap. 10.* Medina *Codice de restitut. quæst. 7.* Sayrus *lib. 3. capite 26. numero 24.* Filliucius *tract. 1. cap. 1. numero 31.* Suar. *disputat 22. sect. 1. numero 56.* censent te hac excommunicatione ligari, tametsi solùm ex charitate obligatus sis impedire percussionem; quia Textus *in cap. quanta*, absolutè, & sine restrictione loquitur de iis omnibus, qui manifesto facinori desinunt obuiare cùm possint. Addit tamen Abbas, & Hostiens. *in suprad. capite* Syluest. *verbo Excommunicatio 6. numero 5.* Tolet. *lib. 1 cap. 34. numero 15.* Caiet. *dicto cap. 10.* adesse debere dolum, & malitiam, nam si ob verecundiam, & vanum timorem non te alienis litibus immiscendi impedire percussionem omittas, hanc effugis excommunicationem.

13 Sed rectiùs obligationem iustitiæ ad incurrendam hanc excommunicationem requisierunt Nauarr. *cap. 27. num. 78.* Henriq. *lib. 14. cap. 12. numero 7. litt. H.* Auila *2. punct. de censur. cap. 3. disput. 3. dub. 8.* Coninch. *disp. 14 dub. 15. num. 174.* Molina *disputat. 52 num. 6.* Bonac. *tit. 1. disputat. 2. de censur. q. 4. pun. 1. §. 2. numero 8.* & *titul. 3. disputat. 2. q. 3. pun. 6. sect. 1. §. 2. numero 7.* Paul. Layman. *lib. 1. sum. tract. 5. part. 2. cap. 5. numero 6.* Ducor. quia ille consensus in percussionem Clerici censendus est hac excommunicatione puniri, qui secundùm moralem æstimationem fauor, & auxilium esse reputatur, vt constat ex illis verbis: *Eos delinquentibus fauere interpretamur*: Præterea qui statui clericali iniuriosus est. At qui solùm ex charitate, & non ex officio tenetur impedire percussionem, moraliter non censetur percussioni fauere, neque iniuriosam actionem statui clericali præstare, quia omittens ex charitate solùm negatiuè se habet, non positiuè etiam moraliter, ideóque damna ex facinore sequuta ei non imputantur. Quod adeò verum est, vt esto ex odio, & praua effectu omittas impedire, adhuc non ligaris excommunicatione, quia non ob prauum affectum, sed ob actionem iniuriosam hæc excommunicatio lata est, vt rectè aduertit Bonacina *suprà*. Neque praua effectus constituit omissionem iniuriosam, si ex se iniuriosa non est. Illi autem censentur ex iustitia obligari percussionem impedire, quibus percutientes subduntur. Vti Sayrus, Filliucius, Auila, Bonac. *locis allegatis* tradunt. Quinimo ille qui videt, seu probabiliter timet nomine ipsius percussionem patrandam esse, ex iustitiæ onere obligatus esse videtur ad prædictum damnum impediendum: vt docuit Nauarr. *c. 27. num. 231.* Molina *tract. 2. disp. 729. num. 6.* & *tract. 3. disp. 52. num. 6.*

14 Præterea ratum habens signo aliquo externo Clerici percussionem, si suo nomine, seu in sui gratiam facta est, hac excommunicatione innodatur, acsi ad illam perpetrádam mandatum dedisset, quia ratihabitio retrotrahitur, & mandato comparatur: vti expressè habetur *capit. cùm quis, de sententia excommunicat. in 6.* Debet autem percussio fieri tempore quo posset illam mandare, nam si eo tempore rationis vsu careres vel ob infantiam, vel ob amentiam, tametsi in tui gratiam illa percussio facta sit, eámque ratam habeas in hanc excommunicationem non incidis, quia ea non est propria ratihabitio quæ retrotrahatur, & mandato comparetur cùm mandatum esse non possit tempore patrati delicti. Sicuti hæc docent Nauarr. & *cap. 27. num. 78.* Sayrus *cap. 26. num. 25.* Suar. *disp. 22. sect. 1. num. 55.* Molina *disputat. 52. numero 4.* Bonac. *titul. 1. disputat. 2. de excommunicat. q. 4. pun. 1. §. 2. num. 10.* & *titul. 3. de censur. in partic. q. 3. pun. 6. sect. 1. in fine.* Neque inde inferas, si delictum patratum est tempore somni, aut ebrietatis non posse illud ratum habere, potes vtique; quia somnus & ebrietas non tollunt vsum rationis permanenter, ideóque moraliter censendus es eo tempore potuisse delictum imperare, qui poteras facile à somno excitari, & ebrietatem depellere; vt notarunt Molina, & Banacina *supra*.

§. III.

De causis excusantibus ab hac excommunicatione incurrenda.

1 *Duplex causa ab hac excommunicatione excusat.*
2 *Causa excusans à peccato mortali sacrilegij aduersus censuram ab hac censura excusat.*
3 *Ex defectu deliberationis, & ex causa ludi plures ab hac excommunicatione excusantur.*
4 *Item ignorantes probabiliter Clericum esse quem percutiunt.*
5 *Item qui in defensionem sui, vel alterius vulnerant, seu percutiunt.*
6 *Item titulo correctionis.*
7 *Plures censent posse patremfamiliàs etiam in sacris constitutos, moderatè puniri,*
8 *Verius est id patri non esse concessum.*
9 *Satisfit fundamento oppositio.*
10 *Hæc correctio Prælatis permittitur seipso.*
11 *Spectatà consuetudine per alios etiam laicos fieri correctio potest.*
12 *Etiam magistris licitum est Clericos discipulos per laicos corrigere ex probabili sententia.*
13 *Percutiens Clericum cùm vxore, sorore, aut filia inuentum excusatur ab hac censura.*
14 *Debet esse hæc percussio incontinenti.*
15 *Delinquentem ex industria spectantem si percutias non est improbabile te ab excommunicatione excusari.*

DVplicem causam in genere statuere possumus ab hac censura excusantem; alteram prouenientem ex iure quasi naturali, alteram ex priuilegio. Quæ ex iure quasi naturali, prouenit excusat à peccato mortali sacrilegij aduersus censuram. Quæ ex priuilegio, cum mortali peccato compatitur. 1

Et quidem causam excusantem à peccato mortali sacrilegij aduersus censuram excusare, à censura incurrenda æquissimum est, quia Pœna excommunicationis vtpotè grauissima, imponi non debet nisi ob peccatum graue, vti omnes Doctores docent. Quapropter quoties ex circunstantia personæ percussæ, vel ex modo percussionis percussio non censetur grauiter iniuriosa clericali statui locus huic censuræ non est. Ob circunstantiam personæ excusat Sotus *in 4. distinct. 22. quæst. 1. articul. 2. casu 2. §. cùm verò*, pueros Clericos rixantes, & se inuicem percutientes pugno etiam in templo, ità vt sanguis è naribus eliciatur; quia plerunque hæc iniuria inter ipsos leuis censetur, tametsi aliquando grauis esse soleat. Argument. *capite vltimo. de sententia excommunicat.* Quod ex circunstantiis colligendum est, vt benè aduertit Coninch. *disputat. 14. dubit. 15. numero 190.* Paul. Layman. *lib. 1. sum. tractat. 5. part. 2. cap. 5. numero 8. vers. altera*, Molin. *tractat. 3. disputat 51. in fine.* Ad idem caput reduci potest percussio Clerici priuilegio canonis priuati: quia esto illa percussio grauis sit, & peccatum mortale iniustitiæ constituat, non tamen constituit peccatum mortale sacrilegij, ratione cuius hæc excommunicatio iniungitur. Vti ex omnium sententia tradit Sayrus *lib. 3. thesauri, capite 27. ferè per totum.* Molin. *disputat. 54.* Nauarr. *capit. 27. numero 80.* Bonacina *de censur. in part. disputat. 2. q. 3. punct. 6. sect. 4. à num. 9.* 2

Ex modo percussionis excusantur ab hac censura primò qui ex subita passione animo non plenè aduertente, vel à fortiori causa ioci, & ludi Clericum percutit, nam esto percussio aliàs grauis esset, modus quo contingit grauitatem diminuit, ne culpam mortalem attingat, néve censuram contrahat. Argum. *cap. 1 de sentent. excommunicat.* & docet Suar. *disput. 22. sect. 1. num. 50.* Molin. *tract. 3 disput. 51. num. 7. & 8.* Coninch. *disp. 14. dub. 15. num. 190.* Bonac. *disp. 2. de censur. in part. q. 3. pun. 6. sect. 4 num. 3.* Paul. Layman. *lib. 1. sum. tract. 5. part. 2. cap. 5. num. 8.* & alij. 3

Secundò excusantur ignorantes probabiliter Clericum esse quem percutiunt, quia hæc excommunicatio non propter percussionem iniustam, sed propter percussionem sacrilegam statui clericali iniuriosam statuitur: at stante ignorantia probabili clericatus, cessat iniuria, vt manifestè colligitur ex *capite si verò, el 2. de sententia excommunicat.* vbi excusatur ab excommunicatione percussor clerici comam nutrientis; quia probabiliter existimare poterat percussor clericum non esse. Vt multis relatis docet Sanch. *lib. 9. de matrim. disputat 32. numero 41.* Quod adeò verum est, vt esto sic Clericum ignoranter percutientes darent operam rei illicitæ, nullatenus in hanc censuram incurrerent, quia comparatione status clericalis immunes à culpa sunt: vt benè tradit Nauarr. *capite 27. numero 80.* Couarruu. *capite alma mater. 1. part. §. 10. num. 16.* Molina *dist. 53. numero 1.* Quinimò esto animum haberent percutiendi Clericum; si tamen probabiliter ignorabant Clericum esse, quem percutiunt ab hac 4

excommunicatione liberantur (quidquid in contrarium dicat Couarruu. *dicto* §.10.*num.*15.) quia non ob prauum effectum hæc iniungitur excommunicatio, sed ob externam sacrilegam manuum iniectionem. Vti notauit Molin. *dicta disput.* 53.*num.*1.& 3. Suar. *disputat.*22.*sect.*1.*num.*54. Coninch. *dub.* 15.*num.*197. Quod si Ioannem Clericum credas te percutere, at percutis Paulum Clericum excommunicatione innodaris; quia hæc non imponitur ob percussionem huius, vel illius, sed ob Clerici voluntariam percussionem. At eo casu Clericum percutis voluntariè, cùm percussus habitum, & tonsuram clericalem gestet, & verè Clericus sit; tametsi non sit is Clericus, quem tu percutere intendebas. Secùs esset, si Paulus percussus nullatenus se Clericum repræsentaret; eo quòd in habitu laicali incedebat, quo Ioannes Clericus vtebatur, quia ea actio exterior non est voluntariè sacrilega, & Cericali statui iniuriosa: quippè inuincibiliter ignoras Clericum esse quem percutis, casu quo Ioannes non sit, quem percutere intendebas. Vt rectè tradit Molina *disp.*53 *à n.*2. Paul. Layman.*lib.*1. *sum.tr.*5.*par.*2.*c.*5.*n.*8. Coninch. *disp.*14. *dub.*15. *in fine* Suar. *disp.*22.*sect.*1.*num.*54.

5 Tertiò liberi sunt ab hac excommunicatione qui in defensionem sui, vel alieni corporis, honoris, famæ, & bonorum fortunæ Clericum aggressorem detinent, vel percutiunt, quia hæc non est vis, & violentia, sed defensio. Vti deciditur *capite si verò, Cap. ex tenore de sentent. excommunicat.* Et *Clement. vnic. de Homicidio.* Quippè defensio non solùm propria, sed cuiusuis innocentis licita est. Argum. *cap. non inferenda*, & aliis 24.*q.*3.& *cap. dilecto, de sent.ex communicat.in* 6. Et tradunt Innocent. Abbas, & alij *in c.si verò.* Lessius *lib.*2. *cap.*9.*dub.*8.*& seqq.* Coninch.*dub.*15.*num.*193. Bonac. *t.*3.*de censur.disputat.*2.*q.*1.*pun.*6.*sect.*4.*num.*1. Hinc colliges primò posse mulierem percutere Clericum tentantem suam pudicitiam facto, vel verbis, si aliâ viâ auertere à se non potest; quia est legitima, & iusta honoris defensio. Vt benè docet Molina *tract.*3. *disp.*55.*num.*4. Nauarr. *cap.*27.*numero*105. Suar. *disp.*22.*sect.*1.*numero*33. Auila 2.*p.de censur.cap.*5. *disputat.*3. *dub.*13. Coninch. *disput.*14. *dub.*15. *num.*194. Paul. Layman. *lib.*1.*sum.tract.*5.*part.*2.*cap.*5.*num.*8. Bonac. *de censur.in partic.disp.*2 *q.*3.*pun.*6. *sect.*4. *num.*1. Secundò: violenter expellens è domo Clericum iniustè illam occupantem, quando aliâ viâ non potest suum ius recuperare in hanc excommunicationem non incidit; quia illa expulsio non est violentia, sed potiùs violentiæ remotio: vt notauit Syluest. *verbo Excommunicatio* 6. *num.*6. Sayrus *lib.*3.*cap.*27.*numero* 19. Molina *disputat.*55.*numero* 3. Filliucius *tractat.*15.*cap.*1.*numero* 20. Bonac. *titul.*3. *disput.*2. *quæst.*3. *punct.*6. *sect.*4.*numero* 1. Tertiò ob eandem rationem non eris excommunicatus eo quòd violenter expellas Clericum tibi honorificam sedem vsurpantem; si alia via iniuriam remouere nequis: vti colligitur ex Nauarr. à contrario sensu, *lib.*5. *consil. titul. de sentent. excommunicat.cons.*40. Quartò immunis ab excommunicatione eris, si Clericum bona tua furantem insequaris, & ab eo violenter extrahas: quando aliâ viâ recuperare non potest; quia non infers iniuriam, sed potiùs iniuriam depellis. Secùs esset si iam res furatas domi haberet depositas, easque pacificè possideret; quia eo casu non propria authoritate, sed authoritate Iudicis si id facilè præstari potest, recuperandæ sunt. Sicuti aduertit. Nauarr. *cap.*27.*num* 6. Molin.*tract.*3. *disp.*55.*num.* 3. Bonac.*disp.*2.*de censur. in part.q.*3. *punct.*6. *sect.* 4.*numero* 1. Notanter dixi, *si aliâ viâ commodâ nequis rem tibi ablatam recuperare*; quia percussio, & violentia in Clericum non alia ratione licet, nisi quatenus est necessaria ad proprij, & alieni iuris defensionem. Quintò fugientem Clericum debitorem, aut de fuga suspectum detinere poteris, vt Superiori præsentes, debitumque recuperes, quia illa detentio est proprij iuris defensio, & dani inferendi remotio. Idem est si in flagranti delicto, vel in illius probabili suspicione Iudex sæcularis Clericum inueniat potest eum in vinculis detinere, vt quamprimùm possit Iudici Ecclesiastico remittat. Quinimò offensus à Clerico in euentu quo is Clericus ob offensam mittendus esset in carcerem, & puniendus, potest absque timore excommunicationis eum vinculis alligare, vt suo iudici intra 24. horas præsentet, si id necessarium est ad satisfactionem sumendam, testes examinandos, aliâque ad probationem delicti requisita. Sicuti hæc omnia ex communi tradunt Panorm. *cap.cùm non ab homine, de Iudicijs, num.*10. Sylvest *verbo Excommunicatio*, 5.*casu* 1.§.12. Nauarr.*cap.*27.*num.*82.*& seqq.* Suar.*disp.*22.*sect.*1.*num.*37. Molina *disputat.*56.*numero* 2. Iulius Clarus *lib.*5.*sentent.*§.*fin.q* 28.*num.*6. Auila 2.*p. de censur..cap.*5.*disp.*3.*dub.*13.*casu* 12. Paul. Layman.*lib.*1.*sum.tract.* 5.*part.*2.*c.*5.*n.*8.*vers.tertia.*

6 Quartò titulo correctionis licitum est prælato Ecclesiastico, & Magistro discipulum Clericum etiam in sacris constitutum vinculis alligare, & castigatione moderata punire, provt ratio culpæ, & qualitas personæ exigit, & consuetudine receptum est. Vti colligitur ex *cap.*1. *cap. ex tenore. capit. cum voluntate de sententia excommun.* Et notat Nauarr. *c.*27. *num.*81. Suar. *disp.*22.*sect.*1.*num.*48. Coninch.*disp.*14.*dub.*15. *num.*190.*& seqq.* Paul. Layman. *lib.*1.*sum.tract.*5.*par.*2.*cap.*5. *num.*8.*vers.quarta.* Molina *tract.*5.*disp.*56. *n.*4. Bonac. *disp.*2. *de censur.in part.q.*3.*punct.*6.*sect.*4.*num.* 4. Sub magistro venit intelligendus pædagogus, & quicunque alius qui ad honestum aliquid docendum, vel in officio Clericos continendos assumitur, vt rectè aduertit Molina *disp.* 56.*n.*3. Item is cui ex officio incumbit pueros turbantes Diuinum officium ab Ecclesia expellere. Quinimò senioribus Clericis concessum est leuiter in minoribus ordinibus constitutos punire, si Diuinum officium turbent. Vti constat ex *c.cum voluntate.* §. *vlt. de sentent.excomm.* & *c.veniens, eodem tit.*

De patre, aliisque propinquis & consanguineis est grauis 7
dubitatio, an filios, & consanguineos Ecclesiasticos sibi subditos possint punire? Et quidem si sint in minoribus ordinibus constituti, omnes conueniunt moderatè punire posse: quia sic expressè habetur *in cap. cum voluntate de sententia excommunicat.* At si sacris sint initiati; variant Doctores. Affirmatiuam partem tuetur S. Antonin. 3.*p.tit.*24.*cap.*1.§.1.*casu* 12. Sylvest.*verbo Excommunicatio.*6. *casu.*8. Nauarr.*capit.*27. *num.*82. Auila 2.*p.de censur.cap.*5.*disp.*3. *dub.*13. *casu* 1. Suar. *disp.*22.*sect.*1.*num.*49. Filliucius *tract.*15.*cap.*1.*q.*1.& *q.*6. Coninch. *disp.*14.*dub.*15.*num.*192. Bañes 2.2.*q.*65.*art.*2. Valen. *ibi q.*9 *p.vnico.* Bonac. aliis relatis *t.* 3.*disp.* 2. *de excommunicationib.extra bullam,q.*3 *punct.*6.*sect.*4.*numero* 4. Mouentur, quia sacer Ordo non eximit filium à patria potestate, vt compertum est, sed æquè patri subditum relinquit, ac antea erat; at antea poterat pater filium moderatè corrigere, prout qualitas culpæ, & circunstantia personæ exigit, ergo etiam poterit sacris initiarum, Deinde patrifamiliàs permissum est iure naturali corrigere delinquentes ex sua familia, ergo ob correctionem iure naturali concessam excommunicatio imponi non debet. Præterea magistro conceditur discipulum etiam in sacris moderatè punire, vt ex communi sententia ex *c. ex tenore cap.cum voluntate.*§.*fin.de sententia excommunic.* probatum est *num.precedenti* At pater maiorem in filium habet potestatem. Ergo quod magistro conceditur, patri denegari non debet.

Cæterùm verius reputo patri non esse concessum gratia 8
correctionis punire filium in sacris constitutum, quæ fuit sententia Glossæ *in dicto cap.cum voluntate, verbo inferiorum gradum.* Felini, Hostiens. Panormit. Antonij de Butrio, & Zabarellæ *ibi.* Angeli, *verbo Excommunicat.*5. *casu* 1.§.10. Molinæ *tract.*2. *de iustit. disp.*228. *vers. Hic tamen effectus.* & *tract.*3.*disputat.*56.*num.*6. Paul. Layman. *lib.*1.*sum.tractat.*5. *part.*2.*cap.*5.*num.*9. & sub dubio, Soti, *lib.*5.*de iustit.q.*1.*art.*2. Ducor quia *in canone, si quis suadente* omnibus generaliter prohibitum est violentas manus in Clericum iniicere: at nullibi concessum est patri correctionis gratia in filium in sacris constitutum manus iniicere violentas: quin potiùs colligitur id expressè esse prohibitum ex *dicto cap. cum voluntate* per argument. à contrario sensu; siquidem ibi conceditur patrifamiliàs punire correctionis gratiâ adolescentes in minoribus gradibus constitutos. Ergo tacitè denegatur potestas puniendi, cùm sunt maioribus insigniti. Deinde potestas concessa patrifamiliàs conceditur propinquis comparatione propinquorum qui sunt in minoribus gradibus constituti, vt constat ex *dicto cap. cum voluntate.* At propinquis non permittitur constitutos in sacris percutere, ergo nec parenti est permittendum. Præterea ex eo quòd Sacerdotibus senioribus, aliisque ex officio deputatis concedatur adolescentes pueros in minoribus constitutos turbantes Diuinum officium correctionis gratia percutere, infert communis sententia teste Molina *disputat.* 56. *numero* 6. nullatenus permissum esse punire, si fuerint in sacris constituti, sed eadem restrictio, & limitatio pro patrefamiliàs facta est, ergo asserendum est patrifamiliàs non esse permissum filios in sacris punire. Denique ob reverentiam sacri ordinis non est permissum Prælatis Episcopo inferioribus per alium Clericum corrigere, & casu quo aliquando id necessarium fuerit cauetur, vt fiat per Clericum, & non per laicum, quia indecens est laicum manus violentas in Clericum iniicere, tametsi correctionis gratia fiat. At regulariter paterfamiliàs laicus est, ergo credendum est correctionem filiorum saltem qui sunt in sacris constituti, prohibitam esse.

Neque obstant fundamenta contrariæ sententiæ. Ad pri- 9
mum admitto filios ob Ordinem sacrum à patria potestate absolutè non eximi, eximi tamen quoad effectum correctiuæ percussionis. Ad secundum, concedo iure naturali filios subdi parentibus corrigique ab eis posse, nego tamen posse corrigi qualibet correctione, sed correctione accommodata filiorum qualitati. Cùm autem qualitati filiorum qui sunt in sacris accommodata non sit violenta correctio, ob Ordinum sacrorum reuerentiam, asserendum est eam correctionem parentibus non permitti. Ad tertium, admitto magistro permitti discipulum siue in minoribus, siue in sacris constitutum moderatè punire, non tamen parenti filios, quia magister plerunque est Clericus, etsi aliquando laicus sit: at è contrà paterfamiliàs plerunque est laicus, tametsi aliquando

Eccle

Ecclesiasticus sit, lex verò spectauit ea quæ frequentiùs contingunt. Quinimò satis probabile est, vt tradit Felinus *in dicto c. cum voluntate.* & Molina *dicta disput.* 56. *n.* 7. magistrum in gradu Ecclesiastico inferiori constitutum non posse punire discipulum constitutum in altiori, quia indecens est, vt inferior in gradu Ecclesiastico, Superiorem puniat.

10 Porrò prædictis Prælatis non est concessum, vt Ecclesiasticos possint per alios corrigere, sed necessariò per seipsos correctionem præstare debent, nisi aliqua necessitas vrgeat, & tunc non per laïcum, sed per Clericum correctio adhibenda est, vt habetur expressè *cap. vniuersitatis, de sententia excommunicat.* alias incident in excommunicationem Canonis *Si quis suadente diabolo*, Episcopo autem ob eius altam dignitatem punitio per propriam personam interdicitur. *c. non liceat.* 86. *dist.* ideóque alteri clerico, aut Religioso, & non laïco eius executionem committere debet.

11 Verùm etsi hoc ita sit de rigore iuris, consuetudine tamen introductum est, vt Prælati Ecclesiasticos mediis laïcis capiant. & in vincula conijciant, & publicâ flagellorum punitione afficiant, etsi opus fuerit, torqueant, ac in triremibus puniant. Id enim bono communi necessarium est, ne delicta Ecclesiasticorum maneant impunita, quod sæpè contingeret, cùm rarò inueniretur Ecclesiasticus qui has actiones præstare vellet. Præterquam quòd non decet personam Ecclesiasticam huius generis punitionis executio. Sicuti adnotarunt Nauarr. *comment. 3. de regular. circa finem. & lib. 5. consilior. tit. de sententia excommunicat. cons.* 42. aliàs 28. Iulius Clarus *lib. 5. de sent. §. fin. quæst. 77. numero* 3. Molina *disput.* 51. *numero* 5. & *disput.* 56. *num.* 8. Suar. *disputat.* 22. *sect.* 1. *num.* 44. Coninch. *disput.* 14. *dub.* 15. *numero.* 191. Auila 2 *part. de censur. cap.* 5. *disput.* 3. *dub.* 12. Filliucius *tract.* 15. *cap.* 1. *q.* 1. Paul. Layman. *lib.* 1. *sum. tract.* 5. *par.* 2. *cap.* 5. *num.* 9 *vers. porrò.* Bonacina *tit.* 3. *de censur. in parte. disputat.* 2. *q.* 3. *pun.* 6. *sect.* 4. *numero* 5. Et fauet *cap. vt famæ, de sententia excommunicat.* & *cap. si clericos, eodem titul. in* 6. Prælatis verò Religiosis priuilegio Alexand. VI. relato *in Compendio priuileg. Minor. verbo absolutio ordinaria*, §. 20. & griuilegio Leonis X. *ibidem* commemorato §. 27. concessum est, vt disciplinæ causa Religiosos clericos sibi subditos verberent mediis aliis Religiosis etiam laïcis, seu Conuersis. Quo priuilegio aliorum Ordinum Prælati gaudent per viam communicationis. Quapropter partim his priuilegiis, partim consuetudine introducta possunt Religiosi Prælati absque vlla necessitate Religiosos sibi subditos correctione dignos punire medio Religioso etiam laïco. Sicuti aduertit Nauarr. *dicto consilio.* Molina *disputat.* 51. *num.* 5. Coninch. *num.* 191. Layman. *cap.* 5. *numero* 9.

12 De magistris autem grauior est dubitatio, An Clericos discipulos corrigere per laïcos possint? Videtur namque id nullatenus fieri posse; quia Prælatis, & Iudicibus Ecclesiasticis sola captura, tortura, & publica punitio permittitur per laïcos fieri, non autem secreta punitio, & quæ punitum non infamat. At magistris sola hæc punitio concessa est: ergo nequeunt illam mediis laïcis exercere. Sed contrarium non improbabiliter docuit Ludouic. Molina *disputat.* 56. *numero* 8. Paul. Layman. *lib.* 1. *sum. tractat.* 5. *part.* 2. *cap.* 5. *num.* 9. *vers. porrò, in fine.* Coninch. *dubit.* 15. *num.* 192. Quia spectato iure naturæ hæc correctio non est illicita: non enim potest vt violentia notari *Cap.* 1. *de sententia excommunicat.* At iure positiuo solis Prælatis, & Iudicibus Ecclesiasticis inuenitur interdictum, ne Clericos, vel Religiosos corrigant mediis laïcis. *Cap. vniuersitatis, de sententia excommunicat.* Cui dispositioni magna ex parte derogatum est in *cap. vt famæ, eodem titul.* & *in cap. si clericos, eodem titul. in* 6. Ergo cùm Magistris parentibus, propinquis non sit prohibitum discipulos clericos per laïcum punire, id absque timore excommunicationis præstare poterunt: & confirmo. Magister laïcus potest Clericum in minoribus constitutum punire, & patet filium, & propinquus sibi aliqualiter subditum. Ergo poterit medio alio laïco eam punitionem præstare, partim quia in ea actione nulla iniuria deprehenditur. argum. *cap. si clericos*; partim quia ipsis magistris potiùs quàm executoribus punitio adscribitur, vt notatur *cap. vt famæ, de sententia excommunicat.* Neque obest, quòd Prælatis, & Iudicibus Ecclesiasticis interdicta sit correctio Religiosi, & Clericalis subditi medio laïco; quia cùm ipsi Ecclesiasticæ personæ sint, decebat Ecclesiasticos per se, vel per alios Ecclesiasticos corrigere, cùm correctio adhibenda est, quæ à personis Ecclesiasticis exerceri decenter potest. At magistri sæpè sunt laïci. & à fortiori parentes. Non est igitur mirum, quòd ipsis facultas iure naturæ concessa intacta relinquatur, quæ à Prælatis Ecclesiasticis restringitur.

13 Quintò ob difficultatem, quam ius Canonicum agnoscit, temperandi dolorem, cohibendique impetum vindictæ in eo qui videt suam vxorem, matrem, sororem, aut filiam turpiter pollui ab aliquo Clerico excusat ab hac excommunicatione percussorem illius. Vti habetur *capite si verò de sententia excommunicat.* Nam esto in percussione lethali percatum committatur, adhuc ius canonicum tum in detestationem illius criminis, tum ob difficultatem temperandi dolorem ex iniuria accepta, cohibendique vindictam, noluit percussorem excommunicatione punire. Vt tradit Glossa *in dicto cap. si verò, verbo turpiter.* Censetur autem turpiter Ecclesiasticus agere non solùm si in actu fornicationis inueniatur, sed etiam si inueniatur vacans amplexibus, osculis, aliisve tactibus turpibus, quinimo in loco suspecto, ita vt ex circunstantiis merito conijci possit turpitudo. Vt docuit Syluest. *verbo Excommunicatio 6. num.* 5. *casu* 10. Nauarr. *cap.* 27. *num.* 84. Suar. *disput.* 22. *sect.* 1. *num.* 37. Coninch. *disp.* 14. *dub.* 15. *num.* 196. Molina *tract.* 3. *disp.* 55. *n.* 5. Sayrus *lib.* 3. *cap.* 27. *num.* 33. Paul. Layman. *lib.* 1. *sum. tract.* 5. *p.* 2. *c.* 5. *n.* 8. *vers. quarta.* Bonac. *t.* 3. *disp.* 2. *q.* 3 *pun.* 6. *sect.* 4. *n.* 8.

Personæ verò quibuscum Ecclesiasticus turpiter agere inueniendus est, sunt vxor, mater, soror, aut filia percutientis. Neque ad alias personas proquinquas, consanguineas, aut affines extenda permissio est. Vti ex communi docent Suar. Molin. Coninch. Layman. Bonacina *locis allegatis.* Nam cùm hæc exceptio odiosa sit statui clericali, restringátque priuilegium Clericis concessum, non est vltra personas expressas extendenda Tametsi Innocent. *in dicto cap. si verò in fine*, ad neptem, & auiam, priuilegium extendat. Nomine vxoris etsi de rigore iuris sola coniux cognita veniat, attamen in præsenti sine cognita sit, siue non comprehenditur, eo quòd æqualis, imò grauior iniuria marito fiat, ob quam iure ciuili ei permittitur accusario. *leg. si vxor.* 13. *ff. ad leg. Iul. de adulteriis.* Et tradit. Glossa *dicto cap. si verò, verbo cum vxore.* Abbas *num.* 9. Syluest. *verb. Excommunicatio* 6. §. 1. *dicto* 10. Sanch *lib.* 1. *de matr. disp.* 1. *num.* 6. Molina, Bonacina, Layman. Coninch. *locis allegatis*, qui omnes expressè negant sponsam de futuro comprehendi. Nomine verò matris, filiæ, sororis venit quæ sic propriè est, non autem quæ solùm per appellationem, quare filia, aut vxor adoptiua sub nomine filiæ & sororis in hoc decreto correctorio non continetur, benè tamen illegitima, quia propriè filia. & soror est, vt notauit Molina, Coninch. Bonac. Laym. *suprà.*

Si igitur cum his personis turpiter agentem clericum inuenias, iliúmque percutias, tametsi occidas in excommunicationem non incidis esto necces, quia textus generaliter de qualibet percussione loquitur. Vti aduersus Couarruu. 2. *p. decret. al. cap.* 7. §. 7. *num.* 12. notauit Molin. *tract.* 3. *in resp. ad* 1. & *disp.* 55. *n.* 5. Bonac. *tom.* 3. *disp.* 1. *q.* 3 *p.* 6. *sect.* 4. *num.* 6. Quinimò esto pleno iudicio, & matura deliberatione percussionem præstes, quia matura deliberatio non temperat dolorem, neque impetum vindictæ. Sicuti aduersus Syluest. & Nauarr. docet Mol. & Bonac *suprà.*

14 Sed an hæc percussio incontinenti præstanda sit? Difficultate non caret. Alicui namque probabile videtur excommunicationi non subiici percussionem, tametsi longo tempore post delictum contingat; quia restrictio illa, quod percussio in continenti fiat, apponitur in clausula antecedenti, vbi sermo est de defensione propria. Ergo tacitè indicatur huic clausulæ non esse necessariò accommodandam. Præterea hæc percussio non est, quæ excusatur ob tutum defensionis, sed ob difficultatem grauem temperandi tristitiam, & dolorem ex iniuria conceptum, cohibendique vindictæ impetum. At hæc difficultas etiam transacto actu subsistit, quippè perseuerat iniuria illata, & honor læsus. Nihilominus omnino dicendum est cùm communi omnium sententia, percussionem incontinenti faciendam esse, alias non eris immunis à censura. Vti colligitur ex *dicto cap. si verò verbo inuentus.* Textus namque solùm excusat eum, qui percutit Ecclesiasticum turpiter inuentum cum vxore, matre, filia, & sorore percutientis. At si post delictum finitum percutias, non percutis formaliter inuentum, seu quem actu inuenis, sed percutis alio tempore in delicto repertum. Non igitur excusari potes, vti tradit Glos. *in dicto cap. si verò.* Sayrus *lib.* 3. *cap.* 27. *num.* 23. Suar. *disput.* 22. *sect.* 1. *num.* 35. Molin. *tract.* 3. *disp.* 7. *in responsione ad* 1. & *disput.* 55. *num.* 5. *in fine.* Paul. Layman. *lib.* 1. *tractat.* 5. *part.* 2. *cap.* 5. *num.* 8. *vers. quarta.* Bonac. *tom.* 3. *de censur. disput.* 2. *q.* 3. *pun.* 6. *sect.* 4. *num.* 6. Neque fundamentum contrarium vrget. Satis enim expresserat textus percussionem incontinenti fieri debere, tum illo verbo *inuentum*, tum ratione decidendi, quippe transacto delicto facilius dolor sedari, temperarive potest, minusque vindictam excitat, quàm cùm præsens est, oculisque offertur.

15 Quod si delinquentem ex industria expectares, & secretò obseruares, venientémque percuteres docet Paul. Layman. *suprà* te non effugere censuram; quod inde probatur: quia occasionem præsentem doloris remouere facilè poteras, & debebas. Non igitur dignus es, vt Ecclesiæ benignitatem experiaris, quæ immunitatem censuræ concedit ob dolorem conceptum ex occasione tibi inuoluntaria. Item Textus exigit ad vitandam censuram, vt percutias turpiter inuentum, hoc est, casu, & præter tuam intentionem inuentum, non tamen de industria quæsitum. Fateor has rationes

efficaces esse. Contrarium tamen communis sententia defendit casu quo absit dolus; quia ea secreta obseruatio, & occulta expectatio delinquentis neque occasio est, vt ipse delinquat, neque impedit, quin turpiter agentem inuenias, etsi inuenias quæsitum, & expectatum. Sic. Nauarr. *lib. 5. consilior. tit. de sententia excommunicat. consil. 41. & in sum. cap. 27. num. 84.* Molin. *disp. 55. ad finem.* Auila *2. p. de censur. cap. 5. disp. 3. dub. 13. casu 16.* Coninch. *disp. 14. dub. 15. num. 196.* Bonac. *t. 3. de censur. disp. 2. quæst. 3. pun. 6. sect. 4. num. 6.* Secùs verò esset si per dolum, vel fraudem delinquentem adduceres, vt in delicto deprehensum percuteres, quia eo casu non effugies censuram: Sicuti pluribus firmat Sayrus *lib. 3 thesauri, cap. 27. numero 23. in fine.* Nauarrr. Molina, Auila, Coninch. Layman. Bonacina *locus allegatis.* Neque enim æquum est, vt Ecclesia deceptionibus iniquis faueret. Præterquam quòd in eo euentu non percutis turpiter inuentum, sed quæsitum, & dolosè adductum.

§. IV.

De potestate absoluendi ab hac censura.

1 *Hæc absolutio Pontifici reseruatur.*
2 *Declaratur qua sit percussio atrox, grauis, & leuis.*
3 *A quacunque percussione absoluere potest Legatus à latere.*
4 *Ab excommunicatione ob leuem percussionem potest Episcopus.*
5 *Ab excommunicatione ob grauem & enormem solus Pontifex, eiusve Legatus.*
6 *Excipiuntur impuberes.*
7 *Item mulieres.*
8 *Item Religiosi eiusdem Monasterij se percutientes.*
9 *Percutiens regularem sub alio Prælato constitutum, absoluendus est à suo Prælato præsente Prælato offensi.*
10 *Quid si regularis secularem clericum percutiat.*
11 *Episcopus religiosos exemptos ex consensu suorum Prælatorum potest absoluere, sicut non exemptos.*
12 *Si Prælatus nolit eam licentiam concedere, cùm impotens sit absoluere, poterit ipse Religiosus adire Episcopum, & ab eo absolutionem impetrare.*
13 *Non potest Religiosus exemptus adire Episcopum pro absolutione obtinenda renuente proprio Prælato, vel illo inconsulto.*
14 *Si nolit Prælatus potens absoluere absolutionem concedere, non obinde potest Religiosus adire Episcopum, nisi constet iniustè denegare absolutionem.*
15 *Clerici in eadem domo commorantes possunt ob grauem percussionem ab Episcopo absolui.*
16 *Item ostiarius qui pratextu sui officij Clericum percutit.*
17 *In mortis articulo potest Episcopus, & eo deficiente quilibet Sacerdos.*
18 *Eadem facultas conceditur, quoties ad Sedem Apostolicam, vel eius Legatum difficilis fuerit recursus.*
19 *Virtute* Conc. Trident. *conceditur Episcopis facultas absoluendi ab hac excommunicatione, ob delictum occultum.*
20 *Qualiter hæc absolutio præstanda sit?*

1 HÆc absolutio Pontifici est reseruata in *dicto cap. si quis suadente*, præter mortis articulum. Sed quia aliis capitibus hæc reseruatio temperata est, & aliis inferioribus Prælatis absolutio concessa, oportet casus figillatim explicare.

2 Sed in primis præmittendum est aliam esse percutionem enormem, seu atrocem, aliam grauem, & mediocrem, aliam leuem, non quidem leuem, in ratione culpæ, cùm necessariò hæc excommunicatio culpam lethalem requirat, sed leuem comparatione aliarum percussionum quæ graues, & atroces sunt. Vt rectè aduertit Molina *tract. 3. disput. 57. numero 1.* Nauarr. *capite 27. numero 91.* Sayrus *lib. 3. capite 28. numero 3.* Percussio enormis, atrox, & grauis sumitur, tum ex facto ipso, tum ex qualitate personæ offensæ, & offendentis, tum ex aliis circunstantiis. Ex facto ipso, si percussio fiat cum graui læsione corporis, vt si aliquod membrum detruncetur, vel ita debile reddatur, vt vix possit suo munere fungi. Item si sanguis in abundantia effusus sit, aut de facto effunderetur, nisi per accidens detentus esset, iuxta *capit. cùm illorum. §. si quis de sententia excommunicat.* Quod intelligendum est, quando hæc copia sanguinis ex læsione prouenit, non ex dispositione membri læsi, quippe percussio leuis in naribus ob earum flexibilitatem copiosum solet sanguinem effundere: vt rectè aduertit Glossa *dicto cap. cum illorum.* Quinimò esto patum, vel nihil sanguinis effundatur, nullumve membrum detruncetur, inutilève reddatur, potest grauis, imò atrox percussio contingere, vt si fustibus grauiter quis percuteretur, pedibus conculcaretur, ictibus premeretur, longo tempore in obscuro & caliginoso loco violenter detineretur. Vt notauit Syluest. *verbo absolutio* 4. Molina *dicta disput. 57. num. 2.* Suarez *disp. 22. sect. 1. num. 89.* Ex parte personæ offensæ, & offendentis grauis, & enormis percussio censenda est quæ per se leuis esset: vti si percuteres Episcopum, Abbatem, proprium Superiorem, Iudicem, Patronum, herum, aliúmve in dignitate constitutum: *§. atrox, instit. de iniuriis. leg. prator. ff. eodem titul.* Vel si sæcularis percuteret Religiosum, vel homo infimæ sortis nobilem Ecclesiasticum: iuxta *leg. item apud Labeonem §. quod ait prator. & leg. sed si vnus. §. quadam iniuria, ff. de iniuriis.* Hæ enim percussiones graue scandalum generant, & tanquam graues iniuriæ reputantur. Ex aliis verò circunstantiis censenda est percussio grauis, primò quoties fuerit grauiter ignominiosa, vt si extensa palma Ecclesiasticum in facie percuteres, vel fustibus impeteres, pedibus conculcares iuxta *§. atrox, instit. de iniuriis.* Secundò si percussio sit in ore, oculo, aut facie grauis reputari solet, quæ inflicta in alia parte coporis leuis esset. Vt colligitur ex *dicto §. atrox, & ex leg. prator edixit, ff. de iniuriis. & leg. regia 20. tit. 11. part. 7.* Tertiò ex parte loci, vt si in platea, theatro, publicóve conuentu contingat. Quartò ex parte temporis, vt si Ecclesiasticum sacris vestibus indutum, vel paratum ad Diuina celebranda, vel coram Rege, Prælato, aliáve persona in magna dignitate constituta percussio fiat. Vt ex legibus relatis comprobat Molina *tract. 3. disputat. 40. numero 3.* & generaliter quoties ex percussione graue scandalum generatur, statúsque Ecclesiasticus grauiter contemnitur, percussio grauis censenda est. Ex supradictis percussionibus quæ grauis, quæ enormis censenda sit arbitrio prudentis pensatis circunstantiis relinquitur. In casu dubio diæcesano committitur iudicium, si absolutio pro foro externo, & conscientiæ adhibenda est. Si verò pro foro conscientiæ tantùm præstanda sit, committitur ei qui potestatem habet absoluendi. Quod si re perpensa dubius existat iudicare debet grauem esse percussionem: vt decidit *in Extrauag. Ioann. XXII. quæ incipit Perlectis*, relata à Couarruu. *cap. alma. mater. 1. p. §. 9. num. 2.* Nauarr. *cap. 27. num. 92.* Molin. *disp. 57. num. 3.* Sayro *cap. 28. n. 8.* Suar. *sect. 1. num. 88.* & aliis. Ex his constat quæ leuis percussio sit, illa igitur erit, quæ cùm sufficiens sit ad peccatum mortale constituendum, attamen non attingit grauitatem supradictarum percussionum. His positis,

Dico primò à quacunque percussione absoluere potest tam 1
in foro conscientiæ, quàm externo vltra summum Pontificem Legatus à latere iuxta *caput ad eminentiam, de sententia excommunicat.* tam eos qui sunt de prouincia, ad quam destinatur Legatus, quàm quosuis alios ad ipsum concurrentes à die quo curiam Romanam egredietur, vsque ad diem quo ipsam regrediens ingreditur. Vti ex communi docet Glossa & Panormit. *in cap. excommunicatis, de officio legati.* Verùm Legatus Nuntius qui à latere non est, absolucre potest eos, qui sunt de sua prouincia legationis, & dum in ea prouincia existit & non alios. Vti colligitur ex *dicto cap. excommunicatis.* Legatus verò natus, sic dictus, quia officium legati ei nascitur cum dignitate ex priuilegio Sedis Apostolicæ. Vti contingit Archiepiscopo Cantuariensi *Cap. 1. de officio legati.* Hic igitur Legatus ratione legationis nullam specialem potestatem habet absoluendi ab hac excommunicatione, sed eâ gaudet, qua reliqui Ordinarij. Vt constat ex *d. cap. excommunicatis.* Et tradit Mol. *disp. 58. per totum.*

Dico secundò ab excommunicatione contracta ob leuem 4
percussionem potest Episcopus sibi subditos absoluere in vtroque foro. Vt colligunt Panormit. & communiter Doctores ex *cap. peruenit, de sententia excommunic.* & *ex dicta Extrauag. Ioann. XXII. qua incipit Perlectis.* Sed an hæc potestas extendatur ad quoslibet alios Prælatos iurisdictionem quasi Episcopalem habentes? non conueniunt Doctores. Negant Felin. & Panormit. *in dicto cap. peruenit.* Sylvest. *verbo absolutio 4. numero 5.* quos sequitur Molina *tractat. 3. disput. 59. numero 2.* Ducuntur, quia Pontifex in *dicto cap. peruenit*, committit Episcopo, vt fratri hanc potestatem. Inquit enim Textus *Tua fraternitatis arbitrio duximus committendum.* Aequi nullus inferior Episcopo frater à Pontifice nuncupatur, sed filius. Non igitur censenda est hæc potestas alijs ab Episcopo concessa, sed hæc ratio infirma videtur. Pontifex namque quia loquebatur cum Episcopo nomine fratris vsus fuit, non quia vellet hanc potestatem Episcopali tantùm characteri annectere. Hæc enim potestas non Episcopo ratione iurisdictionis conceditur: aliàs eam delegare non posset, neque illius Vicario generali communicaretur, vti ipse Molina communicatam esse censet. Quapropter verius existimo quoscunque Episcopali iurisdictione gaudentes hanc habere potestatem.

Dico tertiò ab excommunicatione contracta ob grauem 5
& à fortiori ob enormem Clerici percussionem iure communi spectato, nullus alius præter Pontificem, eiúsve Legatum absoluere potest, exceptis aliquibus casibus in iure expressis.

Primò impuberes siue masculi, siue fœminæ etiam ob 6
enormem percussionem absolui ab Episcopo possunt, tametsi si post pubertatem absolutionem petant; quia beneficium illis

illis semel indultum non extinguitur ob superuenientiam pubertatis, vt colligitur *ex cap.1. & cap. quamuis, & cap. fin. & ibi* Panormit. *de sententia excommunicat.* Et notauit Sayrus *lib.3.cap.28. num.20.* Molin. *disp.59. num.3.* Suar. *disp.22. sect.1. num.69.* Bonac. *t.3. disp.2. quæst. 3.q.6. sect.5. num.12.* Neque hæc facultas extendenda est ad excommunicationem in iuuentute contractam, vt aliqui Doctores immeritò autumant; quia nullo fundamento nititur; vt aduertit Bonac. *suprà.* Periculum enim si aliquod habent iuuenes Sedem Apostolicam adeundi, præstat Ordinariis potestatem absoluendi non absolutam, sed cum obligatione comparendi, sicuti de aliis impeditis dicemus.

7 Secundò absolui possunt mulieres cuiuscunque ætatis, & conditionis sint, esto percussionem enormen fecerint potuerintque Sedem Apostolicam adire; quia periculosa à iure censetur illarum peregrinatio: habetur *cap. mulieres, & cap. nosci-tur, de sententia excommunicat.* Et tradit *ibi* Panormit. & Doctores communiter. Ex quo à fortiori constat moniales absolui posse, sicuti deciditur *cap. de monialibus, de sent. excommunicationis.*

8 Tertiò, Religiosi eiusdem monasterij se percutientes absolui possunt a Prælato supremo eiusdem conuentus, scilicet ab Abbate, Priore, Guardiano, Rectore, Præposito, & à fortiori à Prouinciali, & Generali; dummodò percussio atrox non fuerit: habetur *c. Monachi, de sententia excommunicat.* In quo Textu licèt nulla sit limitatio ad percussionem leuem, vel grauem, sed absolutè committatur facultas absoluendi Superiori eorum: attamen in *cap. canonica, eodem tit.* restringitur, nisi excessus, difficilis fuerit, & enormis, propter quem meritò ad Ecclesiam Romanam sit recursus habendus, & tradunt aliis relatis Nauarr. *cap.27. num.92.* Suar. *disp.22. sect.1. num.73.* Tolet. *lib.1.cap.32. num.8. & 9.* Sayrus *lib.3.cap.3. cap.28. num.10. & seqq.* Molina *tract.3. disp.60. num.1.* Paul. Layman. *lib.1. tract.5. par.2. cap.5. circa finem.* Idem dicendum est de Commendatariis Ordinis D. Ioannis, qui per Priorem conuentus absolui possunt, sicuti alij Religiosi, iuxta Textum in *cap. canonica de sentent. excommunicat.* Et notant Doctores nuper relati.

9 Quod si Religiosus percusserit regularem ab alio Prælato constitutum absolui debet à suo Prælato, præsente tamen Prælato offensi, vt ex vtriusque consensu satisfactio imponatur. Sicuti colligitur ex *cap. cum illorum, de sententia excommunicat.* & notant Panormit. Hostiensis & alij *ibi.* Mol. Sayrus, Suar. Layman. *suprà.* Poterit autem Prælatus offensi suas vices Prælato offendentis committere, vt ipse suo arbitrio pœnam condignam imponat, Si enim Prælatus absoluendi delegare potestatem alteri potest, *cap. fin. de officio Iudicis ordinarij*, cur non Prælatus offensi pœnæ impositionem, & satisfactionem iniuriæ? cùm vterque iurisdictione ordinaria vtatur. Atque ita tradit Syluest. *verbo absolutio 5. num.5.* Molina, Sayrus, Laym. *suprà.* In euentu autem quo Prælati discordauerint in satisfactione imponêda, quia Prælatus offensi acerbiorem exigit ea, quam offendentis Prælatus designat, eligendus est tertius arbiter, qui cum ipsis iudicium ferat: semper tamen absolutio, impositio, executióque pœnæ Prælato offendentis, vtpotè verò illius Superiori competit. Sic Syluest. Mol. & Layman. *loc. cit.*

10 Verùm si regularis non regularem, sed sæcularem Clericum percutiat, non à suo Prælato præsente Episcopo, sed ab ipsomet Episcopo tantùm absolui poterit; modò percussio leuis fuerit. Sicuti deciditur *cap. religiosi sententia excommunicat. in 6.* Iuncto *cap. cum illorum, eodem tit.* Et tradit Glossa *ibi. & in d. cap. peruenit, eodem tit.* Mol. *disp.60. n.4.* Layman. *dicto c.5. in fine.* Nouitius verò siue ante ingressum, siue post percutiens Religiosum, vel clericum sæcularem absolui poterit ab eodem Prælato, à quo alij Religiosi eiusdem domus possunt; quia in fauorabilibus nomine Religiosi comprehenditur: vt adnotatur in *c. cum illorum, de sententia excommunicat.* hoc tamen discrimine; nam nouitius si ante professionem è monasterio egrediatur obligatus est Sedi Apostolicæ se præsentare; alioquin in similem excommunicationem incidet, iuxta *cap. eos qui de sentent excommunicat. in 6.* quia ob temporale impedimentum scilicet ne vagaretur, concessa illi fuit absolutio. Vt aduertit Sayrus *lib.3.cap.28. num.13.* Molina *disp.60. num.3.* Layman. *lib.1. tract.5. par.2. cap.5. in fine.* Qui Doctores rectè monent hæc de Religiosis intelligenda esse, spectato iure communi. Nam si eorum specialia priuilegia spectentur possunt omnes Religiosi à suis Prælatis absolui ab excommunicatione etiam ob enormem læsionem contracta, vt constat ex *priuilegio Minorum. verbo absolutio ordinaria ad fratres, §.13. & 38* & ex *compendio nostrorum priuileg. verbo absolutio.*

11 Difficultas autem grauis est An Religiosi exempti absolui possint ab hac excommunicatione, & à quolibet alio peccato ab Episcopo, seu eius Vicario, sicuti possunt alij Religiosi non exempti; Et quidem consentiente Prælato id fieri posse pro certo habendum est. Nam si Prælatus habet potestatem ab ea excommunicatione absoluendi consentiens vt Episcopus absoluat, tacitè illi facultatem delegat. Si verò ea potestate caret, non sunt censendi Religiosi in hac parte exempti, aliàs exemptio illis præiudicaret, & deterioris conditionis redderet; quod credendum non est, maximè cùm hæc exemptio in fauorem Religionis statuta. Religionis autem paci, & quieti non leuiter noceret exemptio Religiosorum, quæ Episcopis denegaret potestatem eos absoluendi, & ipsorum Prælatis non concederet, siquidem eo casu cogerentur Religiosi vagari. Asserendum igitur est de consensu prælati posse Episcopum Religiosos exemptos absoluere. Sic tradit Syluest. *verbo absolutio, 5. numero 2. & 3.* Molina *tract.6. disput.61. num.4.* Suar. *t.4. in 3. p. disput.30. sect.2. num.3 & t.5. de censur. disp.41. sect.2. num.12.* Henriq. *lib.6. de pœnit. c.16. num.8. & lib.7. de indulgent. c.25. num.2. & lib.10. c.20. n.2. & lib.14. c.vlt. num.vlt.* Auila *2.p. de cens. c.7. dispu.at.1. dub.6.* Sanch. aliis relatis, *lib.4. decalogi. cap.39.32. & seqq.* colligiturque ex *c. luminoso, 18. q.2.* vbi habetur Episcopum posse exercere iurisdictionem de consensu Abbatis in Monasterio exempto. Neque obest hanc exemptionem Religioni concedi; nam ipsamet Religio consensit medio Prælato in subiectionem Religiosi Episcopo factam vtpotè sibi conuenientem.

12 Quod si Prælatus impotens hanc absolutionem præstandi nolit eam licentiam Religioso concedere, poterit ipse Religiosus ex tacito suæ Religionis consensu Episcopum adire, & ab eo absolutionem impetrare. Et idem est si longè absit, aut alio modo impediatur, ne in subiectionem consentiat, vt benè tradit D. Anton. *3.p.tit.24. cap.vlt. §.1. vers. & nota.* Syluest. *verbo Apostasia, quæst.8. n.11. ad finem.* Henriq. *lib.6. de sacram. pœnit. cap 16. n.8.* Sanch. *lib.4. in decal. cap.39. num.35.* Quia non est verisimile Pontificem velle destitui Religiosos exemptos remedio, quo non exempti gaudent, censendúsque est per epicheiam hic casus ab exemptione exceptus.

13 Verùm si Superior Religiosi exempti potestatem habeat eum ab excommunicatione, aliisque peccatis absoluendi, grauior est dubitatio; An possit Religiosus inconsulto suo Superiore, vel illo renuente absolutionem concedere; subiici Episcopo pro impetranda absolutione? Affirmare videntur Federic. Ioann. de Lignano, & alij relati à Panormit. *in cap. significasti, num 11. de Foro competenti,* & à Syluest. *verbo Absolutio. 5. num.2.* quia hæc exemptio in fauorem Religiosorum facta est: possunt ergo ipsi cedere, argum. *cap. ad Apostolicam, de Regularib. & leg. in conscribendo. Cod. de Episcopis, & Clericis.* Sed contrarium omnino tenendum est cum Panormit. Syluest. aliisque Doctoribus, quos refert, & sequitur Sanch. *lib.4. in decal. cap.39. num.29. 32. & 36.* Molina *disput 61. num.3. & seqq.* Bonac. *t.3. de censur. disp.2. quæst.3. p.6. sect.5. num.9.* Quia hoc priuilegium exemptionis non tam in fauorem singulorum Religiosorum, quàm totius Religionis introductum est. Ergo singuli Religiosi ei cedere non possunt. Præterea ex vi huius exemptionis extracti sunt Religiosi à iurisdictione Episcoporum, & integrè, plenéque subiecti suis Prælatis regularibus. Cederet autem in præiudicium iurisdictionis regularis, si vnusquisque Religiosus se posset pro libito ab ea subtrahere. Ergo dicendum est id minimè fieri posse. Item ex eo quòd Archiepiscopus nequit iurisdictionem in Suffraganeos exercere, nisi in certis casibus non possunt Suffraganei pro libito, & inconsulto suo proprio Prælato Archiepiscopo subiici pro absolutione impetranda. At Episcopus in Religiosos exemptos minorem habet iurisdictionem, quam Archiepiscopus in Suffraganeos, vt benè ponderat Panormit. *in dicto cap. significasti.* Ergo minus possunt Diœcesano subiici.

14 Quod si Prælatus regularis nolit per se, vel per alium absolutionem concedere inspiciendum est, an iustè eam deneget, vel iniustè. Nam si iustè eo quòd atrocitas delicti petat cogere Religiosum Sedem Apostolicam adire, nequaquam, poterit regularis à Diœcesano absolui. At si manifestè constet iniustè absolutionem denegare, (quod raro, vel nunquam contingit) poterit Religiosus Episcopo subiici, & ab eo absolutionem obtinere; quia eo casu censetur Religio, vel Pontifex iurisdictionem Diœcesano concedere. Tum quia Superior regularis exemptione abutitur. Tum quia sic Religiosus iniustè vexatur, illiúsque exemptio cedit in Religionis præiudicium. Atque ita docent Sanch. Mol. & Bonac. *loc. alleg.*

16 Quarto Clerici in eadem domo commorantes siue ex redditibus communibus alantur, vti contingit in Seminariis Concilij Tridentini, & Collegiis vniuersitatum, siue vnusquisque ad sui sustentationem concurrat, vt in conuictoriis scholasticorum euenit, possunt ob percussionem grauem, modo atrox non sit ab Episcopo absolui, ex Textu *in cap. quoniam de Vita, & honestate Clericor.* Quia ratione communis vitæ faciliùs ira sedantur, séque inuicem percutiunt. *l. cuius pater, §. dulcissimis, ff. de leg.2.* ideóque fuit conueniens ne pro qualibet iniuria ad Sedem Apostolicam remitterentur. Sicuti tradit Panormit. *in d. cap. quoniam num.3.* Sylvest. *ver-*

bo absolutio 4 num. 3. Nauarr. *cap. 27. numero 91.* Sayrus *lib. 3. cap. 28. numero 26.*

16 Quintò ianitor, seu ostiarius qui prætextu sui officij percutit clericum etiam animo iniuriandi, absolui potest ab Episcopo quamuis percussio grauis sit, modo enormitatem non attingat. Colligitur ex *cap. si verò, de sententia excommunicat.* & *ibi* Glossa, & Doctoribus. Idem dicendum est de officiali, seu apparitore alicuius potestatis etiam laïcæ, qui arcendo turbam ex aliqua negligentia, non tamen ex proposito Clericum percutit, qui ab Episcopo absoluitur, si percussio atrox non fuerit ex *dicto cap. si verò.* Quod si arrogando sibi iurisdictionem, & quasi id licitè præstare posset, & non in defensionem ostij sibi commissi Ecclesiasticum percuteret, nequaquam absolui posset ab Episcopo, esto percussio quoad læsionem corporis leuis esset, quia grauis, & atrox est comparatione iniuriæ statui Ecclesiastico factæ: vt benè aduertit Molina *disp. 62. num. 2.*

17 Sextò conceditur Episcopo, & illo deficiente cuilibet Sacerdoti absolutio in mortis articulo. Ne quis ob defectum absolutionis æterna felicitate priuetur, & cruciatibus æternis addicatur: vt habetur in *dicto cap. si quis suadente. 17. qu. 4.* & *cap. non dubium. Cap. ea noscitur. Cap. quod de his, de sententia excomm.* Nomine articuli mortis periculum mortis ex quacunque causa proueniat, intelligitur. Vti ex communi sententia docet Nauarr. *cap. 27. num. 271.* Couarruu. *cap. alma. 1. §. 11. num. 8.* Sayrus *lib. 3. thesauri, cap. 28. n. 16.* Molina *disp. 63. in fine.* Debet tamen absoluendo si fieri potest, exigi prius iuramentum de comparendo, cùm primùm possit coram Sede Apostolica, vel eius Legato, aut aliàs habente potestatem absoluendi, iuxta *cap. ea noscitur. Capit. quod de his.* & *cap. quamuis de sententia excommunicat.* Quod si postmodum noluerit comparere in similem excommunicationem incidet. Vt deciditur *cap. eos qui, de sententia excommunic. in 6.*

18 Septimò non solùm ob prædictam necessitatem extremam, quæ grauissima est, absolutio ab hac excommunicatione concedi potest ab Episcopo, sed etiam ob quamlibet aliam necessitatem grauem, quæ notabiliter reddat difficilem recursum ad sedem Apostolicam, eiúsque legatum, quia benignitas Ecclesiæ non patitur diu suos fideles pœnitentes excommunicatione obstrictos esse. Argum. *cap. ea noscitur. Cap. quod de his. Cap. quamuis Cap. mulieres. Cap. de cætero, & aliis de sententia excommunicat.* Et tradunt ferè omnes Doctores. Qnapropter laborans tertiana, vel quartana febri, vel alio morbo, ob quem nequit absque graui difficultate Sedi Apostolicæ seu aliàs habenti authoritatem absoluendi se præsentare, potest ab Episcopo absolui. *cap. quod de his, de sententia excommunicat.* Item debilis, seu membro aliquo destitutus ob cuius defectum absque graui incommodo non potest se Apostolicæ Sedi præsentare, ab Episcopo absoluendus est. *cap. ea noscitur, de sententia excommunicat.* Idem est est de nobili, seu viro delicato qui laborem itineris non valet sustinere. *cap. mulieres.* & *cap. de cætero, de sententia excommunicat.* Deinde pauper qui pro absolutione obtinenda cogendus esset mendicare, aliàs non solitus; quia hæc obligatio nimis dura est, ideóque ob eam causam excusatur. *Cap. quamuis.* & *cap. de his de sententia excommunicat.* Secùs esset, si professione mendicus esse, neque grauiorem molestiam ipse vel eius familia ex accessu ad Romanam curiam pateretur. *Cap. ea noscitur de sententia excommunicat.* Senibus verò etsi fortes videantur, quia tamen ex se periculosè iter aggrediuntur concedi absolutio potest. *Dicto c. ea noscitur.* & *cap. quamuis de sententia excommunicat.* Reputatur senex, si vltra septuagesimum annum processerit. *leg. 1. Cod. qui ætate.* Deinde ob periculum itineris consurgens ex inimicorum insidiis, ex bello, ex peste, aliáue causa excusari à Romano recursu potest. *Cap. de cætero. Cap. de his de sententia excommunicat.* Præterea ob debitam subiectionem hæc excusatio admittenda est, vti contingit seruis, libertis, & filiisfamilias, qui absque graui damno eorum, quibus subduntur nequeunt Romam adire. *Dicto cap. mulieres, & cap. relatum de sententia excommunicat.* Requiritur autem in horum absolutione, ne ij quibus absoluendi subduntur fuerint delicti cooperatores, néve delictum atrox sit, vti ex *suprad. cap. mulieres.* & *cap. relatum*, constat. Tandem ob damnum alienum vitandum excusari ab itinere Romanæ curiæ aliquis potest. Hac enim ratione poterit excusari maritus, si ex eius discessu vxor, vel familia graue damnum patiatur. Parochus qui suos parochianos absque graui eorum detrimento nequiret deserere. Gubernator ciuitatis, qui absque subditorum graui detrimento abesse nequit. Qui omnes etsi possent pro absolutione ad Sedem Apostolicam mittere, adhuc possunt ab Episcopo absolui, quia ius non imponit excommunicato obligationem mittendi, sed comparendi si possit. Quâ potestate deficiente cessat obligatio & conceditur Episcopo facultas. Vti ex communi tradit Nauarr. *cap. 27. num. 90.* Molina *disp. 64. num. 6.* Sayrus, *lib. 3. cap. 28. num. 38.* Bonac. *t. 3. de censur. in part. disp. 2. q. 3. pun. 6. sect. 5. num. 10.*

Hæc dicta sunt spectato iure communi, & seclusis priuilegiis, nouóque iure Concil. Tridentini. Etenim in Concil. Tridentin. *session. 24. capite 6. de reformatione,* omnibus Episcopis, seu Episcopalem iurisdictionem habentibus conceditur potestas absoluendi ab hac, & ab omni alia excommunicatione, modò delictum occultum sit, neque ad forum contentiosum deductum. Mendicantibus verò Religiosis ferè eadem facultas concessa est. 19

Pro prædictis duo aduertenda sunt, Primum non est concedenda huius excommunicationis absolutio, quin excommunicatio priùs parti læsæ satisfactionem præstet, quantum commodè possit. Secundum, in euentu quo quis absoluitur ob temporale impedimentum exigi debet iuramentum comparendi coram Sede Apostolica, vel aliàs authoritatem absoluendi habente. Quod si postmodum non comparuerit in similem excommunicationem incidet, iuxta Textum *in capit. eos qui, de sententia excommunicat. in 6.* 20

Punctum XXIV.

De excommunicationibus contentis *in quinque libris Decretalium*, summo Pontifici reseruatis.

1 *Declaratur excommunicatio, quam incurrit nolens parere diffinitiuæ sententiæ Legati Pontificis, & in ea contumacia per annum perseuerans.*

2 *Qui falsas litteras se habere cognoscit, tenetur sub pœna excommunicationis infra 20. dies destruere, aut resignare.*

3 *Clerici qui cum excommunicatis à Pontifice participant in officiis Diuinis, excommunicationi reseruatæ subiiciuntur.*

4 *Imponentes, exigentésque tributum à personis Ecclesiasticis excommunicantur.*

5 *Aliqui incendiarios affirmant excommunicatione esse innodatos. Sed verius est oppositum.*

6 *Iudices qualiter teneantur aduersus incendiarios excommunicationem proferre, declaratur.*

7 *Prolata sententia excommunicationis aduersus incendiarios, qui in illam incurrant.*

8 *Contractâ excommunicatione, si iudex excommunicatum publicet, eius absolutio Pontifici reseruatur. Vbi declaratur qualiter facienda sit hæc publicatio.*

9 *Effractores, spoliatorésque Ecclesiarum excommunicantur.*

10 *Explicatur in quo Textu hæc excommunicatio contineatur.*

11 *Vt huic excommunicationi sit locus, debent sacrilegi Ecclesiam effringere, illamque spoliare.*

12 *Quid nomine Ecclesiæ ibidem intelligatur?*

13 *Hæc excommunicatio post denunciationem Summo Pontifici reseruatur.*

PRima excommunicatio, quæ refertur à Nauarro *cap. 27. num. 93.* Sayro *lib. 3. cap. 29. num. 1.* Suar. *disp. 22. sect. 2. num. 1.* Filliucio *tract. 15. cap. 2. q. 2.* Toler. *lib. 1. cap. 35.* habetur in *cap. quærenti, de officio delegati*, vbi excommunicatus à Delegato Pontificis, eo quòd eius sententiæ definitiuæ parere noluerit, si per annum in excommunicatione perseuerauerit? absolutio illius excommunicationis Pontifici reseruatur. Hæc tamen excommunicatio non est ipso iure lata, sed à Delegato fertur per sententiam, neque directè Sedi Apostolicæ reseruatur, sed indirectè quatenus elapso anno nullus est qui ab hac excommunicatione absoluere possit præter Pontificem. Non inferior delegato, vt de se constat, neque etiam ipse delegatus; siquidem post annum finitum cessat illius iurisdictio ex *d. cap. quærenti*, & *ex cap. studuisti, de officio delegati.* Vt aduertit Tolet. & Suar. *loc. alleg.* & Bonac. *t. 3. de cens. disp. 2. q. 3. p. 22.* 1

Secunda habetur in *cap. dura, de crimine falsi* in hæc verba: *Statuimus, vt generalem sententiam excommunicationis promigetis, quam per singulas parochias faciatis frequentius innouari. Quod si quis falsas litteras se habere cognouerit infra 20. dies litteras illas aut destruat, aut resignet, si pœnam excommunicationis voluerit euadere, quàm nisi forsan in mortis articulo sine speciali mandato nostro à quoquam nolumus relaxari, nec etiamsi præsumpta fuerit contra hoc absolutio quidquam habeat firmitatis.* Notandum est in prædicto Textu nullam ferri excommunicationem, sed solùm præceptum diœcesano impositum, vt excommunicationem promulget aduersus eos, qui litteras Sedis Apostolicæ falsas habent; neque eas destruunt, vel resignant. Quare retinens falsas litteras, dum à diœcesano non promulgatur excommunicationis sententia, in nullam excommunicationem incidit. Promulgatâ autem à diœcesa- 2

no excommunicatione, quæ promulgatio fieri potest per generalem, vel specialem sententiam, tenetur intra viginti dies computandos à die promulgationis notæ prædictas litteras falsas destruere, vel resignare Diœcesano, vel alteri Pontificiam iurisdictionem defendenti; aliàs excommunicatione innodabitur, à qua nullus alius præter Pontificem extra mortis articulum cum valebit absoluere. Vti tradunt aliis relatis Sayrus *lib.3. thesauri, c.29.à n.3.* Suar. *disp.22. sect.2. à n.2.* Filliucius *tract.15. capite 2. quæst.4.* Bonac. *t.3. de censur. in partic. disp.2. q.3. punct.4.* Ex his constat hanc excommunicationem diuersam esse ab ea quæ habetur in *c. ad falsarium de crimine falsi*, aduersus falsificantes litteras Apostolicas, & de qua dictum est *pun. præcedenti §.7.* vt benè aduertit Sayrus *loco citato.*

5 Tertia fertur in *cap. significauit, de sententia excommunicat.* aduersus Clericos qui cum excommunicatis à Pontifice participant in officiis Diuinis scienter, & sponte. Plures conditiones exigunt Doctores ad hanc excommunicationem incurrendam. Prima, vt excommunicatus sit à Pontifice non vtcunque, sed iudicialiter, & nominatim: vti ex communi docet Sayr. *lib.3. c.29. n.6.* Nau. *c.27. n.93.* Suar. *de cens. disp.10. sect.2. n.9.* Auila *2.p. c.6. disp.10. dub 2.* Filliuc. *tract.15. c.7. q.2. n.16.* Bonac. *t.3. de censur. disp.2. q.2. p.3. num.3.* Barbosa *de potest. Episc. alleg.50. num.88.* Secunda, vt is qui participat clericus sit; quia textus de iis tantùm loquitur, vt constat ex illis verbis. *Verum Clericos*, Præterquam quòd solis Clericis competit admittere ad diuina. Nomine Clericorum in materia pœnali religiosi non comprehenduntur: vti aduertit Bonac. *dicta disp.2. q.5. pun.3 num.5.* Tertia, vt participet admittendo, & recipiendo excommunicatum ad prædicta Diuina officia. Nam Textus hanc participationem expressè significauit dicens: Participauerunt excommunicatos à nobis, & ipsos in officiis receperunt. Particula & quæ coniunctiua est modum participationis expressit. Quapropter Clericus assistens Diuinis officiis tanquam vnus de populo cum prædicto excommunicato hanc excommunicationem non contrahit. Sic cuti aduertit Caiet. *verbo excommunicatio. cap.58.* Barbosa *dicto num.88.* Sayrus *lib.3. thesauri, cap.29. num.6.* Bonac. *dicta disput.2. quæst.5. punct.3. num.3.* Quarta vt hæc admissio scienter, & sponte fiat, id est cum scientia excommunicationis Pontificiæ, & absque vllo metu, vel timore. Sicuti notauerunt Nauarr. Sayrus, Suar. Barbosa, Bonac. *loc. alleg.*

4 Quarta excommunicatio lata est in *cap. Clerici de immunit. Ecclesiar.* aduersus imponentes, exigentésque tributum à personis Ecclesiasticis. De qua excommunicatione, & qualiter reducta sit ad terminos Concilij Lateranen. *in c. Non minus*, & *c. Aduersus, eodem tit.* satis diximus *disputat. præced. punct.19.*

5 Quintam deducunt plures Doctores ex *cap. tuanos, de sententia excommunicat.* vbi consultus Pontifex, an illi tantùm qui manus violentas in Clericum iniecerunt sint ab ipso absoluendi inquit: Fraternitati tuæ taliter respondemus, quod non solùm qui in Clericos temerarias manus iniiciunt, sed etiam incendiarij, ex quo sunt per Ecclesiæ sententiam publicati pro absolutionis beneficio ad Apostolicam Sedem sunt mittendi. Ex hoc textu infert satis probabiliter Bonacina *t.3. de censur. disp.2. q.3. pun.43. num.1.* Omnes incendiarios excommunicatione innodari. Tum quia Pontifex illos æquiparat Clericorum percussoribus, qui ipso iure excommunicati sunt. Tum & præcipuè, quia sibi reseruat excommunicationis absolutionem, postquam ipsi incendiarij fuerunt per sententiam publicati. At publicatio excommunicationis, & absolutionis reseruatio excommunicationem supponit. Ergo supponit Pontifex incendiarios esse excommunicatos vel saltem eos præsenti decreto excommunicat, vt eius dispositio locum habeat. Alij vero scilicet Glossa *in dicto cap. tuanos, verba publicati.* Et *ibi* Panormit. *n.2.* Sylvest. *verb. Excommunicatio 7. n.13.* Angel. *excommunicatio 5. casu 6.* Tabiena *eodem, casu 7.* censeat ipso iure excommunicatione innodari incendiarios Ecclesiarum, non verò alterius loci profani, sed per sententiam Episcopi. Huius sententiæ nullum video speciale fundamentum, cum nullus sit Textus, ex quo colligi possit Ecclesiarum incendiarios excommunicatione affici, potiùs quàm cuiusuis alterius loci, maximè cùm Textus in *dicto cap. tuanos*, generaliter loquatur. Quapropter veriorem reputo sententiam Caietani, *verbo excommunicatio, cap.22.* Nauarr. *cap.27. numero 94.* Toleti *lib.1. cap.36. num.5.* Sayri *lib.3. thesauri, cap.23. num.8.* Suar. *disp.22. de censur. sect.2. num.19.* Filliucius *tract.15. cap.2. q.5.* Barbosæ *2.p. de potest. Episc. alleg.50. num.89.* nullum incendiarium excommunicatione affici ipso iure, sed positâ diœcesani sententiâ. Mouet, quia est communior sententia, & quia nullus est Textus hâc excomunicationem ipso iure infligens. Nam Textus in *cap. si quis membrorum*, loquens de domorum incendiariis non pœnam excommunicationis, sed interdicti ab ingressu Ecclesiæ videtur apponere, ibi: *Ecclesia se priuatum agnoscat; excommunicationem autem ferri mandat, si post secundam, & tertiam conuentionem cuncta in quibus angitur non emendauerit*, ibi: *Ab omni Christianorum collegio separetur.* Innocent. verò II. in *cap. pessimam, eadem causa, & q.* præcepit excommunicandum qui malo animo, & studio constiterit incendiarium fuisse, siue ad incendium consilium auxilium ve dedisse. In *cap. autem, tua nos, de sententia excommunicat.* expressè excommunicatio non fertur, vt de se constat, neque etiam tacitè; nam incendiarij percussoribus clericorum non absolutè æquiparantur, sed postquam fuerint per sententiam publicati; quia media tantùm sententia in excommunicationem incidunt. Agnouit namque Pontifex nullum incendiarium ipso iure excommunicare, sed excommunicandum esse per sententiam, iuxta dictum Textum in *cap. si quis*, & *cap. pessimam.* Qua sententia prolata, & publicata absolutionem sibi reseruat, iuxta dispositionem *dicti cap. pessimam*, vbi Episcopis, & Archiepiscopis prohibet sententiæ aduersus incendiarios latæ relaxationem. Ex his soluitur fundamentum, quo ductus est Bonacina aduersus communem sententiam. Fateor namque excommunicationis publicationem, & illius absolutionis reseruationem, excommunicationem supponere, nego tamen supponere contractam ipso iure, sed per sententiam iudicis ante publicationem latam.

Posito autem in prædicto Textu, neque alibi excommu- 6
nicationem aduersus incendiarios latam ipso iure esse, sed necessariò intervenire debere sententiam iudicis, dubium est, An Iudices teneantur eam excommunicationem proferre? Cui dubitationi respondeo obligari, si casus *dicti cap. si quis* & *cap. pessimam 23. q.8.* contigerit, qui certè solùm videtur esse quando delictum est publicum, & scandalosum, & delinquens notus est. Tum quia in *cap. si quis* secundò, & tertiò reconueniri prius debet. Tum quia post latam excommunicationem si mortuus fuerit Ecclesiasticâ priuatur sepulturâ, quod fieri nequit cum delinquente ignoto. Extra prædictum casum Iudicis arbitrio relinquitur, an expediat aduersus incendiarios generalem, vel specialem sententiam proferre. Vt docet Bonac. *tom.3. de censur. disputat. 2. quæst.3. punct.4. in fine.*

Prolatâ verò sententiâ excommunicationis aduersus in- 7
cendiarios, in illam incidit qui malo studio siue ex odio, siue pro vindicta alienas segetes, domos, prata, & similia incenderit, quia hic tantùm reputandus est incendiarius, non qui ex negligentia etiam culpabili incendium fecit: iuxta Textum in *dicto c. pessimam*, & notauit Caiet. *dicto cap. 22.* Suar. *num.20.* Sayrus *num.10.* Bonacina *num.3.* Neque opus est hoc delictum pluries perpetrare, vt huic excommunicationi sit locus. Satis enim est, si semel fuerit commissum, vt incendiarius sit, & nuncupetur, sicuti satis est ad homicidæ nomen hominem semel occidere: vt benè notauit Suar. *dicta sect.2. numero 21.* Bonac. *disput.2 quæst.3. punct.4. 3. numero 4.* Sayrus *dicto lib.3. cap.29. num.11.* An autem verè incendiarius sit qui præcipit, consulit, seu ad incendium cooperatur? Affirmat Sayrus *d. cap.29. num.11.* argum. *cap. pessimam. 23. q.8.* Sed contrarium verius existimo; quia hæc nomina incendiarij, homicidæ, adulteri, raptoris non ex concursu morali; sed ex Physico desumuntur: aliud enim est incendere, aliud incendium præcipere; incendiarius namque sic ob incendium appellatur, non ob incendij præceptum, consilium, moralémve cooperationem.

Contractâ excommunicatione si Iudex excommunicatum 8
publicet, eius absolutio Pontifici reseruatur, tametsi non desint plures Doctores teste Toleto *lib.1. sum. cap.35. num.4.* qui affirment incendiarios excommunicatos ab Ordinario, & ab eodem publicatos absolui ab Ordinario posse. Sed qualis debeat esse non conueniunt Doctores. Nam Suar. *disput.22. sect.2. n.18.* Filliucius *tract.15. cap.2. q.5. n.53.* Bonacina *t.3. de censur. disp.2. quæst.3. punct.4. 3. num.6.* affirmant sufficere generalem publicationem, qua diœcesanus publicè pronunciet omnes incendiarios esse excommunicatos; quia textus de publicatione sententiæ contra incendiarios quatenus hoc vitio affecti sunt loquitur, non de publicatione personarum quatenus tales sunt. Sed rectiùs Glossa, & Abbas, *in dicto c. tuanos.* Caiet. *verbo Excommunicatio, cap.22.* Nauarr. *cap.27. num.94.* Sayrus *lib.3. cap.29. num.12.* Toleti *lib.1. cap.35. num.4.* & alij censuerunt publicationem faciendam esse specialem, & expressam delinquentium. Nam illa generalis publicatio, qua omnes incendiarij excommunicati esse declarantur, posito quòd huic crimini per generalem sententiam excommunicatio annexa sit superflua est, cùm satis omnibus constet posita tali sententia incendiarios excommunicatos esse. Non igitur credendum est de hac generali publicatione Textum loqui, quæ non est publicatio personarum, sed delicti. Item ex vi illius generalis publicationis nullus incendiarius notus est, sed æquè occultus manet, ac si nulla publicatio facta esset: at textus videtur locutus de publicatione, qua delinquentes publicentur, manifestentur, & noti sint. Argum. *Extrauag. Ad euitanda scandala.* Ergo non de publicatione illa generali.

Sexta

9 Sexta excommunicatio sumitur ex *cap. conquæst. 22. de sententia excommun.* vbi Canonici Reginen. Ecclesiæ conquesti sunt Pontifici, quod Malafrena, eiúsque sequaces quasdam Ecclesias Regnen. Episcopatus violenter confregerunt, eásque spoliare minimè dubitarunt. Cui querelæ respondet Pontifex: *Mandamus quatenus si est ita, memoratos sacrilegos excommunicatos nuncietis, & faciatis sicut excommunicatos arctiùs euitari, donec possis iniuriam congruè satisfaciant, & damna pro eis data resarciant, & cum litteris vestris rei veritatem continentibus Apostolico se conspectui præsentent.* Hic Textus etsi specialiter de confringentibus, spoliantibúsque Ecclesias Reginen. Episcopatus loquatur, at eius decisio pro lege susceptа est ab Ecclesia. Vti omnes Doctores supponunt, & notauit Bonac. *t. 3. de censur. disputat. 2. q. 3. p. 12. num. 11.*

10 Grauis tamen est controuersia; at in prædicto Textu feratur ipso iure excommunicatio aduersus effractores spoliatoresque Ecclesiarum, an supponatur alibi lata, vnum enim ex his necessariò est affirmandum: nam cùm Pontifex præcipiat Ordinariis hos delinquentes excommunicatos nunciari, vt arctiùs euitentur, fit sanè excommunicatos esse, vel in hoc Textu excommunicari; enunciatio enim & publicatio excommunicationem supponit? Glossa, & Panormit. in *dicto cap. conquesti.* Nauarr. *cap. 27. num. 94.* Caiet. *verbo Excommunicatio cap. 21.* & alij negant in hoc Textu excommunicationem ferri? latam tamen esse in *cap. canonica 11. quæst. 3.* ibi: *Ecclesiarum Dei violatores anathemare, & iudicio sancti Spiritus è gremio sanctæ Matris Ecclesiæ, & consortio totius Christianitatis eliminamus.* Item *in cap. omnes Ecclesiæ 17. q. 4.* vbi Lucius Pontifex inquit; *Omnes Ecclesiæ raptores, atque suarum facultatum alienatores à liminibus sanctæ Matris Ecclesiæ anathematizamus.* Præterea in *cap. quisquis eadem causa, & q.* dicitur: *Si quis domum Dei violauerit, & aliqua sine licentia illius cui commissa esse dignoscitur, inde abstulerit, sciat se communione esse priuatum.*

Cæterùm verius censeo ex prædictis textibus non satis colligi excommunicationem latam esse, ferri tamen tacitè in *hoc cap. conquesti.* Quare fuit sententia Azor. *1. p. lib. 9. cap. 27. q. 12.* Toleti *lib. 1. cap. 35. num. 6.* Sayri *lib. 3. thesaur. cap. 29. num 14.* Suar. *disput. 22. de censuris, sect. 2. num. 10.* Graffis *1. p. lib. 2. cap. 28. num. 12.* Reginaldi *lib. 19. num. 60.* Bonac. *disp. 2. q. 3 punct. 12. n. 1.* Augustin. Barbosæ *3. p. de potest. Episc. allegat. 50. num. 90.* Priorem partem probo, respondendo Textibus in contrarium adductis. Et quidem *cap. canonica*, & *cap. omnes Ecclesiæ*, non statuunt legem neque excommunicationem imponunt Ecclesiarum violatoribus, sed referunt quid in illo delicto Ecclesia præstare soleat, vt ex tenore textuum liquet. Caput verò *quisquis* non sententiam latam, sed ferendam continet, vt manifestè indicant subsequentia verba, ibi: *Qui infringunt monasteria, & loca Deo dicata, & Ecclesias, & deposita, vel alia quælibet inde abstrahunt, velut sacrilegi canonica sententia subigantur. Quapropter illa verba antecedentia: sciat se communione esse priuatum* intelligenda sunt accedente sententiâ. Præterquam quòd non satis constat qua communione priuandi essent. Adde si in prædictis Textibus excommunicatio contineturob quamlibet Ecclesiæ, & loci pij violationem, & illius bonorum vsurpationem contrahenda est. Atid communis sententia negat, ergo in prædictis Textibus nulla excommunicationis sententia ipso iure continetur. Ex quo secunda pars conclusionis conuincitur, nam cùm denunciatio excommunicationem necessariò supponat, & hæc excommunicatio lata non sit Textibus antiquioribus *cap. conquesti*, fit sanè ipso *cap. conquesti* ferri excommunicationem: sensus namque illorum verborum, *memoratos sacrilegos excommunicatos nuncietis*, id est nuncietis eos sacrilegos esse excommunicatos, quia ex nunc eos excommunicamus. Sicuti si Pontifex diceret, si ita est memorati sacrilegi nouerint se esse excommunicatos nunciandos; excommunicationem ipso iure per illam legem ferret; sic censendus est supradictis verbis *excommunicatos nuncietis* excommunicationem tulisse.

11 Vt autem hi sacrilegi hac afficiantur excommunicatione dupl'ex delictum committere debent. Primum Ecclesiam effringere. Secundum illam spoliare, quia textus vsus est dictione copulatiua, quæ vtrumque extremum ad sui veritatem requirit, iuxta *leg. si quis ita stipulatus, ff. de verborum oblig.* Et tradit Suar. *disput. 22. sect. 2. num. 11.* Bonac. *disp. 2. quæst. 3. part. 12. num. 9.* Barbosa *3. part. de potest. episc. alleg. 50. num. 90.* Ille autem censebitur Ecclesiæ effractor qui eius parietes fodit, vel suffodit, rumpit fenestram, ostium, vectes, & similia. Quinimo Sylvest. *verbo excommunicatio 5. num. 16.* Sayrus *lib. 3. cap. 29. num. 16.* censent effractorem esse qui violenter vectem debilem facit cedere loco. Sed rectiùs Bonacina *dicta disput. 2. quæst. 3 punct. 12. num. 3.* negat; quia illa actio est tantùm apertio, non effractio, cùm nihil Ecclesiæ effringat. Hinc à fortiori constat effractorem non esse qui claui adulterina Ecclesiam ingreditur, sicuti notarunt Bonac. Suar. Sayrus, Barbosa *loc. alleg.* spoliator verò est qui Ecclesiæ bona rapit, furatur, destruit, seu alio modo iniurioso Ecclesiam denudat, suisque bonis priuat, vti tradunt dicti Doctores. Vnde malitiosè incendens Ecclesiam hac excommunicatione innodatur; quia simul est spoliator, & effractor: vti tradit Nauarr. *cap. 27. num. 94.* Suar. *sect. 2. num. 6.* Filliucius *tract. 15. cap. 2. quæst. 5. num. 53.* Bonac. *tom. 3. disp. 2. q. 3. punct. 12. num. 4.*

Nomine Ecclesiæ tradunt Panormit. *in dicto cap. conquesti,* 12
Nauarr. *cap. 27. num. 94.* Tolet. *lib. 1. cap. 35. num. 6.* Suarez *d sput. 22 sect. 2. num. 17.* Sayrus *lib. 3. cap. 29. num. 18.* Barbosa *allegat. 50. num. 90.* Filliucius *tract. 15. cap. 2. q. 6.* intelligi non solùm templa authoritate Episcopi ad Diuina officia deputata, sed etiam Hospitalia, Monasteria, aliáve loca; quia hæc constitutio lata est in fauorem Ecclesiarum, ac proinde nomen Ecclesiæ latè accipiendum est. Sed contrarium spectato iuris rigore, verius existimarem cum Bonac. *dicta disput. 2. quæst 3. punct. 32. num. 6.* quia esto hæc constitutio in fauorem Ecclesiæ cedat, absolutè tamen pœnalis est, ergo non debet vltra proprietatem verborum extendi. At retentâ proprietate verbi Ecclesiæ, vsúque communi, non veniunt Hospitalia, aut Monasteria, vt de se constat. Ex qua ratione crederem aduersus Suar. *disput. 21. sect. 2. num. 11.* Bonac. *disp. 2. q. 3. p. 12. num. 6.* Barbos. *allegat. 5. num. 90.* neque etiam sacristiam, tametsi Ecclesiæ coniunctam, intelligi; quia non est formaliter Ecclesia, sed quid Ecclesiæ accessorium; aliàs conuenus Ecclesiæ annexus & contiguus intelligendus esset. Neque obest regula *accessorium*, quia sacristia accessoria est Ecclesiæ quoad ædificium, sed non quoad leges pœnam, vel fauorem spectantes, nisi id expresè caurum fuerit, sicuti in materia interdicti cautum est, *capite si ciuitas de sentent. excommunicat.* aliàs Ecclesiæ pollutor esset, qui in sacristia fornicaretur, vel sanguinem humanum violenter effunderet.

Excommunicatione contracta ante Ordinarij denunciatio- 13
nem nulla est reseruatio: at post denunciationem nulla est reseruatio: at post denunciationem Ordinarij summo Pontifici reseruatur, vt constat ex vltimis verbis *dicti cap. conquesti*, ibi: *Apostolico se conspectui præsentent*; sicuti notauit Nauarr. Tolet. Sayrus, Suar. Bonac. Barbosa *locis allegatis.* Sed qualis denunciatio sufficiat? Bonac. *disp. 2. quæst. 3 punct. 12. num. 14.* censet sufficere generalem, qua omnes effractores, spoliatoresque Ecclesiarum publicantur excommunicati. Sed rectiùs censuit oppositum Nauarr. *capit. 27. numero 94.* Suar. *sect. 2. numero 19* Sayrus *capit. 29. numero 14.* Filliucius *numero 53.* Barbosa *numero 90.* quia debet esse denunciatio, quæ sacrilegos faciat notos; aliàs non faceret eos arctiùs, quàm ante publicationem vitari, vt inquit Textus.

Punctum XXV.

Expenduntur excommunicationes reseruatæ in *sexto libro Decretalium.*

1 *Excommunicantur omnes Dynastæ, qui sine licentia Sedis Apostolicæ se intromittunt in electione Senatoris, Patricij, aut Rectoris Vrbis Romanæ.*
2 *Imponentes tributa Ecclesiasticis personis excommunicantur.*
3 *Item insequentes hostiliter Cardinalem S. Romanæ Ecclesiæ.*
4 *Item qui tam tempore conclauis, quàm alio tempore domus cuiusque Cardinalis inuadunt.*
5 *Item non reuelantes conspirationem in Cardinalem.*
6 *Item qui vexauerint eos, qui censuras excommunicationis, suspensionis, vel interdicti tulerint.*
7 *Comprehendit mandantes, & præcipientes.*

PRima excommunicatio Pontifici reseruata contenta in 1
sexto libro Decretalium refertur in *cap. fundamenta de electione lib. 6.* ibi enim præcipit Pontifex Nicolaus IV. ne Imperator, Rex, Marchio, aliíque quicunque notabilis præeminentiæ, dignitatis, seu excellentiæ, eorúmque fratres, filij, ac nepotes sine licentia Sedis Apostolicæ nominationi, electioni, vel assumptioni in Senatorem, Capitaneum, Patricium, aut Rectorem Vrbis Romæ assentiant, vel se intromittant per se, vel per alios. A quo præcepto excipit eos qui originem trahunt ex Vrbe, aut in ea continuam habent habitationem, etiamsi prædictorum filij, aut nepotes sint, quinimo etiamsi Comitatum, aut Baroniam habeant extra Vrbem; dummodò inferioris conditionis, & excellentiæ sit supradictis Romanis dignitatibus, vt meritò ex illius vsu nullum dignitatibus Romanis præiudicium timeri possit. Deinde statuit, ne vllus in prædictas dignitates eligatur vltra annum absque expressa Sedis Apostolicæ licentia in scriptis obtenta. Qui ergo contra prædictam constitutionem nominant, eligunt, vel assumunt aliquos ad prædicta officia, vel nominationi, electioni, assumptioni de se factæ vltra annum consentiunt, aut se de

ipsis

ipsis quomolibet intromittunt, aut intendunt, obediúntve illis assumptis, vel eis auxilium, consilium, vel fauorem Publicè, vel occultè præstant ipso iure excommunicatione innodantur, cuius absolutio Pontifici reseruatur. Sicuti tradit Sylvest. *Excommunicatio 7. num. 20.* Sayrus *lib. 3. thesauri, cap. 29. num. 29. & 20.* Tolet. *lib. 1. cap. 35. num. 7.* Barbosa, *alleg. 50. num. 91.*

2 Secunda fertur in *cap. Clericis de immunit. Eccles. in 6.* vbi tam imponentes tributa Ecclesiasticis personis, quam soluentes excommunicantur. At quoad personas soluentes sublata est hæc excommunicatio in *Clement. quoniam, eodem tit.* iuncto *cap. non minus. & cap. aduersus de immunit. Eccles.* Perseuerat autem hæc excommunicatio in Bulla cœnæ Domini approbata aduersus imponentes, exigentésque tributa, quos inquit Pontifex non esse absoluendos, quin plenè satisfecerint. Quod si durante regimine satisfactionem exhibere noluerint, vel non potuerint ad ipsos, eorúmque successores tum in hæreditate, tum in officio pertinet satisfactionem præstare, iuxta Textum *in cap. non minus & cap. aduersus de immunit. Eccles.* Sic Tolet. *lib. 1. cap. 35. num. 9.* Barbosa *allegat. 50. num. 92.*

3 Tertia excommunicatio continetur in *cap. felicis de pœnis lib. 6.* aduersus eos, qui Cardinalem S. Romanæ Ecclesiæ ausi fuerint hostiliter insequi, percutere, capere, asportare hæc facientem, aut fieri consulere, fauere, receptare, seu scienter defendere delinquentem. Quæ excommunicatio partim contenta erat in *cap. si quis suadente diabolo 17. quæst. 4.* partim in Bulla Cœnæ, *can. 11.* Sed qua parte fertur excommunicatio aduersus insequentem Cardinalem, tametsi in eius personam violentas manus non iniecerit continetur in *hoc cap. excomm.* Itémque aduersus eos qui sic delinquentes scienter receptauerint. *Quia omnes* (inquit Pontifex) *quamdiu in sua contumacia perseuerauerint singulis diebus dominicis, & festiuis pulsatis campanis, & candelis accensis per omnes illius loci Ecclesias, in quo tantum facinus fuerit attentatum, necnon ciuitatum, & diœcesum vicinarum excommunicati publicè denuncientur, necnon ab alio quàm à Romano Pontifice possint absolutionis beneficium obtinere, nisi duntaxat in mortis articulo constituti.* Addit Præterea Pontifex *in fine dicti cap.* excommunicationem licet non reseruatam aduersus Principes, Rectores, Consules, & Magistratus &c. ac eorum officiales, qui huiusmodi constitutionem non fecerint obseruari infra mensem, postquam res ad eorum notitiam peruenerit. Sicuti hæc omnia docent Nauarr. *cap. 27. numero 110.* Suar. *disput. 22. sect. 3. numero 12. & seqq.* Tolet. *lib. 1. cap. 35. num. 10.* Bonac. *t. 3 de censur. disput. 2. q. 3. punct. 7. per totum.*

4 Prædictæ excommunicationi annectenda est, quam tradidit Leo X. *in Bulla incipiente Temerariorum:* vbi excommunicationem, aliásque pœnas contentas in *dicto cap. felicis, de Pœnis lib. 6.* extendit ad omnes & singulas personas cuiuscunque status, conditionis, & excellentiæ existentes, qui alicuius Cardinalis domum tam tempore dictæ conclauis, etiamsi in Romanum Pontificem sit electus, quàm aliàs quandocunque, & ex quacunque causa armata manu inuadentes, & in ea violenter, & hostiliter aliquid diripientes, aut quempiam ex inibi existentibus vulnerantes, & eorum socios, & qui id fieri mandauerint, vel factum eorum nomine ratum habuerint, aut ipsis inuasoribus consilium in præmissis, vel fauorem præstiterint, & defenderint. Duæ actiones sunt necessariæ ad hanc excommunicationem, inuasio domus Cardinalis, & hostilis bonorum direptio, vel personarum ibi existentium vulneratio: direptio namque vel vulneratio inuasioni hostili coniuncta esse debet, vt manifestè indicat particula &, quæ coniunctiua est subsequentium cum præcedentibus. *leg. si quis ita stipulatus, ff. de Verbor. obligationib.* Et notauit Bonac. *t. 3. de censur. disput. 1. quæst. 3. punct. 9. numero 3.* tametsi spectato *capit. Felicis*, & *can. 11. Bullæ* ex sola inuasione domus excommunicatio reseruata contrahitur.

5 Deinde debet annecti, quam tradidit Pius V. *in Bulla 93.* quæ incipit: *Infelicis seculi*, vbi excommunicationem, & pœnas latas in *dicto cap. felicis*, & *in Canone 11. Bullæ Cœnæ* aduersus offendentes Cardinales, eorúmque fautores, & defensores extendit ad eos qui scientes, intelligentes, vel coniectantes conspirationem in Cardinalem non reuelauerint Romano Pontifici, si in curia exiterint, vel Ordinario loci, vel si Cardinalis ipse Ordinarius exiterit propinquiori Episcopo, & si crimen nondum commissum fuerit, ipsimet Cardinali: Et quidem ad monendum Cardinalem, vt se caueat obligatus quamtumuis delictum occultum sit; at ad faciendam denunciationem iuridicam nullatenus obligari potes, nisi delictum probare posses. Quod à fortiori procedit, cùm denunciatio non ad correctionem delicti, sed ad illius punitionem tendit. Quinimò Filliucius *tract. 14. capit. 6. q. 11. num 97.* quem sequitur Bonac. *t. 3. de cens. disp. 1. q 12. punct. 3. in fine* existimant hanc constitutionem Pij V. vsu, & praxi abrogatam esse.

6 Quarta excommunicatio continetur in *cap. quicumque de sentent. excomm. in 6.* aduersus eos qui ob censuram excommunicationis, suspensionis, vel interdicti latam dederint alicui licentiam occidendi, capiendi, seu aliàs in personis, aut bonis suis, vel suorum grauandi eos, qui dictas sententias protulerunt, siue quorum sint occasione prolatæ, vel easdem sententias obseruantes, seu taliter excommunicatis communicare nolentes (nisi licentiam ipsam re integra reuocauerint, (vel si ad bonorum captionem occasione ipsius licentiæ sit processum, nisi bona ipsa fuerint infra octo dierum spatiũ restituta, aut satisfactio pro ipsis impensa. Eadem quoque sententia innodantur omnes qui ausi fuerint prædicta licentia data vti, vel aliquod præmissorum, ad quæ cõmittenda dari licentiam prohibitum est, aliàs committere suo motu. Qui autem in eadem sententia permanserint duorum mensium spatio ex tunc ab ea nequeant absolui ab alio, quàm à Romano Pontifice.

In defensionem libertatis Ecclesiasticæ lata est hæc censura. Comprehendit primò omnes, & singulos cuiuscunque conditionis, & qualitatis sint, qui occasione latæ censuræ (quæ valida esse debet, vt inquit Suar. *disput. 22. sect. 3. num. 7.* Bonac. *disput. 2. q. 3. punct. 15. num. 5.* nam inualida nec censuræ, nec sententiæ nomen meretur) vexauerint occidendo, vel capiendo, vel aliquo modo grauando in personis, aut bonis suis, & suorum eos qui prædictas censuras protelerunt, vel eos quorum occasione promulgatæ sunt, vel qui eas obseruant, seu cum excommunicatis communicare nolunt. Nomine *suorum* intelliguntur consanguinei, *cap. cuncti de electione, lib. 6.* & qui sub alicuius sunt potestate. *Instit. de his qui sunt sui, vel alieni iuris:* & generaliter omnes illi, quorum grauamen in præiudicium excommunicantis cedit, & ob eam causam præstatur, vt benè aduertit Caietan. *verbo Excommunicatio, n. 16.* Nauarr. *cap. 27. num. 99.* Sebastian. Medices. *2. part. sum. tit. 9. quæst. 78. num. 73.* Sayrus *lib. 3. thesauri cap. 29. num. 23.*

Secundò comprehendit eos, qui ad hæc facinora patranda præbent licentiam, nisi fortè ante patratum crimen licentiam reuocauerint, quæ reuocatio nota debet esse ei cui licentia data fuit, aliàs nullius effectus erit, vt benè notauit Bonacina *dicta disp. 2. q. 3. pun. 15. num. 3.* Quinimò si damnum non in personis, sed earum bonis fuerit factum, & intra octo dies fuerit reparatum, non est locus censuræ, vt expressè notatur *in dicto Textu.*

Sed an mandans, & præcipiens aliquam ex his actionibus 7
hac excommunicatione innodetur? Negat Bonac. *disp. 2. q. 3. punct. 1, num. 6.* nisi is qui mandatum dederit publicam habeat authoritatem; quia Textus loquitur de concedente licentiam non de mandante. Concedens autem licentiam necessariò authoritate publica fungi debet. Sed rectiùs Sylvest. *verbo Excommunicatio 7. num. 27.* & Sayrus *lib. 3. cap. 29. numer. 22.* oppositum censent. Quia mandatum, seu præceptum ferri non potest, nisi de eo qui à natura, vel ex Diuino iure, vel ex Reipublicæ concessione superior est. Si igitur ob licentiam hæc excommunicatio contrahitur, à fortiori ob mandatum contrahetur, cùm potius mandatum, quàm licentia authoritatem publicam requirat.

Ab hac excommunicatione infra duos menses Episcopus, imò & Parochus absoluere excommunicatos potest, illis verò elapsis solus summus Pontifex.

Punctum XXVI.

Expenduntur excommunicationes contentæ *in libris Clementinarum* reseruatæ Pontifici.

1 *Inquisitores Episcopo inferiores non procedentes aduersus hæreticum, vel alicui falsò imponentes hæresim excommunicantur.*
2 *Episcopi suspenduntur ab officio per triennium.*
3 *Religiosi Sacramentum Extremæ-vnctionis, vel Eucharistiæ ministrantes absque licentia Parochi, excommunicantur.*
4 *Sub nomine Religiosi aliquibus placet intelligi Nouitios. Sed verius est oppositum.*
5 *Satis probabile est solos Religiosos exemptos intelligi.*
6 *Debent esse Sacerdotes.*
7 *Religiosus Parochus liber est ab hac excommunicatione.*
8 *Persona circa quas Religiosi exercere debent actiones prohibitas sunt Clerici, vel laici.*
9 *Ob ministrationem Extremæ-vnctionis, & Eucharistiæ, & Matrimonij solemnitatem hæc excommunicatio incurritur.*
10 *Explicatur quid sit solemnizare Matrimonium in hoc Textu Religiosis prohibitum.*
11 *Si de speciali Parochi licentia fiant hæ actiones, non est locus excommunicationi.*

12 *Expli*

12 *Explicatur quæ sit specialis licentia.*
13 *In articulo mortis deficiente Parocho potest Religiosus hæc Sacramenta Extremæ-vnctionis, & Eucharistia ministrare.*
14 *Regulariter credendum non est asserenti se habere licentiam à Parocho, vt hæc Sacramenta sibi ministrentur.*
15 *Explicantur aliæ actiones, ob quas hæc excommunicatio incurritur.*
16 *Quæ sit absolutio à culpa, & à pœna in hoc Canone prohibita.*
17 *Afficitur hac excommunicatione, etiamsi animo decipiendi absolutionem præstet.*
18 *Derogantur qualibet priuilegia in contrarium.*
19 *Excommunicatur Pontificem percutiens, capiens, seu bannens, vel hæc mandans, aut rata habens.*
20 *Item qui induxerit quemquam ad vouendum, vel promittendum, vt sepulturam apud eius Ecclesiam eligat, vel electam non mutet.*
21 *Subiectum huius excommunicationis explicatur.*
22 *Item actio, ob quam incurritur.*
23 *Excommunicantur Domini temporales procurantes in terris suis violari interdictum.*
24 *Quæ sint personæ aduersus quas hæc excommunicatio iniungitur.*
25 *Explicatur actio ob quam incurritur, quæ est coactio, vt Diuina officia in locis interdictis celebrentur.*
26 *Item euocatio ad eadem Diuina audienda, & qualis debeat esse.*
27 *Hæc euocatio satis est siue fiat per se, siue per nuncium.*
28 *Vocatio debet esse ad audienda Diuina in locis interdicto suppositis.*
29 *Item sub eadem excommunicatione prohibentur, ne impediant publicè excommunicatos, aut interdictos exire ab Ecclesiis.*
30 *Debent hi excommunicati, aut interdicti moniti esse à celebrantibus vt exeant.*
31 *Debent esse moniti, vt exeant ab Ecclesiis suppositis Ecclesiastico interdicto.*
32 *Prohibere debent, ne ij excommunicati exeant, dum in ipsis Ecclesiis Missarum solemnia aguntur.*
33 *Debet excommunicatus, aut interdictus nominatim moneri à celebrante, vt huic excommunicationi subijciatur.*
34 *In his omnibus actionibus præsumptio requiritur.*

1 PRima continetur *in Clement. 1. §. verum de Hæreticis* aduersus inquisitores Episcopo inferiores, eorúmque vices gerentes, si in officio suo ita deliquerint contra iustitiam, & conscientiam, vt non procedant aduersus hæreticum, vel de hæresi suspectum eo casu quo procedere tenebantur, vel alicui falsò imponant hæresim, illiúsve suspicionem, vel impedimentum officio inquisitionis exequendo apposuisse: dummodò ad has actiones præstandas moueantur odij, gratiæ, vel amoris, lucri, aut commodi temporalis obtentu, non autem ex timore, metu, alióue fine. Quæ excommunicatio reseruata est summo Pontifici, neque ab ea excommunicatus absolui potest, nisi in mortis articulo, & tunc præmissa satisfactione quantum fieri potest. Tria ad hanc excommunicationem incurrendam notant Doctores, Glossa *in d. Clement. vers. obtentu.* Tolet. *lib. 1. c. 86. num. 1.* Bonac. *disp. 2. q. 7. punct. 5.* Augustin. Barbosa *de potest. Episc. allegat. 50. num. 93.* necessariò requisita esse, quorum vnum si deficiat non est excommunicatio. Primò vt grauiter delinquant in suo officio. Secundò vt delinquant scienter. Tertio vt delinquant odij, gratiæ, vel amoris, lucri, aut commodi temporalis obtentu.

2 Dixi *Inquisitores Episcopo inferiores*, nam Episcopi, illorúmque Superiores non excommunicatione, sed suspensione ab officio per triennium innodantur, à qua suspensione nisi occulta sit nequeunt ab alio, quàm à Pontifice absolui, quia ex temporis determinatione tacitè Pontifex suspensionis absolutionem sibi reseruauit, vt aduertit Bonac. *t. 3. de censur. disp. 2. q. 7. p. 5. n. 7.*

3 Secunda habetur in Clement. *Religiosi de Priuilegiis*, vbi Clemens V. in Concilio Viennensi inquit: *Religiosi qui Clericis, aut laicis Sacramentum Vnctionis extremæ, vel Eucharistiæ ministrare, Matrimonia ve solemnizare non habita super his Parochialis Presbyteri licentia speciali, aut qui excommunicatos à Canone præterquam in casibus à iure expressis, vel per priuilegia Sedis Apostolicæ concessis eisdem, vel à sententijs per statuta Prouincialia, aut Synodalia promulgatis, seu (vt verbis eorum vtamur) à pœna, & culpa absoluere quemquam præsumpserint excommunicationis incurrant sententiam ipso facto, per Sodem Apostolicam dumtaxat absoluendi; quos etiam locorum Ordinarij (postquam de hoc eis constiterit): excommunicatos faciant publicè nunciati, donec de absolutione ipsorum eis fuerit facta fides, nullo Religiosis eisdem super hoc exemptionis, vel alio priuilegio suffragante.*

Subiectum huius excommunicationis sunt Religiosi qui verè Religiosi sunt, quique in Religione approbata tria vota emiserunt. Et quamuis non desint Doctores, Sylvest. *verbo Excommunicatio, 7. num. 31.* Nauarr. *cap. 27. num. 102.* Sayrus. *lib. 3. cap. 29. n. 27.* Alterius *lib. 5. disp. 22. cap. 3. vers. ad clariorem* censeant nouitios Sacerdotes comprehendi. Argum. *cap. Religiosi, de sententia excommunicat. in 6.* Hi namque priuilegijs professorum fruuntur, ergo onus illorum sentire debent; verius est oppositum, prout tradit Panormit. *in Rub. de Regularib.* Suar. *disp. 22. sect. 4. n. 2.* Filliucius *tract. 15. c. 8. q. 2. n. 185.* Bonac. *t. 3. de censur. disp. 2. q. 9. punct. 5. num. 28.* Nam esto nouitius sub nomine Religiosi comprehendatur in fauorabilibus; non tamen in pœnis, & præceptis; quia constitutiones pœnales restringendæ sunt, illarúmque verba cum proprietate accipienda. 4

Grauior dubitatio est; An solùm de Religiosis exemptis hæc constitutio intelligatur; Et satis probabile est intelligi, tum ex Rubrica sub qua constituitur quæ est de Religiosis priuilegiatis, seu exemptis ratione priuilegiorum: tum quia non exempti non indigebant hac coërcitione, cùm possent ab Ordinarijs, sicut alij Sacerdotes sæculares cohiberi. Nihilominus Sayrus, *lib. 3. cap. 29. n. 27.* Suar. aliis relatis *disp. 22. sect. 4. num. 4.* Filliucius *d. tract. 15. cap. 8. quæst. 2. num. 86.* Bonacina *disput. 2. q. 9. punct. 5. num. 27.* credunt tam exemptos comprehendi; quia in Textu nulla est restrictio. Rubrica autem restringere Textum nequit, cùm lex non sit, neque à Pontifice constituta. Sed huic rationi respondeti potest ex ipsa Rubrica indicari Textum sub ea restrictione obligare; cùm ex consensu, & approbatione Pontificis sub eo titulo constituatur. 5

Sed an Religiosi debeant esse Sacerdotes, vt hac excommunicatione innodentur prohibitas actiones præstantes; Difficultate non caret. Negat aliis relatis Suar. *disp 22. sect. 4. num. 5.* Filliucius *tract. 15. cap. 8. q. 2. num. 186.* qui etiam extendit ad Moniales, si aliquam ex dictis præstent, quia textus absolutè, & absque vlla distinctione Religiosis interdicit ministrationem Eucharistiæ, & Extremæ vnctionis, absolutionémque à culpa, & pœna absque speciali Parochialis Presbyteri licentia. Ergo quicunque qui verus Religiosus fuerit hac excommunicatione innodabitur, si aliquam ex his actionibus præstiterit. Sed contrarium censeo satis probabile cum Cardin. & Anchartano *in præsenti. disp. 2. de censur. q. 9. pun. 5. n. 27.* quia hæ actiones non nisi à Sacerdotibus præstari solent, ideóque credendum est Pontificem solùm intendisse abusum Religiosorum hac actiones absque licentia, & priuilegio exercentium coërcere. 6

Religiosus verò Parochus si prædictas actione cum suis parochianis præstet, liber est ab hac excommunicatione, tametsi indebitè, & illegitimè præstet; quia cessat finis ob quem excommunicatio statuta est, scilicet vitare præiudicium Parochorum, cùm nullus Parochus ex illis actionibus præiudicetur. Quinimo ob eandem rationem excusat. Nauarr. *cap. 27. num. 102.* ab hac excommunicatione Religiosum Parochum alienis ouibus hæc Sacramenta absque licentia ministrantem: in cuius sententiam Glossa *in dicta Clement. verbo Religiosi* propendet. Etenim ea ministratio etsi cedat in præiudicium parochi, cuius sunt illæ oues, at non cedit in præiudicium ouium parochorum, cùm ipse Religiosus Parochus sit, & iurisdictione parochiali vtatur. Sed rectiùs Sylvest. *verb. Excommunicatio 7. num. 31.* Suar. *disp. 22. sect. 4. n. 15.* Alterius *lib. 5. disp. 22. c. 3. vers. ad clarorem.* Bonac. *disp. 2. q. 9. p. 5. n. 29.* Religiosum Parochum alienis ouibus prædicta Sacramenta ministrantem absque speciali licentia, vel priuilegio hac excommunicatione innodari, quia officium Parochi non impedit, quin ministrans verè Religiosus sit, verèque Clericis, aut laicis absque speciali Presbyteri parochialis licentia supradictas actiones præstet. At Textus absolutè quemlibet Religiosum hæc Clericis, vel laicis absque licentia speciali suorum Parochorum præstantem excommunicat. Ergo. Neque obest illam ministrationem non cedere in præiudicium omnium Parochorum: satis est quòd cedat in præiudicium Parochi illarum ouium, circa quas prædicta exercet: sicuti cùm Religiosus non Parochus hæc ministrat, eius ministratio solùm cedit in præiudicium Parochi cuius sunt oues, non aliorum, quia illius tantùm iurisdictionem usurpat. 7

Personæ verò circa quas actiones prohibitæ exerceri debent, vt Religiosi hac excommunicatione innodentur sunt Clerici, vel laici, vt constat ex Textu ibi, *Clericis, vel laicis*: sub quibus Religiosi non comprehenduntur. Tum quia in materia pœnali, & odiosa nomine Clericorum non veniunt Religiosi ex Panormit. *in Rub. de vita, & honestate Clericor.* Tum quia hæc constitutio lata est in fauorem Parochorum, quorum præiudicium Pontifex vitare intendit; at cùm Religiosi non sint Parochis subiecti nullum inde Parochis præiudicium prouenire potest, Sicuti ex communi tradit Nauarr. *capite 27. num. 102.* Sayrus *lib. 3. thesauri cap. 29. num. 28.* Sanch. *lib. 3. de matrim. disputat. 23. numero 17. in medio* 8

Bona

Bonacina *t.3.de censur.disp.2. quæst.9. punct.5. num.12.* Barbosa *alleg.50.num.99.* & alij apud ipsos.

Actio autem, ob quam hæc excommunicatio incurritur duplex est. Prima ministrare sacramentum Extremæ-vnctionis, vel Eucharistiæ Clericis, vel laicis, Matrimonii ve Sacramentum solemnizare sine speciali Presbyteri parochialis licentia. Quapropter ex ministratione Baptismi etiam solemni Ordinis, vel Confirmationis, aut Pœnitentiæ absque Parochi licentia excommunicatio hæc non contrahitur; quia textus solùm de Extremâ-vnctione, Eucharistia, & Matrimonij solemnizatione loquutus est, & pœnæ extendendæ non sunt: sicuti notarunt Glossa, & Ioann. Andreas *in præsenti, verbo speciali.* Nauarr. *cap.27. num.101.* Sayrus *lib.3. thesauri, cap.29.num.35.* Bonac. *disp.2.quæst.9.pun.5.num.11.* Suar. *disp. 21.sect.4.numero 13.* Filliucius *tract.15. cap.8.quæst.2. numero 188.*

Sed quid sub verbo *solemnizare Matrimonium* intelligatur, non constat inter Doctores. Nam Ludouic. de Miranda *Man.pralat.t.1.quæst.48. art.2.* quem sequitur August. Sarbosa *de potest Episc. alleg.50. num.99.* existimat non solùm nuptiarum benedictionem, sed etiam assistentiam illis contrahendis hac excommuniceatione puniri. Sed longè, verius solam nuptiarum benedictionem intelligi, quia sola illa benedictio Matrimonium solemne reddit; assistentia verò non reddit Matrimonium solemne, cùm non supponatillud factum. Sed Matrimonium quod est solemnizandum ab Ecclesia constituit. Atque ita tradit ex communi sententia Glossa *in præsenti, verbo solemnizare.* Sayrus *lib.3.cap. 29.num.32.* Bonac. *t.3. de censur.disp.2.quæst.9 punct.5.num. 13.* Verum est sic assistentem, vel benedicentem nuptias sine speciali licentia contrahere suspensionem latam à Trid. *sess. 24.c.1 de reformat.* in quam suspensionem satis probabile est excommunicationem huius Clementinæ mutatam esse, vti *tract.praced.* dictum est.

Prædicta intelligenda sunt, inquit Textus, *nisi de speciali parochialis Presbyteri licentia fiant.* Nomine parochialis Presbyteri non solùm venit rector immediatus Ecclesiæ parochialis, sed etiam Episcopus, eiúsque generalis Vicarius, quia omnium Ecclesiarum Parochi sunt, & in omnes Parochos iurisdictionem habent: vti pluribus firmat Sanch. *lib 3.de matr.disp.29. numero 4. & seqq.* Sayrus *lib.3. cap.29.num.33.* Bonacina *t.3.de censur.disp.2.q.9.pun 5.num. 10.* Et quamuis videatur Textus exigere in Parocho, ex cuius licentia speciali Religiosi administrare Sacramenta debent qualitatem sacerdotij: ibi, *Parochialis Presbyteri.* At verius est eam qualitatem non esse necessariam, sicuti in præsenti docet Glossa; verbo *Presbyteri.* Sayrus *dicto cap.29.numero 33.* Bonac. *num.9.* Nauarr. *cap.27. num.101.* Item Suar. *in 3.p.t.3.disp.72.sect.3.* Sanch. pluribus relatis *lib.3. disp.20. numero 3. in medio*, quia Textus vsus fuit nomine Presbyteri non ex necessitate, sed ex frequentia; quia frequentes Parochi Sacerdotes sunt.

Specialis autem licentia censetur esse, qua hæc sacramenta Extremæ-vnctionis, Eucharistiæ, & Matrimonij specificanturi tametsi ex parte personæ cui administranda sunt, vel quæ illa ministrare debet generalis sit: vt notauit Glossa *in præsenti, verbo speciali.* Suar. *dicta sect.4.n.7.* Sanch. plures referens *lib.3.cap.35.à num 7.* Bonac. *t.3.disput.2. quæst.9. punct.5. numero 6.* Quinimò etsi prædicta Sacramenta signillatim non exprimantur, si tamen exprimantur in genere. Vti si concederetur alicui facultas ad ministranda omnia Sacramenta quæ ad curam animarum pertinent: satis esset, quia illa licentia speciali æquialet. Vt benè tradit Sanch. *d. disp. 35. num.7. & seqq.*

In articulo mortis deficiente Parocho, si religiosus Extremæ-vnctionis, vel Eucharistiæ Sacramentum ministret hanc censuram non incurrit, quia non est credendum velle Ecclesiam suos fideles his salutaribus remediis destitui, ac proinde ex licentia præsumpta Parochi, Episcopi, vel Pontificis censetur ministratio fieri; vti notaui loquens de Extremæ-vnctionis, & Eucharistiæ ministratione, & tradit in præsenti Bonac. *tom.3.disput.2.quæst.9. punct.5.numero 3.* aduersus Man. Prælat. *tom.1.quæst.42. art.3.* Barbos. *alleg.50. num.98.*

Sed an asserenti se habere licentiam à Parocho, vt hæc sacramenta sibi ministrentur credere Religiosus debeat? Dissentiunt Doctores. Nam Gloss. *in hac Clement. verbo habita.* Antonin. *3.p.tit.24.cap.54.* Angel. *verb. Excommunicatio 5. casu 12. num.17.* Rosella *verb. absolutio 1. num.39.* Syluest. *verbo Excommunicatio 7.casu 14.num.35.* Tabiena *eodem 5. q.4.num.5.* Sayr. *lib.3. c.29. numero 35.* censent credi posse, quia nemo præsumendus est adeo suæ salutis immemor, vt ei commodum vllum anteponat, vt dicitur *c.penult.1.q.7.* & *leg.sancimus, Cod.de sacrosanct.Ecclesiis*, & colligitur ex *cap. significasti, el.2.de homicidio.* Sed longè verius est regulariter credendum non esse, vti plures referens tradit Sanch. *lib.3. disput.37.num.2.* quia in his quæ pertinent ad externam Ecclesiæ gubernationem, partis testimonium insufficiens esse iudicatur. Qua ratione non adhibetur fides excommunicato asserenti se absolutum esse, nisi litteras absolutionis ostendat, vel alio modo legitimè absolutionem probet: vt habetur *cap. sicut, de sententia excommunicat.* Neque dicenti se habere licentiam proprij Episcopi, vt ab alieno ordinetur credendum est, nisi eius parentes litteras ostendat, *cap.1. de Temporib. ordinat. lib.6.* Quinimò nec parochiano testanti se impleuisse præceptum annuæ confessionis credi debet, nisi schedulam confessoris ostendat, teste Hostiens. *in cap. omnis vtriusque sexus de Pœnitentiis, & remissionib. verbo à proprio,* & ibi Ioann. Andr. *num.12.* Anton. *numero 37.* Anchartan. *num.8.* quia hæc non tam spectant ad vniuscuiusque salutem, quàm ad externam Ecclesiæ gubernationem; ac proindè Ecclesiæ satisfaciendum est. At ministrare Extremam-vnctionem, vel Eucharistiam morituris, Sacramentum Matrimonij solemnizare ad externam Ecclesiæ gubernationem pertinet, vt de se constat. Ergo ex testimonio recipientis asserentis licentiam habere à suo Parocho, hæc facienda non sunt.

Dixi *regulariter.* Nam si persona quæ id asserit est valdè fide digna, vt prudentis arbitrio nulla falsitatis suspicio timeri possit, poterit Religiosus credere dicenti se habere à parocho specialem licentiam: vti aliis relatis docet Sanch. *lib.3.c.37.num.3.*

Secunda actio, ob quam hæc excommunicatio incurritur est. Primò si absoluas excommunicatum à canone extra casus à iure expressos, vel priuilegia Sedis Apostolicæ concessos. Secundò si absoluas à sententiis per statuta prouincialia, aut synodalia promulgatis. Tertiò si absoluas à pœna, & culpa. Etenim cùm omnis lex Pontificia canon sit absoluens ab excommunicatione contenta in ea lege in hanc excommunicationem incidet, nisi absoluat in casibus à iure expressis, qualis est absolutio excommunicationis non referuatæ, iuxta *c.super, de sententia excommunicat.* vel nisi absoluat ex priuilegio Sedis Apostolicæ, quo omnes ferè Religiosi maximè Mendicantes fruuntur.

Secundò in eam excommunicationem incidet qui absolueret absque priuilegio, vel iuris concessione à sententiis per statuta prouincialia aut synodalia promulgatis. Nomine *sententiarum* Glossa intelligit excommunicationem, suspensionem, & interdictum, alias si solùm excommunicationem intelligeret, Pontifex non exprimeret sententias in plurali numero, sed sententiam in singulari, Sed verius est solam excommunicationem in præsenti comprehendi. Vti tradit Sylvest. *verbo excommunicatio 7. num.38.* Sayrus *lib.3.c.29.num. 27.& 37.* Suar. *disput.22. sect.4. num.16.* Filliucius *tract.15. cap.8. quæst.2. numero 189.* Alterius *lib.5. disput.22. cap.3. vers.3.* Bonac. *disput.2.q.9.punct.5. num.18.* quia pœnæ extendendæ non sunt, sed restringendæ in casu dubio. Sed ad minus dubium est; an nomine sententiarum solæ sententiæ excommunicationis intelligantur, an autem sententiæ interdicti, & suspensionis. Ergo asserendum est solas excommunicationis sententias intelligi, maximè cùm de sententia excommunicationis in verbis antecedentibus fuerit sermo. Neque credendum est voluisse Pontificem Prouincialibus, aut Synodalibus statutis maiorem præstare fauorem, quam suis Conciliorúmque generalium legibus, vt solius excommunicationis à Canone latæ absolutionem puniret, cùm tamen omnium censurarum, quæ per statuta generalia, aut synodalia promulgantur absolutionem puniat.

Illud est certum ob absolutionem censuræ ab homine latæ nullam contrahi excommunicationem, quia est absolutio diuersa ab absolutione excommunicationis per canonem, vel statutum latæ, quæ præsenti Clement. punitur. Vti notauit Suar. *disp.22. sect.4. num.14.* Alter. *lib.5. disp.22. cap.3. vers.2.* Bonacina *disput.2. quæst.9. punct.5. numero 7* Neque etiam contrahitur ob absolutionem ab excommunicatione minori: tum quia hæc non continetur sub nomine excommunicationis absolutè prolato Tum quia huius censuræ absolutio iure cuilibet sacerdoti potenti absoluere à peccatis, conceditur. Sicuti pluribus firmat Sayr. *cap.29. num.36.* Suar. *num.18.* Bonac. *num.20.*

Tertiò excommunicatione huius Clement. innodabitur qui absque vllo priuilegio, & facultate Sedis Apostolicæ quemquam præsumit absoluere à culpa, & à pœna. Hoc est præsumit concedere plenariam peccatorum remissionem, seu indulgentiam. Hæc enim concessio vulgari vocabulo absolutio à culpa, & à pœna nuncupatur. Quare opus non est, vt sacramentaliter absoluat à culpa; satis enim est, si totius pœnæ remissionem concedat; quia eo ipso à culpa, & à pœna absoluit, vt tradit Sylvest. *verb. excommunicatio 7. numero 32.* Caiet. verbo *excommunicatio capite 64.* Sayrus *cap.29. num.38.* Suar. *disp.22.sect.4.num.19.* Bonac. *disp.2.q.9. pun.5. à num.13.* Alterius *libro 5. disp.22. cap.3. vers.6. notandum*, & alij.

Dubium tamen est, An innodetur hac excommunicatione Religiosus qui non ex animo concedendi indulgentiam, sed decipiendi absolutionem præstat? Alicui videri posset non innodari hac censura; quia hæc imponitur ob absolutio-

nem quantum est ex parte absoluentis præstitam, non ob absolutionis fictionem ibi, *Quemquam absoluere præsumunt*. Si enim Extremam vnctionem, & Eucharistiam fictè ministrares in hanc excommunicationem non incideres: vt tenet Suar. *disput. 22. sect. 4. numer. 23.* Ergo neque etiam si fingeres te absoluere; cùm nolles absolutionem concedere, vtpotè qui nullam in illius concessionem potestatem habes. Sed rectiùs docuit contrarium Bonac. *disput. 2. de censur. in particul. quæst. 9. punct. 25. & seqq.* modò fictio occulta sit. Quia Pontifex hac excommunicatione coercere voluit quorundam Religiosorum audaciam, qui fideles decipiebant indulgentiarum concessione, cùm nullum haberent potestatem concedendi. Ergo non absolutionem veram, sed fictam, & deceptoriam hac excommunicatione coërcere Pontifex voluit. Neque est simile de ministratione Extremæ-vnctionis, & Eucharistiæ (quidquid in contrarium sentiat Bonacina) quia Pontifex non punit hac excommunicatione fictam eorum administrationem, sed veram, illegitimam tamen, & indebitam, vtpotè in Parochorum iurisdictionis præiudicium. Et ratio huius discriminis est manifesta; quia Extrema-vnctio, & Eucharistia verum sacramentum esse possunt, tametsi illicitè, & vsurpata iurisdictione ministrentur: at absolutio à culpa, & à pœna, seu indulgentiæ plenariæ concessio, nequit vera esse, sed omnino ficta, & deceptoria præstita ab eo qui nullam concedendi potestatem habet. Cùm ergo verba in dispositione maximè pœnali quoad fieri possit propriè accipienda sint, efficitur sanè verba illa *Extremæ vnctionis, & Eucharistiæ sacramentum ministrare præsumpserint*, de vera ministratione intelligi debere. At quia absolutio à culpa, & à pœna præstita ab eo qui absoluendi potestate caret, vera esse nequit, asserendum est fictam, & deceptoriam comprehendi.

18 Addit vltimò Pontifex derogationem cuiusuis priuilegij, ibi: *nullo priuilegio suffragante*. Quæ verba non aduersantur præcedentibus, in quibus ex priuilegio Sedis Apostolicæ conceditur Religiosis, vt possint excommunicatos ab excommunicatione, & à culpa, & à pœna absoluere; quia verba illa *nullo priuilegio suffragante* referuntur ad denunciationem, non ad absolutionem, seu sacramentorum administrationem, præstantque hunc sensum. Qui in huiusmodi excommunicationem inciderunt; eo quòd absque facultate aliquam ex his actionibus prohibitis exercuerint, vt excommunicati denuncientur, & publicentur nullo priuilegio suffragante.

19 Tertia excommunicatio fertur in Clement. 1. *si quis suadente, de Pœnis*, aduersus eum qui Pontificem iniuriosè, & temerè percusserit, aut ceperit, seu bannierit, vel hæc mandauerit fieri, aut facta ab aliis rata habuerit (si nomine ipsius fuerint facta, vt explicat Glossa) vel socius eorum fuerit, consilium, vel fauorem dederit, aut scienter defensauerit. Addunt vltra excommunicationem aliæ pœnæ his delinquentibus. Circa hanc excommunicationem nihil speciale notandum occurrit, cùm satis explicata sit *hac disput. punct. 1. §. 12. & punct. 2.*

20 Quarta excommunicatio reseruata Pontifici continetur *in Clement. Cupientes, § sanè de Pœnis*, aduersus Religiosos, & Clericos sæculares qui quemquam ad vouendum, iurandum, vel fide interpositâ, seu aliàs promittendum inducunt, vt sepulturam apud eorum Ecclesias eligant, vel iam electam vlteriùs non mutent.

21 Subiectum huius excommunicationis sunt Religiosi, & Clerici sæculares; non autem laici, hi enim, etsi inducant ad actiones *in hac Clement.* prohibitas, excommunicatione non afficiuntur, vti notat Tolet. *lib. 1. cap. 36. numero 4.* & Doctores communiter. Nomine *Religiosorum* veniunt tam viri quam fœminæ veram professionem emittentes. Tum quia huiusmodi Clement. lata est in confirmationem *capite 1. de Sepultur. libro 6.* vbi Textus vtitur dictione vniuersali comprehendente omnes Religiosos cuiuscunque conditionis, & sexus sint, ibi: *Vniuersis Religiosis*. Tum quia Religiosæ fœminæ efficacius quàm viri persuadere solent. Non autem comprehenduntur nouitij, seu qui veram professionem non emittunt, qui in materia odiosa, & pœnali strictè nomen Religiosi accipiendum est. Atque ita notauit Bonac. *t. 3. de censur. in partic. disp 2. q. 5. punct. 4. num. 4.* Nomine *Clericorum* veniunt qui verè Clerici sunt, modo non sint Parochi. Parochus namque siue inducat ad promittendum electionem sepulturæ in sua Ecclesia, siue in aliena hac excommunicatione non astringitur, qui hæc excommunicatio fertur in Parochorum fauorem; ac proinde non debet in eorum damnum retorqueri. Ex regula *quod in gratiam, de Reg. Iuris in 6. & leg. quod fauore, ff. de legibus*. Præterquam quòd Parochus in hac inductione nemini præiudicat, cùm nulli alteri à Parocho ius competat sepeliendi parochianum in sua Ecclesia, ac proinde inducens parochianum, vt in eius Ecclesia sepulturam eligat, inducit ad id quod aliàs de iure sibi competit. Si autem inducit ad electionem sepulturæ in aliena Ecclesia cedit iuri proprio, & charitatis opus præstat. Non igitur ob hanc actionem excommunicati expediebat. Sicuti ex communi notauit Bonacina *dicto tom. 3. disput. 2. quæst. 5. part. 4. num. 5.*

Actio verò, ob quam hæc excommunicatio fertur est inductio ad votum, iuramentum, fidem datam, seu promissionem de eligenda sepultura apud propriam Ecclesiam, vel de iam electa non mutanda. Quapropter si Religiosus simpliciter inducat ad electionem sepulturæ, non autem ad iuramentum, vel promissionem de illa eligenda, vel electa non mutanda hac excommunicatione non innodatur. Neque item innodabitur, si inducat ad promissionem eligendæ sepulturæ in aliena Ecclesia. Sicuti notarunt Nauarr. *cap. 27. num. 103.* Tolet. *lib. 1. summ. cap. 36. num. 4.* Sayrus *lib. 3. thesauri, cap. 29. num. 40.* Suar. *disput. 22. sect. 4. num. 25.* Augustl. Barbosa *alleg. 50. num. 100* Bonac. *tom. 3. de censur. disputat. 2. quæst. 5. part. 4. num. 2.* Hæc autem inductio, vt excommunicatione puniatur, efficax esse debet, & effectum habere, scilicet quod inductus annuerit inductioni, & iuramentum, seu promissionem præstiterit. Vti docuerunt Nauarr. Tolet. Sayr. Suar. & Bonacina *locis allegatis*, quia hæc constitutio stricti iuris est, ideóque verba intelligi debent cum effectu. Tandem opus est, vt inducens ex præsumptione procedat. Vnde si ex ignorantia modò affectata non sit, siue huius legis, siue censuræ impositæ in hanc censuram non incidit, vt prædicti Doctores aduertunt. 22

Quinta excommunicatio habetur *in Clement. Gratis, de sententia excommunicat.* vbi Clemens V. occasione quorundam temporalium dominorum qui in terris suis violare interdictum variis mobis procurabant in hæc verba statuit. *Ne igitur excessus sic graues excedentium in punitione trahantur ab alijs in exemplum, præsumptores prefatos qui locis interdicto suppositis quemquam de cætero Diuina celebrare officia quomodolibet cogere: Aut qui modo prædicto ad officia eadem audienda aliquos excommunicationis præsertim, vel interdicti ligatos sententia euocare. Seu qui ne excommunicati publicè, aut interdicti de Ecclesijs dum in ipsis Missarum aguntur solemnia à celebrantibus moniti, vt exeant prohibere. Necnon excommunicatos publicè, & interdictos qui in Ecclesijs nominatim à celebrantibus, vt exeant moniti remanere præsumserint, excommunicationis sententia (à qua per Sedem duntaxat Apostolicam possint absolui) sacro approbante Concilio innodamus.* 23

Hæc excommunicatio etsi solùm videatur ferri aduersus illos dominos temporales qui tempore Clementis V. relatos excessus commiserunt, vel de cætero commiserint, vt indicant illa verba *præsumptores præfatos*, ex communi tamen sententia, & vsu Ecclesiæ receptum est ad omnes alios similia committentes extendi. Sicuti notauit Bonac. *tom. 3. de censur. d. sp. 2. q. 3. p. 20. n. 1.*

Personæ aduersus quas hæc excommunicatio fertur sunt Nobiles, & Domini temporales, Nobiles inquam non coruscatione clari sanguinis, vt placuit Glossæ *in dicta Clement. in expositione casus*, sed coruscatione honorifici status, vt notauit Suar. *disputat. 22. sect. 4. num. 31.* Bonacina *tom. 3. de censur. disputat. 2. quæst. 3. punct. 20. num. 16.* Qui siue laici sint, siue Ecclesiastici si ob iurisdictionem temporalem qua pollent, aliquam ex his actionibus in hac Clement. prohibitis præstiterint, in excommunicationem reseruatam incident, vt notauit Glossa *verbo temporales*. Nauarr. *cap. 27. num. 104.* Sayrus *lib. 3. cap. 29. numero 42.* Suar. *disputat. 22. sect. 4. numero 32.* Bonac. *disputat. 2. quæst. 3. punct. 20. num. 17.* Alterius *tom. 2. de interdicto disputat. 9. cap. 4. colum. 9. & 10.* Secundò sunt omnes excommunicati, interdicti qui nominatim à celebrantibus moniti remanere præsumpserint. Dixi *vel interdicti*, nam licèt Textus dictione *&* vtatur; ex subiecta materia, & ex verbis antecedentibus, & ex tenore totius contextus constat non coniunctiuè accipi: sicuti si apposita esset dictio *vel*. Vti docet ex communi Sayrus *lib. 3. thesauri, cap. 29. num. 43. in fine.* Bonac. *disputat. 2. q. 3. p. 20. num. 15.* 24

Actio verò ob quam hæc excommunicatio fertur multiplex est. Prima ob coactionem, quam domini temporales alicui inferunt, vt Diuina officia in locis interdicto suppositis celebret. Quomodocunque coactio contingat satis est ad hanc censuram incurrendam, quia Textus inquit *quomodolibet cogere*. & aduerbium *quomodolibet*, vt explicat Glossa, omnem modum compulsionis realem, & personalem, directum, & indirectum comprehendit, vt si res ipsorum occupant, consanguineos grauant in personis, vel rebus, iuxta Textum *Sciant cuncti, de Electione. & cap. quicunque, eodem tit. lib. 6.* Et tradit in præsenti Sayrus *lib. 3. cap. 29. numero 43.* Suar. *disputat. 22. sect. 4. numero 29.* Bonac. *disput. 2. quæst. 3. punct. 20. num. 4.* Coactio igitur debet esse ad diuina officia celebranda in locis interdicto suppositis. Nomine diuinorum officiorum Glossa *in præsenti verbo Missarum*, intelligit solùm Missæ sacrificium: cui consentiunt Angel. Sylvest. & Zabarella relati à Sayro *dicto lib. 3. cap. 29. n. 43. vers. quoad officia*. Verius tamen est non solùm Missæ sacrificium, sed

Horas

Horas canonicas, aliáque similia quæ ab Ecclesia celebrantur intelligi, vt notauit ipse Sayrus *suprà*. Suar. *dicta disp. 22. sect. 4. num. 29.* Bonac. *d. disp. 2. q. 3. p. 20. num. 5.* cùm in hac prima clausula non solùm Missæ, sed aliorum diuinorum officiorum mentio facta sit.

26 Secunda actio est euocatio ad eadem diuina audienda. Hæc autem euocatio videtur debere esse coactiua, vt indicant illa verba Textus: *Aut qui modo prædicto ad officia eadem audienda excommunicationis præsertim, vel interdicti ligatos sententia, euocare præsumpserint.* At modus prædictus erat coactiuus, vt colligitur ex illis verbis *quomolibet cogere.* Ergo euocatio coactiua debet esse. Communis tamen sententia in hac actione non requirit coactionem, sed illa verba *modo prædicto*, refert ad modum vocandi, de quo in dicto textu *in propositione casus* mentio facta est.

Hinc que oritur grauis dubitatio, an singularis euocatio, & secreta sufficiat ad hanc censuram incurrendam, an verò necessaria sit publica, voce inquam præconis, sonitu campanæ, tubæ, vel cornu; Syluest. *verbo excommunicatio 7. num. 51.* Nauarr. *c. 27. num. 104.* Sayrus. *lib. 3. cap. 29. numero 43.* & alij censent publicam vocationem requiri. Et probari potest. Concedamus namque verba illa *modo prædicto* referri ad modum vocationis, quem Pontifex in propositione casus retulerat. At pontifex retulit dominos illos temporales non solùm secretò, & sigillatim, sed voce præconis, & pulsatis campanis ad diuina audienda in locis interdicto suppositis, populum euocare. Ergo vt quis prædicto modo euocare censeatur, debet non solùm secretò, sed publicè euocare, aliàs non prædicto modo absolutè, & simpliciter, sed secundum quid, & dimidiatè vocaret, & cum hæc materia odiosa sit, strictè interpretari debet. Sed rectius docuit contrarium Caietan. *verbo excommunicatio, cap. 2.* Suar. *disp. 22. sect. 4. num. 28.* Bonac. *disput. 2. quæst. 3. punct. 20. num. 6.* indicat Tolet. *lib. 1. sum. cap. 36. num. 6.* Pontifex namque comprimere voluit audaciam illorum nobilium qui nunc hos, nunc illos vocabant ad Diuina officia audienda (quod esse non potest, nisi per singularem citationem) & interdum compellebant, & his non contenti excessibus non solùm per campanarum pulsationem, sed & voce præconis populos etiam interdictos (vt interdicti non obstante sententia) ad audiendas Missas huiusmodi veniant, faciunt euocari. At si verba illa *modo prædicto*, deberent omnem relatum modum vocationis copulatiuè comprehendere, non afficerentur hac censura ij vocantes nisi tum secretò, tum publicè campanarum pulsatione, & voce præconis vocationem facerent, & insuper compellerent, quod non est dicendum, quia ferè nullius fructus esset hæc excommunicatio. Quapropter dicendum est siue voce præconis, siue campanarum pulsatione, siue secreta citatione aliqui euocentur huic excommunicationi esse locum; quia verè prædicto modo euocatur, tametsi non omnibus prædictis modis.

27 Hæc euocatio siue sit per se, siue per nuncium satis est ad excommunicationem incurrendam; probantque illa verba *faciunt euocari.* Præterquam quòd frequentior modus vocationis est per interpositam personam, & notauit Bonac. *d. punct. 20. num. 5.* Debet autem euocatio esse ad eadem diuina officia audienda, ad quæ celebranda in priori clausula compulsio facta est. Cùm igitur in priori clausula non solùm de Missæ sacrificio, sed etiam de aliis officiis Diuinis sermo sit, vt asseruimus; consequenter hanc secundam clausulam de eisdem officiis asserendum est intelligi. Sed obstat huic doctrinæ, quia dispositio textus censenda est conformis relationi sat in relatione, & propositione casus nõ de vocatione ad quæcunque officia diuina audienda, sed ad Missarum solemnia tantùm actum est ibi: *Ad audiendas Missas huiusmodi veniant, faciunt euocari*, ergo de sola vocatione ad Missas audiendas censendum est textum dispositisse. Huic obiectioni respondetur, satis esse quod in priori clausula non solùm Missæ, sed aliorum diuinorum officiorum mentio facta sit, & in secunda clausula expresserit Pontifex eadem officia diuina. Quod verò in relatione casus solius Missæ sacrificium retulerit, non impedit dispositionem latiorem fieri; quia esto dispositio latiùs vel strictiùs loquatur quàm relatio, vti sæpè contingit: non obinde censenda est aduersa, sed illi conformis.

28 Præterea opus est vocationem esse ad audienda diuina officia in locis interdicto suppositis. Tum quia Textus requirit, vt vocatio fiat ad eadem diuina officia audienda, de quibus in præcedenti clausula sermo habitus erat: at in præsenti clausula expresse requisitum est, vt diuina officia celebrentur in loco interdicto. Ergo. Tum quia Pontifici questi sunt Prælati, quod Nobiles, & Domini temporales in terris suis Ecclesiastico supposititis interdicto ad audienda diuina officia populum faciunt euocari. Atque ita ex communi notauit Bonac. *disp. 2. quæst. 3. p. 20. num. 7.*

29 Tertia actio, ob quam præsenti Canone excommunicatio fertur, est prohibitio ab ipsis dominis temporalibus facta publicè excommunicatis, aut interdictis, ne exeant ex Ecclesiis dum Missarum solemnia aguntur, tametsi à celebrantibus moniti sint. Etenim illi Nobiles hac censura ligantur, si publicè, vel secretò, generaliter, vel specialiter prohibeant, seu impediant, ne publicè excommunicati, aut interdicti, & à celebrantibus moniti exeant ex Ecclesiis dum Missarum solemnia aguntur. Ex eo autem quòd textus non dixerit debere esse nominatim excommunicatos, aut interdictos sentire videtur Bonac. *disput. 2. q. 3. pun. 20. num. 10.* hanc conditionem non requiri, sed satis esse si publicè excommunicati, aut interdicti existant; quia hæc censura lata est non solùm in detestationem communicantium cum excommunicatis, seu interdictis, sed in pœnam ipsorum excommunicatorum, vel interdictorum violantium interdictum. Sed rectiùs docuit contrarium Suar. *d. 22. sect. 4. n. 33* Nam licèt eo tempore quo lata fuit hæc excommunicatio requisitum non fuerit excommunicatos, vel interdictos esse nominatim; sed sufficiens fuerit esse publicè excommunicatos, vel interdictos, id factum est; quia eo tempore publicè excommunicati, vel interdicti vitandi erant. At in præsenti ij, qui nominatim excommunicati non sunt, aut interdicti vitari non debent, tametsi de eorum excommunicatione, aut interdicto publicè constet. Ergo. Et confirmatur; quia Textus videtur manifestè locutus de illis excommunicatis, aut interdictis, ob quorum præsentiam Missæ sacrificium interrumpi debet, vt constat ex illis verbis textus. Ex quo frequenter contingit quòd non sine Dei offensa, clerique, ac populi scandalo ipsa Missarum solemnia remanent inexpleta. At præsenti tempore tantùm excommunicati, aut interdicti vitandi huius effectus causa esse possunt. Ergo hi tantùm comprehenduntur.

Præterea debent ij excommunicati, aut interdicti moniti esse à celebrantibus, vt exeant. Quam monitionem, (etsi aliquibus placeat) debere esse specialem & nominatim, quia in clausula apponitur excommunicatio aduersus eos, qui cum sint nominatim moniti, nolunt exire, quique videntur esse illi qui præsenti clausula à celebrantibus sunt moniti. Verius tamen est solam monitionem generalem sufficere; quia celebrans generaliter moneret; vt omnes excommunicati, aut interdicti exeant ex Ecclesia; quia textus in hac clausula non restringit monitionem vt esset specialis, & nominatim, sed solùm monitionem requisiuit. Ergo quæcunque monitio siue specialis, siue generalis sufficit. Atque ita tenet Glossa in *præsenti, verbo moniti.* Sayrus *lib. 3. thesauri, cap. 29 numero 43. vers. quoad officia.* Suar. *disput. 22. sect. 4. numero 30.* Tolet. *lib. 1. sum. cap. 36. num. 4.* Bonac. *disput. 2. quæst. 3. p. 20. numero 9.* 30

Sed an debeant esse moniti, vt exeunt ab Ecclesiis Ecclesiastico supposititis interdicto? Non caret difficultate. Nam Bonacina *numero 11.* censet opus non esse Ecclesias esse interdictas, quia nullum extat verbum in hac actione indicans Ecclesias debere esse interdictas; ex eo autem quòd in præcedentibus clausulis id fuerit expressum non infertur pro actione præsentis clausulæ eam conditionem requiri, sicuti nec sufficiunt quælibet officia diuina, vt prohibens excommunicatos exire, dum ipsa peraguntur, in hanc excommunicationem incidat; sed necessariò debet esse Missæ sacrificium, tametsi in clausulis præcedentibus quodlibet officium diuinum sufficiens fuerit. Nihilominus oppositum censeo verius cum Suar. *disput. 22. sect. 4. numero 30.* Filliucio *tract. 15. capite 4. quæst. 2. num. 74.* eo quòd Textus de interdicto locali generali loquatur, vt constat ex illis verbis. Domini temporales in terris eorum *Ecclesiastico supposititis interdicto, &c.* Quapropter etsi in hac clausula non expresserit Ecclesias interdictas esse, id fuit; quia ex præcedentibus, & ex querelæ propositione satis colligebatur. Et confirmo: vel illæ Ecclesiæ non interdictæ existunt in terris illorum dominorum, vel non; si non existunt; non incidunt in hanc excommunicationem, quia non præstant actiones prohibitas vt domini temporales, & iurisdictionem habentes in terris suis, vt Textus requirit, & ipsemet Bonacin. *dicta disput. 2. qu 3. part. 20. numero 17.* concedit. Si autem illæ Ecclesiæ in terris dominorum existant, nequeunt non esse interdictæ, cùm eorum terræ Ecclesiastico fuerint interdicto suppositæ, & consequenter Ecclesiæ ibi contentæ. 31

Rursus prohibere debent ij domini temporales, ne ij excommunicati, aut interdicti exeant, dum in ipsis Ecclesiis Missarum solemnia aguntur; quia sic expresse habetur in Textu. Vnde ob prohibitionem factam dum alia officia diuina celebrantur, non est locus huic excommunicationi, vt benè aduertit Caiet. *verbo excommunicatio, capite 41.* Suar. *disp. 22. sect. 4. numero 29.* Sayrus *lib. 3. cap. 29. num. 43. vers. quoad officia.* Filliucius *tract. 15. capite 4. quæst. 2. numero 74.* Bonac. *disp. 2. q. 3. 20. num. 10.* 32

Quarta actio, quæ sub excommunicatione in hac Clement. prohibetur est, cum excommunicatus, aut interdictus à celebrante monitus nominatim, vt ex dictis Ecclesiis exeat, remanere præsumit. Debet igitur excommunicatus, aut interdictus nominatim priùs moneri à celebrante, & consequenter 33

quenter dum sacrificium Missæ peragitur. Præterea excommunicatus, aut interdictus vitandus esse debet post Concilium Constantiense Ecclesiæ item ex quibus exire nolunt Ecclesiastico suppositæ esse debent interdicto, vt hæc omnia probata reliquimus; aliàs hæc censura locum non habet.

34 Denique in omnibus his actionibus præsumptio requiritur, ibi, *præsumpserint*. Vnde quælibet ignorantia siue legis, siue censuræ modò affectata non sit, excusat ab hac censura incurrenda: vti notant Caiet. Nauarr. Sayr. Suar. Bonac. & alij *loc. allg.*

PVNCTVM XXVII.

Explicantur excommunicationes reseruatæ contentæ *in libris Extrauagantium.*

1 *Explicatur excommunicatio aduersus rebelles statutis, in fauorem Ecclesiæ Tolosanæ.*

2 *Expenditur excommunicatio aduersus exenterantes corpus defuncti.*

3 *Comprehendit eum qui prædictas actiones in terris fidelium exercet.*

4 *Item qui has actiones præstaret, vt corpus mortuum alibi tumulandum deferret.*

5 *Corpus defuncti sic inhumanè tractatum carere debet Ecclesiasticâ sepulturâ.*

6 *Declaratur excommunicatio aduersus Religiosos Ordinum Mendicantium, transeuntes sine speciali licentia sedis Apostolicæ ad Religionem S. Benedicti.*

7 *Non procedit hæc Constitutio in transitu ad Carthusiam.*

8 *Neque stante speciali licentia Sedis Apostolicæ, & qualis debeat esse.*

9 *Item si fuit à Religione exclusus, neque admissus, etsi signa contritionis præstiterit.*

10 *Declaratur excommunicatio aduersus Religiosos, qui ad partes vltramarinas vbi non adsint fideles, se conferunt, absque licentia suorum Superiorum.*

11 *Expenditur excommunicatio aduersus violantes constitutionem* Sixti IV. *de conceptione Beatæ Virginis.*

12 *Quid statuerit* Conc. Trident. Pius V. Paul. V. & Greg. XV. *de hac re?*

13 *Explicatur excommunicatio aduersus eos qui ob ingressum Religionis aliquid dant, vel recipiant.*

14 *Declaratur specialiter actio ob quam hæc excommunicatio incurritur.*

15 *Expenditur excommunicatio aduersus simoniam committentes.*

16 *Declaratur excommunicatio aduersus eos, qui prætextu facultatum à Pontifice concessarum, tentant à casibus reseruatis absolui.*

17 *Declaratur excommunicatio aduersus dantes, vel recipientes aliquid pro obtinenda aliqua gratia, vel iustitia apud Sedem Apostolicam.*

18 *Promissio animo non te obligandi huic excommunicationi subijcitur.*

19 *Explicatur, an promissio gratitudinis futuræ subijciatur huic excommunicationi.*

20 *Debet acceptari promissio, vt huic excommunicationi sit locus.*

21 *Cuius rei datio, seu promissio hanc excommunicationem inducat?*

22 *Quid nomine gratiæ, vel iustitiæ in hac excommunicatione intelligatur?*

23 *Pro auferenda, vel differenda alterius iustitia aliquid iudici largiri, communis sententia defendit sub hac excommunicatione comprehendi.*

24 *Etsi prædicta sententia consulenda sit, contraria non videtur improbabilis.*

25 *Non est opus obtineri gratiam, vel iustitiam.*

26 *Gratia, vel iustitia debet esse à Sede Apostolica.*

27 *Nomine Sedis Apostolicæ Pontifex quatenus iurisdictionem spiritualem exercet, intelligitur.*

28 *Huic excommunicationi subijcitur vsus gratiæ, seu iustitiæ si obtentæ.*

29 *Non reuelantes intra triduum subijciuntur huic excommunicationi.*

30 *Existentes tantùm in Romana curia hoc præcepto denunciationis ligantur.*

31 *Explicantur actiones, quas* Gregor. XIII. *suprad. Extrauag. addidit.*

32 *Explicatur excommunicatio aduersus vulnerantes Rectores, seu officiales Marchiancenæ.*

33 *Expenditur excommunicatio aduersus Episcopos, aliósque Prælatos, qui venientes ad Romanam curiam causa negociorum beneficijs priuant.*

PRima excommunicatio habetur in Extrauag. *Saluator, de Præbendis?* vbi Ioann. XXII. fert excommunicationem, suspensionem, & interdictum aduersus rebelles constitutionibus à se factis circa Ecclesiam; & Episcopum Tholosanum. Cui nihil speciale animaduertendum occurrit, cùm textus sit satis apertus. Præterquam quod materia est specialis, & non omnibus communis. 1

Secunda excommunicatio & Pontifici reseruata *in Extrauag. detestandæ de Sepulturis*, vbi Bonifac. VIII. excommunicat omnes fideles, qui corpus defuncti cuiuscunque conditionis sit truculenter exenterant, ac illud membratim, vel in frustra immaniter concidentes, ea subsequenter aquis immersa exponunt iguibus decoquenda: & tandem ab ossibus tegumento carnis excuso, eadem ad partes alias mittunt, seu deferunt tumulanda. 2

Hæc excommunicatio comprehendit eum tantùm qui in terris fidelium has actiones circa defunctorum corpora ibi mortua exerceret, vt ostendunt verba Textus: *In ciuitatibus, terris seu locis in quibus Catholica fidei cultus viget, diem de extero claudet extremum.* Quapropter si defunctus esset in locis, vbi non viget Catholica fides, ibique prædictæ actiones exercerentur, vt in sacrum locum deferri possit corpus tumulandum, locus non esset huic censuræ, vt ex omnium sententia notat Sayrus *lib. 3. cap. 30 num. 2.* Barbosa *allegat. 10. numero 103.* Tolet. *lib. 1. cap. 36 num. 6.* Corpora item fidelium debent esse, non infidelium; vt colligitur ex illis verbis: *si qui quam ex eis* scilicet fidelibus, de quibus proximè mentionem fecerat, vt benè notauit Bonacina *tom. 3. disp. 2. qu. 3. punct. 45. num. 6.* 3

Secundò comprehendit tantùm eum qui has actiones præstaret, vt corpus mortuum alibi tumulandum deferret, non verò qui ex odio, aut vindicta vel ad maleficium, aut superstitionem, vel causa anathomiæ hæc præstaret: vti tradit Caietan. *verbo excommunicatio, capite 70.* Bonac. *disput. 2. quæst. 3. part. 4. numer. 3.* Nauarr. *capite 27. numer. 101.* Tolet. *dicto capite 36. numero 6.* Barbosa *numero 103.* Sayrus *numero 2.* Adde neque qui corpus defuncti exenterat ne fœteat, vt in locum distantem deferat tumulandum, videtur hac excommunicatione ligari, quia non præstat eam actionem tam vt alibi tumuletur, quàm vt absque corruptione, & fœtore deferri possit. Sic tradunt Nauarr. Tolet. Sayrus, Bonacina, & Barbosa *loc. allegat.* Quinimò probabile est quod ait Tolet. *lib. 1. cap. 36. numero 6.* ob solam exenterationem non esse locum huic excommunicationi, sed necessariò debere corpus defuncti immaniter concidi, eiúsque membra decoqui quousque ossa à tegumento carnis exuantur, quia omnes illæ actiones dictione & quæ copulatiua est, exprimuntur. Præterquam quòd sola exenteratio absque membrorum concisione & coctione non est actio crudelis, & horrenda, cùm passim causa fœtoris vitandi fiat. Neque obest quòd Pontifex excommunicet eum qui aliquid contra huius statuti, & ordinationis tenorem præsumpserit attentare, quasi diceret, non est necesse, vt cuius corpus defuncti omnes illæ actiones exenterationis, concisionis, & coctionis exerceantur, sed satis est quòd aliqua illarum præstetur, vt excommunicationi locus sit, vt docuerunt Suar. *disput. 22. sect. 5. numero 4.* Filliucius *tract. 15 capite 4. quæst. 6. numero 74.* Bonacina *disput. 2. de cens. in particul. quæst. 3. punct. 45. numero 4.* Non inquam obest, quia illud pronomen *aliquid*, non refertur ad aliquam actionem ex enumeratis, sed ad totam excommunicationis materiam, siue diuisibilis sit, siue indiuisibilis, sæpè enim posità excommunicationis materiâ indiuisibili, subdit Pontifex prædictam clausulam, *Qui aliquid contra huius nostri statuti, & ordinationis tenorem præsumpserit attentare.* Quapropter illa verba præstant hunc sensum: *qui semel contra huius nostri instituti, & ordinationis tenorem præsumpserit attentare, excommunicatione innodatus sit.* 4

Vltimò subdit Pontifex pœnam aduersus corpus defuncti, vt sic inhumanè tractatum careat Ecclesiastica sepultura. Quæ pœna etsi circa corpus defuncti verseturillius pœna propriè non est, cùm incapax sit vllius pœnæ, & censuræ, est tamen viuorum pœna ob crudelitatem commissam, in cuius punitionem, & satisfactionem prohibentur ne prædictum corpus Ecclesiastici tradant sepulturæ. Quæ prohibitio post Extrauag. *ad euitanda* fideles non astringit quousque delictum declaratum sit, quam declarationem iudex præstare non debet nisi delicto plenè probato. Vti ex communi sententia notati Suar. *disp. 22. sect. 5. num. 4.* Bonac. *disp. 2. quæst. 3 punct. 45. in fine.* Adde non esse improbabile quod indicat Glossa *in præsenti, verbo sepultura*, hanc vltimam pœnam habere locum, nisi quando defunctus præuidens huiusmodi constitutionem imperauit sic corpus suum inhumanè tractari, vt in sepulturam à se electam deferri 5

possit.

Tertia

6 Tertia excommunicatio habetur *in Extrauag. t. de Regularib.* quæ incipit, *Piam ambitiosa*: vbi Martinus V. vt conseruationi Ordinum Mendicantium prospiceret, excommunicat ipso facto quoslibet Religiosos Ordinum Mendicantium, qui sine licentia speciali Sedis Apostolicæ virtute alicuius indulgentiæ, vel indulti ad religionem Sancti Benedicti, Cisterciensis, Camaldulensis, Vallis-vmbrosæ, Canonicorum regularium sancti Augustini, vel aliorum Monasticorum Ordinum nituntur conuolare (Ordine Carthusiensium duntaxat excepto) ipsósque Religiosos recipientes eidem excommunicationi subiicit. Et tandem addit decretum irritans ingressum, admissionem, omniáque subsequuta. Ex hac constitutione prohibentur Mendicantes, vnius Religionis ad Monasticam Religionem transire, non vtcumque, sed vi alicuius licentiæ, vel indulti ante illam constitutionem concessi. Quare si ex alia causa transeunt hanc excommunicationem non incurrunt, vti aduertit Sanch. *lib. 6. in decalog. cap. 7. num. 110.* Bonac. *t. 3. de censur. disp. 2. quæst. 9. pun. 1. n. 4.* transitus verò ad aliam Religionem mendicantem ipsis non interdicitur ex vi huius constitutionis, neque item non mendicantibus ad mendicantes. Quapropter vt hic transitus interdictus censeatur, spectanda sunt priuilegia cuiusuis Religionis, de quibus latè diximus *tract. 16. de statu Religioso, disputat. 4. punct. 26. per totum*, vbi omnes difficultates, quæ circa hanc constitutionem occurri possunt, explicuimus.

7 Hæc autem constitutio temperatur primò, ne procedat in transitu ad Carthusiam. Hic enim transitus petita à Superiore Religionis licentia, tametsi non obtenta omnibus Mendicantibus licebat ante priuilegium Carmelitis concessum à Paulo V. die 3. Aprilis, anno 1610. quo sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda Carmelitis interdixit hunc transitum ad Carthusiam, nisi de licentia obtenta suorum Superiorum. Quo priuilegio gaudent omnes aliæ Religiones, quæ communicandi in priuilegiis facultatem habent, & specialiter illo fruitur Religio Societatis Iesu, teste Sanch. *lib. 6. cap. 7. num. 110.* Bonac. *t. 3. disp. 2. q. 9. pun 2. num. 2.* vti aduertunt hanc licentiæ concessionem sibi Præpositum Generalem teiecisse.

8 Secundò temperatur hæc constitutio, ne procedant tanta speciali licentia Sedis Apostolicæ. Cùm enim prohibitio, & excommunicatio ex Sede Apostolica dimanet; licentiæ concessione prohibitio, & excommunicatio suspenduntur: licentia specialis illa erit; qua transitus ex Mendicantibus ad non Mendicantes fuerit expressus, siue ea concessio facta fuerit alicui Religioso in particulari, siue omnibus Mendicantibus in genere, vt bene aduertit Bonac. *disp. 2. qu. 1. pun. 1. num. 5.* Licentia autem Prælati Religionis insufficiens est, nisi id fuerit in Societate ob priuilegium Pauli III. anno 1549. & Gregorij XIII. anno 1572. concessum Præposito Generali, vt possit quibusuis suis subditis etiam professis, concedere facultatem transeundi ad quemlibet alium ordinem. Quo priuilegio aliæ Religiones; non gaudent titulo communicationis, vt expresse à Gregor XIII. cauetur, & notauit Sanch. *lib. 6. in decalog. cap. 7. num. 31.* Bonac. *disput. 2. quæst. 9. punct. 1. numero 6.*

9 Tertiò temperant aliqui specialiter Bonac. *disput. 2. quæst. 9. punct. 1. num. 9.* ne procedat in expulso absolutè, & in perpetuum, vtpotè qui à Religione exclusus est, neque illius conseruationem iuuat, quæ fuit ratio hunc transitum interdicendi. Sed hoc verum est, postquam expulsus signa correctionis, & emendationis præstiterit. Nam hæc exhibere priùs tenetur, vt propria Religio securè illum reuocare posset. Quod si illis signis ostensis adhuc reditus ad propriam Religionem non permittitur, tunc liberum erit expulso quamlibet Religionem ingredi; quia non est credendum velle Pontificem, vt in sæculo remaneat. Sicuti hæc probaui *d. tract. 16. disputat. 4. p. 22.*

10 Quarta excommunicatio fertur à Ioann. *in Extrauag. ad nostram, de Regularib.* tum aduersus Religiones cuiuscunque Ordinis, qui ad partes vltramarinas vbi pauci fideles versantur, se conferunt absque expressa suorum superiorum licentia, sibi per ipsius litteras patentes concessa. Tum aduersus Superiores licentiam huiusmodi concedentes aliis sui Ordinis fratribus, quàm viris litteratis, prouidis, & expertis: intendit enim summus Pontifex periculum peruersionis tum euntium, tum fidelium in illis terris commorantium præcauere.

11 Quinta excommunicatio Pontifici reseruata continetur *in Extrauag. Graue nimis, de reliquiis, & venerat. Sanctor.* vbi Sixtus IV. ipso facto profert excommunicationem primò aduersus eos, qui damnatas à se assertiones veras esse affirmarent; scilicet hæresim vel peccatum mortale committere qui credit, aut tenet Beatissimam Virginem fuisse ab originali peccato præseruatam. Notandum est verbum illud *peccatum mortale*: nam si tantum affirmaret peccatum veniale committi, huic censuræ non esset locus: vt benè notauit Bonac. *tom. 3. de censur. in partic. disput. 2. quæst. 3. p. 34. numero 1.* Secundò aduersus affirmantes alicuius peccati reatum incurrere, qui Officium Conceptionis celebrant, vel conciones audiunt illorum, qui eam sine peccati macula esse conceptam prædicant. Nota verbum *alicuius peccati reatum*, quod manifestè indicat te hac censura ligari, si assereres peccatum veniale esse officium Conceptionis Beatæ Virginis celebrare, vel huiusmodi conciones audire. Neque dixit, si assereres peccatum esse festum Conceptionis celebrare, sed officium, quod distinctum est. Attamen asserens peccatum esse celebrare festum Conceptionis tacitè illius officium condemnat. Neque ab hac excommunicatione immunis esses, tametsi prædicta assereres, ore tenus, & non ex animo. Quia Pontifex assertionem quæ scandalum generare poterat coërcere intendit, cui intentioni parùm refert ex animo assertionem procedere. Vt notauit Suar. *t. 5. de censur. disp. 22. sect. 5. num. 35.* Filliucius *tract. 15. c. 4. q. 8. num. 91.* Bonac. *t. 3. de censur. in partic. disp. 2. q. 9. pun. 34. n. 2.* Tertiò excommunicat eos qui libros prædictas assertiones continentes pro veris legere, tenere, vel habere postquam de dicta Extrauag. notitiam habuerint ausu temerario præsumpserint. Notandum est verbum *pro veris*, nam si ob curiositatem, aliúmve finem prædictos libros legeres, vel teneres, existimando falsas esse præfatas assertiones, non esset locus huic censuræ vti aduertunt Suar. Filliucius, & Bonac. *loc. alleg.*

Ex alia parte in fauorem opinionis affirmantis Beatissimam Virginem in peccato conceptam fuisse profert Pontifex excommunicationem aduersus eos qui ausi fuerint asserere tenentes gloriosam Virginem Mariam cum originali peccato conceptam fuisse, hæresis crimen, vel peccatum incurrere mortale. Non fertur excommunicatio aduersus eos qui dicerent peccare audientes conciones in quibus prædicatur Virginem fuisse conceptam cum peccato, neque aduersus eos qui libros legerent, vel tenerent pro veris in quibus affirmaretur hæresim, vel peccatum mortale esse asserere Conceptionem Virginis fuisse peccato originali maculatam; quia de his nihil constitutio disponit. Ex quo manifestè liquet plures actiones prohibitas esse in fauorem opinionis negantis Beatam Virginem in peccato conceptam esse, quàm in fauorem opinionis id affirmantis.

Hanc constitutionem Conc. Trid. *sess. 5. de peccato orig. ad finem*, approbauit, & confirmauit. Verum quia postmodum grauia scandala orta fuerunt occasione quorundam Concionatorum maximè affirmantium Beatam Virginem fuisse originali peccato infectam; vt his malis Pontifices occurrere nt varias constitutiones ediderunt. 12

Nam Pius V. in Bulla quæ incipit *Super speculæ*, sub pœna suspensionis à Diuinis ipso facto incurrenda, & priuatione cuiuscunque gradus, seu dignitatis, vel administrationis, inhabilitatisque ad ipsa prohibet in popularibus concionibus, vel vbicunque promiscua virorum, & mulierum multitudo conuenirt solet de huius controuersiæ alterutra parte disputare rationibus, vel Doctorum authoritate asserendo propriam sententiam, & contrarium refellendo, aut impugnando, vel de hac ipsa quæstione cuiusuis pietatis, aut necessitatis prætextu vulgari sermone scribere, vel dictare. Hac constitutione prohibet Pius V de hac quæstione, an Beata Virgo fuerit originali peccato infecta in popularibus concionibus, vel vbi promiscuè viri, & mulieres conueniunt, disputare alterutram controuersiæ partem rationibus. & Doctorum authoritate confirmando, & alteram refellendo, seu impugnando. Quare si propriam sententiam confirmes, modò directè non refellas contrariam, vel eam non refellas in popularibus concionibus, seu vbi promiscua virorum, & mulierum multitudo conueniri solet, sed vbi homines docti tantùm concurrunt, vti in academiis, & vniuersitatibus contingit, in hanc excommunicationem non incides. Directè autem censeris oppositam sententiam impugnare, seu refellere; cùm rationes, & authoritates adducis animo eam euertendi non autem propriam confirmandi.

Paulus verò V. vt dissensiones, iurgia, & scandala orta ex eo quòd in electionibus, concionibúsque publicis, affirmaretur Beatissimam Virginem conceptam fuisse in peccato originali sedaret. Constitutionem edidit 16. Iulij, 1616. & 31. Augusti. 1617. qua sub eisdem pœnis, ac censuris contentis in Constitutione Pij V. prohibuit ne quis in publicis concionibus, lectionibus, conclusionibus, seu aliis quibuscunque actibus publicis asserere audeat Beatissimam Virginem cum originali peccato fuisse conceptam, néve sentiens Beatissimam Virginem immunem à peccato originali extitisse aliam opinionem in publicis actibus impugnet, seu de ea aliquo modo agat, aut tractet, videlicet ad illam directè impugnandam, refellendam, & euertendam.

Postmodum Gregor. XV. vt plenè scandalis, discordiis, & dissensionibus, quæ ex sermonibus priuatis oriebantur occasione opinionis affirmantis, Beatam Virginem peccato originali infectam fuisse; aliam Constitutionem sub pœnis, & censuris contentis in Bulla Pij V. & Pauli V. edidit, quam ad

verbum refert Bonac. *disput. 3. de suspens. quæst. 6. punct. 4.* quâ post confirmationem prædictarum constitutionum prohibet, ne quis in sermonibus, vel scripturis etiam priuatis asserat Beatissimam Virginem originali peccato maculatam fuisse; neque de hac opinione aliquo modo agat, aut tractet, videlicet eam laudando, defendendo, rationes in eius fauorem insolutas adducendo, nisi forte ex priuilegio speciali sedis Apostolicæ, quale concessum fuit ab eodem Gregor. XV. *in Bulla, quæ incipit Eximij, edita die 28 Ianij anno 1622.* Fratribus Ordinis Prædicatorum, vt in priuatis colloquiis, seu conferentiis inter se duntaxat, & non inter alios, possint de opinione affirmante Beatam Virginem conceptam fuisse in peccato originali agere, & tractare, & rationibus, & Doctorum authoritate eam partem fulcire. Et præterea prohibet ne alio nomine quàm Conceptionis publicè, vel priuatim quis audeat vti in sacrificio, vel officio celebrando. Et delinquentes iudicio Inquisitorum hæreticæ prauitatis subiicit.

13 Sexta excommunicatio continetur *in Extrauag. sanè*, quæ est prima *de Simonia* aduersus eos qui ob ingressum Religionis ex pacto aliquo, & conuentione tacita, vel expressa, ad sui, aliorúmve sustentationem, aut ad alium pium vsum aliquid dant, vel recipiunt. Quæ constitutio tam de conuentibus fœminarum, quàm virorum loquitur, vt constat ex illis verbis, *tam à maribus, quàm à mulieribus.* Verum est tamen Clementem VII. vt Monialium scrupulos sedaret conuentiones permisit de dote tradenda, & recipienda pro congrua, & sufficiente sustentatione, vti referunt Capucin. *in compend. priuileg. verbo Monialis num. 16 & 31.* Lessius *lib. 2. cap. 35 dub. 35. num. 231.* Suar. *disp. 22. sect. 5. num. 13. & seqq.* Miranda *tract. de monialib. quæst. 8. art. 7. conclus. 1.* ideóque Antonin. *3. p. tit. 24 cap. 67.* & Syluest. *verbo excommunicatio 7. numero 81.* Tolet. *lib. 1. summ. cap. 36. num. 7.* referunt hanc Constitutionem non habere locum in paciscentibus super dotibus Monialium.

Igitur vt huic excommunicationi locus sit, pactum, prandia, pecuniæ, iocalia, aliáve similia dari, & recipi debent non gratis, & sponte oblata, sed pacto aliquo directo, vel indirecto. Deinde recipi debent ob ingressum Religionis, id est propter ipsum ingressum, quasi in illius pretium, vti manifestè indicant illa verba Textus *in earundem personarum receptionem*, quasi diceret, pro receptione earumdem personarum prædicta temporalia conferuntur. Præterquam quòd intendit labem simoniæ ab ingressu Religionis remouere: at hæc non contingit, nisi cùm temporale pro spirituali commutatur. Sicuti tradunt Syluest. *verbo simonia, num. 15.* Sotus *lib 9. de iustit. q. 6. art. 2. ad 4.* Mirand. *in manual. pralat. tract. de monialib. q. 8. art. 7.* Bonac. *t. 3. de censur. in part. disp. 2. q. 3. p. 29. num. 4.*

14 Dixi ob ingressum non quidem imperfectum, & inchoatum, qualis est susceptio habitus, seu nouitiatus, sed debet esse ingressus perfectus, & consummatus, qualis est professio, seu votorum emissio veros Religiosos constituens. Nam cùm hæc constitutio odiosa sit, & pœnalis, strictè interpretari debet, ità vt solùm de propria, & perfecta receptione in Religionem intelligatur: vt rectè aduertit Suar. *tom. 1. de relig. lib. 4. de simonia cap. 56. numero 7.* Filliucius *tractat. 45. de simonia cap. 13. quæst. 4 numero 11.* Reginald. *prax. lib. 23. numero 137.* Bonac. *tom. 3. de censur. disput. 2. q. 3. p. 29. num. 11.*

Ex hac doctrina infertur re nullum vitium simoniæ committere hac Constitutione puniendum, si pecuniam tribuas, non vt in Religionem recipiaris & professio tibi concedatur, sed in tui, aliorúmque sustentationem; quia pecunia in hunc titulum exhibita non commutatur pro re spirituali, sed pro temporali qualis est sustentatio. Neque obest re nullatenus fore in Religionem recipiendum, nisi eam pecuniam in tui sustentationem adduceres, & monasterio concederes: quia inde solùm infertur dationem pecuniæ conditionem esse, sine qua professio non fieret, non tamen esse pretium professionis, sicuti eleemosyna concessa Sacerdoti, vt sacrificium Missæ celebret.

Temperant autem dictam doctrinam plures Doctores: S. Thom. 2. 2. q. 100. *art. 3. ad 4.* Caietan. *ibi*, & *in sum. cap. 73.* Nauarr. *cap. 27. num. 106.* Tolet. *lib. 1. cap. 36. num. 7.* Suar. *disput. 22. sect. 5. à num. 9.* Filliucius *tract. 15, cap. 4. quæst. 6. num. 84.* ne procedat, cùm Monasterium diues est, eiúsque redditus sufficientes sunt ad sustentandos tum Religiosos ibi commorantes, tum denuò ingredientem; quia eo casu videtur dari, & recipi pecunia pro ingressu, cùm non sit necessaria pro Religiosorum sustentatione. Et confirmari potest primò ex priuilegio relato Clementis VII. concedentis Monialibus, vt conuentiones facere possint de dote recipienda pro congruenti Religiosarum sustentatione; vbi tacitè indicat simoniam esse, si dos vltra congruentem sustentationem exigatur, & recipiatur. Secundò ex *cap. vnico, §. sanè de statu regularium lib. 6.* & ex Trident. *sess. 25. cap. 3. de reformat.* vbi statuitur, vt is tantùm numerus Religiosorum tam virorum, quàm mulierum in quolibet Monasterio constituatur, qui commodè ex redditibus Monasterij, & ex consuetis eleemosynis ali possit significans ex solis redditibus, & eleemosynis præsuppositis Religiosos alendos esse, non ex pecunia quam secum afferunt. Item *eadem sess. 25. cap. 16. de reform.* sub anathemate prohibet Conc. Trident. ne ante professionem excepto victu, & vestitu nouitij, vel nouitiæ aliquid ex bonis eius recipiatur.

Hæc tamen limitatio mihi non probatur, sicuti nec Syluest. *verbo simonia num. 15* Soto *lib. 9. de iustit. q. 6. artic. 2. ad 4.* Ludouico Mirandæ *manual. pralat. tract. de monialib. quæst. 8. art. 7. conclus. 2.* & ex parte Bonac. *t. 3. disput. 2. q. 3. punct. 29. num. 4.* Nam esto monasterium locuples sit, eiúsque redditus, vel consuetæ eleemosynæ sufficiant ad Religiosorum ibidem commorantium, & denuò ingredientis sustentationem; tamen non sufficiunt ad congruam sustentationem aliorum plurium si reciperentur; at quodlibet Monasterium, & quælibet Religio ius habet numerum suorum Religiosorum augendi quantum commodè sustentare possit. Ergo potest pecuniam ab ingrediente exigere, & recipere, & si non pro illius sustentatione, bene tamen pro sustentatione aliorum quos recipere intendit. Præterea nulla Religio, Monasteriúmve obligatur hunc in particulari recipere, illhque ex redditibus habitis alimenta præbere, sed ea alteri recipiendo reseruare potest, ergo potest ab ingrediente accipere, & recipere pecuniam eius sustentationi necessariam, vt redditus, Monasterij in aliorum sustentationem insumantur, vel in augmentum diuini cultus. Vnde nullatenus assentior Bonac. *disp. 2. q. 3. pun. 29. num. 6. vers. existimo*, asserenti simoniam esse hac constitutione puniendam, si aliquid vltra congruam sustentationem ab ingressuro exigatur. Nam inde non infertur exigi in pretium ingressus, cùm exigatur in sustentationem non illius tantùm qui denuò ingreditur, sed aliorum quos Monasterium recipere optat, & in commodiorem præexistentium sustentationem, & in diuini cultus augmentum.

Ex his solutum est fundamentum oppositum, & confirmatio desumpta ex priuilegio Clement. VII. Ad Textum *in cap. vnico de statu regular. in 6.* & ex Conc. Trident. *sess. 25. cap. 3.* respondeo per se ibi prohiberi plures Religiosos recipi quàm commodè ali possint ex redditibus Monasterij, vel ex consuetis eleemosynis, non tamen prohiberi receptionem aliorum, qui pro sua, aliorúmque sustentatione secum pecuniam deferunt; huius enim pecuniæ receptio potiùs intentioni Concilij prodest, quàm nocet. Ad Textum *ex cap. 16.* dico ibi prohiberi aliquid ex bonis nouitij ante professionem, excepto victu & vestitu non ob labem simoniæ, sed ne nouitio ob eam causam diminuatur libertas in professione emittenda.

Ad extremum aduerte, si personæ delinquentes aduersus hanc constitutionem singulares sint, hac excommunicatione resetuata innodantur; at si capitulum, vel conuentus fuerit, suspensionis reseruatæ sententiæ eo ipso subiicitur, vt ex textu constat, suspensionis inquam ab omni actu, & o[illegible] capitulari, & communi iurisdictionem Ecclesiasticam exigente, vt notauit Suar. *de simonia lib. 4. cap. 56. n. 8.* quia capitulum alterius suspensionis effectus capax non est.

Septima excommunicatio reseruata habetur *in Extrauag. 2. 15 cùm detestabile, de simonia*, in qua innouantur omnes pœnæ aduersus simoniacos in antiquioribus canonibus latæ, aduersus inquam simoniacos reales; de iis enim textus loquitur, non de simoniaco mentali, vel conuentionali, ideóque necessarium est, vt datio, & receptio rei spiritualis intercedat; alias non erit simonia completa, & pœnis huius Extrauag. subiecta: vt latè dixi *tract. de vitijs religioni oppositis disput. vlt. de simon. p. 22.*

Ex eo autem quòd pœnæ antiquorum Canonum confirmentur, & innouentur non infertur eas, quæ iure antiquo ferendæ sunt præsenti Constitutione ipso iure ferri: sed innouari, & confirmari sicuti antea erant. Neque obest quòd Pontifex innouans, & confirmans prædictas pœnas subiungat *quas ipso facto eos incurrere volumus*, vt inde inferatur sententias ferendas esse nunc ipso iure latas. Nam illa verba *quas ipso facto eos incurrere volumus*, præstant hunc sensum: pœnas antiquis iuribus statutas volumus simoniacum siue publicum, siue occultum ipso facto simoniaco incurrere, eo modo quo à iure statutæ sunt: Cùm autem antiquo iure nulla sit pœna ipso iure lata, sed per iudicem ferenda; efficitur sanè ex vi huius Extrauag. non immutari, aliàs hæc constitutio non esset innouatio, & confirmatio antiquorum Canonum, & sententiarum quæ in ipsis continentur, sed distincta lex, & constitutio, & distinctarum promulgatio. Atque ita docent Nauarr. *c. 23. n. 111.* Graffis *1. p. decis. lib. 2. cap. 97. num. 3.* Suarez *cap. 55. de simonia num. 8.* & *disp. 22. de censur. sect. 1. n. 22.* Filliucius *tractat. 45. de simonia capit. 15. quæst. 1. numero 1.* Bonacina *tom. 3. de censur. disputat. 2. quæst. 3. p. 24. numero 19.*

Tametsi prædictæ pœnæ, & Constitutiones antiquorum Cano

Canonum innouentur] : at præsenti constitutione excommunicatio ipso iure solum fertur aduersus simoniacum in ordine, & in beneficio, de iis tantùm Extrauagans sermonem facit, vti tradunt Doctores nuper relati, & docuimus *dicta disp. de simonia pun.* 21. Quæ excommunicatio afficit omnes illos qui mediatores extiterint, seu procurauerint, vt talis simonia in ordine, & in beneficio committatur, vt expressè habetur in Textu. Quid autem nomine ordinis, & beneficij intelligendum sit *prædicta disputat.* 22. *& seqq.* declarauimus.

Præter hanc pœnam excommunicationis statuitur suspensio ab executione ordinum omnibus illis qui simoniacè fuerint ordinati, insuperque irritantur electiones, postulationes, confirmationes, prouisiones, & quælibet aliæ dispositiones simoniacæ in Ecclesiis, Monasteriis, dignitatibus, personatibus, officiis Ecclesialticis, & quibuslibet beneficiis cõtingentia, ita vt ex illis nullum ius prouiso acquiratur, fructúsve faciat suos, sed ad illorum omnium quæ percepit restitutionem sub animæ suæ periculo sit astrictus. Addit tandem Pontifex præceptum in omnes illos qui prædicti criminis apertam notitiam habuerint, vt Pontifici, vel cui idem Pontifex duxerit committendum per se, vel alios reuelare quantociùs non omittant; Quòd si non fecerint absolui non valeant, donec prædicta renelent. Hoc præceptum affirmant Nauarr. *c.* 27. *n.* 116. Suar. *disp.* 22. *sect.* 5. *n.* 27. Filliucius *tract.* 15. *c.* 4. *q.* 7. *n.* 82. nec dissentit Bonacina *disp.* 2. *pun* 24. *n.* 16. solùm afficere curiales; quia respectu illorum tantùm videtur hæc Extrauagans recepta. Quinimò Tabiena, Armilla, Syluest. quos refert, & sequitur Tolet. *lib.* 1. *capite.* 36. *num.* 8. reputant hanc Extrauagantem quoad hoc præceptum denunciationis nec curiales afficere, sed vsu abrogatam esse, in quam sententiam propendet Filliucius, & Bonac. *locis allegatis.*

16 Octaua excommunicatio lata est à Sixto IV. *in Extrauag. assi dominici gregis 2. de pœnitent. & remissionib. in c. 5. illius tit.* aduersus eos qui prætextu facultatum ab ipsomet Pontifice concessarum, vel concedendarum siue litteris, siue verbo, etiamsi generales sint tetauerint à casibus reseruatis ibi expressis & in Bulla Cœnæ absoluere, & commutare vota peregrinationis vltramarinæ, & visitationis liminum Apostolorum Petri, & Pauli, & S. Iacobi in Compostella, & castitatis, ac religionis, quæque absolutio, & commutatio nullius est roboris, & momenti.

Hæc excommunicatio præsenti tempore contrahi ferè non potest, cùm vix inueniatur cui facultas à Sixto IV. concessa sit, vt ab omnibus casibus ab ipso reseruatis absoluatur, quod necessario requisitum est, vt huic excommunicationi sit locus, cùm solùm feratur aduersus eos qui prætextu facultatum à Sixto concessarum, vel concedendarum absoluuntur. Quapropter qui à casibus in Bulla Cœnæ contentis absoluit, nullam ad id habens facultatem in hanc censuram non incurreret: innodaretur tamen excommunicatione lata, tamensi non reseruata in vltima Bullæ clausula. Qui verò ab aliis casibus absque facultate absolueret, vel hæc & alia vota commutaret, etsi grauissimum peccatum committeret, nullus tamen censuræ ipso iure reus esset, sed arbitrio Iudicis veniret puniendus. Vti tradunt Syluest. *verbo excommunicatio 7. num.* 77. Nauarr. *c.* 12. *num.* 75. & *cap.* 27. *num.* 74. & 105. Tolet. *lib.* 1. *cap.* 36. *num.* 7. Suar. aliis relatis *disp.* 22. *sect.* 5. *num.* 29.

Nona excommunicatio reseruata continetur in Extrauag. Bonifacij VIII. quæ incipit: *Excommunicamus* 1. *sub tit. de sententia excommunicat.* vbi Bonifac. VIII. ipso iure excommunicat omnes vtriusque sexus siue Clericos, siue laicos, siue Religiosos qui aliquid dant, vel recipiunt, vel promissionem aliquam tacitam, vel expressam etiam sub verbis generalibus dandi vel recipiendi pro obtinenda aliqua gratia, vel iustitia, sibi aut aliis in causis, vel iudiciis, seu alias per litteras Apostolicas & quibuscunque modis apud Sedem Apostolicam obtinenda præstant; insuperque illos qui aliquid reciuerint culpabile in prædictis, & Pontifici intra dierum trium spatium per se vel per nuntium non retulerint, ac tandem ipsa gratia, vel iustitia scienter venientes eadem excommunicatione innodantur.

Hanc constitutionem etsi grauissimi Doctores, Paludan. *in 4. d.* 18. *q.* 3. *post art.* 3. §. *sequitur.* Angel. *verbo excommunicatio 7. casu* 34. Syluest. *eodem num.* 82. Nauarr. *cap.* 27. *num.* 109. censeant reuocatam fuisse à Clemente V. attamen Gregor. XIII. anno 1574. die octaua Nouembris in Extrauag. incipiente: *Ab ipso Pontificatus nostri principio*, quæ est 28. eiusdem in ordine, eam confirmauit, & illas pœnas extendit ad eos qui ob rem temporalem sibi traditam, vel ob promissionem illius tradendæ offerunt suam operam, & industriam in gratia vel iustitia obtinenda potentiorum fauori nixi. Tum ad illos qui prædictis omnibus auxilium, consilium, vel fauorem præstiterint nouas pœnas aggrauando, vti constat ex tenore supradictarum Extrauagantium, quas ad verbum referunt Nauarr. *t.* 3. *in comment. de datis, & acceptis* Ludouic. Molina *t.* 1. *de iustit. tract.* 2. *disp.* 92. Quaranta §. *data & promissa. pag.* 213. Naldus, *verbo gratia num.* 13. Bonac. *t.* 3. *de censur. disp.* 2. *q.* 3. *p.* 31. *num.* 1. & alij.

Actio igitur in Extrauag. Bonifacij VIII. prohibita, & à Gregor. XIII. confirmata triplex est. Prima est pactum, seu promissio alicuius parui, vel magni, vel illius datio, & receptio pro gratia, vel iustitia obtinenda apud Sedem Apostolicam. Secunda gratia, vel iustitia sic obtenta vti. Tertia non reuelare intra triduum eos qui prædictas promissiones fecerint, vel receperint.

Quoad primam actionem dubium est, An si promittas animo non te obligandi, vel non adimplendi promissum in hanc excommunicationem incidas? Negat Bonac. *t.* 3. *de censur. disp.* 2. *q.* 3. *pun.* 31. quia ea promissio non est vera promissio; sed ore tenus tantùm. At pœnæ impositæ sunt promissioni, & pacto, ergo intelligi debent de vero pacto, & promissione non de ficto, cùm lex pœnalis vltra proprietatem verborum non sit extendenda. Cæterùm verius censeo oppositum: nam in præsenti ea promissio, vel pactum prohibentur. ex quo superior moueri potest ad gratiam vel iustitiam concedendam: at ex promissione ficta æquè ac ex vera mouetur, cùm fictio illi ignota est. Ergo quæcunque ex his promissionibus sub prædictis pœnis prohibetur. Præterea expendo prædictam fictionem non posse releuare promissionem à dictis pœnis: primò non reuelat quod promittens careat animo se obligandi; quia nunquam habere potest hunc animum se obligandi: cùm res illicita sit; neque item releuat, quòd careat animo adimplendi promissum, cùm non sit opus ad incurrendam hanc censuram promissionem impleri. Non igitur ex animo se obligandi, vel adimplendi promissum excusari promissio potest ab excommunicatione. Deinde acceptans promissionem illam fictam, & vi illius gratiam, vel iustitiam præstans excommunicationem incurrit; quia non liberaliter, sed ob rem onerosam & pretio æstimabilem gratiam, vel iustitiam confert, quippe illa promissio siue vera, siue ficta sit promittenti onerosa est, & pœnæ arbitrariæ subiecta, quod est sufficiens vt pretio æstimetur, ergo eam promissionem præstans eadem pœna innodabitur. Tum quia textus æquè promittentem, ac acceptantem promissionem excommunicatione ligat. Tum quia hic est quidem contractus, qui non potest ex vna parte & non ex altera claudicare. Tum denique si præstans gratiam, vel iustitiam ob promissionem fictam in excommunicationem incurrit, quia illa promissio pretio est æstimabilis. Ergo illam promissionem offerens pro iustitia, vel gratia obtinenda rem pretio æstimabilem offert, & consequenter sufficientem, vt excommunicatione puniatur. Denique si accepta gratia, vel iustitia rem quam fictè antea promisisti donares, censet Bonac. *dicta disputat. 2. q. 3. punct. 3. n.* 8. *vers. hoc tamen limita*, te excommunicatione ligari. At hoc nullatenus consistere potest, si promissio ficta ex se non esset sufficiens ad censuram contrahendam. Nam præsenti constitutione non prohibetur datio pecuniæ pro gratia obtinenda vel obtenta, sed prohibetur datio pecuniæ ex pacto. Ergo si pactum illud fictum non esset pactum huic excommunicationi subiectum, illa datio pecuniæ excommunicationi non subiiceretur.

Hinc soluitur quæstio; An promissio gratitudinis futuræ alicui facta subiiciatur huic censuræ: vti si promitteres collatori te gratum illi esse futurum, beneficij exhibiti recordaturum, & similia? Et quidem si hæc verè promitteres, idque collator crederet, non dubito te in excommunicationem incidere; quia sub generalibus verbis promissionem præstas rei pretio æstimabilis. Quippe gratitudo futura obsequia, munera, aliáque similia comprehendit, æquialet ergo huius gratitudinis futuræ promissio, promissioni pecuniæ donandæ. Atque ita docent Molin. *t.* 1. *de iustit. tract.* 2. *disp.* 92. *vers. vnde quod.* Azor. 3. *p. lib.* 12. *cap.* 23. *q.* 1. Bonac. *t.* 3. *de censur. disp.* 2. *q.* 3. *pun.* 31. *num.* 10. neque dissentiunt Nauarr. in præsenti comment. *de datis & acceptis, not ab.* 11. Filliucius *tract.* 15. *capit.* 6. *q.* 3. *num.* 129. Verùm si futuram gratitudinem offerres animo promittendi, sed significandi quid postmodum præstiturus sis, idque collatori perspicuum esset, nullatenus credo te in excommunicationem incursurum, vti expressè tradit Nauarr. & Filliucius *suprà*. Neque dissentiunt Molina, Azor. Bonac. *locis alleg.* quia nullum pactum, nullámve promissionem facis, quod ad censuram requiritur. Præterea etsi nulla sic obligatio gratitudinis exhibendæ collatori, eo quòd ipse non ex mera liberalitate, sed ex obligatione sui muneris gratiam, & iustitiam confert, attamen rationi consonum est ob eam gratiam, & iustitiam præstitam gratias illi referre; maximè si absque iniustitia posset gratiam denegare, & iustitiam in fauorem alterius præstare, ergo non est à ratione alienum hanc ei gratitudinem significare; quia non significatur ei aliquid illicitum, & quod in ipsa gratia, vel iustitia facta contentum non esset. At Pontifex in hac constitutione non punit id quod rationi est conforme, ergo nequaquam punit huius gratitudinis significationem. Neque obest, quòd inde moueatur ad gratiam, vel iustitiam faciendam alias non facturus; quia id solum probat moueri ob spem gratitudinis futuræ:

at non ob promissionem, & pactum illius quod expressè in Extrauag. requiritur.

20 Sed an promissio acceptati debeat, vt promittentem excommunicatio liget; variant Doctores. Molina *dicta disput. 92. vers. cùm omnes*, & Farinac. *2. parte praxis q. 111. art. 13. numero 315.* negant necessariam esse acceptationem, quia quælibet ex his actionibus excommunicationi subiicitur. Inquit enim Textus. *Qui aliquid paruum, vel magnum promiserint, vel promissionem receperint.* Ergo sola promissio absque promissionis receptione sufficiens est ad excommunicationem inducendam. Nihilominus oppositum censeo verius cum Bonac. *dicta disp. 2. q. 3. pun. 31. num. 9.* quia promissio cui acceptatio deficit non est vera, propria, & perfecta promissio, nec pactum, cùm non sit duorum consensus, quod expressè ad pactum requiritur. *Leg. 1. in prine ff. de Pactis.* & *leg. 3. de Pollicitationib.* & pluribus comprobat Sanch. *lib. 1. de sponsalib. disp. 5. num 20.* At in Extrauag. Bonifacij VIII. promissio quæ pactum sit excommunicationi subiicitur. Ergo necessariò debet esse promissio acceptata. Neque obest promissionem, & acceptationem vt actiones distinctas huic excommunicationi subiici; quia subiiciuntur cum dependentia vnius ab altera. Sicut enim nequit acceptatio subiici excommunicationi, quin promissio præcedat, sic nec promissio subiici potest, quin acceptatio subsequatur.

21 Promissio verò, siue datio pro gratia, vel iustitia obtinenda sufficiens est ad hanc censuram, modò sit promissio alicuius rei temporalis siue magnæ, siue paruæ; paruæ inquam quæ ad minus quantitatem peccati mortalis attingat, si furto sublata esset. Vti ex communi docet Nauarr. *de datis, & acceptis, notab. 3. ad finem.* & *notabili 10. numero 20.* Molin. *titul. 1. de iustit. tractat. 2. disputat. 92. vers. vtrùm verò.* Azor. *titul. 3. lib. 12. capite 23. quæst. 3.* Bonacina *disputat. 2. quæst. 3. punct. 31. num. 12.*

Sed an quælibet res, quæ in materia furti peccatum mortale constitueret, sufficiat in hac materia ad censuram incurrendam? Non conueniunt Doctores. Nam Bonac. *dict. t. 3. disp. 2. q. 3. pun. 31. num. 13.* partem affirmatiuam tuetur, quia si hæc quantitas in materia iustitiæ, & Religionis sffiucit peccatum mortale constituere cur non in præsenti materia? Præterea in materia iustitiæ ex eo quantitas furto ablata censetur esse grauis, & peccatum mortale constituere; quia eius defectus graue incommodum domino affert. Ergo econtrà illius donatio graue afferret donatario commodum, & vtilitatem. Ergo est sufficiens ad mouendum eius animum in fauorem donantis. Denique si ex hac regula non determinatur quantitas sufficiens ad hanc censuram incurrendam rarò decidi poterit quando in particulari casu sit locus huic censuræ.

Sed rectius Menoch. *lib. 2. de arbitr. casu 145. num 4.* Nauarr. *dicto comment. de datis, & acceptis, notab. 3. ad finem.* & *notab. 10. num. 20.* Molin. *disp. 92. vers. vtrùm verò.* Azor. *3. p. lib. 12. cap. 23. q. 3.* prudentis arbitrio relinquendum esse asserunt spectatis circunstantiis tum dantis, vel accipientis, tum gratiæ, vel iustitiæ obtinendæ.

Illa igitur censenda est materia sufficiens, quæ his circunstantiis spectatis valeat collatorem allicere ad gratiam, vel iustitiam concedendam. Etenim finis huius Constitutionis est, ne collatores excæcentur, néve Iudices peruertantur. Comparatione tamen huius finis quantitas quæ alioquin in materia furti grauis esset, leuissima sæpè censetur, ideóque nobiles, diuites, & potentes cùm aliquod munus præstare volunt quantitatem excedentem ea quæ in materia furti grauis reputatur donant, neque contrarium facere audent; quia eorum statum ea donatio dedecet. Quare non ex graui, vel leui vtilitate, quæ donatario prouenire potest ex acquisitione donatæ, sed ex efficacia ad ipsius animum mouendum, & euertendum desumenda est grauitas huius donationis, seu promissionis. Neque est inconueniens non esse certam quantitatem definitam pro singulis casibus; satis enim est generaliter definitum esse, eam quantitatem sufficientem esse, quæ prudentis arbitrio inflectere valet donatarium ad gratiam, vel iustitiam concedendam.

22 Porro dicta promissio, seu datio præstari debet pro gratia, vel iustitia obtinenda. Nomine *gratiæ* veniunt absolutiones, dispensationes, beneficia, pensiones, priuilegia, facultates, aliaque similia, tametsi solo verbo concessa fuerint, vt indicant illa verba: *Et quibuscumque aliis modis.* Et tradit Nauarr. *comment. 3. de datis, & acceptis, notab. 17. num. 29.* Azor. *3. t. lib. 12. cap. 24. q. 6.* Mol. *t. 1. de iustit. tract. 2. disp. 92. vers. pœnæ huius.* Bonac. *disp. 2. q. 3. p. 31. num. 2.* Nomine autem *iustitiæ* tantùm venit sententia definitiua, sed interlocutoria, tametsi in arbitrio iudicis sita sit, vti tradunt Doctores nuper relati. Quod manifestum est apud omnes, cùm iustitia causæ ex parte donantis dubia est, quia eo casu est periculum peruersionis. Verùm si iustitia certa sit & pro illius expeditione siue absoluta, siue maturiori absque vllius præiudicio aliquid donares, vel donandum promitteres censet Nauarr. *dicto comment. de datis, & promissis, notab. 9. num. 14.* te non incurrere in pœnas huius Extrauag. quia non præstas actionem, quæ aliàs iure naturali, diuino, vel positiuo prohibita esset. Nullibi namque prohibitum inuenitur mouere iudicem muneribus ad præstandum id quod de se bonum est, & nemini nocium. At hæc Constitutio cùm solùm dationem, seu promissionem interdicit, quæ (ipsa secluſa) interdicta est, vt colligitur apertè ex fine ipsius, illis verbis declarato: *Vt domus, & curia nostra à sordibus purgetur*, & ex illis, *Quæ cùm pessima sint, curiæ nostræ existimationem offendant*, quæ supponunt prædictas actiones iniquas esse, & curiam Romanam maculare, reclámque illius æstimationem lædere.

Sed rectiùs Molina *dicta disp. 92. vers. ego verò*, non audet huic sententiæ excepto casu redimendæ vexationis acquiescere, esto iure naturali, vel diuino hæc donatio prohibita non sit, iure tamen ciuili prohibita est; siquidem *in Authent. vt litigantes* cauetur, vt litigantes in principio litis iurent nihil se daturos iudici quacunque ex causa; quia esto in vno, vel alio casu cesset periculum peruersionis, per se tamen, & frequenter adest. Hæc autem prohibitio locum habet in foro Ecclesiastico, cùm contrarium decisum ibi non sit, & eius causarum sinceram expeditionem foueat. Dixi *excepto casu redimendæ vexationis*; quippe hæc redemptio licita est, & iure naturæ permissa, quam lex ciuilis, neque Ecclesiastica prohibere intendit. Si enim pro te iustitia aperta esset, timeréque probabiliter non obseruandam, vel iniquè detinendam, nisi aliquid Iudici promitteres, vel donares, nullum peccatum in ea promissione, vel donatione committes, nullámque censuram incurres.

Grauior dubitatio est, An si pro auferenda, vel differenda 23
alterius iustitia aliquid iudici largiaris in hac incidas excommunicationem? Communis sententia defendit affirmatiuam partem cum Nauarr. *notab. 17. num. 19.* Mol. *disp. 92. vers. cæterum.* Filliucio *tract. 15, cap. 6. quæst. 3. num. 133.* Bonac. *t. 3. disp. 2. q. 3. pun. 31. num. 2.* quia iniqua sententia iustitia in iure nuncupatur. Argum. *leg. ius pluribus modis, ff. de iustit. & iure.* Ideóque Iudex etiam cùm iniquè iudicat ius ferre dicitur, saltem ex obligatione. At præsens constitutio prohibet promissionem, seu dationem pro obtinenda iustitia, seu pro obtinendo actu iudicij. Ergo. Præterea ideò donas, vel promittis donandum iudici pro alterius iustitia auferenda, vel differenda, quia inde tibi emolumentum prouenit: ergo comparatione tui donationem, vel promissionem præstas pro gratia obtinenda. Denique in donatione ob huiusmodi finem grauiorem culpam committis ea, quàm committeres pro obtinenda gratia, vel iustitia. Ergo non est verisimile voluisse Pontificem hanc leuiorem culpam grauibus pœnis punire, & grauiorem immunem relinquere.

Cæterùm etsi hæc sententia tenenda, & consulenda sit, 24
contraria tamen non videtur improbabilis, illámque docuit Farinacius *in prax. crimin. 3. p. quæst. 111. num. 351.* Pœnæ namque extendendæ non sunt vltra verba in lege contenta. At sub nomine gratiæ, vel iustitiæ obtinendæ nequit iniusta sententia comprehendi, quippe non comprehenditur sub nomine gratiæ, cùm non sit beneficium, pensio, absolutio, dispensatio, indulgentia, facultas, vel priuilegium, tametsi ex ea aliquam vtilitatem accipias. Si enim iusta sententia in tui fauorem lata nullatenus gratia nuncupatur, & à fortiori nec nuncupanda est iustitia sententia in alterius præiudicium. Quod verò nec sub nomine iustitiæ obtinendæ veniat iniqua sententia, inde probo; quia iniqua sententia non est iustitia, ergo nequit sub nomine iustitiæ contineri, quia vnum contrarium aliud sub se non continet. Neque obest iniquam Iudicis sententiam iustitiam appellari; quia sic appellatur, non ex actu quem præstat, sed quem præstare tenebatur. Extrauagans autem prohibet promissionem non pro obtinenda iustitia, quam iudex præstare ex officio tenebatur, quia hæc in re est obtenta, & iudici inest, sed pro obtinenda iustitia donanti proficua, & ab ipso optata. Neque item obest grauiorem culpam committi in promissione pro auferenda, vel differenda alterius iustitia, quàm pro illa obtinenda, quia inde solùm infertur grauioribus pœnis puniendam fore, non tamen infertur de facto, & ipso iure punitam esse; & fortè quia hæc culpa non ita frequenter contingit. Tandem probari potest, quia Pontifex excommunicat eos qui gratiâ, vel iustitiâ sic iniquè obtentâ vsi fuerint scienter. At nullus vtitur iniustitia facta, sed illam sustinet. Ergo iniustitia sub nomine gratiæ, vel iustitiæ non comprehenditur.

Sed an opus sit gratiam, vel iustitiam obtineri, vt promis- 25
sio, vel donatio ex promissione excommunicationi subiiciatur? Difficultate non caret; eo quòd verba legis & maximè pœnalis cum effectu sint intelligenda. Sed omnino dicendum est sufficiens esse promissionem, seu donationem fieri pro gratia, vel iustitia obtinenda, vt excommunicationi locus sit, tametsi gratia, vel iustitia non obtineatur; quia Textus solum hanc promissionem, vel donationem requirit, non autem exigit gratiæ vel iustitiæ consecutionem. Neque est vllum verbum ex quo id colligi possit. Et licèt verba legis cum effectu sint intelligenda, effectus tamen ad hanc censuram incurrendam

rendam in hac Extrauag. præscriptus est sola promissio, seu donatio ex promissione, atque adeò ipsa est sufficiens, vt censura locum habeat. Vti tradit Nauarr. *dicto comment. de datis, & promissis not ab.* 21. *num.* 31. Farinac. 3. *p. praxis q.* 111. *n.* 348. Bonac. *disp.* 2. *q.* 3. *p.* 31. *num.* 14.

26 Illud verò est certum gratiam, vel iustitiam pro qua donatio, vel promissio fit debere esse à Sede Apostolica, vt constat ex illis verbis textus *apud Sedem Apostolicam obtinenda.* Nomine autem Sedis Apostolicæ existimat Azorius 3. *p. instit. moral. cap.* 24. *q.* 7. Filliuc. *tract.* 15. *cap.* 6. *q.* 3. *num.* 139. Bonac. *tit.* 3. *de censur. in particul. disp.* 2. *q.* 3. *p.* 31. *num.* 4. intelligi in præsenti summum Pontificem, eiusque tribunal non solum quatenus iurisdictionem spiritualem, & à Christo acceptam exercet, sed quatenus exercet iurisdictionem temporalem, quia secundùm frequentem modum loquendi qui in legum interpretatione spectandus est, Sedes Apostolica vtramque iurisdictionem complectitur. Quod inde efficaciter confirmatur; quia Pontifex intendit ab his sordibus, & iniquitatibus suam domum, & curiam purgare; at nomine curiæ non est dubium intelligi tribunal Pontificis tam iurisdictionem temporalem, quàm spiritualem exercens. Ergo idem intelligitur in præsenti sub nomine Sedis Apostolicæ.

27 Nihilominus etsi prædicta sententia sit satis probabilis, veriorem existimo nomine Sedis Apostolicæ solùm Pontificem, eiusque ministros iurisdictionem spiritualem exercentes intelligi, sicuti docuerunt Nauarr. *dicto comment. de datis, & promissis, not ab.* 8. *num.* 3. Molina *disp.* 92. *vers. iam verò.* Ducor quia Sedes Pontificia integrè, & perfectè completa erat, cùm nullam iurisdictionem temporalem exercebat, vt patet initio nascentis Ecclesiæ. Non igitur iurisdictio temporalis sedem Pontificiam constituit. At lex pœnalis strictè, & non latè interpretari debet, verbáque illius in sensu proprio, & rigoroso sunt accipienda. *leg. in delictis, § vranens, ff. ad legem Aquiliam.* Ergo Sedes Pontificia pro iurisdictione spirituali, & non temporali intelligi debet. Neque obest quòd secundùm frequentem & vulgarem modum Sedes Pontificia vtramque iurisdictionem complectatur; quia lex pœnalis si extensionem recipit ex vulgari modo loquendi proprio, & rigoroso, secundùm modum loquendi proprium, & rigorosum interpretanda est, non secundùm vulgarem. Neque ex eo quòd nomine curiæ Pontificium tribunal vtramque iurisdictionem exercens intelligatur, velitque Pontifex hac constitutione suam domum & curiam ab his sordibus, & iniquitatibus purgare; debes colligere nomine Sedis Apostolicæ idem tribunal intelligi, quia purgato tribunali Ecclesiastico purgatur domus, & curia Pontificis non secundùm se totam, sed secundùm principaliorem eius partem: aliàs si ex eo quòd Pontifex hac Constitutione intendit curiam ab his sordibus purgare, licitum est inferre nomen Sedis Apostolicæ ibi expressum æquè latè patere ac curiam; cùm similiter intendat suam domum purgare, fiet nomen Sedis Apostolicæ comprehendere quidquid comprehendit curia, & domus Pontificis. At hoc falsum est, neque oppositæ sententiæ Doctores admittunt. Non enim obtinentes à Pontifice quatenus persona particularis est, vel ab eius domesticis promissione pecuniæ aliquam gratiam hac excommunicatione innodantur, quia non obtinent à Sede Apostolica, tametsi hæc iniquitas domum Pontificiam macularet.

Conueniunt tamen omnes ob obtentam gratiam, vel iustitiam apud Episcopos imo apud Legatos Pontificis extra Romanam curiam, te hac censura non ligari; quia non obtines apud Sedem Apostolicam formaliter.

28 Secunda actio, ob quam excommunicatio indicitur in dicta Extrauag. Bonifacij VIII. est vsus gratiæ, seu iustitiæ sic obtentæ. Quod intelligendum est esto à principio ignarus fueris sic obtentam fuisse, dummodò tempore illius vsus conscius fis iniquæ consecutionis.

29 Tertia actio sub censura prohibita in dicta Extrauag. est non reuelare intra triduum eos qui pro obtinenda gratia, vel iustitia pretium promiserunt, donarunt, vel acceperunt. Quod intelligendum est, si in suo delicto perstent, neque fraterna correctione emendari sperentur, eorúmque delictum probabile sit. An verò obligentur ad hanc præstandam denunciationem extra Romanam curiam existentes? difficultàte non caret, Bonac. *t.* 3. *disp.* 2. *q.* 3. *p.* 31. *num.* 19 reputat probabilius obligatos esse quia pœnis ob alias actiones in hac Extrauag. expressas ligantur existentes extra Romanam curiam: vti concedit Nauarr. *not ab.* 22. *num.* 37. Molina *disp.* 91. *in fine.* Filliucius *tract.* 15. *cap.* 6. *q.* 2. *num.* 131. & alij communiter. Ergo etiam ob omissam denunciationem. Neque obstat quòd non possint intra triduum hanc præstare denunciationem, quia non inde infertur ab obligatione eximi, nam illud tempus non ad finiendam obligationem, sed ad illam sollicitandam appositum est, ita vt qui potuerit intra triduum denunciare teneatur, sin minus quando commodè possit.

30 Cæterum verius est solos in Romana curia existentes hoc præcepto denunciationis ligari. Sicuti docuit Sylvest. *verbo excommunicatio 7. casu* 43. Nauarr. *comment. de datis, & promissis, not ab.* 22. *num.* 37. Molin. *dicta disp.* 92. *vers. cùm omnes.* Filliucius *tract.* 15. *cap.* 6. *q.* 2. *num.* 129. Azor. 3. *pars. instit. moral. lib.* 12. *cap.* 14. *q.* 8. *ad finem.* Ducor hac consideratione, si Pontifex vellet ad hanc denunciationem præstandam obligare æquè in Romana curia, ac extra existentes, terminum obligationis communem omnibus designaret, intra quem plerunque possent obligationi satisfacere. At ille terminus tribui solis in Romana curia existentibus deseruire potest, reliquis verò nunquam, vel raro. Ergo asserendum est noluisse Pontificem alios quàm Romanæ curiæ commorantes sub hoc præcepto comprehendi.

His actionibus Gregor. XIII. aliam triplicem addidit principalem, & aliam accessoriam. Prima principalis est. Nundinari expeditiones gratiæ, vel iustitiæ. Potentiorum suffragationibus inniteris. Si enim ob fauorem quo polles apud Principem pretium reciperes, vt gratiam, vel iustitiam alteri acquiras, in hanc excommunicationem incides, quia conuincens pretium recipere pro gratia, vel iustitia obtinenda, cùm suffragatio illa omnem suam æstimationem habeat à gratia, vel iustitia, quam obtinere promittis. Secùs esset si pro labore, & industria, quem in hac suffragatione interponis, vel pro damno, & incommodo inde tibi proueniente, cùm te reddas minus aptum aliis, suffragandi pretium reciperes. Sicuti colligitur ex Nauarr. *dicto comment. de datis, & promissis, not ab.* 9. *n.* 51. & *not ab.* 27. *n.* 37. Molina *t.* 1. *de iustit. tract.* 2. *disp.* 92. *circa finem vers. At qui tres.* 31

Secunda si donis, vel pollicitationibus allicias eos quos credis valere apud Principem, vt tibi, vel alteri gratiam, vel iustitiam apud Sedem Apostolicam impetrent in hanc excommunicationem incidis; tametsi ipsi quos allicere procurasti nihil postmodum præstent; quia sola inductio mediis pollicitationibus, vel donis facta præsenti constitutione punitur; vti aduertit Molina *dicta disp.* 92. *circa finem. vers. secunda est.* Bonac. *t.* 3. *de censur. disp.* 2. *q.* 3. *p.* 31. *num.* 6.

Circa hanc duplicem actionem quæstio est, an pœnis huius Extrauag. subiiciatis, si familiaribus Principum, vel iudicum, notariis, procuratoribus, aliisve officialibus abundantius stipendium tribuas, quàm eorum officium meretur? Certum est si maiorem solitò operam præstent, specialémque diligentiam adhibeant in gratiæ, vel iustitiæ expeditionem, posse ob eius causam stipendium abundantius recipere. At posito diligentiam solito non excedere, si abundantius stipendium dones, videris pro gratiæ, & iustitiæ consecutione donare, atque adeò censuris subiici. Sic Bonac. *t.* 3 *disp.* 2. *q.* 3. *p.* 31. *num.* 14. Sed distinguendum est, si verè, & propriè pro ministerio, & officio exhibendo, vel exhibito stipendium excessiuum præstes, nullam pœnam Extrauag. incurris; quia illud est pretium non gratiæ, & iustitiæ, sed ministerij & officij exequendi; tametsi indebitum. At si excessum pretij concedas Superiori, vt illum allicias ad gratiam concedendam, vel iustitiam ferendam, vel concedas familiari Principis, Notario, vel Aduocato, vt ratione familiaritatis quam cum Superiore habent illum flectant ad gratiæ concessionem sine dubio pœnis huius Extrauag. subiiceris, quia eo casu excessus non est pretium obsequij exhibendi, vel exhibiti, sed gratiæ, vel iustitiæ consecutionis medio fauore: debet tamen recipiens conscius esse huius intentionis: sic Nauarr. *not ab.* 9. *num.* 51. Molin. *disp.* 92. *vers. quando.*

Tertia actio in Extrauag. Gregor. XIII. prohibita est, si mentiaris fingens te prædictorum operam & industriam pretio, vel muneribus quæsiuisse; quia si hæc fingas ei à quo gratia, vel iustitia est obtinenda permouere illum potes ad concessionem. Si verò gratiam, vel iustitiam procuranti tacitè extorques ab illo pretium, quod fingis à te exhibitum. Præter has tres actiones principales addidit Gregor. quartam accessoriam, scilicet præstare auxilium, consilium, vel fauorem in aliqua ex prædictis actionibus contentis in Bulla Bonifacij VIII. & Gregor XIII.

Vt autem in his quatuor actionibus locum habeant pœnæ, adesse debet præsumptio, vt colligitur ex illis verbis Textus *Audentes qualecunque horum facinorum,* &c. quæ præsumptio non requiritur pro priori duplici actione ex Bulla Bonifac. VIII. relata, vt aduertunt Doctores relati.

Pœnæ in supradicta Extranagant. impositæ variæ sunt. Prima, quam tulit Bonifac. VIII. & Gregor XIII. confirmauit, est excommunicatio ipso iure lata, & Pontifici reseruata. Secunda irritatio gratiæ, vel iustitiæ sic obtentæ. Tertia obligatio restituendi pauperibus pretium acceptum, antequam beneficium absolutionis obtineatur. Nam esto spectato iure naturæ dari, reddendum esset maximè ante gratiæ vel iustitiæ expeditionem: at Pontifex ob commissam turpitudinem vtrumque dominio pretij priuauit, & pauperibus applicuit, quibus antè impensum absolutionis beneficium præcipit tradendum, si fieri potest.

In Extrauag. verò Gregor. XIII. vltra supradictas pœnas priuantur ipso iure delinquentes omni beneficio Ecclesiastico, & omni officio tam Ecclesiastico, quàm sæculari, tam perpetuo, quàm temporali; infamiæque perpetuæ subiiciuntur,

quod

quod intelligendum est posita sententia saltem declaratoria criminis : Vti notat Nauarr. *notab.* 31. *numero* 44. Axor. *t.* 3. *lib.* 12. *cap.* 24. *quæst.* 86. Filliucius *tract.* 15. *cap.* 9. *quæst.* 4. Item redduntur inhabiles ad illa omnia officia, & beneficia, & ad quæcunque alia, & insuper arbitrio iudicis sunt puniendi pro vnuscuiusque delicti qualitate, & aliorum exemplo dignum fuerit : illis tamen qui rem adhuc incognitam, complicésque, ac fautores, & socios detexerint, impunitas conceditur.

Hæ pœnæ comprehendunt omnes clericos, Religiosos, & laicos vtriusque sexus siue familiares curiæ, siue vndecunque alios. Sed an comprehendantur Cardinales, & Episcopi? Difficultate non caret. Videtur namque non comprehendi, quia nomine clericorum esto in lege fauorabili veniant omnes in dignitate constituti, non autem in lege pœnali, & odiosa : vti tradit Abbas *in Rub. de vita, & honest. clericor. num.* 4. & aliis relatis Sanch. *lib.* 6. *in decal. cap.* 15. *num.* 74. Sed longè verius est sub hac constitutione comprehendi Cardinales, & Episcopos, & à fortiori quoslibet alios Clericos in dignitate constitutos. Nam quamuis secundùm frequentem loquendi vsum nomine Clericorum non soleant Episcopi, & Cardinales, neque personæ in dignitate constitutæ intelligi ; attamen in præsenti ex subiecta materia, & legis fine comprehensi intelliguntur. Quippe Pontifex suam domum, & curiam intendit hac constitutione ab illa iniqua gratiæ, vel iustitiæ concessione, & negociatione purgare. At huiusmodi finem non consequeretur, si Episcopos, Cardinales, aliósque in dignitate constitutos non comprehenderet, cùm hi sint præcipuè, à quibus gratia, vel iustitia apud Sedem Apostolicam obtinetur. Quinimò nullus qui in dignitate constitutus non sit, valet gratiam, vel iustitiam nomine Sedis Apostolicæ concedere. At concedens gratiam vel iustitiam ex pretio accepto, vel promissione illius acceptata pœnis prædictarum Constitutionum afficitur. Ergo sub nomine Clericorum initio constitutionum appositò, omnes Clerici etiam dignitate fulgentes intelliguntur. Ergo etiam intelliguntur Episcopi, & Cardinales, cùm nullum fundamentum sit, quare ij excipiantur à nomine Clericorum absolutè prolato, potiùs quàm reliqui in dignitatè alia constituti.

Fateor tamen probabile esse Cardinales, imo Episcopos ob eorum eminentem dignitatem non comprehendi in pœnis additis à Gregor. XIII. scilicet in priuatione beneficiorum, & officiorum, & inhabilitate ad illa, & in infamia, quia cùm hæ pœnæ grauissimæ sint, & statum Cardinalium, & Episcoporum dedeceant, si Pontifex eos voluisset comprehendere, absque dubio expressisset. Vti docet Nauarr. *dicto comment. de datis, & promissis, notab.* 6. *num.* 9. Molina *dicta disp.* 92. *vers. hac Extrauagans.* Bonacina *disp.* 2. *q.* 3. *p.* 31. *numero* 16. Excommunicationem, & pœnas in his Extrauagantibus contentas extendit Clemens VIII. in Bulla quæ incipit, *Pro commissa nobis*, quæ est decima in ordine illius Pontificis : ad omnes illos qui præfatas actiones faciunt apud quæcunque tribunalia Ecclesiastica, & eorum quoscunque Iudices etiam laicos almæ Vrbis Romanæ curiæ, ac extra eam in quibuscunque locis temporali ditioni Pontificiæ mediatè, vel immediatè subiectis. Et licèt hæc Constitutio lata fuerit in fauorem boni, rectique regiminis, at non solùm promissiones, & donationes pro gratia, vel iustitia directè bonum publicum spectantes prohibentur, sed etiam quæ singulorum bonum, & vtilitatem respiciunt, vt benè aduertit Bonac. *disp.* 2. *q.* 3. *p.* 31. *n.* 4. Tum quia hæc Extrauag. Bonif. VIII. & Gregor. XIII. prohibita erant. Tum quia bonum commune, & rectum regimen ex singulorum actionibus pendet.

32 Decima excommunicatio fertur in Extrauag. Ioann. XXII. quæ incipit : *Dierum crescente malitia, tit. de pœnis*, vbi Pontifex excommunicat ex commorantibus in prouincia Marchiæ Anconæ eos qui eius Rectores, seu Officiales, Iudices, Thesaurarios seu locum illorum tenentes occiderint, vulnerauerint, captiuauerint, ceperint, detinuerint, insecutive fuerint, vel insultum fecerint contra aliquem illorum, vel in locum vbi moram trahunt, aduersus eos qui in prædictis auxilium, consilium, vel fauorem præstiterint. Adduntúrque aliæ pœnæ similes iis quæ statuuntur *in capite felicis, de Pœnis in 6.*

Hanc constitutionem non videtur improbabile vsu abrogatam esse, sicuti indicat Filliucius *tract.* 15. *cap.* 4. *q.* 9. *num.* 93. & colligi potest ex eo quòd graues Doctores recensentes excommunicationes in Extrauagantibus contentas huius non meminerunt. Vti Tolet. Suar. Sayrus, Nauarr. & alij.

Sed posito quòd hæc constitutio in suo primæuo robore permaneat, aduertendum est non comprehendere quoslibet delinquentes, sed eos tantùm, qui in prædicta prouincia commorantur, vt colligitur ex illis verbis : *In ea prouincia moram trahens*, & notauit *ibi* Glossa, Bonac. *t.* 3. *de censur. disp.* 2. *q.* 3. *punct.* 47. *num.* 4. Quare aduena, & peregrinus etsi aliquam ex præfatis actionibus committat censura, & pœnis huius Extrauag. non ligatur. Secundò aduerte, esse satis probabile non contrahi hanc censuram ob offensionem cuiuslibet Rectoris, Iudicis, & Magistratus, nisi iurisdictionem habeat in spiritualibus, & temporalibus. Vti indicant illa verba Textus : *Qui pro tempore regimini dicta prouincia in temporalibus, & spiritualibus authoritate Apostolica præfuerint.* Vt tradit *ibi* Glossa, & Bonac. *suprà*.

Vndecima addi potest ex Extrauag. *Diuina de Priuilegiis*, ij vbi Eugenius IV. excommunicationi, suspensioni, & interdicto subiicit Episcopos, aliósque Prælatos, qui venientes ad Romanam curiam causâ negotiorum beneficiis priuant, & aliis conferunt, & eisdem pœnis afficit recipientes. Hanc Constitutionem explicui *pun.* 1. §. 13. quta coincidit cum excommunicatione Bullæ Cœnæ.

Solùm aduerto vsu receptum esse prædictam Constitutionem non prodesse omnibus curialibus, sed officialibus Papæ, Cardinalibus, Cardinalium familiaribus, Iudicibus, & similibus, & his tantùm solùm prodesse ne extra curiam conueniantur, non verò vt alios conuenire possint, & ad curiam trahere. Quinimò neque etiam prædictis prodest, si à curia recesserint animo non redeundi, aut longo tempore extra curiam fuerint commorati. *Leg. fin. Cod. de agentib. in reb. lib.* 12. aut si Eugenianæ cesserint consentiendo citationi alterius iudicis extra curiam competentis. *Cap.* 1. *de litis contestat. in* 6. aut si fuerint citati ob causam beneficiorum extra Romanam curiam existentium ex Conc. Trident. *sess.* 24. *cap.* 11. *de reformat.* Secundò aduerto satis probabile esse Episcopos, & eorum Superiores sola excommunicatione ligari, non suspensione, & interdicto, siquidem sub generalibus verbis tantùm exprimuntur : vt docuit Suar. *de censur. disp.* 37. *sect.* 1. *num.* 8. Filliucius *tract.* 18. *num.* 148. Tertiò aduerto excommunicationis absolutionem reseruatam esse non verò suspensionis, & interdicti. Vide Bonac. *t.* 3. *de censur. disp.* 2. *q.* 3. *p.* 3.

Punctum XXVIII.

Expenduntur excommunicationes extra corpus iuris Pontifici reseruatæ aduersus Cardinales, Episcopos, Prælatos, & Officiales Ecclesiasticos.

1 *Expenditur excommunicatio aduersus committentem simoniam in electione summi Pontificis.*
2 *Declaratur excommunicatio aduersus eos qui viuente Pontifice procurant media simonia in Pontificem eligi.*
3 *Declaratur excommunicatio aduersus eos qui non seruauerint formam præscriptam à* Greg. XV. *in electione summi Pontificis.*
4 *Declaratur excommunicatio aduersus reuelantes vota in Consistorio data.*
5 *Declaratur excommunicatio aduersus eos qui pactum aliquod inierint super futura creatione summi Pontificis ipso viuente, aut vacante Sede.*
6 *Item declaratur excommunicatio aduersus mittentes litteras ad Cardinales in Conclaui assistentes pro electione Pontificis.*
7 *Declaratur excommunicatione aduersus Episcopos, qui contra formam præscriptam à* Pio V. *beneficia contulerunt.*
8 *Item excommunicatio aduersus officiales sacra Pœnitentiaria, qui officia sua fideliter non exercuerint.*
9 *Item excommunicatio aduersus ministros Camera Apostolica, non seruantes ona à* Paulo III. *præscribuntur.*
10 *Item excommunicatio aduersus gubernatores Romana Ecclesia recipientes munera.*

PRimam excommunicationem Pontifici reseruatam vltra Iulius II. in Bulla quæ incipit : *Cum tam diuino, quam humano iure* aduersus sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, qui Sede vacante in electione summi Pontificis simoniam committunt promittendo, vel recipiendo ; ipsáque electio irrita esse decernitur, & insuper sic electus, & electores priuantur dignitate Cardinalitia, beneficiis, & officiis, nisi intra octo dies postquam fuerint requisiti se coniunxerint aliis qui à dicta simonia immunes existunt, conceditúrque Clero, populóque Romano impunè recedere ab obedientia dicti Pontificis. Quod si ipse se regimini Ecclesiæ ingesserit, possunt Cardinales implorato auxilio Brachij sæcularis eum remouere, aliúmque eligere, ad cuius electionem etiam Cardinales simoniaci concurrere possunt. Extenditur pœna hæc excommunicationis, & priuationis, beneficiorum, officiorum, & bonorum, & inhabilitatis ad illa, ad eos omnes qui quoquo modo in prædictis adiutores extiterint. Deinde ad eos qui huic dispositioni, & Constitutioni contrauenire, seu contra aliquid ibi contentum statuere, disponere, ordinare, vel aliquo modo facere præsumpserint quocunque quæsito colore, vel causa, vti latiùs in prædicta Bulla continetur. Quæ Bulla recepta fuit à Concilio Lateranensi, *sess.* 5. sub Leone X. vbi

vbi statuitur excommunicatio reseruata aduersus eos qui post mortem Pontificis simoniacè procurauerint eligi in eius successorem.

2 Secunda habetur in Bulla Pauli IV. quæ incipit *Cùm secundum Apostolum*, & est 16. huius Pontificis in ordine, vbi Pontifex ob cauendum periculum captandæ mortis summi Pontificis statuit sub excommunicatione ipsi reseruata, aliisque pœnis, nequis viuente Pontifice procuret mediâ simoniâ in Pontificem eligi, quod præstare censebitur, si vota Cardinalium subornauerit, vel ab eis fidem exegerit de futura electione. Néve Pontifice viuente, & eo inconsulto tractauerit, seu tentauerit per se, vel per alium verbis, scriptis, seu nuntiis de futuro Pontifice eligendo. Tractare autem dicetur, si tractet qualiter aliquis in Papam eligi possit, qualitérque Cardinales ad illius electionem possint induci. Secùs verò esset si solùm affirmaret aliquem ea suprema dignitate dignum esse; non enim inde infertur tractare de eius futura electione, quippe tractatio in præsenti est quædam tacita illius dignitatis procuratio, & ambitio. Eadem excommunicatio, & pœnæ extenduntur ad mediatores, proxeneras, nuntios, mandatarios, procuratores seu ad omnes illos qui in præmissis consilium, auxilium, vel fauorem præstiterint, nisi cùm primùm commodè possint Pontifici, vel alteri ab eo designato reuelauerint. Actandem eidem excommunicationi, & pœnis subiiciuntur prædictam constitutionem impugnantes: impugnare autem censebuntur si affirment, vel aliquo modo persuadere procurent eam constitutionem in totum, vel in partem esse iniustam, inualidam, irrationabilem, & regimini Ecclesiæ minùs decentem.

3 Tertia continet in Extrauag. Gregor. XV. quam Vrbanus confirmauit in Bulla quæ incipit: *Æterni Patris*, vbi Cardinalibus sub pœna excommunicationis reseruatæ præscribitur forma eligendi summum Pontificem Sede vacante, & aliter facta electio irrita decernitur, complicésque & fautores huius initæ electionis, tametsi Cardinales non sint, eidem excommunicationi subiiciuntur, à quà excommunicatione censet Bonac. *tom. 3. de censur. disputat. 2. quæst. 7. punct. 1. numero 8.* absoluere non posse Episcopos virtute Conc. Trident. nequeReligiosos mendicantes virtute suorum priuilegiorum; eo quòd summo Pœnitentiario hæc potestas adempta sit, ibi: *Nullo neque etiam à maiori Pœnitentiario, cuiuscunque facultatis vigore præterquàm à summo Pontifice nisi in mortis articulo absolui possit.* Sed hoc mihi durum videtur, quia priuilegia Concilij generalis non sunt censenda derogata, nisi manifestis verbis derogatio fiat. At superiore clausulâ non est censenda derogata facultas Episcopis concessa in Conc. Trident. quia si id vellet Pontifex expressisset, sicuti expressit summum Pœnitentiarium. Maximè cùm facultas concessa Episcopis absoluendi à reseruatis solùm forum conscientię spectet, quacum compati potest absoluta huius censuræ reseruatio.

4 Quarta lata est à Leone X. in Bulla 7. illius Pontificis, edita anno 1514. quæ incipit: *Supernæ dispositionis arbitrio*, quæque refertur in Concilio Lateranensi in hæc verba. *Statuimus, ne quis Cardinalium vota in consistorio data, & quæcunque ibi gesta, aut dicta, quæ in odium, aut in præiudicium, aut scandalum alicuius redundare possint scripto, aut verbo, vel quouis alio modo reuelet sub pœna periurij, & inobedientiæ, & quotiescunque à nobis, & Romano Pontifice pro tempore existente specialiter, & expressè vltra præmissa indictum fuerit super aliqua re silentium, si quis contra fecerit vltra pœnas, excommunicationem latæ sententiæ incurrat.*

Hanc excommunicationem dubitant Nauatr. & Suar. *in præsenti.* Et Caietan. *verbo excommunicatio in fine.* Et Author libri excommunicationum Pro Episcopatu Bononiensi, *cap. 1. de excommunic. n. 2.* an vsu recepta sit? Sed communis sententia affirmat absolutè receptam esse, & meritò; cùm eius obseruatio bono Ecclesiæ, & recto illius regimini maximè expediat.

Quas personas, & ob quas actiones hæc excommunicatio afficiat? non conueniunt Doctores. Bonac. *t. 3. de censur. disp. 2. q. 7. pun. 2.* existimat eos tantùm, & non alios comprehendi, quibus Pontifex secretò aliquid commiserit, siue Cardinales sint, siue non. Probat, quia esto Pontifex in principio de Cardinalibus locutus fuerit, postmodum verò generaliter, & indistinctè sermonem fecit dicens: *Si quis contra fecerit.* Neque Pontifex videtur excommunicationem apposuisse aliis quàm iis, quibus ipse silentium indixit: nam reuelatores eorum quæ in consistorio dicta, vel gesta sunt periurij, & inobedientiæ reos esse decernit. Sed longè verius est hac excommunicatione solos Cardinales comprehendi, eósque comprehendi siue reuelauerint quæ à Pontifice sub secreto specialiter, & expressè acceperint, siue quæ in consistorio dicta, vel gesta sunt, quæ reuelata in odium, præiudicium, aut scandalum alicuius redundare possint: vti docuit Filliucius *tract. 15. cap. 9. quæst. 3. num. 200.* Prior pars conclusionis, scilicet solos Cardinales comprehendi inde colligitur, quia textus de solis Cardinalibus loquitur, vt constat ex illis verbis. *Statuimus ne quis Cardinalium.* Prohibet namque Pontifex ne vllus ex Cardinalibus reuelet verbo, vel scripto vota in consistorio data, & quæcunque ibi gesta, aut dicta quæ in odium, aut præiudicium, aut scandalum alicuius redundare possint; & quotiescunque vltra hæc præmissa à Romano Pontifice specialiter, & expressè indictum fuerit super aliqua re silentium. Notanda enim est dictio *&*, quæ copulatiua est præcedentium, & qualitatem præcedentis clausulæ in consequenti exprimit. Cùm igitur in præcedenti clausula de solis Cardinalibus sermo sit, vt manifestè constat, & concedit Bonac. subsequens clausula de solis Cardinalibus intelligi debet. Præterquam quòd sub eadem clausula continetur, nequis Cardinalium reuelet in consistorio acta, & quæ si Pontifice specialiter, & expressè sub silentio fuerint indicta. Quod verò ob reuelationem eorum quæ in consistorio dicta, vel gesta sunt, quæque reuelata in alicuius præiudicium cedere possunt, excommunicationem Cardinales incurrunt; inde mihi persuadeo; quia illa clausula generalis: *Si quis contra fecerit*, refertur ad ea omnia quæ in antecedenti statuta sunt. At in clausula antecedenti statutum est, ne quis Cardinalium reuelet vota in consistorio data, & quæcunque ibi gesta, vel dicta, quæ in odium, præiudicium, aut scandalum alicuius redundare reuelata possint. Ergo hæc reuelantes in excommunicationem incidunt.

Hinc constat te in hanc excommunicationem non incidere, si ea quæ tibi Cardinalis iniquè manifestauit, quæque ipse à Pontifice secretò accepit, reueles. Tum quia Cardinalis non es, quos tantùm hæc constitutio comprehendit. Tum quia non reuelas ea quorum silentium tibi indictum sit à Pontifice, tametsi aliis indictum fuerit. In præsenti autem constitutione videtur requisitum, vt reuelatio secreti ab eo fiat, cui secretum à Pontifice commissum est, quia hæc est propria secreti indicti violatio in contemptum indicentis cedens.

Quinta lata est à Gregor. XIV. in Bulla quæ incipit: *Cogit nos*, & est confirmatoria Bullæ Pij IV. incipientis *Io eligendis* quæ est 81. eiusdem in ordine, vbi Pontifex prohibet omnibus cuiuscunque gradus, & dignitatis etiam Imperialis, & Cardinalitiæ sub excommunicationis reseruatæ pœna, ne promissiones, stipulationes, conuentiones, aut pacta, aut contractum aliquem nominatum, aut innominatum faciant super vita, aut morte, aut super futura creatione summi Pontificis viuente ipsomet summo Pontifice, aut vacante Sede Apostolica, aut super promotione Cardinalium. Nam esto huiusmodi promissiones, conuentiones, & pacta spectato iure naturæ licitæ sint, vtpotè de re dubia, & incerta, attamen ne illarum occasione Pontificis viuentis mors captetur, & futuri electio, aliorúmque Cardinalium mediis illicitis obtineatur, iure positiuo prohibentur tum sub pœna excommunicationis, tum sub irritatione contractus etiam iuramento vallati, tum sub obligatione in conscientia restituendi pauperibus pretium, ea occasione receptum. Quas pœnas extendit Pontifex ad eos qui in suis terris, locis suo dominio subiectis tacite, vel expressè prædicta pacta, & conuentiones permiserint. Itemque ad omnes eos qui in prædictis auxilium, consilium, vel fauorem præstiterint. 5

Sexta fertur in Bulla Pij IV. in ordine 63. edita anno 1562. cuius initium est: *In eligendis Ecclesiarum Prælatis*: vbi Pontifex sub excommunicatione ipsi reseruata prohibet litteras, aut cuiusuis generis scripta ad eos qui in Conclaui erunt, seu nuntium, vel notam, aut signum mittere, aut recipere, aut econtrà è conclaui ad eos qui foris erunt. Insuperque prohibet etsi non sub excommunicatione, vt clauso conclaui nulli ad colloquia etiam extra portam conclauis etiam Principum oratoris nisi ex magna, & vrgenti causa à maiore parte Collegij approbanda admittantur. Hæc excommunicatio quantum comprehendit mittentes litteras, seu secretò cum existentibus in conclaui loquentes, lata erat absque reseruatione in *cap. vbi periculum, de Electione in 6.* Finis huius excommunicationis est, vt electio futuri Pontificis libera omnino sit. 6

Ex hoc fine non videbitur alicui improbabile litterarum missionem, & secretam locutionem de alia materia distincta ab electione Pontificis, præsenti constitutione non prohiberi. Nam semper materia legis ex fine ipsius desumenda est. Neque est verisimile velle Pontificem eam litterarum missionem, & locutionem prohibere, quæ ad suam intentionem non pertinet, neque ei præiudicare potest. Neque obstat textum generaliter, & indistinctè cuiusuis generis scripta interdicere; quia illa verba *cuiuscuis generis* non ad materiam in scriptura contentam, sed ad modum scripturæ referri debent, ita vt sensus sit, qui litteras missiuas, aut cuiusuis alterius generis, & modi scripta miserit, ex quorum missione, vel receptione libera Pontificis impediri possit electio excommunicatus existat. Ex eodem etiam fine desumendum est, an litterarum missio grauitatem peccato mortali requisitam attingat. Si enim ex se leuiter nocere possit, & non grauiter intentioni Pontificis à peccato mortali, & consequenter à censura excusabitur. Nihilominus consultum est à qualibet litterarum missione, & secreta

secretâ locutione omnino abstinere. Tum ob scandalum. Tum quia saltem in foro exteriori dum veritas non manifestatur sic litteras mittens, recipiens, & secretò colloquens excommunicationi subiectus erit.

7 Septimam excommunicationem tulit Pius V. in Bulla quæ incipit: *Quanta*, vbi Episcopos, & quoscunque alios, qui contra formam ibi præscriptam beneficia conferunt, suspendit. Quòd si suspensionem ipsam viciauerint excommunicationi sibi reseruatæ subiicit. Capitula verò, & communitates loco excommunicationis à Diuinis suspendit, & interdicit. Hanc excommunicationem latè explicui *tract. 13. de benef. disput. 6. pun. 2. §. 1.*

8 Octaua excommunicatio fertur in Bulla Pij V. 83. quæ incipit: *In omnibus rebus*, vbi Pius V. vt rectæ, & puræ expeditioni sacræ pœnitentiariæ consuleret, statuit vt illius officiales officia sua per se ipsos tum diligenter, tum etiam fideliter exerceant, soliique præsentes, & actu exercentes nisi legitimè impediti fructus, & emolumenta percipiant, quorum singulis certum, statutúmque aliunde stipendium cuique conueniens decernit assignari, quo solo præcepit contentus esse debere, nihilque aliud etiam sponte oblatum à partibus, aut aliàs siue pro expeditionis celeritate, siue pro alio extraordinario labore tam procurando, quàm scribendo, aut recognoscendo, & examinando capere possint. Quicunque secùs fecerint officio suo huiusmodi priuari excommunicationis reseruatæ sententiæ ipso facto subiiciuntur.

Dubium tamen est, An hæc excommunicatio afficiat non solùm recipientes aliquid à partibus, aut aliunde vltra stipendium assignatum, sed etiam recipientes stipendium assignatum, cùm absque legitima causa absunt. & per se officium non exercent? Affirmatiua pars videtur vera, eo quòd clausula illa in fine posita scilicet, *Quicunque secùs fecerint, &c.* ad omnia præcedentia referri debet, cùm non sit specialis ratio, ob quam potiùs referatur ad recipientes aliquid vltra stipendium, quàm ad recipientes stipendium officium non exercentes: quippè vtrumque æquanimiter in præcedenti clausula prohibetur. Atque ita tradit Filliucius *tract. 15. cap. 9. q. 8. num. 209.* Rectiùs tamen oppositum innuit Bonac. *t. 3. disp. 2. q. 7. pun. 6.* solos recipientes aliquid vltra fructus, & stipendium sibi assignatum hac excommunicatione comprehendi. Ducor, quia hæc excommunicatio lata est, vt *num. præced.* dixi, vt concessiones sacræ Pœnitentiariæ purè, & rectè expedirentur, at huic synceræ expeditioni non obstat indebita receptio stipendij à Pontifice statui, benè tamen obstant munera recepta à partibus, aut aliàs vtpote quæ valent Officiales peruertere. Ergo sola horum receptio excommunicatione punitur. Neque credendum est velle Pontificem ob quamlibet infidelitatem, & negligentiam in exequendis expeditionibus commissam ab officialibus sacræ Pœnitentiariæ hac censura ligari. Quod necessariò fatendum esset, si excommunicatio ad omnes præcedentes actiones referretur. Quapropter dicendum censeo clausulam illam: *Quicunque secùs fecerint* non ad omnia *superius* contenta, sed ad ea quæ immediatè præcesserunt, quæque constitutionis fini obstant, referenda esse.

9 Nona habetur in extrauag. Pauli III. & est 40. eiusdem, incipitque; *Cùm sicut accepimus* aduersus thesaurarios, mercatores alioque ministros Cameræ Apostolicæ, computa administrationum, locationum, affectuum, partitorum, & exactionum reddere debentes, si huiusmodi computa videlicet integrum debitum, & inregrum creditum non descripserint, vel si aliquid penès se, aut eorum ministros, aut ab eis dependentes retineri facere directè, vel indirectè quouis quæsito colore ausi fuerint, vel si coacti per Cameram Apostolicam ad reddendam rationem de exactis, vel administratis ante tempus finitum, vel durante exactione, integrè non descripserint totum id quod tempore dationis rationis, seu computorum ad eorum, vel ministrorum, aut agentium suorum manus peruenit. Actiones ob quas hæc excommunicatio fertur, & personæ quibus imponitur ex nuper dictis manifestæ sunt. Finis autem huius constitutionis est præcauere damnũ, quod Cameræ Apostolicæ potest contingere, si in hac constitutione præscripta fideliter, ac diligenter non seruentur.

10 Decima continetur in Extrauag. Pauli II. & est 3. eiusdem, cuius initium est: *Munera*. Quam constitutionem Sixtus IV. in Bulla 15. quæ incipit: *Etsi*, confirmauit, vbi Paulus II. prohibet, ne Rectores, & gubernatores, aliique Officiales Romanæ Ecclesiæ, vel etiam Legati à latere ad regimen & gubernationem prouinciarum, ciuitatum, ac terrarum Romanæ Ecclesiæ deputati, vel deputandi à prouinciis, ciuitatibus, vel terris quibus præsunt, vel officia exercent, aut à singularibus suæ legationis regiminj, vel gubernationi suppositis aliquod genus muneris, aurum, argentum, vestem, aut equum, vel alterius cuiuslibet speciei accipiant præter esculenta, & poculenta, quæ intra biduum consumi possunt: alioquin tam dantes, quàm recipientes etiamsi pontificali præfulgeant dignitate (dummodò non sint sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, qui in sacro Collegio coram Pontifice sponte sua obtulerunt, & promiserunt non recepturos huiusmodi munera) ipso facto sententiam excommunicationis incurrunt, à qua absolui non possunt nisi à Romano Pontifice, præterquàm in mortis articulo constituti. Hæc constitutio comprehendit tantùm iudices status Ecclesiastici, & non quoslibet, sed locorum Pontifici subiectorum. Vt in hanc excommunicationem incidant recipere munera debent ab iis qui ipsis subditi sunt, vel apud quos sua officia exercent, quia horum munerum receptione periculum est vt à iustitia deflectant. Dantes verò iis munera excommunicatione ligantur, quia huic periculo peruersionis occasionem præbent. Præter excommunicationem obligantur recipientes reddere omne id quod acceperunt & aliud tantumdem. Quoad eam partem, qua tantumdem reddere tenentur, certum existimo sententiam saltem declaratoriam crimis requiri, ne suæ propriæ pœnæ sint executores se priuando dominio acquisito. At quoad partem, qua acceptum obligantur reddere, reputo probabilius secluſa sententia obligari, vtpote rei cuius dominium non est illis acquisitum.

Sed cui facienda est restitutio? Bonacina *t. 3. disput. 2. q. 7. pun. 8.* censet pauperibus integram restitutionem faciendam esse, tam eius cuius restitutio sola pœnali constitutione debetur, quàm illius quod acceptum est, quia non est verisimile vellе Pontificem aliquid reddi donanti, cum ipse iam rei venditæ dominium abdicauit, indignúsque factus est ob crimen commissum, cui res tradita reddatur. Verìorem tamen censeo sententiam Filliucij *tract. 15. cap. 9. q. 8. num. 210.* asserentis rem acceptam restitui posse donanti ante sententiam condemnatoriam; aliud verò tantundem, quod pœnali constitutione restitui præcipitur soliis pauperibus restituendum esse. De hac secunda parte nemini est dubium, cùm obligatio restituendi illam quantitatem solùm ex lege pœnali prouenìat, & posita sententia condemnatoria, quæ nunquam donanti, sed pauperibus, aliisque operibus piis restitutionem applicabit. Priorem partem probo, quia cùm rei acceptæ dominium non sit translatum in accipientem, eo quòd translatio lege impediatur, videtur penès donantem remancre, quia vt illo donans priuetur sententia declaratoria criminis requisita est. Sicuti requiritur ad obligationem restituendi illius tantundem quod acceptum est.

PVNCTVM XXIX.

Expenduntur excommunicationes reseruatæ extra corpus iuris, aduersus Clericos, & Religiosos.

1 *Expenditur excommunicatio aduersus Ecclesiasticas personas, quæ Ecclesiasticos ad forum laicale trahere præsumpserint.*

2 *Item excommunicatio aduersus eos qui beneficia conferunt animo declarato, vt beneficium sibi, vel alteri reſgnetur.*

3 *Item excommunicatio aduersus Clericos Episcopo inferiores, qui obtinentes à Pontifice Ecclesias parochiales cum iuramento illis intra certum tempus personaliter inseruiendi, iuramentum non adimplent.*

4 *Item aduersus declarantes scripturam contra proprium sensum.*

5 *Declaratur excommunicatio aduersus ingredientes Monasteria Monialium absque licentia Episcopi.*

6 *Declarantur aliæ excommunicationes contentæ in particularibus priuilegiis.*

PRima excommunicatio aduersus Clericos enumerari potest, quam tradidit Martin. V. in Bulla 10. eiusdem quæ incipit: *Ad reprimendos*, edita anno 1428. aduersus personas Ecclesiasticas cuiuscunque dignitatis existant, quæ aliam personam Ecclesiasticam, collegium, vel conuentum in actione reali, mixta, vel personali, ciuili, vel criminali, etiam occasione cuiuscunque summissionis etiam iuramento vallatæ, vel aliàs ad forum, seu iudicium laicale directè, vel indirectè trahere præsumpserint, Deinde excommunicantur ipsi iudices sæculares iurisdictionem in Ecclesiasticos exercentes, & omnes alij qui prædictæ actioni cooperati fuerint mandato, auxilio, consilio, vel fauore, aut eam ratam habuerint suo nomine, & mandato factam. Hæc excommunicatio quoad priorem partem differt ab excommunicatione Bullæ Cœnæ: nam in Bulla Cœnæ excommunicantur tam sæculares, quàm Ecclesiastici trahentes personas Ecclesiasticas ad iudicium sæculare, non quidem authoritate Ecclesiastica, sed sæculari: at præsenti Constitutione excommunicantur Ecclesiastici, qui authoritate Ecclesiastica non laicali ad sæculare tribunal trahunt Ecclesiasticos. Quæ excommunicatio non videtur reseruata. Quoad secundam verò partem in Bulla Cœnæ Domini continetur, ibique & in præsenti reseruata est. 1

Secundam excõmunicationem tradidit Pius IV. in Bulla 85. 2
in

in ordine, quæ incipit: *Romanum Pontificem*, quam confirmauit Pius V. in Bulla 85. incipiente: *Intolerabilis multorum peruersitas*, aduersus eos qui beneficia conferunt, eligunt, vel præsentant, seu resignant animo declarato, vt beneficium sibi, vel alteri resignetur, vel fructus in totum vel in parte soluantur, quæ simonia confidentialis nuncupatur. De qua latè egi *tract.* 17. *disput. vltim. de simonia punct.* 18. & 25.

Tertia est, quam idem Pius IV. in Bulla 87. quæ incipit: *Inter multiplices curas, quibus ex pastoralis officij debito*, tulit aduersus Clericos Episcopo inferiores, qui obtinentes à Pontifice Ecclesias parochiales cum iuramento illis intra certum tempus personaliter inseruiendi, iuramentum non adimplent. Item aduersus eos qui prædicta beneficia resignant, permutant, vel cedunt quauis causa, & occasione, & aduersus eos qui ea beneficia resignata, permutata, vel cessa acceptant, & recipiunt. Quinimo aduersus omnes illos siue Clerici, siue laici sint, qui in prædictis auxilium, consilium, vel fauorem scienter præstiterint. Hæc excommunicatio, vt benè notat Bonacina *t.3. disput.2. quæst.5. punct.1.* vsu videtur abrogata, cuius indicium est non referri in Bullario nouo, neque prædictum iuramentum in prouisionibus parochialibus Pontificiis exigitur.

4 Quarta refertur in Concilio Lateranen. *sess.* 11. à Leone X. in Bulla quæ incipit; *Supernæ maiestatis*, vbi omnes tam sæculares, quàm regulares excommunicationi reseruaræ subiiciuntur, si sacram scripturam contra proprium sensum ab Ecclesia approbatum explanare, & prædicare præsumpserint: Notandáque est dictio *contra*, quia sola explicatio, & prædicatio aduersa sensui ab Ecclesia recepto damnatur, non autem quæ præter est, vt benè aduertit Azor. *tituł.* 1. *institut. moral. l.*8. *capite* 2. *quæst.* 3. Eidem excommunicationi subiicit eos qui tempus præfixum futurorum malorum, vel Antichristi aduentum, aut certum diem iudicij prædicare, vel asserere præsumunt, cùm Veritas dicat: *Non est vestrum nosse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate.* Ac tandem eadem ex communicatione innodantur qui de cætero in sermonibus suis publicis alia quoque futura ex litteris sacris constanter prædicare, vel illa ab Spiritu Sancto, aut Diuina reuelatione se habuisse affirmare, vel alienas inanes diuinationes asseuerando, aut alio quoquo modo tractando assumunt. Vnde infertur nullam futuri euentus reuelationem te posse publicè prædicare nisi ex licentia Pontificis, aut si periculum sit in mora, & necessitas vrgeat ex licentia Ordinarij, re prius cùm tribus, vel quatuor viris doctis diligenter examinata. Miracula verò ficta, aut incerta prædicare etsi grauissimum peccatum sit, huic tamen excommunicationi non subiicitur: sicuti aduertit Suarez *disput.* 22. *sect.*6. *numero* 8. & Bonac. *disputat.*2. *quæst.*6. *punct.*2. *numero* 10.

Ad extremum aduerto hanc excommunicationem, sicut & plures alias statutas in dicto Concilio Lateranensi sub Leone X. vsu receptas non esse, teste Caiet. *verbo Excommunicatio, cap.*81. Nauarr. *c.*27. *num.*110. Bartholomæo Carranza *in sum. Concil. in fine illius Concilij.* Et inclinat Suar. *disp.* 22. *sect.*6. *num.*8. Filliuc. *tract.*15. *c.*7. *q.*6. *numero* 117. Bonac. *suprà, num.*1.

5 Si verò de excommunicationibus specialiter contra Religiosos latis, extra ius commune contentis loquamur, enumerari primò potest, quam tradit Concil. Trident. *sess.*25. *cap.* 5. *de Regularibus* aduersus ingredientes monasteria monialium absque licentia Episcopi in scriptis obtenta, & licèt ibi non reseruetur excommunicatio, reseruata tamen est in Bulla Pij V. quæ incipit *Regularium personarum*, & in illa eiusdem incipiente: *Romanum Pontificem*, vbi etiam fermo est de mulieribus monasteria virorum ingredientibus, de quibus excommunicationibus latè egi *tract.*16. *de relig. disput.*4. *à punct.*8. *& seqq.* neque in præsenti aliquid noui dicendum occurrit.

6 Secundò referri possunt excommunicationes contentæ in particularibus priuilegiis cuicunque Ordini concessis, vti est illa quæ refertur à S. Antonin. 3. *part. tit.* 24. *cap.*70. Armilla *verb. Excommunicatio, cap.* 67. Suar. *disputat.* 22. *sect.*5. *num.* 17. Filliucio, *tract.*15. *cap.*8. *quæst.*7. *num.*197. Bonac. *disp.*2. *q.* 9. *p.*2. *n.*4. concessisse Clement. X. in fauorem Ordinis Prædicatorum, ne absque licentia Pontificis, vel suorum superiorũ Religiosi Ordinis Prædicatorũ à Minoribus recipiantur, alioquin Minores recipientes in excommunicationem incidunt. Item qua prohibentur Clausurales Minimos recipere sine licentia Pontificis, iuxta Bullam Iulij II. quæ incipit: *Virtute conspicuos.* Præterea quâ subiiciuntur excommunicationi detinentes in suis Ecclesiis, vel conuentibus apostatas Ordinis Prædicatorum, teste Antonino 3. *punct. tit.*24. *cap.*70. Item qua ligantur Fratres Ordinis S. Augustini, qui prætextu arctioris regulæ ad alium Ordinem transiuerint sine licentia Prioris Generalis, & recedentes ab eo Ordine, nisi intra octo dierum spatium redierint: vti traditur *in Memoriali clericorum, capite* 9. *excommunicat.* 37. Omitto excommunicationem latam à Pio IV. & V. aduersus omnes Religiosos Societatis, qui inconsulto Generali actualium Ordinem exceptâ Carthusiâ, transierint, & aduersus eos recipientes, quia *punct.*5. hanc excommunicationem explicui, explicans Extrauag. *Viam ambitiosa*, vbi notaui ex priuilegio Carmelitis concesso, non posse Societatis Religiosos, neque etiam ad Carthusiam transire absque licentia obtenta nostri P. Generalis. Deinde ex Bulla Pauli III. quæ incipit. *Cùm sicut*, excommunicantur Minimi se ab obedientia Correctorum subtrahentes, & in Bulla Leonis X. quæ incipit: *Licèt aliàs*, subiiciuntur excommunicationi Tertiarii Eremitæ, deferentes habitum Minimorum. In Bulla verò Pij V. quæ incipit: *Pastoralis officij*, confirmata à Gregor. XIII. in Bullis incipientibus: *Consueuit Romana* excommunicantur Minores de Obseruantia, qui in electionibus, vel ante eas per sex menses pro se, vel pro alio subornauerint; vocéque actiua, & passiua perpetuò priuentur. Qui verò ad officium in Religione obtinendum quorumuis fauorem extra religionem procurauerint vltra prædictas pœnas excommunicationis, & priuationis vocis actiuæ, & passiuæ per mensem carceri mancipandi sunt. Censetur autem subornationem committere qui promissione, seu donatione vtili suffragia quærit, fauorem verò externorum procurat, qui potentium petitionem interpellat. Insuper Clemens V. prohibuit sub pœna excommunicationis Fratribus Minoribus, ne Tertiarios Ordinis S. Francisci tempore interdicti in suis Ecclesiis ad Diuina audienda admitterent; eo quòd populus scandalum accipiebat, videns cæteros omnes excludi illis solis admissis. Tandem Paulus V. *in sua constitutione* 26. *edita anno* 1606. excommunicationem sibi reseruatam tulit, aduersus omnes Generales, Prouinciales, & Superiores cuiuscunque Ordinis: qui Religiosos sibi subditos, hæreticos, vel de hæresi suspectos Inquisitoribus, vel Ordinariis locorum vicinioribus non denunciauerint, vel denunciare volentes impedierint, aut retardauerint. Vt latius ex tenore Bullæ constat, & notauit Bonac. *t.*3. *de censur. disputat.*2. *quæst.*9. *punct.*7.

Punctum XXX.

Expenduntur excommunicationes extra corpus iuris Pontificij reseruatæ, communes omnibus personis.

1 *Declaratur excommunicatio reseruata aduersus eos, qui pro litteris Apostolicis impetrandis se fingunt nepotes, Vicecancellarios Cardinalium, &c.*

2 *Item declaratur excommunicatio aduersus auferentes ex Ecclesijs almæ Vrbis lapides, vel ornamenta.*

3 *Expenditur excommunicatio aduersus accedentes ad sepulchrum Domini causâ deuotionis, sine licentia Papæ.*

4 *Item excommunicatio aduersus impedientes ingredi Religionem Monachorum B. Mariæ Montis oliueti.*

5 *Item excommunicatio aduersus asserentes, vel defendentes Ordines Prædicatorum, vel Franciscanorum non esse in statu perfectionis.*

6 *Item excommunicatio aduersus deferentes alumina è terris infidelium ad terras fidelium.*

7 *Item aduersus impedientes executionem litterarum sacræ Pœnitentiariæ.*

8 *Item declaratur excommunicatio aduersus varias personas pro beneficijs obtinendis in Romana curia delinquentes.*

9 *Item aduersus tractantes de alienatione ciuitatum, vel locorum ad Sedem Apostolicam pertinentium.*

10 *Item aduersus retinentes scripturas Camera Apostolicæ.*

11 *Item aduersus publicantes indulgentiam pecuniâ receptâ.*

12 *Deinde aduersus eos qui occasione nouæ prouisionis in cathedralibus, seu collegiatis Ecclesijs aliquid exigunt, petunt, vel recipiunt.*

13 *Item aduersus eos qui Christianos in locis Turcarum inuentos, ceperint, vel in seruitutem redegerint.*

14 *Item aduersus eos qui donationibus, vel promissionibus factis, obtinent certiores fieri prouisionum à Sede Apostolica.*

15 *Item aduersus impugnantes, vel in dubium reuocantes aliquid pertinens ad institutum, vel constitutiones nostræ Societatis Iesu.*

16 *Item aduersus exigentes iuramenta in beneficiorum prouisione, obuiantia libertati Ecclesiasticæ aut Decretis* Conc. Trident.

17 *Item aduersus duellantes, vel concedentes locum duello.*

18 *Item aduersus violantes immunitatem locis sacris debitam.*

19 *Item aduersus affirmantes licere per litteras confessario absenti peccata confiteri, & ab eo absolui.*

20 *Item aduersus euulgantes libros, seu qualibet scripta* impij Thalmuth.

21 *Item aduersus imprimentes, aut vendentes breuiarium absque licentia nquisitorum, seu Ordinarij loci.*

22 *Item aduersus extrahentes reliquias ex cameteriis Romana Vrbis.*

23 *Item aduersus extrahentes frumentum, oleum, & alia ex statu Ecclesiastico. Et explicantur latè actiones in hac Bulla contenta.*

1 PRima excommunicatio Pontifici reseruata extra corpus iuris communis omnibus enumerari potest, quam tradit Leo X. in Bulla 28. quæ incipit: *Inhærendo vestigiis*, quæque est confirmatoria Bullæ editæ ab Innocentio VIII. incipiente: *Cùm sicut*; vbi excommunicat eos qui vt litteras Apostolicas gratis impetrent ex toto, vel ex parte se fingunt nepotes, fratres, familiares, aut continuos commensales Vicecancellarij, aut aliorum Cardinalium, vel Abbreuiatorum, seu scriptorum eorundem, aut aliarum personarum quarumcunque ex qualitatibus, & priuilegiis, siue ex antiqua consuetudine huiusmodi litteras ipsas in toto, vel in parte gratis expedire solent. Eidem excommunicationi subiicit officiales præmissa fieri procurantes, seu permittentes, insuperque eos à perceptione emolumentorum, quæ occasione officij ipsis prouenire possunt per annum continuum suspendit. Hæc excommunicatio vix locum habere potest, cùm nunquam eæ litteræ gratis expediantur, quin ij quibus gratis sunt concedendæ apertè cogniti sint, vt aduertit Bonac. *disp. 2. quæst. 3. punct. 5. in fine.*

2 Secunda referri potest ex Bulla Sixti IV. quæ incipit: *Cùm prouidè*, vbi Pontifex excommunicat omnes illos cuiuscunque conditionis, & dignitatis sint, qui ex Ecclesiis, seu Basilicis almæ Vrbis lapides, vel ornamenta abstulerint, aut ablata habuerint. Item qui surripiendo, aut seruando auxilium, consilium, vel fauorem præstiterint. Tandem qui prædicta scientes non reuelauerint summo Pontifici per se, vel per alios saltem per minores pœnitentiarios. Ecclesiam verò cui hæc applicata fuerint subiicit Pontifex interdicto, quousque restitutionem præster. Hanc censuram reputat Filliucius *tract. 15. capite 5. quæst. 21. numero 126.* vsu abrogatam esse, cuius indicium est, quia in Bullario nouo non continetur. Quòd probabile censet Bonac. *t. 3. de censur. disp. 2. q. 3. pun. 13.* Sed quidquid sit de hac constitutione quoad pœnam excommunicationis attinet, videtur contineri *in Bulla Cœnæ Domini clausula 17.* & in Conc. Trident. *sess. 22. cap. 11. & vlt. de reform.*

3 Tertia refertur in libro Pœnitentiali summi Pœnitentiarij teste Archidiacono apud Syluest. *verbo Excommunicatio. 7. n. 91.* S. Antonin. *3. part. tit. 24. cap. 30.* Nauarr. *cap. 27. num. 109.* Suar. *disp. 22. sect. 6. num. 9.* Filliucium, *tract. 15. cap. 5. ad finem.* Bonac. *t. 3. de censur. disp. 2. quæst. 3. punct. 39.* refertur inquam hæc excommunicatio in hæc verba. *Accedens ad sepulchrum Domini causa deuotionis sine licentia Papæ est excommunicatus, & eius absolutio Papæ reseruatur, vel summo Pœnitentiario.* Dubius est Suar. an hæc excommunicatio vim habeat? Tum quia sufficienter non est promulgata, tum quia ignoratur communiter. Tum quia non continetur in Bullario nouo, nec constat à quonam Pontifice lata sit. Ob has rationes moueor maximè ad affirmandum hanc excommunicationem non esse in vsu, sed præcipuè me mouet, quia accessus ad sepulchrum Domini ob aliam causam, quàm deuotionis non interdicitur, vt benè dicit Bonac. *suprà, num. 4.* Ergo æquum non est, vt accessus causa deuotionis interdicatur sub pœna excommunicationis reseruatæ. Deinde in Bullis, & Iubilæis, vbi agitur de voto eundi Hierosolymam, nulla mentio fit de petenda hac dispensatione, & licentia summi Pontificis. Præterea si hæc constitutio vigeret, alicui non improbabile videtur votum Hierosolymitanæ peregrinationis non obligare, eo quòd ad eius executionem requiratur licentia supremi Principis. Promissio autem pendens à voluntate Principis, tametsi includat tacitè vel expressè hanc conditionem, si Pontifex dispensauerit; probabile est nullam obligationem inducere, vt latè & eruditè probat Sanchez *lib. 5. de matr. disp. 5. num. 5. & seqq.* quia ea quæ pendet à voluntate supremi Principis reputatur à iure impossibilia. Et dato quòd votum valeret factum sub ea conditione, si Pontifex dispensauerit, sicut valet votum Religionis ab Episcopo factum expressa conditione, si Pontifex dispensationem concesserit, attamen illa conditione non expressa censet Sanchez *dicta disp. num. 26.* inualidam esse promissionem. At cùm secundùm omnes Doctores votum absolutum peregrinationis Hierosolymitanæ validum sit, indigeátque ad sui relaxationem dispensatione Pontificis, fit sanè hanc constitutionem viribus carere.

4 Quartam tulit Iulius II. in Bulla quæ incipit: *Ersi ad vniuersos Regulares*; vbi in fauorem congregationis Monachorum B. Mariæ Montis Oliueti, Ordinis Sancti Benedicti, prohibuit sub pœna excommunicationis sibi reseruatæ, ne quisquam personas, quæ de iure communi religionem ingredi non prohibentur ex sæculo fugientes, & ad dictam Congregationem venire affectantes verberibus, aut molestiis quibuslibet impedire, vel prohibere, aut à monasteriis, vel locis Congregationis eiusdem præsentibus, vel futuris diuertere, aut super hoc illis, vel eas recipientibus iniuriam, vel molestiam aliquam irrogare præsumat. Requiritur ergo ad contrahendam hanc excommunicationem. Tum vt is qui diuertitur habilis sit ad ingressum in prædictam Congregationem, vt constat ex illis verbis *spectato iure communi religionem ingredi non prohibentur*, & ex alia parte firmum ingrediendi propositum habeat, vti indicat verbum *affectantes*. Tum vt is qui diuertit violenter diuertat, molestiam quamlibet inferendo.

Difficultas est, an impediens ingressum in alias Religiones, quæ priuilegiis prædictæ Congregationis communicarent, hac censura ligarentur; Alicui videri posset non ligari, quia hæc communicatio solùm videtur esse in priuilegiis, quibus religiones vtuntur, non autem in priuilegiis, quæ solùm indirectè in fauorem religionum cedunt, & quorum ipsæ religiones nullum vsum habent, quæque directè, & formaliter sunt pœnæ non priuilegia. Nihilominus verius est ad omnia hæc priuilegia priuilegium communicationis extendi, quia absolutè illa pœnalis constitutio in fauorem religionis cedit, & ob eius causam lata est, ergo verè est religionis priuilegium, & consequenter sub communicatione priuilegiorum comprehendi debet.

Quinta lata est à Bonifac. IX. Eugenio IV. & Paulo IV, 5 in fauorem ordinis Prædicatorum, & Franciscanorum, ij enim Pontifices excommunicant eos qui asserunt, vel defendunt prædictos Ordines non esse in statu perfectionis, & eorum Fratribus non licere eleemosynis vitam sustentare, aut concionari, aut confessiones audire de licentia Pontificis. Item qui præfatos Religiosos eiiciunt ab vniuersate Parisiensi. Deinde qui violentiam locis prædictorum Religiosorum inferunt, eósve impediunt, ne possint in suis Ecclesiis celebrare, prædicare, aut eleemosynam recipere. Præterea qui apostatas supradictorum Ordinum recipiunt, nutriunt, aut auxilium, consilium, vel fauorem præstant, ne ad suum Monasterium redeant, si postquam ab Ordinario loci fuerint moniti à præmissis non desiterint. Tandem excommunicant eos qui libellos famosos, seu cantilenas aduersus Ordines prædictos edunt, retinent, vel euulgant.

An autem hæc excommunicatio afficiat eos qui prædictas actiones exercent aduersus alios Ordines in priuilegiis communicantes cum Ordinibus prædictis? Affirmandum est vt probabilius ob rationem præcedenti excommunicatione allatam. Sicuti tradit Bonacina *t. 3. de censur. disputat. 2. quæst. 3. punct. 3. 6. numero 6.* cum Salonio, Filliucio, Gambarupta, & aliis.

Sexta refertur ex Pio IV. in Bulla incipiente: *Apostolici*, 6 43. in ordine Bullarij antiqui, vbi Pontifex sub censura excommunicationis reseruatæ prohibet deferri alumina è terris infidelium ad terras fidelium Catholicorum, vel præcipit deferri, vel adducta vendere, vel emere, vel eorum delationem, venditionem, aut captionem fouere præcipuè nauium, & aluminum assecuratione. Hæc excommunicatio vsu videtur abrogata, siquidem in Bullario nouo nulla est illius mentio, atque ita indicant Bonac. *tit. 3. de censur. disputat. 2. quæst. 3. punct 44.*

Septima excommunicatio continetur in Bulla Iulij III. 7 prima in ordine, quæ incipit: *Rationi congruit*, aduersus eos qui executionem litterarum sacræ Pœnitentiariæ iniustè impediunt, aut prædicto impedimento auxilium, consilium, vel fauorem præstant. Et licèt Iulius III. expresè excommunicationem non reseruauerit, attamen implicitè id fecit, siquidem statuit sic impedientes, consulentes, & auxiliantes ligari sententiis, censuris, & pœnis in Bulla Cœnæ latis, aduersus impedientes litterarum Apostolicarum executionem. Vna autem ex pœnis, quibus hi afficiuntur est reseruatio. Ergo hæc excommunicatio reseruata est. Atque ita docuit Bonac. *t. 3. de censur. disp. 2. quæst. 3. p. 19. num. 6.* Non tamen hinc infertur potentem absoluere ab omnibus excommunicationibus reseruatis (exceptis contentis in Bulla Cœnæ) non posse ab hac excommunicatione absoluere, potest vtique, quia hæc non est excommunicatio Bullæ Cœnæ formaliter, sed extra illam: tametsi eiusdem conditionis ex dispositione legis. Exceptio autem, & restrictio priuilegij extendi non debet, sed potiùs quoad fieri possit coarctari, ideóque asserendum est solas excommunicationes in Bulla Cœnæ formaliter contentas comprehendere: vti benè aduertit Bonacina *supra, num. 7.*

Octauam tulit Paul. IV. in Bulla 12. in ordine, quæ in- 8
cipit: *Inter cæteras curas*, aduersus varias personas pro beneficiis obtinendis in Romana curia à Pontifice, seu eius Datario, delinquentes. Non autem si delinquant in impetratione beneficiorum ab Episcopis, seu aliis Ordinariis. Primò igitur excommunicat simulantes alterius personam seque,

pro illo examini subiicientes causa beneficij consequendi. Secundò impetrantes beneficium pro alio etiam eo ignorante sub spe recipiendi ab eo pensionem, aut aliquod commodum temporale, prauitate inquam simoniæ interueniente. Si enim impetrares Titio beneficium, sperans ab eo tanquam ab homine grato vt beneficium quod habet tibi, vel tuo nepoti resignet, aut in aliquam pensionem liberaliter consentiat, si nullum pactum, nullâve conuentio interuenit, credo sub hac censura non comprehendi, quia hæc censura lata est occasione purgandi curiam Romanam à fraudibus, dolis, prauitatéque simoniæ, quæ in beneficiis impetrandis à Datario, & Cardinalibus fuerant significata committi. At in impetratione sub ea spe nulla fraus, nullúmve dolum, aut simoniaca prauitas adest, neque vt talis cognosci potest. Ergo sub hac prohibitione hæc impetratio non comprehenditur, benè tamen illa, quæ ob oblationem pensionis, seu commodi temporalis tacitam, vel expressam, fit.

Denique excommunicat Pontifex eos qui pro seipsis beneficia impetrant, animo tamen illa resignandi in fauorem aliorum. Bonac. *disp. 2. quæst. 3. punct. 28. numero 6.* existimat te hac censura ligari, esto animum habeas resignandi ex consensu, & licentia Pontificis, & non aliàs, quia dolum & fraudem committere censeris ea intentione beneficium impetrans, cuius Pontifex si conscius esset non conferret. Sed verius oppositum existimo; quia impetratio sub eâ intentione non est dolosa, & fraudulenta seclusâ hac lege, vt de se constat. At hæc lex fertur ad purganda sordes, fraudes, & dolos, quæ in curia Romana significabantur adesse in beneficiorum impetratione, antequam Pontifex legem tulisset. Ergo lata non fuit ad excludendam prædictam impetrationem. Et confirmo. Pontifex hac lege remouere intendit fraudem, & dolum cognoscibile in beneficiorum impetratione: at in dictâ impetratione nequit vllum dolum cognosci, maximè si intentio animo retenta sit. Ergo sub hac lege prohibita non continetur hæc impetratio. Adde non videri improbabile ex his quæ tradit Bonacina *disputat. 2. quæst. 3. punct. 28. in fine*, hanc constitutionem non esse receptam quoad omnes actiones, seu solùm quoad primam de simulatione personæ, & subiectione supposititia examini pro beneficio obtinendo, quoad reliquas verò in cuentibus tantùm simoniacæ prauitatis. Quippe Pontifex intendit hac constitutione, & censuræ prolatione remouere à curia Romana, quod aliàs de se illicitum erat in beneficiorum impetratione.

Nona habetur in Bulla Pij V. 35. in ordine quæ incipit: 9
Admonet nos, quam Vrbanus VIII. confirmauit in Bulla incipiente: *Sacrosanctis* edita anno 1623. pridie Kalendas, Octobris, ibi enim Pontifex excommunicat omnes & singulos cuiuscunque dignitatis, & ordinis etiam Episcopalis, & Cardinalis qui sub quocunque prætextu tractauerint, consuluerint, autaliàs verba fecerint de infeudandis, & alienandis ciuitatibus, & locis ad Sedem Apostolicam immediatè pertinentibus (nisi fortè fuerint loca fisco Sedis Apostolicæ ob delicta addicta, iuxta Bullam Gregor. XIII. 65. quæ incipit: *Tanta, támque horrenda*: & Bullam Sixti V. quæ incipit, *Hoc nostri Pontificatus initio*, vel nisi fuerint à Baronibus empta durante primo triennio, iuxta Bullam Clement. VIII. 41. quæ incipit: *Iustitiæ ratio*, dummodò ad huiusmodi finem consequendum oratorem mittendum ad Sedem Apostolicam elegerint, qui munus acceptans eidem excommunicationi subiicitur. Etenim Pontifex cauere intendit damnum, quod Sedi Apostolicæ ex huiusmodi infeudationibus, & alienationibus prouenire solet, ideóque hac excommunicatione prohibet horum tractationem, & oratoris in eum finem electionem, & missionem, quia tractatione factâ, & oratore electo, & misso constringitur Pontifex ad infeudationem, seu alienationem concedendam. Deinde excommunicat Pontifex qui per se, vel per alium summo Pontifici insinuaret, vel suaderet prædictam infeudationem, seu alienationem, quia efficacior causa extorquendi à Pontifice infeudationem, seu alienationem. Quod si dicas qualiter hæc insinuatio, vel suasio inducere excommunicationem potest, facta Pontificinam eo ipso sit ex eius consensu. Respondendum est stare optimè posse, quod insinuatio, suasio fiat Pontifici, & tamen fiat contra eius voluntatem. Tum si prædicta suasio dolosa sit. Tum si fiat post suasionis repulsam.

Decima referri potest ex Bulla Pij V. in ordine 60. quæ 10
incipit; *Cùm de litteris*, vbi Pontifex singulares personas excommunicationi, Ecclesias, Capitula, Conuentus, & Monasteria interdicto subiicit, eo quòd scripturas Cameræ Apostolicæ retinuerint, aut retentores non reuelauerint. Verùm, vt rectè aduertit Bonacina *tom. 3. de censur. disputat. 2. quæst. 3. punct. 11. numero 1.* hæc excommunicatio temporalis fuit ob delicta præterita, & reuelationem faciendam quibusdam singularibus personis ibi relatis, quæ iam obierunt. Eandem excommunicationem tulit Sixtus V. in Bulla quæ incipit: *Non sine maxima*. Quæ eius morte videtur cessasse, vt ipsemet Bonac. *numero 4.* notat, quia restitutio, & reuelatio scripturarum fieri præcipitur intra sex dierum terminum proximè futurorum, & cuidam Lofredo Lomelino, quem constat obiisse.

Vndecima ferturin Bulla Pij V. in ordine 99. quæ incipit: 11
Quamplenum, vbi inferiores Episcoporum excommunicatione retentata ligantur, Episcopis verò, & eorum superioribus, & Cardinalibus suspensio ab ingressu Ecclesiæ, & à perceptione fructuum indicitur, si pecuniam soluentibus indulgentiam puolicent, facultatémve absoluendi à casibus concedant; quæ publicatio, indulgentiarum, & facultatis concessio, vtpotè iniqua, & simoniacè facta à Pontifice in dicta Bulla irritatur, & annullatur, & annullatur. Vide quæ dixi *tr. 6. de charitate, vbi de eleemosynarum quæstoribus.*

Duodecima continetur in Bulla Pij V. in ordine 104. quæ 12
incipit: *Duram nimis*, edita die Kalend. Iunij, anno 1570. in confirmationem Conc. Trident. decreti, *sess. 24. cap. 14. de reformat.* aduersus eos qui occasione nouæ Prouisionis, seu possessionis, Canonicatuum, seu beneficiorum in Cathedralibus, seu Collegiatis Ecclesiis consistentium aliquid petunt, exigunt, vel recipiunt sibi, vel aliis applicandum, fructúsve beneficiato prouenturos inter se diuidunt. Hæc enim simoniacam labem, sordidámq; auaritiam redolent. Quapropter hæc committentes si Episcopo inferiores fuerint excommunicationis vinculo innodantur; Episcopi verò, eorúmque Superiores à Pontificalibus suspenduntur, capitula, & collegia subiiciuntur interdicto.

Huic constitutioni non aduersatur consuetudo plurium Ecclesiarum, qua noui Canonici, vel beneficiati nihil per semestre, vel annum recipiunt ex beneficij fructibus, sed inter antiquos diuiduntur, totidem tamen post illorum mortem reseruantur pro solutione debitorum, & funeralium, quia hi fructus non cèlentur oblati, sed dilati, vt refert Barbosa decisum in remissionib. Concilij in hæc verba: Neque hoc decreto, neque Bulla Pij V. comprehenduntur statuta Ecclesiastica deseruiendi per annum, vel aliquod tempus, & nihil percipiendi interim de massa grassa, nisi peracto integro decreto seruitio idque post obitum hæredibus deberi, cùm potius sit differre, quàm auferre, & notauit Gutierr. *canonic. qq. lib. 1. cap. 29. num. 30.* Neque item aduersatur prædicto Concilij decreto, & Pij V. constitutioni consuetudo erogandi aliquid fabricæ, vel alteri loco pio, & notauit Gutierr. *dicto cap. 29. in fine.* Solùm est aduertendum Pium V. in sua Bulla statuisse, vt vbicunque beneficij fructus, & distributiones fabricæ vel sacristiæ, aut alterius pij loci vsibus vltra semestre tempus reperiantur concessi, horum dumtaxat dimidia pars ipsi sacristiæ, vel fabricæ, aut pio loco deinceps tribuatur, alteram verò beneficiatus integrè percipiat. Sicuti aduertit Bonac. *t. 3. de censur. disp. 2. q. 3. p. 20. num. 5.*

Decimatertia habetur in Bulla 149. Pij V. quæ incipit: *Li-* 13
cèt omnibus nouissimum sit bellum hoc, vbi Pontifex excommunicationi subiicit siue sacri fœderis militem, siue quemcunque alium qui Christianos in locis Turcarum inuentos ceperit, & in seruitutem redegerit, ipsósue inuitos ad remigandum coëgerit, etiam mercede soluta, vel illorum bona abstulerit, cùm omnes obligati sint dictos Christianos amicabiliter tractare, ac liberè cum liberis suis, coniugibus, & bonis abire permittere.

Probabile tamen est hanc excommunicationem solùm astrinxisse eos, qui prædictas actiones exercuerunt eo tempore, quo bellum illud cum Turcis gestum est, occasione cuius lata fuit hæc excommunicatio: vti tradit Bonac. *tit. 3. de censur. disputat. 2. quæst. 3. punct. 16. num. 1.* Tametsi oppositum probabilius censeat, motus illis verbis: *Nullus deinceps siue sacri fœderis miles, siue alius Christianus.* Nam ly *alius* & *deinceps* indicant pro futuris temporibus hanc constitutionem latam fuisse.

Decimaquarta referri potest, quam aliqui Doctores testan- 14
tur tulisse Gregor. XIII. aduersus eos qui donationibus, vel promissionibus factis obtinent certiores fieri prouisionum beneficiorum à Sede Apostolica. Quæ excommunicatio cum non reperiatur *in Bullario nouo*, & plures Doctores eam omittant, non leue indicium est vsu receptam non esse, vti testatur Filliucius *tract. 15. capite 5. quæst. 2.* Posito autem receptam esse, eam tantùm incurrit qui præcisè pronuntiatione pecuniam promittit, vel donat, nam si pro labore, & diligentia in his nuntiis mittendis præstanda, seu in stipendium, quia ad hæc, & alia munera destinatus est, non videtur sub hac censura comprehendi: Sicuti non comprehenduntur ipsi nunciantes, & pecuniam recipientes, vt acuertit Filliucius *loco citato.* Bonacina *titul. 3. disputat. 2. q. 3. punct. 27.*

Decimaquinta eiusdem Gregor. continetur in Bulla 89. 15
edita 14. mensis Iunij, anno 1584. & incipit: *Ascendente Domino*, vbi qui Gregorius excommunicat eos qui institutum Societatis, vel eius constitutiones, aut istius Bullæ dispositionem, vel aliquem huius Bullæ, vel constitutionum articulum impugnare, vel eis contradicere, directè, vel indirectè ausi fuerint quouis disputandi, vel etiam indagendæ veritatis quæsito colore. Impugnare autem censetur qui argu-

menta adducit ad probandum constitutiones, aut aliquem illarum articulum non esse rationi consonum, nec prudenter ordinatum, eáque argumenta tanquam ex se efficacia insoluta relinquit. Secùs esset si propositis his argumentis ea solueret; nam eo casu non impugnat institutum, sed confirmat, vti notauit Rodrig. *t.1.qq.regul q.1.art.5.ad finem.* Bonac. *t.3.de censur.disp.2.q.3.p.33.num.3.*

Præterea prohibet Grogor. & sub excommunicatione, vti aduertit Bonac. *suprà num.5.* Et Filliucius *tract. 15. cap. 6. quæst. 6.* ibi, *Ne quis siue extra, siue extra, siue intra Societatem, nisi de illis Generalis, aut inferiorum Præpositorum licentia notationes, declarationes, glossas, vel scholia vlla super præmissis (hoc est super instituto Societatis) eius constitutionibus, vel ipsa Bulla Gregorij, aut aliquo illorum articulo facere, vel ea nisi quantum verba ipsa sonant interpretari, aut de eis disceptare, seu scrupulum quemquam inijcere, vel in controuersiam, aut dubium reuocare audeat quocunque modo, nec glossas, siue interpretationes siue impressas, siue scriptas ad id pertinentes legere, docere, aliisque tradere, vendere, vel apud se retinere præsumat.* Notanda sunt singula verba, in quibus Pontifex intendit Societatis institutum, & constitutiones protegere, ne maleuolorum ingenio aliquid illarum labefactetur. Deinde aduerte glossas, & notationes super instituto, & constitutionibus prohiberi, si directè, & ex proposito fiant, secùs si incidenter, & occasione alterius materiæ tractandæ, & pro illius pleniori intelligentia: vti aduertit Bonac. *dicta disp.2.q.3.pun.35.num.6.* Quinimò neque hæ glossæ, & notationes prohibentur absolutè, sed editæ absque Præpositi generalis, vel aliorum inferiorum Præpositorum licentia.

16 Decimasexta habetur in Bulla 93. eiusdem Gregorij, edita anno 1584. cuius initium est: *Inter Apostolicos:* vbi Pontifex eos qui in beneficiorum, & officiorum tum Ecclesiasticorum tum sæcularium electione, confirmatione, prouisione, receptione, admissione exigunt à prouisis iuramenta impossibilia, illicita, damnosa, vel libertati Ecclesiasticæ, aut decretis Conc. Tridentini obuiantia, etiam prætextu cuiuscunque consuetudinis, aut iam præstita, reddita, vel exacta super eorum obseruatione quemquam in iudicio, vel extra inquietare, vel turbare ausi fuerint, si Episcopi sint à Diuinis suspendit; capitula verò, & conuentus, eorúmque Ecclesias, & loca omnia interdicto Ecclesiastico supponit, singulares personas excommunicationis sententiæ subijcit. Præstantes verò huiusmodi iuramenta, nullâ censurâ innodantur, sed solùm priuantur ipso facto vsu, & commodo rei, & gratiæ cuius causa monuerint, si scienter talia iuramenta præstiterint, & vt latiùs ex ipsa Bulla constat.

17 Decimaseptima excommunicatio habetur in Conc. Trident. *sess.25. capit.19. de reformat.* aduersus dominos temporales, concedentes locum duello, item aduersus duellantes, eorúmque patronos. Deinde aduersus suadentes duellum. At Gregor. XIII. in sua constitutione 82. incipiente: *At tollendum detestabile*, extendit pœnas latas in Conc. Trident. vt locum habeant in duello priuato, & in loco priuato, & non tuto, modò ex condicto loco, tempore, pugna fiat. Insuper Clemens VIII. anno 1592. 16. Kalendas septembris, variis modis prædictas constitutiones extendit: nam ex constitutione Clementis ligantur excommunicatione non solùm pugnantes in duello, sed prouocantes ad duellum, tametsi duellum per ipsos non sequatur, quia prouocatio est actio prædicta constitutione principaliter punita, vt aduertit Bonac. *t.3. de censur. disput.2.q.3.pun.38.numero 33.* sed quia de his constitutionibus, & pœnis ibidem contentis egi *tract.6. de charitate disp.5.p.7.* ideò ab eorum tractatu in præsenti supersedendum est.

18 Decimaoctaua lata fuit à Gregor. XIV. in Bulla incipiente: *Cùm alias nonnulli in fauorem immunitatis debita locis sacris*, de qua latè egi *2.p.tract. 11.* præcipuè *p.12.*

19 Decimanonam tulit Clemens VIII. in quodam Decreto, edito in generali Congregatione sanctæ Inquisitionis, vbi hanc propositionem, videlicet licere per litteras, seu nuntium Confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere, ad minus vti falsam, temerariam, & scandalosam damnauit, ac prohibuit, præcepitque ne deinceps ista propositio, publicis, priuatisve lectionibus, concionibus, & congressibus doceatur, néve vnquam aliquo casu, vt probabilis defendatur, imprimatur, aut ad praxim quouis modo deducatur. Quod si quis illam docuerit, defenderit, imprimi fecerit, aut de ea disputatiuè tractauerit, nisi forsan impugnando, vel ad praxim directè, seu indirectè deduxerit præter excommunicationem latæ sententiæ, quam ipso facto incurrat, à qua non possit, præterquam in articulo mortis, ab alio quacunque dignitate fulgente, etiam sanctæ Romanæ Ecclesiæ maiore pœnitentiario, nisi à Romano Pontifice pro tempore existente absolui, aliis etiam pœnis arbitrio infligendis subiaceat.

Et quamuis in prædicto Decreto videatur damnati illa copulatiua propositio, scilicet licere per litteras confessario absenti peccati sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere, ad cuius veritatem necessaria est vtriusque propositionis categoricæ affirmatio, ita vt non sufficiat affirmare licere per litteras sacramentaliter Confessario absenti confiteri, nisi simul asseras & ab eodem absente absolutionem obtinere. Attamen quia controuersia erat, an absolutio per litteras, vel internuntium à confessario absente posset obtineri, ea de causa dicendum est hunc Decreto contradicere, qui solùm affirmaret absolutionem sacramentalem præstari posse à Confessario absente, tametsi nihil de confessione sacramentali exprimeret. Quinimò satis probabile existimo illam propositionem hypothetice resolui in duplicem categoricam, præstatéque hunc sensum: *Si quis docuerit, vel defenderit hanc propositionem*, videlicet *licere per litteras, seu internuncium Confessario absenti sacramentaliter confiteri, vel ab eodem absente absolutionem obtinere, &c.* sæpe enim dictio & disiunctiuè accipitur, ac si dictio *vel* apposita fuisset, vt pluribus comprobat Gonzalez *reg. 8. cancellar. Gloss. 3. num.14.* Cenedo *tract.qq. singular. quæstione numero 7.* Augustin. Barbosa *de dictionib. & clausulis, dict. 93. num.18.* Neque obest ex Conciliis, & Rituali Romano præscriptum esse moribundo qui in absentia confessoris absolutionem postulauit, signáque contritionis exhibuit, absolutionem præstandam esse à sacerdote postmodum accedente, quia postulatio absolutionis, exhibitióque contritionis in absentia Sacerdotis non est censenda confessio sacramentalis, quousque ipsi Confessori accedenti ad moribundum notificetur, & manifestetur per testes, qui prædictis signis contritionis præsentes fuerint.

Et licèt Pontifex solùm de licito vsu absolutionis, & confessionis videatur locutus, vt indicant illa verba *licere per litteras*, non autem de valore absolutionis, vel confessionis: at quia in hoc Sacramento regulariter valor cum licito vsu coniungitur, damnans asserentem licere absolutionem, & confessionem in absentia, consequenter damnat qui assereret validam fore eam absolutionem & confessionem.

Quoad circa præsenti Decreto sub pœna excommunicationis reseruatæ, aliisque pœnis arbitrio Ordinarij infligendis præcipitur, ne quis prædictam propositionem doceat, vel defendat publicè, vel priuatim tanquam veram, vel probabilem, neque eam imprimi faciat, aut de ea disputet, nisi ad eam impugnandam: néve eam ad praxim directè, vel indirectè deducat, quod sine dubio præstaret, si absolutionem in absentia conferret, vel alium induceret ad absolutionem in absentia præstandam.

20 Vegesima traditur à Clemence VIII. in Bulla 20. eiusdem, incipiente: *Cùm Hebræorum malitia*, aduersus eos qui libros, seu codices, tractatus, volumina, aut quælibet alia scripta impij Thalmuth tacitè, vel expressè errores contra sacram Scripturam continentia, necnon contumelias, impietates, blasphemias contra Deum, sanctissimam Trinitatem, & Saluatorem nostrum Iesum Christum, Sacramenta, sacras imagines, ac contra Christi fideles, præsertim Episcopos, Sacerdotes, & alias personas Ecclesiasticas, ac etiam contra nuper conuersos ad fidem, & Neophytos, & alios contra Religionem Catholicam, vel in quibus etiam impudicæ, & obscenæ narrationes memorantur, etiam sub prætextu quod expurgata fuerint, vel donec expurgentur ausus fuerit retinere, habere, legere, edere, typis excudere, describere, vel exemplare aduehere, emere, vendere, donare, commutare, quomodolibet distrahere, vel alienare, aut pro his libris habendis, scribendis, seu imprimendis, vel vndecunque asserendis, seu transuehendis, vel pro impetranda eorundem legendorum licentia opem Hebræis præstiterunt, aut consilium, auxilium, vel fauorem impenderint. Hæc enim excommunicatio coincidit ex parte cum excommunicatione contenta in Bulla Cœnæ, aduersus legentes, vel retinentes libros hæreticorum errores continentes, vel de Religione tractantes. Sed quia contingere potest libros, & commentaria impij Thalmuth non ab hæretico compositos esse, sed ab ethnico, & infideli, vel à fideli impio, & blasphemo, meritò Clemens VIII. prædictam constitutionem edidit, cuius materia per se manifesta est, neque explicatione indiget.

21 Vigesimaprima continetur in decreto Clementis VIII. die 10. Maij, edito anno 1602. & initio Breuiarij constituto; ibi enim Pontifex, vt breuiaria iuxta præscriptum Conc. Trident. & Pij V. imprimantur statuit, ne vllus Typographus, aut Bibliopola breuiarium imprimere, aut vendere præsumat absque licentia in scriptis obtenta Inquisitorum hæreticæ priuatis vbi existunt, aut illis deficientibus Ordinarij loci, alioqui Typographi, & Bibliopolæ extra Vrbem excommunicationi reseruatæ subiiciuntur. Typographi verò, & Bibliopolæ in Vrbe, & in reliquo statu Ecclesiastico commorantes incidunt in pœnam quinquaginta ducatorum auri, & amissionis librorum, & typorum Cameræ Apostolicæ eo ipso applicandorum. Inquisitor verò, vel

Ordina

Ordinarius loci antequam huiusmodi licentiam concedat, tenetur breuiaria imprimenda, & imprella conferre cum breuiario authoritate Clement. VIII. recognito, nullo modo permittens aliquid addi, vel adimi, ita vt in ipsa licentia originali manu propria subscripta fidem faciat de hac collatione, & conformitate, alioquin Inquisitor ipso iure priuatur suo officio, & inhabilis ad illud redditur, & ad alia in posterum obtinenda: Ordinarius verò suspensione à Diuinis, & interdicto ab ingressu Ecclesiæ ipso facto innodatur: eius autem Vicarius vinculo excommunicationis, & officiorum, & beneficiorum priuatione, & inhabilitate ad illa, & alia in posterum obtinenda eo ipso afficitur. Hæ censuræ aduersus Ordinarios, & eorum Vicarios reseruatæ non sunt; quia nullum est verbum in dicto Decreto, quod reseruationem indicet, vt aduertit Bonac. *tituł.* 3. *de censur. in fine libri.*

22 Vigesimasecunda continetur in Decreto edito à Cardinali Milleno Romæ Vicario 24. Augusti anno 1613. de mandato summi Pontificis Pauli V. & in alio edito sequenti anno publicato, vbi excommunicationi subiiciuntur, qui aliquas sanctorum reliquias etiam in modica quantitate ex cæmeteriis, cryptis, vel catacumbis extraxerint, vel extractioni cooperati fuerint, auxilium vel fauorem præstantes; vel qui illius loci, à quo extrahuntur curam habentes permiserint, seu consenserint extractioni: ac tandem qui prælatas reliquias receperint scientes extractas fuisse absque Pontificis licentia. Notarij verò, & alij quicunque etiam Regulares qui fidem publicam, vel priuatam facerent absque licentia Vicarij circa extractionem, donationem, confirmationem, translationem, aut quemlibet alium contractum, vel scripturam, in qua de Reliquiis mentio habetur, tametsi excommunicationi non subiiciantur, subiiciuntur tamen priuationi officij & aliis pœnis.

Alicui videri posset probabile hac excommunicatione non comprehendi exteros Romam venientes, neque ibi diu commorantes; quia probabile est legibus, & præceptis particularibus affici exteros breui recessuros; sed verius censeo hanc excommunicationem extendi ad omnes tam ibi commorantes, quàm illuc confluentes; quia esto lata fuerit à Cardinali Milleno Romæ Vicario, lata fuit ab illo non quatenus Vicarius erat, sed quatenus ipsi à Pontifice commissa fuit facultas prædictam excommunicationem promulgandi, atque adeò nomine ipsius Pontificis, itaut ipsemet Pontifex censeatur censuram illam tulisse. Nam cùm extractio reliquiarum potiùs fiat ab exteris quàm iis qui Romæ commorantur, opus erat prohibitionem ad exteros præcipuè extendi alias non satis extractioni consultum esset. Ex quo infertur, non euanuisse hanc constitutionem morte Cardinalis Milleni, aut eius officio finito; quia non ipsius nomine, sed Pontificis lata fuit, & non per modum præcepti, sed legis, & constitutionis perpetuò valitutæ: & notauit Bonac. *tit. 3. de censur. disp. 2. q. 3. p. 13.*

23 Vigesimatertia continetur in Bulla Vrbani VIII. 12. Kalend. Nouemb. 1634. quæ incipit: *Superni*, aduersus eos qui frumentum, blada, legumina, & oleum ex statu Ecclesiastico extrahunt, hoc est ex locis Ecclesiæ immediatè subiectis, & ad loca extra Ecclesiam, imò ad loca mediatè Ecclesiæ subiecta deferunt mercimonij causa. De qua re varias constitutiones ediderunt Pontifices, specialiter Sixtus IV. Iulius II. Clemens VII. Pius V. Gregorius VIII. Clemens VIII. Paulus V. vti refert Bonacina *tituł. 3. de censur. disputat. 2. quæst. 3. punct. 42.* Dispositioni tamen Vrbani vtpotè vltimæ standum est. Pro cuius explicatione aduerte non esse prohibitum præsenti Bulla Vrbani VIII. extractionem illarum rerum quæ in Bulla exprimuntur factam occasione rei, suámque familiam alendi, vel ob alium quencunque finem præter mercimonium, tametsi in magna quantitate, vti constat ex illis verbis *mercimonij causa* dispositionem restringentibus, & notauit Bonacina *dicta. pun. 42. num. 8.* Res verò quæ extrahi debent ex statu Ecclesiastico sunt frumenta, blada, legumina, & oleum. Nam licèt Vrbanus VIII. hæc non expresserit, quia tamen confirmauit, & innouauit Bullam Pij V. Gregorij XIII. Clementis VIII. Pauli V. in quibus hæc expressa erant, ideò censenda sunt sub eius constitutione comprehendi. Neque obest quod Paulus V. anno 1606. in sua Bulla quæ incipit: *Pro peculiari*, olei mentionem non fecerit, quia illa Bulla confirmatoria est anno præcedentis latæ incipientis: *Inter grauissimas*, in qua olei mentio facta est. Præterquam quòd sub illis verbis, *& id annonæ genus* oleum comprehenditur, vti notauit Filliucius *tract. 15. capite 6. q. 9. numero 160.* Bonacina *pun. 42. numero 6.* Nomine frumenti, & bladi veniunt triticum, hordeum, auena, far, siligo. & quæcunque semina aristas emittentia, non autem poma, pyra, nuces, allia, cœpæ, & consimiles fructus, vti tradit Bonac. *dicto punct. 42. numero 3.* Nomine leguminum venit quidquid terræ satis in filiquis nascitur, vt sunt fabæ, pinæ, cicer, lentes, & similia, licuti exposuit Ambrosius Calepin *verbo legumen.* Nomine olei manifestum est intelligi liquorem illum piguem ex oliuis extractum. Qui igitur aliqua ex prædictis in magna quantitate extraheret ex statu Ecclesiastico ad non Ecclesiasticum mercaturæ causa, in excommunicationem incideret.

Notanter dixi *in magna quantitate*; nam hæc semper requiritur ad peccatum mortale, & excommunicationem maiorem incurrendam. Quæ autem in præsenti sit magna quantitas non est facile definire. Alij asserunt illam esse censentiam, quæ deferunt potest in sustentationem familiæ pro tribus, vel quatuor diebus. Alij quæ à tribus equis deferri nequit. Sed rectius Bonacina *dicto tituł. 3. disputat. 2. quæst. 3. punct. 42. numero 13.* arbitrio prudentis decisionem remittit, credens quantitatem, quæ vno equo deferri potest modicam esse; grauitas enim vel tenuitas materiæ desumenda est ex fine per constitutionem intento. Finis autem constitutionis est impedire, ne status Ecclesiasticus caritatem frumenti, leguminis, & olei patiatur. Ea igitur extractio quæ huic fini grauiter obstet quæque ex se valeat hanc caritatem inducere, reputanda est grauis materia excommunicationi subiecta, non alia.

Hæc excommunicatio esto reseruata non sit expressè in Bulla Vrbani VIII. ac tacitè, & implicitè reseruatur, quatenus prohibet extractionem, & delationem prædictarum rerum sub pœnis, & censuris contentis in Bulla Gregorij XIII. & Pauli V. At censuræ ibidem contentæ reseruatæ erant, ergo latæ in Bulla Vrbani reseruatæ censendæ sunt: aliàs non esset prohibitio sub eisdem pœnis, & censuris, sed sub diuersis, vti docet Filliucius *tract. 15. cap. 6. q. 7. numero 147. in fine*, tametsi contra sentiat Bonac. *disputat. 2. q. 3. punct. 4. num. 6.*

Sed est dubium, An extrahens farinam sub prædicta prohibitione contineatur? Ratio dubitandi est; quia farina non est formaliter frumentum, esti ex frumento conficiatur. Ergo sub prohibitione extrahendi frumentum farina comprehendi non debet. Non enim lex pœnalis, & odiosa extendenda est vltra verborum proprietatem. Atque ita docet Bald. *lib. 1. Cod. de fructib. & lit. expens.* & *lege non dubito, Cod. de legib.* Albericus, & alij relati à Iulio Claro, §. & Azor. *locis referendis* Sed contrarium longè probabilius est scilicet sub prohibitione frumenti farinam comprehendi, vti docuerunt alijs relatis Iulius Clarus *tit. 6. prax. q. criminal. q. 82.* Ioann. Azor. *1. p. instit. moral. lib. 5. cap. 26. quæst. 2. vers. quares.* Filliucius *tractat. 15. capite 6. quæst. 9. numero 158.* Duard. *in expositi. bullæ Cœnæ Domini, lib. 1. capit. 3. q. 4. numero 9.* Bonacina *tit. 3. de censur. disputat. 2. quæst. 3. punct. 42. numero 4.* Ratio est quia farina propriè, & in rigore frumentum est; frustum tamen, & in minutas partes redactum: ergo sub frumento comprehenditur. Alioquin plurimum derogaretur legi prohibenti frumenti extractionem, si farina extrahi posset, neque Pontifex carus annonæ satis consuleret prohibens frumenti extractionem, permissa extractione farinæ. At quotiescunque lex aliqua inutilis redderetur extensione non acta ad aliquem casum, extendi ad illum debet. Argum. *cap. si ciuitas de sententia excommunicat.* & *6. quicunque in fine de Regulis iuris in 6.* Ergo esto farina sub frumento non comprehenderetur ob vitandam illusionem legis prohibentis extractionem frumenti, ad farinæ extractionem lex extendi deberet.

Ob easdem ferè ratione existimat Filliucius *tractat. 15. cap. 6. quæst. 9. numero 158.* panem coctum sub frumento comprehendi, quia panis coctus ex frumento conficitur. Ergo prohibito frumento panis prohibitus est. Neque opus erat in prohibitione panem exprimere, cùm satis censeretur expressus facta prohibitione illius, sine quo ipse consistere nequit. Præterea frumentum communi vsui deseruire non potest nisi redactum in farinam, & panem coctum, ergo prohibens frumenti extractionem præcipuè intendit prohibere extractionem farinæ, & panis cocti. Denique permissa panis extractione, non satis impedita esset annonæ caritas. Nihilominus etsi hæc sententia probabilis sit, probabiliorem existimo negantem sub frumento panem comprehendi, quam docuit Bartol. *in lege. qua fœlicis. §. illud, ff. de legatis 3.* vbi inquit appellatione materiæ non venire materiatum, hoc est ex materia confectum: cui sententiæ fauet lex, *sicut lanæ, ff. eodem tituł.* dicens lanæ appellatione non venire lanam netam, id est, in filum redactam. Ergo multò minus veniret tela ex lana confecta. Ergo sub nomine frumenti non venit panis, vtpotè ex frumento confectus. Et ratio omnium est, quia panis esto ex frumento conficiatur, à frumento specie differt, vti communis tradit sententia, quod in farina non procedit. Ergo sub frumento comprehendi non potest maximè in lege pœnali, vbi strictior interpretatio facienda est. Præterea extractio panis regulariter obstare non potest grauiter fini à legislatore in hac lege intento, vtpotè quæ annonæ caritatem vix inducere possit, cùm difficile sit in magna quantitate extrahi, & diu conseruari.

Ex his soluuntur fundamenta oppositæ sententiæ. Ad primum concedo panem ex frumento confici, ideóque interdicto frumento panem interdictum esse; panem inquam

confectum ex frumento interdicto: cùm autem frumentum interdictum non sit, dum in statu Ecclesiastico permanet, sed dum ex statu Ecclesiastico ad non Ecclesiasticum defertur efficitur panem confectum ex frumento in statu Ecclesiastico permanente non prohiberi. Ad secundum, admitto deseruire non posse vsui communi frumentum nisi in panem coctum redactum, prohiberique translationem frumenti, ne ex frumento translato panis conficiatur, at inde non infertur quòd ex frumento non translato panis confici non possit, & transferri. Ad tertium nego non satis impeditam esse annonæ caritatem prohibita frumenti extractione, tametsi extractio panis cocti permissa sit ob rationem in conclusione allatam, quod difficile est in magna quantitate panem coctum extrahi.

Grauior difficultas est, An sub nomine olei oleæ ex quibus ipsum conficitur contineantur? Affirmant aliqui, quia cùm oleæ materia olei sint, illis extractis oleum extrahi censetur. Alij distinctione vtuntur, si oleæ extrahantur ad conficiendum oleum asserunt prohibitam esse earum extractionem, secùs si ad comedendum extrahantur. Alij dicunt, si oleæ maturæ sint, & aptæ ad conficiendum oleum prohiberi earum extractionem, secùs si acerbæ sint. Ego verò existimo probabilius sub hac censura non comprehendi olearum extractionem siue maturæ sint, siue acerbæ, siue ad comedendum siue ad faciendum oleum extrahantur. Ducor, quia oleæ ab oleo specie differunt. Ergo prohibita olei extractione non est censenda prohibita olearum extractio, quia constitutio pœnalis vltra proprietatem verborum extendenda non est. Præterquam quòd in olearum extractione non procedit eadem ratio, ac in extractione olei. Quippe oleæ difficilè in magna quantitate extrahi possunt, & frequenter ad comedendum extrahuntur; raróque ad conficiendum oleum.

PVNCTVM XXXI.

Expenduntur excommunicationes si quæ sunt non reseruatæ, contentæ in Decretis à *Gratiano* collectis.

1 *Refertur excommunicatio aduersus præsumentes contraire præceptis Romanæ Ecclesiæ.*
2 *Item aduersus vsurpantes oblationes intra Ecclesiam factas.*
3 *Item aduersus administratores sæcularium dignitatum, si moniti ab Episcopo non obedierint.*

1 PRima excommunicatio quæ refertur, continetur in *capite Nulli fas est.* 19. *distinct.* Vbi Gregor. IV. excommunicationem promulgat aduersus eos qui Apostolicis decretis, & Romanæ Ecclesiæ præceptis contraire præsumant. Verùm in hoc Decreto non fertur excommunicatio ipso iure, sed ferenda decernitur, vt constat ex illis verbis: *maioris excommunicationis delectione est abiciendus.* Atque ita tradit Tolet. *lib.* 1. *cap.* 37. *num.* 1. Suar. *disput.at.* 23. *sect.* 2. *num.* 3. & 5.

2 Secunda adduci potest ex *capite hanc consuetudinem.* 10. *quæst.* 1. vbi Damasus Papa anathematis vinculo pronunciat colligatum, & condemnatum laicum qui oblationes intra Ecclesiam factas ab Ecclesia vsurpare, seu detinere præsumit. Notandæ sunt actiones requisitæ ad hanc excommunicationem incurrendam: requiritur namque vt vsurpans laicus sit, vt constat ex illis verbis: *sub dominio laicorum.* Et licèt Glossa in propositione casus innuat debere esse ciuem Romanum in ciuitate Romana obligationes auferentem; verius est hoc requisitum non esse, cùm Pontifex generaliter de vsurpante oblationes ex Ecclesiis loquatur, neque vllum verbum in toto illo Decreto continetur, ex quo dispositio restringi possit ad solam ciuitatem Romanam, vt benè notauit Bonacina *titul.* 3. *de censur. disput.at.* 2. *quæst.* 2. *punct.* 1. *numero* 3. Vsurpatio autem debet esse ex oblationibus in Ecclesia factis, & in Ecclesiæ consistentibus, nam si extra Ecclesiam positæ sint non est locus huic excommunicationi, vt manifestant illa verba: *de extero oblationes de sacris Ecclesiis auferre molitus fuerit.*

Solùm est difficultas, An hæc excommunicatio ipso iure lata sit, an sit ferenda? Graffis *lib.* 4. *decis. capite* 24. *numero* 10. Memoriale Clericor. *capite* 8. *excommunicat.* 14. Barbosa *de potest. Episcop. allegat.* 50. *numero* 170. Bonacina aliis relatis *dicta disputat.* 2. *quæst.* 2. *punct.* 1. *numero* 2. existimat latam esse ipso iure, quia fertur sub verbis temporis præsentis, ibi: *anathematis vinculo sit colligatus, & condemnatus.* Sed probabilius existimo vel vsu receptam non esse, vel esse ferendam: sicuti dicit Filliucius *tractat.* 14. *capite* 3. *quæst.* 4. *numero* 48. Et consentiunt Tolet. & Suarez *locis allegatis*, asserentes nullam excommunicationem ipso iure latam in Decretis contineri, præter eam quæ ob percussionem Clericorum incurritur. Ducor, quia illa excommunicationis pronunciatio sub verbis præsentis subiunctiui ex se indifferens est ad sententiam latam, & ferendam. Quippe præstare potest hunc sensum; anathematis vinculo sit colligatus, & condemnatus; hoc est ligetur, & condemnetur. Quotiescunque autem verba legis pœnalis indifferentia sunt, & pœnam ipso iure latam excusare possunt in eo sensu accipi debent, quia odia restringi, & fauores conuenit ampliari.

Tertia excommunicatio refertur ex *capit. administratores* 23. *quæst.* 5. vbi Ioannes VIII. administratores sæcularium dignitatum, si ter sint moniti ab Episcopo, seu Ecclesiasticis viris (iurisdictionem scilicet habentibus) non obedierint omni communione priuat. Hanc excommunicationem esse ipso iure latam innuit Glossa *ibi*, *verbo priuatos.* Et tradit Barbosa *dicta allegat.* 50. *numero* 170. Sayrus *lib.* 3. *thesauri, capite* 34. *num.* 1. Verùm Tolet. *lib.* 1. *cap.* 37. *num.* 1. Suarez *disputat.* 23. *sect.* 2. *num.* 8. censent hanc excommunicationem non esse in vsu, quia non est satis perspicuum communionis priuatione excommunicationem intelligi. Illud certum ad illam incurrendam trinam monitionem dictam requiri.

PVNCTVM XXXII.

Expenduntur excommunicationes non reseruatæ contentæ in quinque libris Decretalium.

1 *Prima fertur aduersus eos qui in diœcesibus diuersarum linguarum contra formam sibi præscriptam, se ingerunt gubernatores.*
2 *Item aduersus Magistros, & Scholares Academiæ Bononiensis, qui ante tempus finitum aliis hospitium conducere præsumunt.*
3 *Item aduersus Sacerdotem officium Vicecomitis, aut Præpositi sæcularis exercentem.*
4 *Item aduersus religiosos qui à suis claustris exeunt ad audiendas leges, & physicam.*
5 *Item aduersus Sacerdotes, aliásque personas leges, vel physicam addiscentes duorum mensium spatio.*
6 *Item aduersus fauentes, & exequentes ordinationes factas, à quibusdam hæreticis.*

PRima continetur in *capit. quoniam, de officio Ordinarij*, vbi Innocent. III. præcipit, vt in diœcesibus, & ciuitatibus, vbi permixti sunt populi diuersarum linguarum habentes sub vna fide varios ritus, & mores à Pontifice illarum diœcesum, & ciuitatum designentur viri idonei qui secundùm diuersitates ritum, & linguarum diuina illis officia celebrent, & sacramenta ministrent. Prohibétque omnino, ne vna, eadémque ciuitas, seu diœcesis diuersos Pontifices habeat tanquam vnum corpus diuersa capita quasi monstruum. Sed si propter prædictas causas vrgens necessitas postulauerit Pontifex loci Catholicum Præsulem nationibus illis conformem prouida deliberatione constituat sibi vicarium in prædictis, quiei per omnia sit obediens, & subiectus. *Vnde si quis aliter se ingesserit* (inquit Pontifex) *excommunicationis se nouerit mucrone percussum, & si nec sic respuerit ab omni ministerio Ecclesiastico deponendum, adhibito (si necesse fuerit) brachio sæculari ad tantam insolentiam reprimendam.*

Hanc excommunicationem latam esse ipso iure nemini dubium esse potest, cùm lex non exigat sententiam iudicis, sed ipsamet sententiam ferat. Vt aduertit Glossa *dicto capite quoniam, verbo percussum.* Sed an aduersus solos Episcopos feratur dubium est. Nam Nauarr. *capite* 27. *numero* 114. Memoriale Clericorum *capite* 1. *excommunicat.* 10. Barbosa *allegat.* 50. *numero* 170. & alij existimant solos Episcopos comprehendi, quod non leuiter indicant illa verba. *Prohibemus, ne vna & eadem ciuitas, siue diœcesis diuersos Pontifices habeat, sed si propter prædictas causas vrgens necessitas postulauerit, Pontifex loci Catholicum Præsulem nationibus illis conformem prouida deliberatione constituat.* Quibus dictis subiungit Pontifex: *si quis aliter se ingesserit*, id est Præsulis officium. Ergo solis Episcopis, non autem aliis Clericis inferioribus hæc excommunicatio iniungitur. Sed verius censeo non solùm aduersus Episcopus, sed etiam aduersus quoscunque Clericos præsulatus Officium vsurpantes hanc ferri excommunicationem. Sicuti docuit Bonacina *disputat.* 2. *quæst.* 4. *pun.* 4. *in fine.* Filliucius *tract.* 14. *cap.* 7. *q.* 2. Moueor, quia Innocent. III. *initio cap.* districtè præcipit, vt Pontifices ciuitatum, vel diœcesum, in quibus populi diuersarum linguarum, rituum, & morum sub eadem fide permixti sunt, prouideant viros idoneos, qui prædictis diuina officia celebrent, & Sacramenta ministrent. Non enim dixit *Episcopos*, sed *viros idoneos*, qui tales esse possunt tametsi Episcopi non sint, cùm ad Diuina celebranda, & Sacramenta mini

ministranda character Sacerdoralis sufficiat. Ergo clausula illa *in fine capitu* posita: *Si quis aliter se ingesserit* cùm ad omnia in eo contèta referatur, efficitur sanè, non solùm aduersus eos qui se in Præsules ingerunt in diuinorum officiorum celebratione, & sacramentorum administratione, censuram latam esse.

2 Secunda habetur in *cap. ex rescripto de locato, & conducto*, vbi Clemens III. innouat, & confirmat excommunicationem latam à duobus suis legatis, aduersus Magistros, & Scholares academiæ Bononiensis, qui ante tempus condictionis finitum, & absque consensu inquilini aliorum Magistrorum, seu scholarium officium conducere audent in læsionem, vel præiudicium habitantium. Hæc excommunicatio non extenditur ad alios Magistros, & Scholares aliarum vniuersitatum à Bononia, quia expressè Textus loquitur de Magistris, & Scholaribus Academiæ Bononiensis. Et licet in dicta Academia plures sint gaudentes Scholarium priuilegio, non tamen sub hac censura comprehenduntur, nisi Magistri, & Scholares propriè fuerint, & non ex priuilegio. Vti verius defendit Glossa *in dicto c. ex rescripto, verbo scholarium.* Bonac. *disp. 2. q. 2. p. 37. num. 1.*

3 Tertia continetur in *capite Clericis. Ne Clerici, vel Monachi*, vbi Alexand. sub intimatione anathematis prohibet, ne quis Sacerdos officium habeat Vicecomitis, aut Præpositi sæcularis. *Quod si quis contra hoc venire præsumpserit, & commonitus emendare noluerit* (inquit Pontifex) *excommunicationi subiaceat.* Et quamuis Sylvest. *verbo excommunicat. 9. num. 28.* & alij relati à Suar. *disp. 23. sect. 3. num. 23.* existiment hanc censuram non esse ipso iure latam, longè verius est oppositum, vt docuit Glossa *in præsenti, verbo excommunicationi subiaceat.* Caiet. *verbo excommunicatio, cap. 76.* Natarr. *cap. 27. num. 117.* Suar. *disput. 23. sect. 3. num. 22.* Sayrus *libro 3. capite 32 num. 6.* Filliucius *tract. 14. capite 7. quæstio. 4. num. 106.* Bonacina *disp. 2. quæst. 4. p. 5. n. 7.* Quia verbum illud *excommunicationi subiaceat* quod imperatiuum est, indicat lege ipsa absque ministerio iudicis delinquentem excommunicationi supponi.

Sed an afficiat omnes Clericos in sacris constitutos; non est constans Doctorum sententia. Nam Panormitan. *dicto cap. clericis. num. 8.* Angel. *verbo excommunicatio 7. casu 18.* Sylvest. *eodem 9. num. 28.* Tabiena *5. casu. 24.* affirmatiuam partem tuentur, ducti argum. *cap. 2. de cohabitat. Clericor. & mulier.* vbi nomine Sacerdotis Diaconus, & Subdiaconus intelligitur. Et licèt hæc constitutio pœnalis sit, & ideò ex ea parte restringenda, quia tamen cedit in decorem status Ecclesiastici, non debet verbum illud *Sacerdotes* strictè sumi. Argum. eorum quæ notat Glossa *in cap. sciant cuncti, verbo alios, de electione lib. 6.* Sed rectiùs Caietan. *verbo excommunicatio cap. 76.* Henriq. *lib. 14. de irregularit. cap. 5. num. 5. in annotat. litt. Q.* Sayrus *lib. 3. thesauri, cap. 32. numero 6.* Suar. *sect. 3. num. 21.* Filliucius *tract. 14. cap. 7. quæst. 4. num. 106.* Bonac. *disput. 2. quæst. 4. punct. 5. num. 8.* censent solos Sacerdotes Presbyteros comprehendi. Quod non leuiter colligitur ex ipso Textu, quandoquidem Pontifex duo ibi statuit, alterum contra omnes Clericos in sacris constitutos, videlicet ne iudicium sanguinis agitent, alterum aduersus solos Sacerdotes, ne officium Vicecomitis, aut Præpositi sæcularis habeant. Neque obest Textus *in cap. 2. de cohabitat. Clericor. & mulier.* Vbi sub nomine Sacerdotum omnes existentes in sacris intelliguntur, quia Pontifex id expressit ibi. *Si quispiam Sacerdotum, id est Presbyter, Diaconus vel Subdiaconus.* Sicuti etiam expressit Stephanus Papa, *in c. 1. q. 5.* vbi quem in principio capitis Diaconum appellauit, in fine Sacerdotem nuncupat. At cùm in præsenti Alexand. III. nomen Sacerdotis non extenderit ad omnes existentes in sacris, quin potiùs contrarium indicauerit ex diuerso modo loquendi, quo in primo casu, & in secundo vsus fuit, efficitur solos Presbyteros qui in communi vsu Sacerdotes nuncupantur, comprehendi. Hi igitur Sacerdotes tametsi officium Vicecomitis, & Præpositi sæcularis suscipiant, non ligantur prædicta excommunicatione, quousque moniti sint, & post monitionem non se emendauerint, quia sic cauetur in Textu. Quod si roges quæ causa est ob quam hæc excommunicatio aduersus Sacerdotes lata sit? Respondeo esse ob decorem, & reuerentiam dignitatis Sacerdotalis: dedecet enim Sacerdotes qui Regibus Superiores existunt eis esse subiectos, & inseruire: at eo ipso quo nomine alterius laicalem iurisdictionem exercent ei inseruiunt, illique subiiciuntur. Non igitur decet eorum statum ea munera suscipere.

Hinc infertur graue peccatum esse, si Sacerdotes, & à fortiori Episcopi absque licentia Pontificis munus Viceregis, Vicecomitis, Gubernatoris, Præsidentis prouinciæ, vel Cancellariæ suscipiant. Tum quia eorum statum dedecet. Tum præcipuè, quia sub interminatione anathematis interdicitur in *dicto c. Clericis*: & notauit Panorm. *ibi n. 10.* Bernard. Diaz *pract. canon. c. 56.* Nauarr. *c. 27. n. 117.* Sayrus *lib. 3. c. 32.* Bonac. *t. 3. de censur. disput. 2. q. 4. p. 5. n. 3. n. 6.* Neque his obstat Sacerdotes Episcopos sæpe in Hispania Proreges, & præsides regij senatus constitui, quia credendum est ex expresso, seu tacito consensu Pontificis fieri: vti aduertit Henriq. *lib. 14. cap. 5. numero 5. in comment. litt. Q.* Sayrus, Bonac. *loc. cit.* Illud tanquam certum communis sententia supponit, Sacerdotes Episcopos Principum sæcularium consiliarios esse posse, in iis quæ ad regni regimen pertinent, modò non consulant in causa sanguinis, sicuti notauit Sayrus, & Bonacina *locis relatis.*

4 Quarta continetur in *cap. non magnopere. cap. super specula. Ne Clerici. vel Monachi*, vbi Honorius III. & Alexand. III. excommunicant Religiosos, qui è suis claustris exirent ad audiendas Leges & Physicam, hoc est medicinam, & intra duos menses ad claustrum non redirent.

Ad incurrendam hanc censuram opus est Religiosum è suo Monasterio egredi intentione audiendi prædictas scientias, & insuper quòd intra duorum mensium spatium non reuertatur, vt docent omnes Doctores inferius referendi. Primò namque requiritur egressus ea intentione. Vnde si alia intentione fuerit factus, huic censuræ non est locus, quia defecit egressui ea qualitas, quam Pontifex ad imponendam censuram requirit. Vti docet Sayrus *lib. 3. cap. 33. num. 3.* Suar. *disp. 23. sect. 3. num. 13.* Tolet. *lib. 1. c. 37. num. 9.* Sanctarellus *tract. de apostasia, cap. 2. num. 16.* Bonac. *t. 3, de censur. disput. 2. quæst. 8. punct. 7. num. 4.* Quod adeò verum est, vt etiamsi prædictas scientias vltra duorum mensium spatium audierit, hanc effugiat excommunicationem, si eas non audiat animo addiscendi, sed amicum sua præsentia honorandi. Vti docent Sayrus, Tolet. Suar. Bonacina, & alij *locis citatis.* Verum si Religiosus qui à principio non fuit à Monasterio egressus animo audiendi prædictas scientias, postmodum voluntatem mutauerit, & illarum auditioni incubuerit vltra spatium duorum mensium, tamersi Bonac. *numero 5.* innuat non affici hac censura, probabilius oppositum credo cum Panormit. *in dicto cap. non magnopere.* Suar. *sect. 3. num. 15.* Sayro *cap. 33. num. 3.* Filliucio *tract. 14. cap. 8. quæst. 2. num. 127.* eo quòd prædictus Religiosus à puncto, quo voluntatem habet permanendi extra Monasterium, vt dictas scientias audiat, censetur è Monasterio egressus ad illarum scientiarum auditionem, & consequenter comprehensus sub dispositione huius legis.

Secundò requiritur, ne post egressum intra duorum mensium spatium ad Monasterium redeat. Quod spatium computandum est à die egressus, vt apertè colligitur ex verbis textus ibi: Exeuntes ad audiendas Leges; vel Physicam, nisi infra duorum mensium spatium claustrum redierint: & notauit Panormit. *in dicto cap. super specula. num. 8.* Sayrus *lib. 3. c. 33. num. 4.* Suar. *disp. 23. sect. 3. num. 16.* Filliuc. *tract. 14. c. 8. q. 2. num. 129.* Bonacina aliis relatis *t. 3. de cens. disp. 2. quæst. 8. p. 7. num. 11.*

Difficultas grauis est, An huic censuræ subiiciatur Religiosus è suo Monasterio egressus animo audiendi præfatas scientias; eas tamen non audiens ob impedimentum sibi appositum, aut mutationem prioris voluntatis, si ad monasterium intra duorum mensium spatium non redierit. Negat subiici S. Antonin. referens Ioan. Andr. & alios *3. p. tit. 24. cap. 52.* Caiet. *verbo excommunic. c. 50.* & indicat Filliucius *tr. 14. c. 8. q. 2. n. 127.* Quia non prohibetur exitus propter se, sed propter harum scientiarum auditionem. Ergo seclusâ auditione egressus sub hac censura non est prohibitus. Nihilominus communis sententia, & vera defendit non excusari Religiosum à prædicta censura eo animo exeuntem, & omittentem audire ob impedimentum sibi appositum. Vti docuerunt aliis relatis Suar. *disp. 23. sect. 3. num. 14.* Sanctarell. *de apostasia. cap. 2. num. 17.* Bonac. *t. 3. de cens. disp. 2. quæst. 8. pun. 7. num. 6.* Quia esto egressus prohibeatur Religioso, ne extra claustra vagetur occasione prædictas scientias audiendi: at quod de facto prohibetur, est egressus eo animo factus absque reditu ad monasterium: aliàs si auditio harum scientiarum necessaria esset ad hanc censuram incurrendam, non ab egressu, sed ab auditione posito egressu tempus duorum mensium computandum foret, contra *superiùs* dicta, & communem sententiam.

Verùm si post egressum intra duorum mensium spatium audire Leges, vel Physicam omisisti, ob mutationem voluntatis antea habitæ, probabilius existimo te ab hac censura excusari; quia posità eâ voluntatis mutatione non es censendus è Monasterio egressus animo audiendi præfatas scientias, cum iam prior voluntas hac reuocatione cesset. Sicuti docuit Suar. *dicta sect. 3. numer. 14.* Sanctarel. *de apostasia. cap. 2. numero 17.* Sayrus *lib. 3. cap. 33. numero 4.* Tolet. *lib. 1. cap. 37. num. 9.* & alij aduersus Bonac. *tom. 3. de censur. disput. 2. q. 8. p. 7. num. 7.*

Sæpe dixi Religiosum exeuntem ad audiendas Leges, vel Physicam nec reuertentem intra duorum mensium spatium hac excommunicatione comprehendi, vt tacitè insinuarem si exiret ad docèdas has scientias non esse locũ huic excommunicationi, quia Honorius III. in *cap. super specula. Ne*

Clerici, vel Monachi, referens Alexandri constitutionem, & illam explicans de auditione locutus est. Vt constat ex illis verbis: *Contra Religiosas personas de clausuris exeuntes ad audiendas Leges, vel Physicam Alexander prædecessor noster statuit in Concilio Turonem. vt nisi infra duorum mensium spatium ad clausurum redierint, sicuti excommunicati ab omnibus euitentur.* Neque his obest quòd Alexand. III. in sua Constitutione relata in *cap. non magnopere, eodem tit.* lectionis mentionem fecerit dicens: *Statuimus, vt nulli omnino post votum Religionis, & post factam in aliquo loco religioso professionem ad physicam, legésve mundanas legendas permittantur exire, quia verbum illud legere*, esto vulgari vsu idem significet frequenter quàm docere. At sæpè pro studere accipitur, sicuti in præsenti acceptum est expressa decisione Honorii III. Atque ita tradit Nauarr. *cap. 27. num. 117.* Tolet. *lib. 1. cap. 37. num. 9.* Suar. *disp. 23. sect. 3. num. 17.* Filliucius *tract. 14. cap 8. q. 2. in fine. num. 129.* Sanctarell. *tract. de apostasia cap. 2. num. 18.* Bonac. *t. 3. de censur. disp. 2. quæst. 8. pun. 7. num. 8.* aduersus S. Antonin. Archidiac. Hostiens. Syluest. & alios relatos à Suar. *num. 17.*

5 Quinta continetur in eodem *c. super specula. Ne Clerici, vel Monachi*, vbi Honorius III. prædictam excommunicationem aduersus Religiosos latam extendit ad Sacerdotes, Archidiaconos, Decanos, Plebanos, Præpositos, Cantores, & alios Ecclesiasticos personarum habentes, qui duorum mensium spatio leges, vel physicam addicunt,

Circa quam excommunicationem duplex occurrit difficultas. Prima an sub hac censura comprehendatur auditio harum scientiarum priuata, vti si domi præceptorem habetes à quo has facultates discetes? Affirmant ex communi sententia Nauarr. *c. 27. num. 117.* Suar. *disp. 23. sect. 3. n. 19.* Filliucius *tract. 14. c. 7. q. 3. num. 103.* & probari potest, quia finis huius prohibitionis est, ne studio harum facultatum studium theologiæ, quod fidei Catholicæ tuendæ maximè necessarium est, diminutionem patiatur: at huic fini non minus obest studium priuatum, & publicum domi habitum, quàm habitum in scholis. Ergo vtrumque studium sub dicta prohibitione continetur. Et confirmo. Honorius III. prohibuit prædictis Clericis audire Leges, vel Physicam, neque prohibitionem restrinxit ad publicam auditionem. Ergo non est restringenda, maximè cùm Bonifacius VIII. referens Honorij Constitutionem *in c. 1. Ne Clerici, vel Monachi in 6.* generaliter dixerit ab Honorio interdictum esse Clericis audire leges, vel physicam, nullámque restrictionem apposuerit.

Sed contrarium verius censeo cum Calderino *cons. fin. n. 7. de Magistris.* Ancharrano *in dicto c. super specula. num. 4.* Toleto *lib. 1. c. 37. num. 5.* Bonac. *t. 3 de censur. disp. 2. q. 4. punct 6. num. 5.* quia Honorius III. in *dicto c. super specula*, excommunicationem antecedenter latam aduersus religiosos extendit Sacerdotes, & alios Clericos personatum habentes. At excommunicatio lata aduersus Religiosos non comprehendit Religiosos his scientiis priuatim in suo monasterio vacantes. Ergo nec comprehendere debet Clericos qui simili modo eas scientias addiscerent. Ad fundamentum oppositæ sententiæ respondeo, ex eo quòd studium priuatum æquè obstet fini à Pontifice intento, ac studium publicum, non obinde infertur excommunicatione puniri, si de facto sub prohibitione contentum non est: sicuti non punitur excommunicatione studium, quod quis absque præceptore assumeret. Præterquam quòd falsum est studium priuatè assumptum æquè obstare huius legis dispositioni ac studium publicum, & in scholis habitum, quia studium priuatum rarum est, & difficilius, ideóque Pontifex de illo non curauit. Adde non esse improbabile quod aliis relatis docuit Tolet. *lib. 1. cap. 37. num 5.* excusari ab hac censura Clericum iis scientiis vacantem non propter ipsas, sed vt ipsarum adiutorio perfectionem Canonum, & Theologiæ notitiam sumeret, quia cessat finis prohibitionis, tametsi in foro externo violator constitutionis præsumendus esset.

Secunda difficultas est de Sacerdotibus, aliísque Ecclesiasticis personis personatum habentibus, qui has scientias docerent, an inquam hi sub hac constitutione comprehendantur? Et breuiter respondeo cum communi sententia non comprehendi, quia textus in *dicto cap. super specula*, non de docentibus, sed de audientibus tantùm locutus est, & pœnæ vltra proprietatem verborum extendendæ non sunt. Vti aduertit Nauarr. *c. 27 n. 117.* Sayr. *lib. 3. c. 32. n. 10.* Suar. *disp. 23. sect. 3. n. 20.* Filliucius *tract. 14. c. 7. q. 3. n. 104.* Bonac. *disp. 2. q. 4. punct. 6. num. 6.* Quod si huic lectioni Sacerdotes, vel personarum habentes assistant, illamque audiant, non obinde à lectione obligantur abstinere, quia post Extraueag. *ad vitanda scandala* nullus tenetur excommunicatum vitare, nisi fuerit denunciatus. Quod si denunciati fuerint, debent lectores, si commodè possunt eos à sua lectione pellere, raró tamen abstinere tenentur, ne horum malitia aliis innocentibus præiudicet, vti docuerunt Sanch. *lib. 6. in decalog. cap. 8. num. 99.* Filliucius, *tract. 14. cap. 7. quæst. 3. num. 104.* Suar. *disp. 23. sect. 3. num. 20.*

6 Sexta continetur in *cap. quod à prædecessore nostro de schismaticis*, vbi Alexand. III. in Concilio Lateran. statuit, vt ordinationes factæ ab Octauiano, & Guidone hæresiarchis, & ab ordinatis ab eis irritæ sint, id est ab executione suspensæ vt *ibi* explicat Glossa *verbo irritas. Et qua digni tates Ecclesiasticas, seu beneficia per dictos Schismaticos acceperint, carent impetratis, dummodo vitium schismatis non fuerit occultum: tunc enim acta Schismatici subsistunt. Alienationes quoque quæ per dictos Schismaticos, seu per laicos auctoritate inquam Schismaticorum, vt ibi* Additio ad Abbatem, & Hostiensem interpretatur, *facta fuerint de rebus Ecclesiasticis omni carent firmitate, & ad Ecclesias sine vllo onere reuertantur. Si quis autem contraire præsumpserit excommunicationi* (ait Pontifex) *se nouerit subiacere.*

Hæc constitutio etsi contra Octauianum, & Guidonem loquatur, at sub nomine illorum, & eorum occasione condit Pontifex ius commune & perpetuum. Censetur autem hæc constitutioni contraire, & excommunicationi impositæ subiacere, primò qui verbis, vel factis conatur ordinationes à schismaticis receptas exercere, & in illis ministrare, vel vt alij ministrent. Secundò quando non resignat, sed retinet beneficium, aut dignitatem à schismaticis receptam. Tertiò quando in causa est, ne alienationes de rebus Ecclesiæ ab ipsis schismaticis factæ ad Ecclesias sine vllo onere reuertantur. Quocirca pro acceptione præcisa ordinum, beneficij, rerumque Ecclesiæ è Schismaticis hæc excommunicatio non contrahitur: sed solùm ob executionem ordinum, & retentionem beneficij, & rerum Ecclesiasticarum. Verùm recipiens beneficium, aut res Ecclesiæ à Schismaticis vix posset hanc excommunicationem effugere: nam eo ipso retinet, & possidet receptum saltem pro bicnij tempore, cùm ex ipsa constitutione deberet statim eas impetratis.

Punctum XXXIII.

Expenduntur excommunicationes contentæ in sexto libro Decretalium, nemini reseruatæ.

1 *Expenditur excommunicatio aduersus mittentes nummum, vel scripturam Cardinalibus consilium assistentibus.*

2 *Item declaratur excommunicatio aduersus Gubernatores, & alios Officiales non obseruantes quæ præscribuntur in* cap. vbi periculum, de electione in 6.

3 *Item excommunicatio aduersus grauantes Electores Ecclesiasticos, pro eo quòd eligant, seu sua potestate vtantur.*

4 *Item aduersus eos qui Ecclesiis vacantibus tributum Regi debitum, & Ecclesiæ cessum occupare præsumunt.*

5 *Item aduersus eos qui vocati ad dirigendas Moniales in electionibus suis aliquid agerent, ex quo discordia oriri posset.*

6 *Item aduersus Conseruatores, limites sibi traditæ potestatis excedentes.*

7 *Item aduersus extorquentem absolutionem, vel reuocationem alicuius censuræ.*

8 *Item aduersus illos qui fictione, vel fraude faciunt, vt indirè personaliter accedat ad domum mulieris pro perhibendo eius testimonio.*

9 *Item aduersus laicos compellentes personas Ecclesiasticas ad submittenda bona Ecclesiastica laicis, & contra laicos ratione dicta submissionis aliqua bona vsurpantes.*

10 *Item refertur excommunicatio aduersus Religiosos paupertatem in communi profitentes, qui aliquem ad eorum professionem de nouo admitterent, vel nouam domum acquirerent, vel acquisita alienarent, absque Sedis Apostolicæ licentia.*

11 *Item refertur excommunicatio aduersus exigentes, seu extorquentes ab Ecclesiasticis personis pedagium, gildadium, vel simile tributum.*

12 *Item aduersus impedientes iurisdictionem Ecclasiasticam, vel iudices illa vtentes.*

13 *Item aduersus iudices, seu dominos temporales, præcipientes subditis suis ne aliquis personis Ecclesiasticis vendant, aut emant ab eisdem, &c.*

14 *Item expenditur excommunicatio aduersus religiosos habitum suæ Religionis temerè dimittentes, vel ad sua sine debita licentia accedentes, & contra Doctores qui huiusmodi Religiosos habitu dimisso docerent.*

15 *Item aduersus eos qui scienter præsumunt sepelire hæreticos, & eorum defensores.*

16 *Item aduersus gubernatores, & dominos temporales, qui de aliquo crimine hæresis cognoscunt.*

17 *Item*

17 *Item aduersus eos qui per assassinos aliquem Christianum fecerint interfici, vel mandauerint, tametsi mors non sequatur.*

18 *Item aduersus clericos vsurariis alienigenis domus locantes, aut alio titulo concedentes.*

19 *Item aduersus concedentes repræsalias contra personas Ecclesiasticas, vel concessas contra laicos ad Ecclesiasticos extendentes.*

20 *Denique refertur excommunicatio aduersus Principes, dominosque temporales, & iudices non obseruantes ea quæ in* cap. felicis de Pœnis in 6. *habentur.*

1 PRima communicatio nemini reseruata in 6. libro Decretalium contenta, refertur in *c. vbi periculum* §. *hoc sacro de electione in* 6. vbi Greg. X. ad remouenda quælibet obstacula, quæ sinceram Pontificis electionem impedire possunt inquit: *Nullus sit ipsis Cardinalibus, vel eorum alicui nuntium mittere, vel scripturam. Qui verò contra fecerit scripturam mittendo, vel nuntium, aut cum aliquo illorum secretè loquendo ipso facto sententiam excommunicationis incurrat.*

Hæc excommunicatio comprehendit tantùm eos qui Cardinalibus, vel alicui illorum in conclaui assistentibus scripturam, vel nuntium mittunt, vel secretò alloquuntur. Sed an comprehendat ipsos Cardinales nuntium, vel scripturam mittentes, vel secretò alloquentes? Negat Caiet. *verbo excommunicatio cap.* 55. Sayrus *lib.* 3. *cap.* 55. *num.* 3. Filliucius. *tract.* 14. *cap.* 4. *quæst.* 2. *num.* 54. Suar. *disp.* 23. *sect.* 4. *num.* 2. Bonac. *t.* 3. *de censur. disp.* 2. *quæst.* 2. *punct.* 34. *num.* 6. quia solùm excommunicantur Cardinalibus in conclaui existentibus scripturam, vel nuntium mittentes. Ergo mittentes à Cardinalibus distinguuntur, maximè cùm in verbis antecedentibus dixerit Pontifex, *nulli ad eosdem Cardinales aditus pateat.* Ergo personæ extra conclauim assistentes sunt quæ huic excommunicationi subiiciuntur, non autem qui intra conclauim existunt. Verùm si contigerit aliquem Cardinalem extra conclauem existere, & nuntium, vel scripturam ad existentes in conclaui mittere, credo huic excommunicationi subiectum esse, quia nulla est ratio, ob quam excusari possit, siquidem sub generali prohibitione mitteudi nuntium, vel scripturam ad existentes in conclaui comprehensus sit.

Illud est certum, si de consensu omnium Cardinalium nuntium, vel scripturam miseris, vel secretò locutus fueris in hanc excommunicationem non incidis, quia in *dicto cap. vbi periculum*, conceditur facultas ipsis Cardinalibus in conclaui existentibus vocandi Iurisperitum, Tabellionem, Religiosum, aut quemlibet alium, qui electioni creditur profuturus: & notauit Glossa *ibi verbo, vocarentur.* Sayrus *dicto cap.* 55. *num.* 2. Tolet. *lib.* 1. *cap.* 38. *num.* 1. Bonac. *disp.* 2. *quæst.* 2. *p.* 34. *num.* 5.

Aliqui Doctores non infimæ notæ, vt Geminian. Ioann. Andr. & Archidiacon. in *dicto cap. vbi periculum.* Sylvest. *verbo excommunicatio* 9. *num.* 34. Angel. *eodem* 7. *casu* 13. Tabiena 5. *casu* 16. & alij existimant nuntium, & scripturam secretò mitti debere, vt huic excommunicationi locus sit, quia nulla est specialis ratio, quare potiùs in locutione requiratur secretum, quam in scriptura, & nuntio. Præterquam quòd aduerbium illud *secretè* positum in fine clausulæ ad omnia antecedentia referri debet. Nihilominus contraria sententia communior est, quam docuit Caiet. *d. cap.* 55. Tolet. *cap.* 38. *num.* 1. Nauarr. *cap.* 27. *num.* 121. Suar. *disp.* 23. *sect.* 4. *num.* 1. Sayrus *lib.* 3. *cap.* 55. *num.* 3. Filliucius *tract.* 14. *cap.* 4. *q.* 2. *num.* 54. Bonac. *t.* 3. *de censur. disp.* 2. *quæst.* 2. *p.* 24. *num.* 4. solam locutionem secretam excommunicationi subiici; nuntij, vel scripturæ missionem quæcunque sit siue secreta, siue publica excommunicatione afficî. Ratio est, quia Pontifex non absque mysterio seorsim locutus est de nuntio, & scriptura, eâque nulla apposita restrictione generaliter prohibuit dicens. *Nulli etiam fas sit ipsis Cardinalibus, vel eorum alicui nuntium mittere vel scripturam;* statimque subiungit. *Qui verò contra fecerit scripturam mittendo, vel nuntium, aut cum aliquo ipsorum secretè loquendo, ipso facto sententiam excommunicationis incurrat.* Non igitur aduerbium illud *secretè* ad nuntium, vel scripturam referendum est, sed solùm ad locutionem. Præterquam quòd communicatio per scripturam, vel nuntium ex se secreta est, ideóque opus non fuit huic communicationi eam qualitatem exprimere.

Hanc scripturæ, seu nuncij missionem, vel secretam locutionem, tametsi ad electionem Pontificis non pertineat, affirmat Bonacina *disput.* 2. *quæst.* 2. *p.* 34. *numero* 10. huic excommunicationi subiici. Quod in foro externo verissimum est: at in foro conscientiæ difficultate non caret, cùm nequaquam obstet; neque obstare possit fini per hanc legem intento.

Ad extremum aduerte in confirmationem huius constitutionis Gregorij Pium IV. in Bulla eiusdem incipiente *intelligendis Ecclesiarum Prælatis*, excommunicationem sibi reseruatam profert aduersus quoscunque etiam Cardinales, cui litteras, aut cuiusuis generis scripturas, nuntium vel notam, aut signum miserint ad eos qui in conclaui fuerint, vel econtrà è conclaui ad eos, qui foris fuerint, & aduersus quoscunque has litteras, scripta, nuntium, vel notam recipientes. Ex quo iam dubitare non licet quocunque modo litteræ, vel nuntius mittatur siue secretè, siue publicè sub hac excommunicatione comprehendi, neque etiam dubitare licet comprehendi Cardinales. Ob locutionem autem præsenti Constitutione Pij IV. excommunicatio non mungitur; benè tamen in *dicto cap. vbi periculum*, solùm autem dicitur *clauso conclaui nulli ad colloquium etiam extra portam conclauis etiam Principum oratores, nisi ex magna, & vrgenti causa à maiore parte Collegij approbanda, admittantur*, vt latiùs explicans hanc excommunicationem *superiùs* dixi.

2 Secunda excommunicatio continetur in *eodem c. vbi periculum, de elect. in* 6. §. *præterea*, vbi Gregorius excommunicat Gubernatores, & officiales mortuo Pontifice, non obseruantes quæ *ibi* præscribuntur, dummodò per ipsos stet quominus ea non obseruentur, vt benè aduertit Tolet. *cap.* 38. *num.* 2. Caietan. *capit.* 54. Sylvest. *verb. Excommunicatio* 9. *numero* 35.

3 Tertia habetur in *cap. sciant cuncti, de electione in* 6. vbi idem Gregor. in hæc verba inquit: *Sciant cuncti qui Clericos, vel alias personas Ecclesiasticas (ad quos in aliquibus Ecclesias, Monasteriis, aut aliis locus spectat electio) pro eo quod rogati, seu aliàs inducti eum pro quo rogabantur seu inducebantur, eligere noluerunt, vel consanguineos eorum, aut ipsas Ecclesias, Monasteria, seu loca cætera beneficiis, siue aliis bonis suis per se, vel per alios spoliando, seu aliàs iniustè persequendo grauare præsumpserint, se ipso facto excommunicationis sententia innodatos.*

Hanc censuram omnes incurrere possunt, tametsi Episcopali dignitate præfulgeant, quia nulla est restrictio in Textu facta, vti aduertit *ibi* Glossa, *verb. cuncti.* Sayrus *lib.* 3. *c.* 34. *num.* 7. Filliucius *tract.* 14. *cap.* 4 *quæst.* 3. *n.* 55. Bonac. *disp.* 2. *quæst.* 2. *p.* 19. *num.* 5.

Vt autem eam incurrant debent per se, vel per alios grauare spoliando. vel iniustè persequendo electores Ecclesiasticos, aut consanguineos, vel Ecclesias, seu loca pia, in quibus ius eligendi habebant; eo quòd noluerint eligere eum pro quo rogabantur. Requiritur ergo, vt spoliatio, & persecutio iniusta sit. Tum quia Textus expressè dixit iniustè persequendo. Tum quia grauatio iniustitiam continet; vt tradunt Nauart. *cap.* 27. *num.* 122. Sylvest. *verbo Excommunicatio* 5. *num.* 27. Sayrus *lib.* 3. *cap.* 34. *num.* 8. Suar. *disput.* 23. *sect.* 4. *num.* 3. Tolet. *lib.* 1. *cap.* 58. *num.* 3. Bonac. *disp.* 2. *quæst.* 2. *p.* 19. *num.* 4. Filliucius *tract.* 14. *c.* 4. *quæst.* 3. *num.* 55. Neque opus est committi grauamen in propria persona, satis est si per alium præstes tuo inquam mandato, quia Textus inquit per se, vel per alios, dummodo grauamen committatur, eo quòd noluerint electores eligere eum pro quo fuerint rogati, vti aduertunt Sayrus, Tolet. Suar. Bonac. Filliucius, & alij communiter. Grauamen verò committendum est circa electores Ecclesiasticos; non circa sæculares. Solùm enim electioni personarum Ecclesiasticarum hæc constitutio fauere intendit, vt constat ex illis verbis. *Qui Clericos, vel quaslibet personas Ecclesiasticas*, & notarunt Nauart. *cap.* 27. *num.* 122. Sayrus *lib.* 3. *cap.* 34. *num.* 7. Tolet. *cap.* 38. *num.* 3. Bonac. *p.* 19. *num.* 6. Suar. *sect.* 4. *num.* 4. Filliucius *num.* 55. Non est autem opus, vt grauamen ipsis electoribus immediatè inferas, sufficit si eorum consanguineis, vel monasteriis, Ecclesiis, aut piis locis, in quibus ius eligendi habebant grauamen inferatur. Nomen consanguineorum esto Glossa *in præsenti*, & Tolet. *cap.* 38. *num.* 3. Sayrus *num.* 7. & alij extendunt ad septimum gradum; verius est solùm ad quartum esse extendendum, quia extra illum spectato iure Canonico, cui in præsenti standum est non est consanguinitas: vti aduertit Suar *sect.* 4. *num.* 5. Filliucius *tract.* 14. *cap.* 4. *q.* 3. *num.* 55. Bonac. *disp.* 2. *quæst.* 2. *punct.* 19. *circa finem.* Affines verò sub consanguineis non comprehenduntur, quare illorum vexatio per se sub hac censura non continetur. Excipe nisi eius conditionis vexatio sit, vt cedat in electoris grauamen, præsteturque ob eam causam quòd electioni rogatæ noluerit acquiescere, quia eo casu vexando affinem censeris iniustè electorem persequi. Vt benè aduertit Suar. *sect.* 4. *num.* 5. Filliucius *q.* 3. *num.* 55. Bonac. *p.* 19. *in fine.* Tandem aduerte etsi in prædicto Textu solius electionis mentio facta sit, extendi debet dispositio ad præsentationem postulationem & collationem, quia est fauorabilis Ecclesiæ: & quia nomine electionis hæc omnia veniunt: vt tradit Nauarr. *cap.* 27. *numer.* 122. Sayrus aliis relatis *lib.* 3. *cap.* 34 *numero* 8. Suar. *disput.* 23. *sect.* 4. *numero* 4. Filliucius *tract.* 14. *cap.* 4. *quæst.* 3. *num.* 55. Bonacina *disput.* 2. *q.* 2. *pun.* 19. *num.* 7.

4 Quarta excommunicatio continetur in *cap. generali constitutione de electione in* 6. aduersus eos, qui Ecclesiis, Monasteriis, aut quibusuis aliis piis locis vacantibus regalia, hoc est tributum, quod aliàs Regi erat debitum, & Ecclesiæ cessum,

sum, custodiam seu guardiam, aduocationis, siue defensionis titulum vsurpare conantes, bona Ecclesiarum, monasteriorum, aut locorum ipsorum vacantium occupare præsumunt. Duplex igitur actio ad incurrendam hanc censuram requiritur, scilicet procurare vsuspare iura pertinentia ad Ecclesias, Monasteria, seu loca pia vacantia, & ratione illius iuris, seu tituli vsurpati bona illarum Ecclesiarum, seu locorum piorum occupare, neque vnum sine altero sufficit, vti relato
4 Geminiano, & Panormit. aduertunt Toletus *lib.1. capit.* 38. *num.*4. Caietan. *verbo Excommunicatio cap.*38. Nauarr. *cap.* 27.*num.*123. Suar. *de censur.disput.*23.*sect.*3 *num.*6. Filliucius *tract.*14.*cap.*4. *q.*4.*num.*56. Sayrus *lib.*3. *cap.*34.*num.*10. Bonac. *disput.*2.*q.*2.*p.*23.*num.*3. Notanter dixi *ad incurrendam hanc censuram*, eo quòd in Concil. Trident. *sess.*22. *cap.*11. *de reform.* sub excommunicatioue reseruata prohibetur cuiuslibet iuris, & bonorum, & fructuum ad Ecclesias, beneficia, seu pia loca pertinentium vsurpatio; vt latiùs explicuimus *suprà* cùm de hac excommunicatione reseruata sermonem fecimus.

Eadem pœnâ excommunicationis afficiuntur clerici Ecclesiarum, Monachi Monasteriorum, & aliæ personæ locorum eorundem, qui prædicta fieri procurant, id est qui positiuè concurrunt, vt prædicta iura vsurpentur, & bona occupentur. Qui verò solùm se negatiuè habent non se opponendo talia facientibus cùm possint, hac excommunicatione non ligantur, benè tamen lata in dicto Conc. Tridentini Decreto; attamen interdicitur illis aliquid percipere de prouentibus Ecclesiarum ab eo tempore, quo præmissa sine debita contradictione permiserunt. Quam pœnam existimat Bonac. *dicta disp.*2.*q.*2.*p.*23. *num* 6. ipsos Clericos commisso delicto sustinere debere nulla iudicis sententia a cedente, quia est pœna priuatiua nullam ad sui executionem actionem hominis requirens. Sed rectiùs Suar. *dicta disput.*23. *sect.*4. *numero* 7. negat obligatos esse Clericos ante sententiam Iudicis eam pœnam exequi; quia esto pœna priuatiua, & quæ parientis actionem non requirit imponi per legem possit nulla Iudicis sententia expectata; at in præsenti non videtur hæc pœna sic imposita esse, eo quòd per illam prohibitionem non priuentur Clerici iure quæsito percipiendi fructus: hæc enim priuatio clarioribus verbis exprimi deberet, vti fecit Concil. Trident. cùm de priuatione fructuum ob non residentiam, & Pius V. ob non recitandas horas locuti sunt, dicentes: non faciat fructus suos. Retento autem iure percipiendi fructus censenda est prohibitio illos percipiendi ad sententiam iudicis referri.

Quinta continetur in *cap. indemnitatibus §. postremo de electione, & electi potestate. lib.*6. aduersus eos qui vocati ad dirigendas Moniales in suis electionibus aliquid egerint, ex quo discordia in electionibus faciendis oriri, vel orta enutriri possit. Comprehendit hæc excommunicatio siue viros, siue fœminas siue sæculares, siue regulares cuiuscunque conditionis, & dignitatis existant, dummodò vocati sint siue à monialibus, siue ab earum superioribus, siue ab ipsa regula, & officio, nam tunc à conditore regulæ vocantur. Qui verò non vocatus se immisceret, vt in electione discordiam excitaret, esto grauiùs peccet hanc censuram non contrahit, quia de ipso Textus nihil disponit. Sic tradunt communiter Doctores: Sylvest. *verb. excommunicatio* 9.*num.*42. Angel. *eodem* 7. *casu* 16. Caiet. *excommunicatio cap.*38. Nauarr. *cap.*27.*num.*124. Suar. *disp.*23.*sect.*4.*n.*8. Filliucius *tract.*14. *cap.*4.*quæst.*5.*num.*57. Bonac. *disp.*2.*q.*2. *punct.*5.

6 Sexta excommunicatio fertur in *c. hac constitutione de officio legati, lib.*6. vbi Bonifac. VIII. inquit: *Vt conseruatores limites sibi traditæ potestatis (quos frequenter excedunt (metu pœnæ diligenter obseruent. Decernimus, vt si de aliis, quam de manifestis iniuriis, & violentiis scienter se intromiserint, seu ad alia quæ iudicialem indaginem exigunt suam extenderint potestatem, eo ipso per vnum annum ab officio sint suspensi: Pars verò quæ hoc fieri procurauit sententiam excommunicationis incurrat, à qua non possit absolui, nisi ei quem fatigauit indebitè, primo satisfaciat integraliter de expensis.*

Diuersimodè puniuntur conseruatores limites suæ potestatis excedentes, & pars quæ huiusmodi excessum procurat. Nam conseruatores puniuntur pœna suspensionis ab officio per annum, ab officio inquam conseruatoris. Nam esto suspensio, ab officio generaliter prolata (vt in præsenti videtur proferri) omne officium clericale comprehendat: at in præsenti restringenda est hæ suspensio ex declaratione Gregorij XV. in Bulla quæ incipit: *Sanctissimus in Christo Pater*, quámque ad verbum refert Barbosa *allegat.*106. *num* 55. & notauit in præsenti Bonac. *disput.*2.*q.*2.*p.*3 5.*num.*8. Qua suspensione non afficiuntur Episcopi in Conseruatores electi, eo quòd in hac pœna expressi non sunt, iuxta Textum *in cap. quia periculosum, de sententia excommunicat. in* 6. Inferiores igitur Episcopo hanc suspensionem contrahunt, si limites suæ potestatis excedant: Excedere autem censen[illegible] se scienter intromiserint in aliis quàm in manifestis iniuriis, & violentiis repellendis, vel præcauendis. Defensio namque potius in præcauenda iniuria, quàm in remotione illius; iam factæ consistit. Vt benè tradit Molina *t.*6.*de iustit.disp.*29.*num.*2. Ludouicus Miranda *t.*2.*in man.prælator.q.* 47.*art.*7.*concl.*4. Barbosa *alleg.*106.*num.*34. Quocirca si probabiliter conseruator timeat iniuriam parti esse inferendam, proferre in eius defensionem potest generalem excommunicationis sententiam, aduersus eos qui partem offenderint. Sicuti notat idem Barbosa *suprà*. Manifesta iniuria ea censetur quæ per se patet, neque ad sui cognitionem iuris indaginem, & examinationem iudicialem requirit. At quia stare optimè potest, vt iniuria, & violentia in se notoria sit, non tamen conseruatori appareat? ea de causa potest conseruator ad fundandam suam iurisdictionem summariam informationem facere, etiam in forma iudicij. Argument. *leg.*2. *Digest. de iurisdict. omn. iudicum.* Et *capite præterea de officio Iudicis delegati*: & aduertit Barbosa *dicta allegat.*106. *numer.*10. alias inutilis esset conseruatoris potestas, & sæpè eludi posset.

Procurans verò, vt conseruator in aliis quàm in manifestis iniuriis, & violentiis reprimendis se immisceat pœnam excommunicationis ipso facto incurrit, modò pars in iudicio existat; quia Textus non quemcunque procuratorem excommunicatione ligat, sed eum qui pars est, & ad cuius defensionem conseruator assumitur. Vti declarant Nauarr. *cap.*27.*num.*125. Suar. *disput.*23. *sect.*4.*n.*10. Barbosa *alleg.*106.*num.*48. Bonac. *disp.*2.*q.*2.*pun.*35.*n.*5. incidit autem in prædictam excommunicationem effectu subsequuto. Quia procuratio non propter se prohibetur, sed quatenus causa est, vt cõseruator limites suæ potestatis excedat. Ergo antequam de facto huic excessum procuratio obtineat, non est locus huic excommunicationi; vt benè aduertit Nauarr. *cap.*27. *num.*125. Suar. *disput.*23. *sect.*4.*num.*10. Sayrus *lib.*3.*cap* 35. *num.* 4. Filliucius *tract.*14. *cap.*4. *quæstion.*6. *numero* 58. Barbosa *allegat.*106.*num.*49. Bonac. *disp.*2. *quæst.*2.*punct.*35. *num* 3.

Absolutio ab hac excommunicatione nequit præstari, quousque parti integraliter fuerit satisfactum de expensis, ea tamen satisfactione præstita à quolibet Confessario conceditur absolutio poterit, iuxta *cap. nuper, de sentent. excommunic.* quia non est reseruata. Sicuti aliis relatis obseruauit Barbosa *d. allegat.*106 *n.*49. & Bonac. *suprà*.

Septima habetur in *cap. absolutionis. De his quæ vi metúsve causa fiunt. lib.*6. aduersus extorquentes absolutionem, vel reuocationem censuræ alicuius. Inquit enim Gregor. X. *Absolutionis beneficium ab excommunicationis sententia, vel quamcunque reuocationem ipsius, aut suspensionis, seu etiam interdicti per vim, vel metum extortam præsentis constitutionis authoritate omnino viribus euacuamus, ne autem sine vindicta violentia crescat audacia, eos qui absolutionem, seu reuocationem huiusmodi vti, vel metu extorserint excommunicationis sententia subiacere decernimus.* 7

Hæc excommunicatio solùm comprehendit extorquentes absolutionem censuræ, seu illius reuocationem vi, vel metu incusso, non autem mandantes, vel consulentes extorsionem; quia mandans, vel consulens extorsionem formaliter, & propriè non extorquet, sed solùm moraliter, ac proinde comprehendi non potest sub extorquente. Sicuti ducit Bonac. *disput.*2.*qu.*2.*punct.*15.*in fine*. Modus extorsionis præstandus est per, vim, vel metum iniustè incussum; quia verbum *extorserint* actionem iniustam indicat. Aliquibus, videlicet Caietano *verbo excommunicatio, cap.*41. Nauarr. *cap.*27.*num.*125. Reginald. *lib.*9.*praxi num.*346. placet metum leuem sufficere. Sed verior est communis sententia docens metum grauem requiri, quia metus absolutè prolatus de graui est intelligendus, nam leuis paruipenditur à iure; ne omnia litibus plena sint. Præterquam quòd absolutio censuræ metu leui extorta valida est. Vt diximus *disp.*1. *huius tractat.* Atque ita docent Sylvest. *verbo excommunicatio* 9.*num.*43. Sayrus *lib.*3.*thesauri, cap.*34.*num.*12. Suar. *disp.*23.*sect.*4.*num.*11. Filliucius *tract.*14. *cap.*4.*quæst.*7.*num.*59. Bonac. *disp.*2. *quæst.*2.*pun.*15.*num.*1. Quousque autem de facto absolutio, vel reuocatio censuræ media vi, vel metu illato obtineatur non est locus huic excommunicationi, quia Textus requirit absolutionem, vel reuocationem censuræ extortam esse, hoc est de facto concessam. Vti aduertit Caietan. *verbo Excommunicatio cap.*41. Suar. *num.*11. Filliucius *num.*59. Sayrus *num.*12. Bonac. *numero* 5. Sed an sub sententia excommunicationis comprehendatur excommunicatio minor, ita vt extorquens huius absolutionem, vel reuocationem excommunicatione maiori ligetur? Doctores non conueniunt. Bonac. aliis relatis *dicta disp.*2.*q.*2.*punct.*15.*num.*2. affirmat comprehendi, quia vera est excommunicatio. Sed rectiùs docuerunt oppositum Angelus *verbo excommunicatio* 7. *num.*18. Sylvest. *eodem* 9. *num.*43. Sayrus *lib.*3.*cap.*34. *num.*12. *vers. secundo*. Filliucius *tract.*14.*cap.*4. *quæst.*7. *num.*59. quia excommunicatio absolutè prolata pro maiori tantùm supponit. argum. Textus in

cap.

cap. si quem, de sentent. excomm. Præterea Textus loquitur de sententia excommunicationis, cuius absolutio, vel reuocatio per vim obtinenda est: at cùm excommunicatio minor nunquam ab homine iniungatur, locus esse non potest reuocationi. Et præterea cùm illius absolutio à quolibet impendi possit, nulla est necessitas interponendi vim, aut metum ad illam extorquendam. Non igitur Textus de absolutione minoris excommunicationis intelligitur.

Grauior dubitatio est An intelligendus sit de absolutione, seu reuocatione cuiuslibet excommunicationis, suspensionis, vel interdicti etiam iniusti? Affirmat Sayrus, quia præsenti constitutione cauere Pontifex intendit modum extorquendi absolutionem, vel reuocationem censuræ per vim, vel metum, vtpotè Ecclesiasticæ iurisdictioni iniuriosum. At in extorquenda absolutione, vel reuocatione censuræ iniustæ adesse prædictus modus iniuriosus potest, sicuti in absolutione, vel reuocatione censuræ iustæ. Ergo hæc excommunicatio in hac extorsione locum habet.

Cæterùm distinguendum est, si censura iniusta sit inualida censeo omnino certum, te hac excommunicatione non ligari, esto per vim, vel metum illius absolutionem extorqueas; quia non extorques absolutionem censuræ veræ, & propriæ; sed tantùm præsumptæ. At Pontifex agit de absolutione censuræ propriæ, siquidem eam absolutionem per vim extortam reddit irritam, & nullius valoris, quod absolutioni censuræ præsumptæ conuenire nequit: quia non est vera absolutio, cùm censura præsumpta non sit verum vinculum, sed solùm præsumptum, ergo extorquens absolutionem censuræ iniustæ inualidæ hac excommunicatione non ligaris. Atque ita docet Suar. *disput. 23. sect. 4. num. 12.* Filliucius, *tract. 4. cap. 4. quæst. 7. num. 59.* Bonac. *tom. 3. de censur. disput. 2. quæst. 2. punct. 15. num. 6.* Verùm si censura iniusta valida sit verius: & probabilius censeo, te huic excommunicationi subiacere, si per vim, vel metum illius absolutionem, vel reuocationem extorqueas; quia est extorsio veræ absolutionis, & non tantùm præsumptæ, quod est prohibitum in dicta constitutione. Sicuti tradunt Sayrus, Suar. Filliucius, Bonac. & alij *locis allegatis.* Consultò dixi *verius, & probabilius*, vt tacitè indicarem oppositum probabilitate non carere. Etenim pronuntians iniustam censuram iniustus est, iniustitiámque committit, & iniuriam irrogat. Licet ergo tibi hanc iniuriam, & iniustitiam remouere, ergo si alia via præstare id non potes nisi vim, & metum inferendo, licebit tibi vim, & metum inferre; quia illa non est illatio iniusta metus, sed iusta, neque est aggressio, sed defensio; ergo non est censuræ subiecta.

2 Octaua excommunicatio sumitur ex *cap. mulieres de iudiciis lib. 6.* vbi Bonifac. VIII. excommunicat omnes illos, qui fictione aliqua, vel fraude faciunt vt Iudex personaliter accedat ad domum mulieris pro petendo eius testimonio: cùm enim statutum sit in fauorem pudicitiæ fœminarum, tum in decentiam iudicij, ne mulieres inuitæ cogantur venire ad iudicium ad ferendum testimonium, sed per interpositam personam, scilicet per Tabellionem, aut alium idoneum ab eis petatur, solúmque iudex vigenti casu ad domum mulieris accedat, si contingat, vt aliquis casum fingat, quo iudex cogatur ad domum mulieris accedere, fictor, seu fraudator excommunicatione ligatur.

Hæc excommunicatio comprehendit omnes, & singulos cuiuscunque dignitatis sint, qui fictionem, vel fraudem commiserint, qua Iudex necessario inducitur ad accedendum domum mulieris pro illius testimonio. Neque ab hac excommunicatione excusatur mulier, vel Iudex, si huius fictionis causæ fuerint; quia textus generaliter loquitur, neque est vlla ratio, ob quam excipi debeant, cùm grauiorem culpam committant, & arctiùs obligentur ab his fictionibus abstinere: cui strictioni obligationi non obest quòd in fauorem mulierum, & iudicij decentiam, & integritatem hæc excommunicatio lata sit. Atque ita docent ex communi sententia Sayrus *lib. 3. thesauri, cap. 34. num. 13.* Suarez *disputat. 23. sect. 4. numero 14.* Filliucius *tractat. 14. cap. 4. quæst. 8. num. 60.* Bonac. *t. 3. de censur. disp. 2. quæst. 2. punct. 36. à num. 5.* Quod si Iudex conscius fictionis ab alio factæ domum mulieris accedat, etsi probabile sit in hanc excommunicationem incidere; eo quod fictioni consentiens videatur fictioni cooperari, maximè cùm ex officio obligetur fictionem remouere; probabilius est ab hac excommunicatione immunem esse; quia non consentiens, vel cooperans moraliter fictioni, sed fictor, vel fraudator excommunicationi subiiciuntur, vt benè notauit Nauarr. *cap. 27. num. 125.* Suarez *disputat. 23. sect. 4. numer. 15.* Sayrus *lib. 3. capite 34. numero 13.* Filliucius *tractat. 14. cap. 4. quæst. 8. numero 60.* Bonac. *disputat. 2. quæst. 2. punct. 36. num. 9.* Quando autem vnus fingit casum, & alter iudici proponit, aduertunt optimè Sayrus, Suar. Filliucius, & Bonac. *locis allegatis* vtrumque in excommunicationem incidere; quia vnus est fictor, alius fraudator, & tam fictor quàm fraudator excommunicantur. Quod verissimum est, cùm fraus Iudici ignota

est: at si nota sit probabilitate non caret proponentem iudici prædictam fraudem excusari à censura, quia non est Iudicis fraudator, sed probabilius est hac excommunicatione ligatij quia esto non sit iudicis fraudator, est tamen fraudator mulieris, & iudicij quorum decentiæ, & integritati consulere Pontifex hac constitutione intendit. Sicuti tradit Bon. *disp. 2. q. 2. p. 36. in fine.*

Actio verò ob quam hæc excommunicatio imponitur est fictio alicuius casus, & fictionis propositio, quibus Iudex moueatur ad domum mulieris personaliter accedere. Duo namque ad hanc censuram requiruntur, videlicet fictio, vel fictionis propositio, & iudicis accessus personalis ad mulieris domum occasione fictionis; quia fictio intantum prohibetur, quatenus occasio est, vt iudex ad domum mulieris personaliter accedat. Ergo eo non accedente deficit fictioni qualitas requisita ad censuram: sicuti ex communi tradunt Caietan. *verbo excommunicatio cap. 59.* Syluest. *excommunicatio 9. n. 44.* Nauarr. *cap. 27. num. 125.* Sayrus *lib. 3. thesauri, cap. 34. num. 13.* Suar. *disp. 23. sect. 4. num. 13.* Filliucius *tract. 14. cap. 4. quæst. 8. num. 60.* Bonac. *t. 3. de censur. disp. 2. quæst. 2. pun. 36. num. 3.* Neque opus est Iudicem Ecclesiasticum esse, nam siue Ecclesiasticus siue sæcularis sit, huic excommunicationi locus est, quia Textus generaliter de quolibet Iudice loquitur, & in vtriusque accessu æquale periculum, & indecentia intercedit, & fortè grauius in accessu Iudicis sæcularis. Pontifex autem potestatem habet leges ferendi, quæ rectæ sæcularium morum institutioni conuenientes iudicantur. Sicuti tradit Syluest. Nauarr. Sayrus, Suar. Bonac. Filliuc. *loc. cit.* Tolet. *lib. 1. cap. 38. num. 10.*

Nona excommunicatio fertur in *c. hoc. consultissimo de rebus Ecclesiæ non alienandis in 6.* aduersus laicos compellentes personas Ecclesiasticas ad submittenda bona Ecclesiarum laicis & contra laicos ratione dictæ submissionis aliqua bona vsurpantes. Primò namque inquit Gregor. *Laici qui Prælatos, seu Capitula Ecclesiarum, vel alias personas Ecclesiasticas ad submissiones Ecclesiarum, seu ipsarum bonorum, vel iurium immobilium laicis faciendam compulerint ipso facto sint excommunicationis sententia innodati.* Censentur autem laici compellere Ecclesiasticos, si metu, vel importunis precibus suadeant ad prædictam submissionem. Submissionem verò præstare Ecclesiastici debet vel recognoscêdo se à laicis Ecclesias accepisse, & ab illis tanquam à superioribus tenere, vel constituendo laicos patronos, & defensores Ecclesiarum, vel bonorũ, vel eis bona immobilia; & iura submittendo, seu concedendo ad longum tempus absque licentia capituli, & Sedis Apostolicæ, & in casibus à iure non permissis. Notandum est, vt locus censuræ sit prædictam submissionem ad longum tempus faciendam esse, quod arbitrio Iudicis definiendum relinquitur. Communiter autem Doctores asserunt decennium necessarium esse. Item debet esse bonorum immobilium, & iurium, quia sic cauetur in Textu. Additúrque à Pontifice decretum irritans omnium contractuum, quos absque consensu capituli, & licentia Sedis, Apostolicæ contigerit celebrari, ita vt quidquid ex eis sequutum fuerit adeò viribus careat, vt nec ius aliquod tribuant, nec præscribendi etiam causam parent. 9

Secundò excommunicat Pontifex ipsos laicos qui de consensu capituli, & licentia Sedis Apostolicæ aliqua bona, vel iura ex Ecclesiis acceperint vltra ea quæ sibi permissa fuerint, si post monitionem ab huiusmodi vsurpatione non desiterint, restitutionem faciendo. Monitio autem nisi casus vrgeat trina esse debet; quia plerunque sic intelligitur, cùm aliud non cauetur. *cap. de illicita, 24. qu. 3.* & *cap. sacro de sententia excommunicat.* & in his Doctores communiter conueniunt, vt videre est in Syluestro *verb. Excommunicatio 9. num. 44.* Tabiena *eodem 5. casu 34.* Caietan. *cap. 33.* Nauarr. *cap. 27. num. 125.* Tolet. *lib. 1. c. 38. n. 12.* Sayrus *lib. 3. thesauri, cap. 34. num. 15.* Suar. *disp. 23. sect. 4. num. 18.* Bonac. *disput. 2. qu. 2. p. 10.*

Decima sumitur ex *cap. vnico de Religiosis domibus in 6.* 10 vbi Gregor. X. excommunicat Religiosos paupertatem in communi profitentes, qui aliquem ad eorum professionem de nouo admitterent, vel nouam domum acquirerent, vel acquisitam alienarent absque Sedis Apostolicæ licentia. Hæc excommunicatio nullius est iam effectus, siquidem non comprehendit quatuor Ordines Mendicantes videlicet Prædicatorum Minorum, S. Augustini, & Carmelitarum, quæ ob euidentem Ecclesiæ vtilitatem in prædicto Textu excipiuntur, neque etiam comprehenduntur Ordines, qui post Gregor. X. à Sede Apostolica confirmati sunt cum amplissimis priuilegiis huic dispositioni derogantibus. Præterquam quòd hæc excommunicatio censetur lata aduersus quamdam religionem, quæ iam non extat, ad quam videtur alludere Extrauagans Ioann. XXII. *sancta, de Religiosis domibus*, sicuti tradit Tolet. *lib. 1. cap. 38. num. 13.* Suar. *disp. 23. sect. 4. num. 20.* Filliucius *tract. 14. cap. 8. num. 32.* Bonacina *disp. 1. q. 8. punct. 1. num. 4.* Monent tamen prædicti Doctores Tolet. Suar. Filliucius, Bonac. & Sayrus *lib. 3. thesauri c. 34. n. 5.*

probi

prohibitioni factæ de nouo Ordine instituendo, vel nouo Religionis non instituræ, nec confirmatæ habitu assumendo excommunicationem non annecti. Cui prohibitioni non obest, quòd singularem Eremitæ habitum assumas, vt frequenter plures in signum humilitatis, vel pœnitentiæ assumere solent, quia non intendis nouum Ordinem instituere, nec nouæ Religionis habitu indui, vt benè obseruauit Bonac. *dicta disp. 2. quæst. 8. p. 1. in fine.*

11 Vndecima excommunicatio continetur in *c. quanquam de Cens. lib. 6.* aduersus eos qui per se, vel alios nomine proprio, vel alieno exigunt, seu extorquent ab Ecclesiasticis personis pedagium, guidagiũ, vel simile tributum pro personis ipsis, aut rebus propriis, quæ non transmittunt causa negotiationis, & ad illa persoluenda compellunt. Hæc excommunicatio coincidit cum excommunicatione lata in Bulla Cœnæ, *clausula* 18. ideóque *ibi* explicata est. Differt autem ab illa excommunicatione tum in reseruatione, tum in materia. Etenim hæc excommunicatio facta restitutione, & præstita satisfactione competenti à quolibet Sacerdote in peccata mortalia iurisdictionem habente tolli potest, secus excommunicatio Bullæ. In materia autem differt; quia hæc excommunicatio solùm iniungitur exigentibus, seu compellentibus ad solutionem per se, vel alios, non autem imponentibus tributum, nisi ea impositio causa exactionis fuerit, cùm tamen excommunicatio Bullæ afficiat imponentes. Deinde non afficit hæc excommunicatio recipientes tributum à sponte dantibus, benè tamen excommunicatio Bullæ. Præterea excommunicatio Bullæ lata est in exigentibus tributum Ecclesiasticis impositum, hæc autem non requirit Ecclesiasticis impositum esse tributum; satis enim est, quòd tributum laïcis impositum ab Ecclesiasticis exigatur, vt benè has omnes differentias notauit Bonacina *t. 3 de censur. disp. 2. q. 2. pun. 21.* illa tamen grauior est differentia, quam astruere intendit Nauarr. *cap. 27. num. 128.* affirmans excommunicationem Bullæ latam esse contra exigentes tributa ab Ecclesiasticis personis ratione Ecclesiasticorum prouentuum; hanc verò constitutionem contra exigentes tributa ab Ecclesiasticis ratione translationis personæ, vel bonorum in alium locum, quod longè diuersum est. Verùm hanc differentiam nullatenus probo, eo quòd in Bulla Cœnæ expresè interdicta sit impositio cuiuslibet tributi personis Ecclesiasticis, aut eorum bonis.

12 Duodecima habetur in *cap. quoniam de immunit. Ecclesiarum, lib. 6.* aduersus impedientes iurisdictionem Ecclesiasticam, vel Iudices illa vtentes. Quæ excommunicatio explicata est, cùm de excommunicationibus contentis in Bulla Cœnæ *clausula* 13. & 14. habuimus sermonem.

13 Decimatertia continetur in *cap. vlt. de immunit. Ecclesiarum, eodem lib. 6.* aduersus Iudices, seu dominos temporales, qui præcipiunt subditis suis, ne Prælatis, aut Clericis, seu personis Ecclesiasticis quidquam vendant, aut emant aliquid ab eisdem, neque ipsis bladum molant, coquant panem, aut alia communia obsequia exhibere præsumant. Circa quam excommunicationem aduerte si id præcipiatur per modum statuti, contineri sub excommunicatione Bullæ Cœnæ Domini *can. 15. vt ibidem* explicui: at si per modum præcepti transeuntis materia est tantùm huius excommunicationis non reseruatæ, vt benè aduertit Suarez *disput 23. sectio. 4. num. 25.* Debet tamen præcipiens habere iurisdictionem & potestatem, & ex alia parte imperium versari circa proprios subditos. Quare si aliis sibi non subiectis id præciperet, aliquo modo non esset locus huic excommunicationi, quia non præstatur actus per legem prohibitus; vti tradit Syluest. *verbo excommunicatio. 9. num. 50.* Angel. *eodem 7. casu 26.* Tolet. *lib. 1. cap. 38. num. 17.*

14 Decimaquarta excommunicatio habetur *in c. 2. vt periculosa. Ne Clerici, vel Monachi in 6.* aduersus religiosos habitum suæ Religionis temere dimittentes, vel ad studia sine debita licentia accedentes, & contra Doctores qui huiusmodi Religiosos habitu dimisso docerent. Inquit namque Bonif. VIII. *Vt periculosa Religiosis euagandi materia subtrahatur districtius inhibemus, ne de cætero aliquis quamcunque Religionem tacitè, vel expresè professus in scholis, vel alibi temerè habitum Religionis suæ dimittat, neque accedat ad quæuis studia litterarum, nisi à suo Prælato cum consilio sui conuentus, vel maioris partis eiusdem sibi eundi ad studium licentia primitùs sit concessa. Si quis autem horum temerarius violator extiterit, excommunicationis incurrat sententiam ipso facto. Doctores autem, seu magistri qui Religiosos habitu suo dimisso leges, vel Physicam audientes scienter docere, aut in scholis suis præsumpserint retinere simili eo ipso sint sententia innodati.*

Hæc constitutio quatenus ad Religiosos spectat duplicem illis actionem interdicit. Prima est habitus suæ Religionis temeraria dimissio. De qua actione satis diximus *tract. 16. de statu religioso, disp. 4. pun. 6.* quibus omnibus *ibi* dictis consentit Bonac. *t. 3. de censur. disp. 2. quæst. 8. p. 6.* Secunda est accessus ad quæuis studia sine licentia Prælati de consilio sui conuentus: accessus inquam ad quæuis studia siue legum, siue canonum, siue Theologiæ extra oppidum sui Monasterij, & extra Monasterium viuendo, aliàs non esset propria vagatio, quæ præsenti constitutione interdicitur. Vti tradit Nauarr. *cap. 27. num. 133.* Tolet. *lib. 1. cap. 38. num. 20.* Suar. *disp. 23. sect. 4. num. 35.* Sayrus *lib. 3. thesauri, cap. 33. num. 20.* Sanch. *lib. 6. decalogi. cap. 8. num. 75. & 76.* Sanctarell. *tract. de apostasia, cap. 2. num. 1. & 2.* Bonac. *t. 3. de censur. disp. 2. quæst. 8. punct. 8. num. 3. & seqq.* Filliucius *tract. 14. cap. 8. quæst. 4. num. 36.* & alij.

Hanc licentiam quatum Religiosus extra claustra commoraturus ad studia proficiscitur concedere debet Prælatus illius cum consilio sui conuentus, seu maioris partis illius. Quod intelligendum est, quando Prælatus habet conuentum. Nam si hæc facultas à Generali, vel Prouinciali concedatur qui propriè non sunt Prælati conuentus, sed prouinciæ, & totius Religionis absque consilio conuentus concedi potest ex vi huius constitutionis. Nam Pontifex solùm immediatis Prælatis conuentus indicit obligationem requirendi conuentus consilium, ne absque maturo consilio eam facultatem exerceant, casu quo eam facultatem suis subditis concedere possunt. Vt recte aduertit Nauarr. *dicto cap. 27. num. 133.* Sayrus *cap. 33. num. 22.* Suar. *sect. 4 num. 37.* Sanch. *cap. 8. num. 77.* Bonac. *disp. 2. quæst. 8. punct. 8. num. 8.* Quòd si prælatus conuentus spectatis suæ Religionis constitutionibus facultatem non habet hanc licentiam concedendi, ex vi huius constitutionis eam concedere nequit; quia Pontifex non ampliare, sed potiùs restringere facultatem intendit, vt benè notat Suar. *disp. 23. sect. 4. num. 37.* Sanch. *lib. 6. cap. 8. num. 77.* Bonac. *t. 3. de censur. disp. 2. quæst. 8. punct. 8. num. 7.* Religiosum verò qui ex vi huius facultatis inualidæ ad studia proficisceretur, existimat Suar. *dicta sect. 4. num. 37.* hanc excommunicationem effugere, eo quòd seruet formam istius textus ad studia accedens de licentia sui Prælati, & conuentus consilio. Sed rectius oppositum docuit Bonacina *num. 9.* quia licentia inualida non est licentia, nec præsumendum est velle Pontificem fauere iniquo Prælati iurisdictionis vsui. Et idem existimo dicendum, etsi Prælatus conuentus potestatem aliàs haberet concedendi licentiam suis subditis habitandi extra claustra, nullo conuentus consilio requisito, si de facto tentaret suis subditis licẽtiam concedere eundi ad studia irrequisito conuentus consilio, vel maioris illius partis; nulla esset talis licentia, vtpote cui deficit forma sub qua præscribitur concedenda, ac proinde non excusaret religiosum à censura, vti colligitur ex Sanch. *dicto c. 8. n. 87.* Sanctarello *de apostasia, cap. 2. n. 3.* Bonac. *p. 8. n. 8.*

Illud est certum Prælatum conuentus ad studia accedentem absque vlla licentia suorum superiorum in hanc excommunicationem non incidere; quia hæc solùm afficit Religiosos suaditos prælato illius conuentus à quo recedunt. Vti aduertit Nauarr. *c. 27. n. 133.* Suar. *disp. 23. sect. 4. num. 38.* Sayrus *lib. 3. thesauri, cap. 33. num. 21.* Sanch. *lib. 6. in decalog. cap. 8. n. 85.* Sanctarell. *de apostasia, cap. 2. num. 7.* Bonac. *disp. 2. q. 8. p. 8. num. 14.*

Quatenus verò hæc constitutio spectat Doctores, & magistros, illis prohibet sub pœna excommunicationis, ne Religiosos habitu suo dimisso leges, vel physicam audientes scienter doceant, vel in scholis suis præsumant retinere. Nomine *Doctoris* existimat Suar. *disput. 23. sect. 4. num. 39 & 45.* Bonac. *disp. 2. q. 2. punct. 32. in fine*, significari eum qui laureo doctoratus insignitus est, tametsi non doceat; quia ei tantùm nomen Doctoris communiter applicatur. Nomine autem *Magistri*, intelligi actu docentem. Ducuntur ad hanc explicationem sustinendam, quia textus vtitur dictione disiunctiua, *Doctores siue magistri*. Sed rectius Glos. *in præsenti, verbo retinere*, Nauarr. *c. 29. num. 134.* Sanch. *lib. 6. in decalog. cap. 8. num. 96* existimarunt idem vtroque nomine significari, nomenque Magistri appositum esse ad declarandum Doctoris nomen, præstaréque hunc sensum: docentes siue sint insigniti doctoratus laureo, siue simplices magistri si Religiosos habitu dimisso audientes legem, vel physicam doceant; excommunicatione innodantur. Moueor ad hanc explicationem sustinendam, quia præsenti constitutione cauere Pontifex intendit, ne Religiosi studio scientiarum prohibitarum vacantes doceantur, ad cuius finem nihil refert aliquem Doctoris laureo decoratum esse, nisi Doctoris munus exerceat. Ergo solùm docentes sub hac constitutione intelliguntur. Præterea qui actu magister non est, nec docere, nec retinere in suis scholis religiosum potest, quia non de retentione in materialibus scholis Textus loquitur, vt per se patet, sed de retentione formali, scilicet in publicis lectionibus. Deinde hæc constitutio pœnalis est. Ergo non debet extendi, sed restringi. Tandem quia communiter Doctores, Glossa *in præsenti*. Richard. *4. d. 18. q. 5. art. 1 1.* Paludan. *quæst. 3 art. 3. §. secundus.* Angel. *verb. excommunicatio 7. casu 27.* Syluest. *eodem 9. n. 56.* Tabiena *5. casu 23.* Caietan. *cap. 61.* Sayrus *lib. 3. cap. 35. num. 5.* Tolet. *lib. 1. cap. 38. n. 21.* & alij solius Doctoris nominis meminerunt, nullam inter Doctorem, & Magistrum distinctionem agnoscentes.

15

Hi verò Magistri, seu Doctores vt hanc excommunicationem incurrant, religiosos Leges, vel physicam habitu dimisso audientes scienter docere debent, vel in scholis retinere. Is autem dicitur scienter docere prædictos Religiosos, qui nulla probabili ignorantia laborat, eos veros Religiosos esse, habitúque dimisso lectioni legum, vel Physicæ assistere, vt benè Caietan. *in præsenti, verbo excommunicatio. cap.* 61. Navarr. *cap.* 27. *num.* 131. Suar. *disput.* 23 *sect.* 4. *num.* 39. Filliucius, *tract.* 14. *cap.* 4. *q.* 11. *num.* 63. Bonac. *disp.* 2. *q.* 2. *p.* 32. *num.* 3. In scholis verò retinere religiosos Magistri censentur, si ibi assistentes defendant, aut aliquo modo positiuo concurrant, ne ab illis lectionibus audiendis desistant, vti omnes Doctores tradunt. Quminò existimo ex eo solùm, quòd Magister schoiæ permittat suæ lectioni adesse religiosum potentem eum expellere, censendum esse retinere, sicuti censeretur paterfamilias hospitem in sua domo commorantem retinere, si eum non expelleret, cùm posset, quia Magister scholæ ius & potestatem habet admittendi, vel expellendi Auditores ad suum gymnasium accedentes, prout sibi rationabiliter visum fuerit. Quod à fortiori procedit in rectore totius vniuersitatis, vtpote iurisdictionem in foro externo habente: vti docent Sanch. *lib.* 6. *in decalog. cap.* 8. *numero* 97. Bonac. *t.* 3. *disp.* 2. *quæst.* 2. *punct.* 32. *num.* 6. nec dissentit Suar. *de censur. disp.* 21. *sect.* 4. *num.* 41. Consultò dixi ad suum gymnasium, nam si extra Religiosi audirent, non esset censendus Magister eos docere, qui a ea est furtiua auditio, & præter docentis intentionem, & fortè non valentis impedire: Vti tradit in præsenti Glossa, Ioann. Andreas & alij. Sanch. *lib.* 6. *cap.* 8. *num.* 95. Bonac. *disp.* 2. *q.* 2. *p.* 32. *num.* 9. Quòd si religiosus noluerit à lectione exire, existimat Suar. *de censur. disp.* 23. *sect.* 4. *num.* 40. Sanch. *lib.* 6. *in decalog. cap.* 8. *num.* 98. non posse Magistrum vlla vi illata Religiosum expellere, quia id solùm potestati publicæ, & iurisdictionem in foro externo habenti conceditur. Sed rectiùs oppositum iudicauit Glossa *in præsenti verbo retinere*, & tradit expressè Sylvest. *verbo excommunicatio, 9. casu* 26 *p.* 3. *num.* 57. Tabiena 5. *casu* 23. *q.* 4. Bonac. *num.* 10. posse inquam Magistrum vi moderata eum expellere; quia textus prohibens illius retentionem in scholis tacitè concedit facultatem illum vi moderata expellendi: quod sic ptobo. Præfato Religioso interdictus est aditus in scholis, Magistro autem concessa est illarum tuitio, & defensio. Ergo Religiosus illuc ingrediens scholis, Magistro, aliisque auditoribus iniuriam irrogat; potest ergo Magister cui illius loci cura incumbit eam iniuriam propulsare, atque adeò eum vi moderata expellere, quia illa non est censenda violentia, sed defensio. Sicuti si contra voluntatem patris familiàs ille ius domum intrares, nec monitus exire velles, posset per vim moderatam te expellere. Neque obinde in censuram Canonis *si quis suadente*, 17. *q.* 4. incideret, vti indicat Glossa, *verbo retinere*, quia illa non est violenta, seu iniusta manuum in religiosum iniectio, sed iusta, & rationi conformis.

Verum casu quo Religiosus monitus exire nollet, neque expelli absque scandalo, grauique periculo possit, censet Glossa *dicto cap. vt periculosa, verbo retinere.* Bonac. *tom.* 3. *de censur. disp.* 2. *q.* 2. *punct.* 32. *num.* 10. lectionem dimittendam esse, sicuti dimittitur sacrificium inchoatum, cùm excommunicatus vitandus exire non vult, ideò namque sacerdos sacrificium dimittere tenetur, quia ei interdicitur communicatio cum vitando excommunicato: at Magistro interdicta est communicatio in Doctrina cum præfato religioso. Ergo debet à doctrina cessare. Nihilominus Suar. *disp.* 23. *sect.* 4. *num.* 40. Sanch. *lib.* 6. *in decalog. cap.* 8. *num.* 98. Filliucius *tract.* 14. *cap.* 4. *q.* 11. *num.* 63. censent satis probabiliter non esse obligatum Magistrum à lectione desistere, ne alij Auditores damnum patiantur. Neque censendus est Magister eo casu religiosum docere, cùm suam doctrinam publicè traditam ad ipsum non referat; potiùs enim censendus religiosus est furtiuè eam excipere, quàm Magistrum eam illi tradere, in quo est latum discrimen à sacrificio, nam sacerdos cùm nomine populi, & maximè circunstantium sacrificium offerat, nequit separare à sacrificio communicationem cum circunstantibus. In præsenti autem ex sola intentione docentis separari communicatio doctrinæ potest.

15 Decimaquinta excommunicatio continetur in *capite quicunque de hæreticis in* 6. aduersus eos qui scienter præsumunt sepelire hæreticos, & eorum defensores. Nam Alexand. IV. inquit. *Quicunque hæreticos, credentes, receptatores, defensores, vel fautores eorum scienter præsumpserint Ecclesiastica tradere sepultura, vsque ad satisfactionem idoneam excommunicationis sententia se nouerint subiacere. Neque absolutionis beneficium mereantur, nisi propriis manibus publicè extumulent, & proijciant huiusmodi corpora damnatorum, & locus ille perpetua careat sepultura.*

Ad incurrendam hanc excommunicationem, opus est vt sepeliens hæreticos, eorúmque fautores, receptatore, & defensores sciat in eo crimine decessisse, prohibitúmque sibi esse illud munus circa eorum corpora exercere, qua scientia non obstante præsumat ea corpora Ecclesiasticæ sepulturæ tradere, id est, in loco sacro sepelire. Sepelire autem censebitur, si propriis manibus terræ mandet, non autem si corpus comitetur. Quinimò satis probabile est solùm propriis manibus sepelientem hac censurâ ligari, non autem mandantem, consulentem, aut moraliter concurrentem; quia censura lata contra facientes, extendi non debet vltra eos qui physicè, & & realiter opus præstant. Et fortè ob hanc causam præcipit Pontifex, ne absoluatur delinquens quousque propriis manibus extumulet corpus sepulcrum, vt in ea ratione in qua deliquit pœnas luat. Sic in præsenti aliis relatis docet Bonac. *t.* 3. *de censur. disp.* 2 *q.* 2. *p.* 30. *num.* 6. Dixi satis probabile esse, eo quòd censeam in hoc casu esse probabilius censuram ad mandantes extendi. Nam quoties lex reddenda est inutilis nisi extensionem admittat extensio facienda est, vt latè probaui *tract. de legibus*, vbi de interpretatione: at nisi hæc lex ad mandantes extenderetur ferè inutilis esset; eo quòd propriis manibus sepelientes plerunque rudes sunt, & infimæ notæ, ideóque tum ratione ignorantiæ censuræ, tum ratione mandati suorum dominorum censuram effugerent, ergò hæc censura ad mandantes extendi debet. vt frequenter effectum habeat.

Sed an opus sit ad incurrendam hanc censuram vt hæretici, eorum fautores, vel defensores denunciati sint nominatim; Non caret difficultate; eo quòd post Extrauag. *ad euitanda*, non teneamur vitare excommunicatum, qui manifestus clerici percussor non fuerit, vel non fuerit nominatim denunciatus. Ob quam rationem existimat Bonac. *tom.* 3. *de censur. disp.* 2. *quæst.* 2. *punct.* 30. huic excommunicationi non esse locum, si hæreticus denunciatus non sit. Sed oppositum alicui verius videbitur, quia hæc excommunicatio non ob communicationem cum hæretico quatenus fuit excommunicatus, sed quatenus hæreticus fuit, & in hæresi decessit imponitur, ac proinde non est attendenda publicatio excommunicationis, sed finalis in hæresi & manifesta impœnitentia. Nihilominus sententia Bonacinæ placet ob dictam Extrauag. quæ eximit ab obligatione vitandi quemlibet non solùm ob censuram, sed ob quamlibet sententiam à iure, vel ab homine. Absolutio verò ab hac censura præstanda non est, quousque deliquens corpus sepultum publicè extumulet. Quod intelligendum est, si publicè fuerit tumulatum, vt sit satisfactio delicto correspondeat. Secùs verò si secretò tumulatum fuerit; quia tunc secretò est exhumandum, vt benè aduertit Bonac. *t.* 3. *disputat.* 2. *quæst.* 2. *punct.* 30. *num.* 7. Et præterea debet intelligi casu quo illius corpus ab aliis ossibus filelium discerni possit, vt multis relatis aduertit Sayrus *lib.* 3. *cap.* 15. *num.* 6.

Additur vltimò, vt totus, in quo prædictum corpus sepultum est perpetua careat sepultura, quod intelligendum est non de tota Ecclesia, sed de loco illo particulari, in quo corpus illud execrabile requieuit: vt benè aduertit Bonac. *d. p.* 30. *in fine.*

Decimasexta continetur in *cap. vt inquisitionis, de Hæreticis in* 6. in defensionem sancti officij Inquisitionis. *Primò* namque excommunicantur gubernatores, potestates, ac domini temporales qui de aliquo crimine hæresis cognouerint, aut iudicium tulerint siue directè, siue indirectè. *Secundò* si detentos in carcere ob crimen hæresis audeant absque Episcopi, vel Inquisitoris licentia liberare. *Tertiò* si sententiam latam ab Episcopo, vel Inquisitoribus non mandauerint executioni, sicuti sunt obligati. *Quartò* si directè, vel indirectè sententiam Episcopi, vel Inquisitionis impedire præsumserint. *Quintò* si ausi fuerint se opponere prædicto Diœcesano, vel Inquisitoribus in rebus ad Fidem pertinentibus. 16

Circa hanc excommunicationem aduerte cùm Glossa, Ioann. Andrea, & alijs *in dicto cap. vt inquisitionis.* Tolet. *lib.* 1. *cap.* 38. *num.* 21. Sayro *lib.* 3. *cap.* 34. *num.* 19. Nauarro *cap.* 27. *num.* 135. Suar. *disp.* 23. *sect.* 4. *num.* 44. Bonacina *t.* 3. *de censur. disp.* 2. *q.* 10. *p.* 8. *n.* 5. & aliis, si Episcopus, & Inquisitor in eadem causa non conueniunt supersedendum esse, nisi fortè declaratum sit à Pontifice, aut supremo tribunali, cui sententiæ standum sit in casu discordiæ. Secundò aduerte plures Doctores. Angel. *verbo excommunicatio 7. casu* 21. Sylvest. *eodem. casu* 28. *num.* 58. Sayrus *dicto lib.* 3. *cap.* 34. *num.* 18. *vers. quarto*, & probabile reputat Tolet. *dicto cap.* 38. *num.* 21. assere ad incurrendam hanc excommunicationem opus esse, vt domini temporales animo impediendi Inquisitionis officium prædictas actiones præstent. Nam si ex odio, vindicta alióve fine Inquisitionis ministros vexent, tametsi inde officium Inquisitionis impediatur, non est locus huic excommunicationi. Ratio esse potest, quia licèt hæ actiones absolutè prohibeantur, neque animus attendatur, at cum hæc prohibitio facta sit, vt tribunal Inquisitionis deffendatur, & promoueatur; debent intelligi prohibitæ, quando ex intentione impediendi hunc finem nascuntur. Cæterùm contrarium longè probabilius est, vt affirmat Tolet. *loco relato.* Suar. *disp.* 23. *sect.* 4. *numero* 44. Filliuc. *tractat.* 14. *capit.* 9. *quæst.* 5. *numero* 159. Bonac. *dicta disp.* 2. *q.* 10. *punct.* 8. *numero* 30. quia lex

absolutè excommunicat prædictas actiones operantem absque restrictione huius; vel illius intentionis; parum enim refert quòd ex hac, vel illa intentione actiones procedant, si officium Inquisitionis impeditur, quod lex præcauere intendit. tem si opus esset moueri ex intentione impediendi Inquisitionis officium, id textus exprimeret, at contrarium indicat, prohibens non solùm directè, sed indirectè, quomodocunque impedimentum apponi. Tertiò aduerte, si prædictæ actiones fiant animo fauendi hæreticis in excommunicationem Bullæ Cœnæ clausula 1. incurri. In vltima parte huius textus additur excommunicatio contra omnes cuiuscunque conditionis sint, qui in prædictis auxilium, consilium, vel fauorem præstiterint, statuturque contra omnes generaliter si per annum in hac excommunicatione perstiterint animo obstinato, vt hæreticos puniendos esse. De qua excommunicatione *superius* dixi, & *tract. de fide*, vbi de suspicione hæresis.

17 Decimaseptima habetur in *cap. pro humani, 1. de Homicidio in 6.* aduersus eos qui per assassinum aliquem Christianum fecerint interfici, vel mandauerint; tametsi mors non sequatur.

Nomine *assassini* existimat Sayrus *lib. 3. thesauri, cap. 34. num. 21.* intelligi qui pecunia inductus officium assumit aliquem interficiendi. Quod si ita esset, huic excommunicationi sæpè esset locus, cùm plures vt securitatem habeãt, homicidas cõducunt ad inimicum interficiendum. Casu autẽ quo sic esset hæc excommunicatio intelligenda, in illam incurrit faciens interfici Christianum Catholicum non hæreticum per assassinos, vel de interfectione mandatum præstans, tametsi ex eo mandato forsan mors non sequatur, vti in textu dicitur. Item in eam excommunicationem incidit qui prædictos assassinos receptauerit, defenderit, vel occultauerit. Quod intelligendum est postquam mortem perpetrauerint, vel mandatum acceperint de ea perpetranda. Nam si mandans ob solum mandatum huic excommunicationi subiicitur, receptor, vel defensor mandatarij eidem subiici debet. Verùm longè probabilius existimo solos quosdam infideles Principibus Christianis subiectos, & hoc crudele officium homines interficiendi assumentes nomine Assassinorum intelligi; vt manifestè indicant illa verba Textus: Ab eorundem Assassinorum dominio impetrare, & illa tanquam Christianæ religionis æmulus, &c. Neque verisimile est Pontificem ipsos assassinos ab excommunicatione liberaturum, si excommunicationi subiici possent. Atque ita docent in præsenti Nauarr. *cap. 27. num. 136.* Tolet. *lib. 1. cap. 38. n. 25.* Couarr. *lib. 2. var. cap. 20. num. 9.* Suar. *disp. 23. sect. 4. n. 47.* Filliucius *tract. 1. 4. cap. 4. quæst. 10. n. 63.* Bonac. *t. 4. de censur. disp. 2. q. 2. p. 33. num. 2.*

18 Decimaoctaua continetur in *cap. vsurarum, de Vsuris, lib. 6.* aduersus clericos vsurariis alienigenis domus locantes, aut alio titulo concedentes. *Primò* Gregor. X. prohibet manifestis vsurariis alienigenis domus locare, aut alio titulo concedere ad fœnus exercendum. *Secundò* permittere in tertis suis domus conductas habere, aut alias habitare. *Tertiò* intra tres menses à terris suis expelli. Personis Ecclesiasticis, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis pœnam suspensionis indicit: horum inferioribus si singulares personæ fuerint, excommunicationis sententiam imponit; collegium, seu aliam vniuersitatem interdicto subiicit. Laici verò per suos Ordinarios sunt compescendi.

Prima actio, ob quam hæc excommunicatio, suspensio, vel interdictum imponitur, est domum locare, aut alio titulo scilicet commodato, depositò, donatione, venditione concedere vsurariis alienigenis ad fœnus exercendum. Non enim quibuscunque vsurariis manifestis prohibitum est sub excommunicatione domum conducere ad fœnus exercendum, sed solum vsurariis alienigenis, neque quælibet conductio domus prohibetur, sed solùm conductio facta ad prædictum finem fœneris exercendi; vti ex communi tradit Sayrus *lib. 3. thesauri, cap. 32. n. 20.* Suar. *disp. 31. sect. 5. num. 14.* Bonac. *t. 3. de censur. disp. 2 q. 4. punct. 9. num. 5.* Tolet. *lib. 1. cap. 38. numero 26.* Alienigenæ vocantur qui neque ipsi, neque eorum parentes in eo dominio nati sunt, vt constat ex *leg. qui ex vico, leg. assumptio. §. filius. ff. ad municipalem.* Quod si roges, qua de causa alienigenis vsurariis hæc domus concessio prohibeatur, non autem indigenis; ea est: quia difficilius indigenæ fœnus inter suos exercent ob naturalem pudorem, & verecundiam.

Secunda actio est permittere prædictos vsurarios in terri suis habitare. Tertia intra tres menses eos non expellere. Alicui videbitur vnam ex his actionibus superfluè apponi; nam qui permittit eo ipso non expellit, & qui non expellit eo ipso permittit, & consequenter spatium trium mensium tam ad permissionem quàm non expulsionem esse extendendum. Sed longè verius est vtramque actionem esse distinctam, & vt talem in Textu appositam esse, spatiúmque trium mensium solum pro non expulsione fuisse assignatum, etenim actio permissionis spectat primum vsurarij ingressum, quem si dominus terræ scienter permittat, eo ipso absque vlla mora in excommunicationem incidit. Quod si absque illius notitia vsurarius fuit ingressus, ibique habitat, obligatus est non statim, sed intra tres menses illum expellere.

Hæ duæ actiones comprehendere tantùm possunt personas Ecclesiasticas, quæ in illis terris, vbi vsurarij fœnus exercent dominium habuerint; quia solùm hæ potestatem habent prædictos vsurarios expellendi, & constat ex illis verbis Textus *in terris suis*, & notauit ex communi sententia Sayrus *libro 3. capit. 32. numero 13.* Bonacina *disputat. 2. quæst. 4. p. 9. numero 6.*

Quod si contingat vsurarium alienigenam, non esse alienigenam respectu domini, sed solùm respectu illius terræ in qua fœnus exercet, existimat Bonac. *t. 3. de censur. disp. 2. q. 4. pun. 9. num. 10.* non comprehendi sub hac constitutione, quia solùm comprehenduntur vsurarij qui non sunt oriundi de terris dominorum. Sed verius est oppositum, vt indicat Sayrus *libro 3. thesauri, capit. 32. num. 4.* quia textus absolutè prohibet vsurariis alienigenis domus locare, aut ibidem habitare permitti. At oriundus ex regno diuerso, vti ex Neapoli, Flandria; verè est alienigena in Hispania; tametsi eidem Regi subiectus, sub dicta constitutione comprehenditur. Neque obest quòd non sit expellendus ex omnibus terris huius Regis, si ex aliqua illius terra oriundus existat: satis enim est quòd expellatur ex omnibus terris, quarum comparatione ipse vsurarius fuerit alienigena.

Ad extremum placet aduertere quod tradit Leonard. Lessius *lib. 2. de iustit. cap. 24. dub. 6. in fine*, nempe multis in locis non esse hanc prohibitionem receptam, sed passim vsurarios alienigenas maximè Iudeos permitti videntibus, & non contradicentibus Episcopis.

Decimanona continetur *cap. vnico de iniuriis in 6.* aduersus 19 concedentes repræsalias contra personas Ecclesiasticas, vel concessas in laicos ad Ecclesiasticos extendentes. Subiicit namque Gregor. X. excommunicationi singulares personas, & vniuersitatem interdicto, si contra personas Ecclesiasticas repræsalias, seu pignorationes concedant, seu concessas executioni mandent, aut aliquo modo extendant, nisi præsumptionem huiusmodi reuocauerint à concessionis, vel extensionis tempore infra mensem quis reuocauerit concessionem, & exequens executionem damnum illatum reparando huic excommunicationi non est locus. Solùm est dubium, si reuocatio concessionis facienda est re integra, id est antequam executioni mandetur, vt hæc censura vitetur. Negat id esse necessarium Suar. *disp. 23. sect. 3. n 50.* Bonac. *t. 3. de censur. disp. 2. q. 2. p. 22. n. 24.* quia nulla est causa, ob quam constitutio pœnalis restringi debet, hæc autem constitutio affignat terminum mensis ad incurrendam censuram absque conditione, an res integra sit, vel non? Ergo non est eius dispositio restringenda. Nihilominus contrarium mihi verius videtur cum Glossa, Geminiano, Franco *in præsenti*, Syluestro *verbo excommunicatio 9. num. 63.* Tolet. *lib. 1. cap. 38. num. 27.* Maneor, quia concessio posita executione reuocari non potest, vtpotè quæ habuit suum effectum, tametsi damnum ex ea sequutum possit reparari. Secùs est in executione, quæ per restitutionem pignoris, seu rei ablatæ in suum pristinum statum reuocatur. Ergo cùm concessioni conceditur terminus mensis ad reuocationem, subintelligendus est pro concessione executioni non mandata; quia huic tantùm reuocatio aptari potest, non verò concessioni iam executæ.

Repræsaliæ vocantur quando ratione debiti ab vna persona contracti, aut iniuriæ illatæ altera tertia persona in se, vel in suis bonis grauatur, & obligatur satisfactionem pro alia exhibere, etiamsi aliàs non teneatur. Quod aliquando licitum esse potest circa personas sæculares authoritate legitima præstitum, secùs circa Ecclesiasticas personas, nisi ex speciali licentia Pontificis.

Vigesima excommunicatio habetur in *cap. scelicis de Pœnis in 6.* aduersus Principes, aliósque dominos temporales & iudices non obseruantes ea quæ ibidem præscribuntur, contra hostiles inuasores Cardinalium, de qua excommunicatione latè dictum est in explicatione Bullæ Cœnæ, clausula 11.

PVNCTVM XXXIV.

Expenduntur excommuuicationes latæ ipso iure, & non reseruatæ contentæ in libris Clementinarum.

1 *Refertur prima excommunicatio aduersus impedientes sequestrationem ab Ordinario factam, de beneficio super quod lata est sententia definitiua à Sede Apostolica contra possessorem illius non triennalem.*

2 *Secunda aduersus eos qui mortuos tempore interdicti sepeliunt, vel excommunicatos, aut vsurarios.*

3 Tertia

3 *Tertia aduersus Religiosos vsurpantes decimas, vel impedientes earum solutionem.*

4 *Quarta excommunicatio expenditur quæ est aduersus monachos, & canonicos regulares adeuntes curias Principum animo nocendi suis Prælatis, vel monasterijs.*

5 *Quinta aduersus Monachos tenentes arma intra septa sui Monasterij.*

6 *Sexta aduersus impedientes visitatores Monialium in suo munere, nisi moniti resipiscant.*

7 *Septima refertur aduersus fœminas statum Beghinarum assumentes, & aduersus Religiosos qui prædictas Beghinas fouent in earum statu.*

8 *Octaua aduersus contrahentem matrimonium in gradibus prohibitis.*

9 *Nona aduersus eos qui prætextu officij Inquisitionis, pecuniam illicitis modis extorquent, vel ob delictum clericorum Ecclesiarum bona confiscant.*

10 *Decima contra officiales communitatum vsuris fauentes.*

11 *Vndecima aduersus religiosos Mendicantes nouas domos ad habitandum acquirentes, sine Sedis Apostolicæ facultate, vel acquisitas alienantes.*

12 *Duodecima aduersus Religiosos qui suis sermonibus, vel alibi à decimarum solutione debitores retrahere intendunt.*

13 *Decimatertia aduersus eosdem religiosos, qui negligentes fuerint in decimarum solutione suadenda pœnitentibus, & moniti à suis Superioribus ausi fuerint prædicare, non purgata negligentia.*

14 *Tandem expenditur excommunicatio aduersus Religiosos non seruantes interdictum locale generale, vel cessationem à diuinis positam authoritate Sedis Apostolicæ, vel Ordinarij illius loci.*

1 PRima excommunicatio refertur in *Clement. vnica de sequestrat. possessionis, & fructuum* aduersus impedientes sequestrationem ab Ordinario factam de beneficio super quod lata est sententia definitiua à Sede Apostolica contra possessorem illius non triennalem. Etenim Clemens V. ad compescendas litigantium malitias definiuit: vt cum contra possessorem definitiua sententia super beneficio apud sedem Apostolicam dumtaxat in petitorio, vel possessorio promulgata fuerit, beneficium ipsum etiamsi dignitas, vel personatus existat, & curam habeat animarum, à possessore huiusmodi (dum tamen triennio pacificè antea ab eo possessum non fuerit) per loci Ordinarium apud aliquam personam idoneam sequestretur, quæ plenam de ipso, & debitam gerens id quod de fructibus ipsius (debitis eiusdem supportatis oneribus) superesse contigerit, illi restituat qui finalem in causa victoriam obtinebit. Si quis autem sequestrationem huiusmodi impedire, vel fructus quoque modo præsumpserit occupare, excommunicationis incurrat sententiam ipso facto, à qua (nisi impedimento prius amoto, & occupatis per eum fructibus restitutis) nullatenus absoluatur.

Circa quam excommunicationem aduerte sermonem esse de sententia definitiua Sedis Apostolicæ in possessorio, vel petitorio. Item de impedimento appositio executioni, & sequestrationi beneficij, vel illius fructuum factæ ab Ordinario, non autem de sequestratione quæ per auditores Rotæ, vel aliquem à Sede Apostolica delegatum fieret, vti communiter contingit. Quapropter dixit Caietan. *verbo excommunicatio, cap.* 43. Nauarr. *cap.* 27. *num.* 137. Tolet. *lib.* 1. *c.* 39. *num.* 1. Suar. *disp.* 23. *sect.* 5. *num.* 1. Sayrus *lib.* 3. *c.* 35. *n.* 7. Filliucius *tract.* 14. *c.* 5. *q.* 2. *num.* 69. Bonac. *t.* 3. *de censur. disp.* 2. *q.* 2. *punct.* 24. *num.* 1. rarò, vel nunquam huic excommunicationi esse locum; quia sequestratio non fit authotitate Ordinarij, sed authoritate sedis Apostolicæ, & delegatorum ipsius. Quando autem sequestratio beneficij authoritate Ordinarij fieret, illam impediens, vel illius fructus occupans excommunicationi subiicitur.

Ab hac censura non est absolutio delinquenti præstanda, quousque impedimentum amoueat, & fructus occupatos restituat, vti cauetur *in dicta Clement.* Quod si de facto à Paracho, vel Episcopo hæc absolutio concedatur ante prædictam satisfactionem, & restitutionem si fieri possit sub opinionione positum est, an valida sit; eo quòd videatur Pontifex sibi absolutionem reseruare. Aliis verò placet etsi illicitè præstetur, absolutionem tamen validam fore; quia non tollit Pontifex potestatem, sed modum indicat, quo exercenda sit, maximè cùm hæc conditio sit ex illis quæ iure insunt, quæque seruandæ sunt, esto non sint expressæ.

2 Secunda habetur in *Clement. 1. de sepultur.* aduersus eos qui mortuos tempore interdicti sepeliunt, vel excommunicatos, aut vsurarios. Inquit enim Clemens V. *Eos qui propria temeritatis audacia, defunctorum corpora non sine contemptu clauium Ecclesiæ, in cæmeteriis interdicti tempore in casibus non concessis à iure, vel excommunicatos publicè, aut nominatim interdictos; vel vsurarios manifestos scientes sepelire præsumunt. Decernimus ipso facto excommunicationis sententia subiacere, à qua nullatenus absoluantur, nisi prius ad arbitrium Diœcesani Episcopi, ei quibus per præmissa fuerit iniuria irrogata, satisfactionem exhibuerint competentem, nullo eis circa præmissa exemptionis, vel quouis alio priuilegio sub quacunque verborum forma concesso aliqualiter suffragante.*

Primò excommunicat Pontifex eos, qui mortuos sepeliunt tempore interdicti lotalis extra casus à iure concessos. Qui autem sint casus concessi à iure *disp.* 5. *de interdicto* examinabimus. Satis probabile est eos qui tempore interdicti assistere possunt diuinis ratione priuilegij, sepeliri tempore interdicti posse; quia iis quibus communicamus viuis, possumus defunctis communicare.

Secundò eos qui sepeliunt publicè excommunicatos hoc est vitandus, quia post Extrauag. *ad vitanda scandala*, solos hos excommunicatos vitare tenemur. Vti ex communi docet Syluest. *verbo excommun. 9. n. 66.* Nauarr. *c. 27. n. 137.* Caiet. *verbo, excommunicatio, num. 46.* Sayrus *lib. 3. thesauri, cap. 35. num. 9.* Bonacina *tom. 3. de censur. disput. 2. quæst. 2. p. 31. numero 4.*

Tertiò eos qui nominatim interdictos sepeliunt, modò interdicti sint generaliter à Diuinis, nam si solùm ab vno vel alio actu distincto ab officio sepulturæ fuerint interdicti, non est locus hinc prohibitioni. Sicuti aliis relatis aduertit Sayrus *dicto lib. 3. cap. 35. num. 10.* Bonac. *p. 31. num. 5.*

Quartò eos qui manifestos vsurarios sepeliunt, id est qui nulla tergiuersatione cælari possunt fœnus exercentes decessisse. Sed an insuper requiratur, quòd sint nominatim, & expressè denunciati & declarati vsurarij; Doctores non conueniunt. Nam Caietan. *verbo excommunicatio, c. 46.* Nauarr. *c. 27. num. 137.* Sayrus *lib. 3 c. 35. num. 9.* Tolet. *lib. 1. c. 39. num. 2.* indicant locum esse huic excommunicationi si vsurarium manifestum sepelias, tametsi denunciatus non sit, cum nullam huius denunciationis mentionem fecerint. Quo expressè docuit Filliucius, *tract. 14. cap. 5. q. 3. num. 71.* Ratio esse potest, quia hæc excommunicatio imponitur sepelientibus vsurarios manifestos in odium tanti criminis. Extrauagans verò *ad vitanda scandala*, excusat ab obligatione vitandi quemlibet fidelem ob censuram, seu sententiam, & prohibitionem in eum latam non denunciatam, non autem ob crimen aliquod quo affectus sit. Sed verùs censeo cum Suar. *disp. 31. sect. 2. num. 10.* Bonac. *t. 3. de censur. disp. 2. q. 2. pun. 31.* Alterio *t. 2. disp. 11. cap. 2. ad finem*, requiri denunciationem, quia dicta Extrauagans *Ad vitanda scandala* eximit fideles ab obligatione vitandi tum in sacris, tum in profanis non solùm excommunicatum, suspensum, vel interdictum, sed quemlibet alium peccatorem, nisi expressè, & nominatim denunciatus sit, vel sit manifestus clerici percussor, vt constat ex illi verbis dictæ Extrauagantis relatæ à Nauarro *cap. 27. n. 37.* Sayro *lib. 2. cap. 12. num. 6. Ad vitanda scandala, & multa pericula, quæ conscientiis timoratis contingere possunt, Christi fidelibus tenore præsentium misericorditer indulgemus, quòd nemo deinceps à communione alicuius, sacramentorum administratione, vel receptione, aut aliis quibuscunque diuinis intus & extra prætextum cuiuscunque sententiæ, aut censuræ Ecclesiasticæ à iure, vel ab homine generaliter promulgatæ teneatur abstinere, vel aliquem vitare, aut interdictum Ecclesiasticum obseruare, nisi sententia, vel censura huiusmodi fuerit illata contra personam, collegium, vniuersitatem, Ecclesiæ communitatem, aut locum certum, vel in certum à iudice publicata, vel denunciata specialiter & expressè constitutionibus Apostolicis, & aliis in contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque. Saluo si quem sacrilega manuum iniectione in Clericum in sententiam latam à Canone adeò notoriè constiterit incidisse, quòd factum non possit aliqua tergiuersatione celari, neque aliquo suffragio excusari: nam à communione illius licèt denunciatus non fuerit, volumus abstinere.* Ex quibus verbis manifestè apparet fideles obligatos non esse aliquem in diuinis vitare siue propter censuram, siue propter sententiam, siue ob aliam quamcunque causam à iure, vel ab homine promulgatam, nisi specialiter, & expressè denunciatus sit, excepto casu notoriæ percussionis clerici. At vsurarius manifestus iuris sententia generaliter promulgata priuatus est sepultura Ecclesiastica. Ergo ob hanc prohibitionem non tenentur fideles ab eius communicatione abstinere quousque expressè, & specialiter denunciatus sit. Sed non obstante eius crimine manifesto, & notorio poterunt Ecclesiasticæ sepulturæ tradere.

Denunciatum verò vsurarium, sicuti & nominatim excommunicatum, & interdictum sepelientes, vel sepelientes defunctum in loco interdicto hujè excommunicationi subiiciuntur. Nomine *sepelientium* intelligunt plures non solùm sepelientes mortuum tumulo, sed cæteros alios, sine quibus regulariter nequit mortuus sepeliri: vt aliis relatis tradit Sayrus *lib. 3. cap. 35. numero* 13. Cùm ergo mortuus

sepeliri non possit, quin sepulchrum fodiatur, & in ipsum deferatur, & humo condatur, fodientes sepulchrum, corpus deferentes & humo cõdentes hac excõmunicatione ligantur. Alij extendunt ad quoslibet comitantes. Alij ad non impedientes cùm possint, & ex officio tenentur. Ergo verò censeo solùm condentem humo corpus defuncti huic subiici excommunicationi, si verba legis propriè, & in rigore spectetur, quia sepelire propriè, & formaliter non est sepulchrum aperire, nec corpus defuncti deferre, nec comitari, nec mandare, sed tantùm humo condere. Ergo solùm condentes humo huic excommunicationi subiiciuntur, spectata legis proprietate. Atque ita docet Glossa, *verbo sepelire*, Caietan. *verbo excommunicatio, capite* 46. Nauarr. *cap.* 27. *num.* 137. Tolet. *lib.*1. *cap.* 39. *num.* 2. Henriq. *lib.*13. *cap.*23. *num.*3. Auila 2. *p. cap.* 6. *disp.*10. *dub.* 6. Bonacina *disp.*2. *q.*2. *pun.*3 1. *num.*10. Dixi *spectata legis proprietate*, quam censeo in præsenti casu spectandam non esse, sed extendendam saltem ad eos qui corpus defuncti sepelire fecerint, seu mandauerint. Vgolin. *tap.*2. *de censur. cap.*9. §. 6. Suar. *disp.*12. *sect.*4. Coninch. *disputat.*14. *dub.*8. *num.*68. Filliucius *tract.*12. *cap.*4. *num.*111. quia lex etto pœnalis sit extendi debet vltra verborum proprietatem, ne inutilis fiat vt multis probaui *tract.*3. *de legib. disp.* 5. *punct.*3. §. 3. præcipuè, *numero* 6. At hæc lex solùm comprehenderet corpus defunctum humo condentes ferè inutilis esset, cùm plerunque rudes, sint, & censuræ ignari, & mandantibus subiecti, ideóque à censura excusati. Debemus ergo saltem ad mandantes censuram extendere.

Absolutio ab hac excommunicatione præstanda non est, quousque absoluendus satisfactionem competentem præstet iis, in quorum fauorem censura lata fuit, & consequenter quousque restituat damnum quod ipsis prouenit ex eo quòd corpus traditum sepulturæ sit, vt tradit Glossa *in dicta Clement. vers. eis quibus.* Alterius *tit.*2. *disput.*11. *capit.*2. *col.*1. Bonac. *disp.*2. *q.*2. *pun.*3 1. *in fine.* Quod si ante hanc satisfactionem absolutio conceditur, censet Bonac. *ibi* nullam esse absolutionem. Sed satis probabile est validam fore esto illicitam, quia Pontifex non tollit potestatem absoluendi, sed præscribit modum, quo exercenda sit, quique ipso iure inerat.

3 Teria excommunicatio continetur in *Clement.* 1. *Religiosi de Decimis*, aduersus religiosos vsurpantes decimas, vel impedientes earum solutionem. Etenim Clemens V. religiosos qui sibi noualia hoc est agros, quorum culturæ non extat memoria, aut alias decimas Ecclesiis debitas appropriare, aut vsurpare præsumpserint vel suis familiaribus, pastoribus, aut colonis decimarum solutionem non permiserint, aut prohibuerint ab officio, & beneficio suspendit, modò officium, administrationem, seu beneficium habeant. Quod si religiosi administrationes, vel beneficia non habuerint, excommunicationi subiicit.

Ob duplicem actionem hæc excommunicatio, vel suspensio incurritur. Prima est appropriare, seu vsurpare decimas, hoc est eas tanquam sibi debitas accipere, seu retinere, cùm nullo modo debitæ sint. Quapropter ex eo tantum quòd decimas debitas non soluas in hanc censuram non incidis; quia illa non est appropriatio, sed surreptio, nec deterioris conditionis esse debet laicis sæcularibus, qui ob hanc retentionem excommunicatione non afficiuntur, vt ex communi tradit Sayrus *lib.*3. *cap.*33. *num.*25. Tolet. *lib.*1. *cap.*39. *num.*4. Bonac. *disp.*2. *quæst.*8. *pun.*12. *num.*10. Quinimo non sufficit appropriare, vel vsurpare præfactas decimas, vt huic censuræ locus sit, sed insuper requiritur, ne infra duos menses damnificatis Ecclesiis emendam fecerit competentem. Secunda actio, ob quam hæc excommunicatio, vel suspensio inducitur est impedire verbis, vel factis, ne serui, familiares, vel coloni decimas Ecclesiis soluant, dummodò infra mensem à dicta prohibitione non desiteris, vti cauetur in dicta Clement.

Difficultas autem est, à quo tempore computandus sit prædictus terminus mensium. Et quidem omnes conueniunt in prohibitione, seu non permissione solutionis decimarum seruis, familiaribus, pastoribus, vel colonis facta computandum esse à die quo es à parte requisitus: vt à prædicto impedimento cesses, quia sic expresè à Pontifice decisum est, vt constat ex illis verbis, *nisi post requisitionem per eos quorum intererit super hoc factam, à præmissis desiterint infra mensem.* Quoad appropriationem, vel vsurpationem decimarum censet Sayrus aliis relatis *lib.*3. *c.*34. *n.*24. Bonac. *t.*3. *de censur. disp.*2. *q.*8. *pun.*12. *n.*5. computandum esse terminum duorum mensium non à die requisitionis, sed à die vsurpationis, quia admonitio non coniungitur vsurpationi, sed solùm non permissioni seu prohibitioni. Sed rectius Glossa *in dicta Clement: verbo duos menses.* Cardinal. *ibi num.*24. Alterius *de suspens. disp.*17. *cap.*2. *vers.*6. Suar. *de censur. disp.*31. *sect.*6. *num* 9. *in fine* existimant computandum esse à die requisitionis, seu monitionis, quia illa verba *post monitionem* posita in principio clausulæ, ad omnia in dicta clausula contenta, referuntur. Neque est vlla ratio, ob quam potiùs non permissioni, seu prohibitioni annectatur, quàm vsurpationi, cùm tam non prohibito quàm vsurpatio sub eadem periodo comprehenditur. Et cùm hæc explicatio legem pœnalem restringat, sustinenda est, alia verò quæ illam ampliat repellenda.

Monitio non debet esse trina; quia Textus non exigit canonicam monitionem, sed monitionem quæ semel facta perficitur, vt tradit Glossa, *verbo facta.* Nauarr. *cap.*27. *numero* 138. Tolet. *lib.*1. *cap.*39. *numero* 4. Suar. *dicta disputat.*31. *sect.*6. *numero* 9. Bonac. *disput.*2. *quæst.*8. *punct.*12. *num.*6.

Hæc censura comprehendit Religiosos siue viros, siue fœminas qui verè religiosi sint, hac tamen differentia; nam religiosi carentes administratione, officio, seu beneficio excommunicantur, habentes verò administrationem, officium seu beneficium, suspenduntur. Quod intelligendum est de administratione, officio, vel beneficio regulari; nam si ad sæcularem Ecclesiam translati sint, huic censuræ non subiiciuntur, quia ij non sunt religiosi modo religioso viuentes, sed sæcularium statum imitantes, & consequenter inter sæculares clericos in hac parte computandi sunt: vti tradit Sylues. *excommunicatio* 9. *casu* 36. Nauarr. *cap.*27 *num.*138. Suar. *disp.* 31. *sect.*6. *num.*9. Bonac. *disp.*2. *q.*8. *p.*12. *n.*8. contra Tolet. *dicto cap.*39.

Quarta continetur in Clement. *Ne in agro.* §. *quia verò, de statu Monachorum* aduersus monachos & Canonicos regulares adeuntes curias Principum animo nocendi suis Prælatis, vel Monasteriis; inquit enim textus. Nos eorum (cilicet Monachorum Benedictinorum, de quibus antea locutus est) in hac parte reprobis ausibus obuiare volentes, hoc edicto perpetuo prohibemus, ne monachi, aut regulares canonici administrationem aliquam non habentes ad curias Principum absque speciali Prælatorum suorum licentia se conferre præsumant. Quod si vt suis Prælatis vel Monasteriis damnum aliquod inferant ad dictas curias se confrrre præsumpserint, excommunicationis sententiam eos incurrere volumus ipso facto. 4

Hæc excommunicatio non comprehendit omnes religiosos, sed solum monachos, & canonicos regulares, quia ij tantùm exprimuntur. Quinimo Angelo verbo *excomm.*7. *casu* 38. Suar. *disp* 23. *sect.*5. *num.*4. Filliucio *tract.*14. *cap.*8. *q.*6. *num.* 139. placet solos monachos nigros id est Benedictinos comprehendi, quia de iis tantùm Pontifex sermonem fecerat, horúmque in hac parte reprobis ausibus obuiare intendit. Non igitur extendenda est constitutio ad alios monachos, maximè cum sit pœnalis. Sed contrarium meritò docuit Panormit. *in dicta Clement. num.*9. Sylues. verbo *excommunicatio* 9. *num.*78. Tolet. *lib.*1. *cap.*39. *num.*1. Sayrus *lib.*1. *thesauri, cap.*33. *num.*26. Bonac. *t.*3. *de censur. disp.*2. *quæst.*8. *punct.*9. *num.*12. eo quòd Pontifex excommunicationi, vel suspensioni Monachos subiiciens generaliter locutus est, neque dispositionem restrinxit ad Monachos, de quibus antea sermonem fecerat: nam licèt ex Benedictinorum abusibus sumpserit occasionem huius constitutionis ferendæ, constitutio tamen latior fuit; siquidem non solum monachos, sed etiam canonicos regulares comprehendit, de quibus antea locutus non fuerat.

Vt autem hi Monachi, vel Canonici regulares hac excommunicatione afficiantur, ob accessum ad curias Principum animo nocendi suis Prælatis, vel conuentibus, nullam in ipsis conuentibus administrationem habere debent; quia hi occasionem habent accedendi sæpè ad curias, ideóque excipiuntur, tametsi contrarium sentiat Sayrus *dicto lib.*1. *cap.*33. *num.*27. & indicet Sylues. *excommunicatio* 9. *numero* 75. Nomine administrationis etsi Angel. & Cardinal. *in præsenti*, & Sayrus *dicto num.*27. censeant solam temporalem intelligi, quæ in percipiendis fructibus monasterij consistit; verius tamen est non solùm temporalem, sed etiam spiritualem comprehendi, cùm sæpè ob administrationem spiritualem vrgens causa occurrat ad curias Principum accedendi, idque indicant illa verba Textus: *Administrationem aliquam non habentes*, hoc est nullam administrationem habentes. Vti docet Glossa, & Panormitan. *ibi*, & Suar. *dict. disputat.*23. *sect.*5. *num.*5. Bonac. *disput.*2. *qu.*8. *punct.*9. *num.*13.

Deinde accedere debent ij Monachi, vel Canonici regulares ad curias Principum animo nocendi suis Prælatis, vel conuentibus, vt huic censuræ sit locus, quia sic in textu præscribitur. Quare illuc accedentes absque licentia, esto grauiter peccent, si tamen prædictum animum nocendi non habent, cùm de facto accedunt, huic censuræ non subiiciuntur. Sicuti aduertunt omnes Doctores relati.

Solùm est difficultas, An accedent cum licentia expressa ad alia negotia hac excommunicatione afficiatur, si eo malo animo accedat? Communis sententia affirmatiuam partem tuetur. vt videre est in Glossa, Panormit. & Cardinali *in præsenti*, quos sequitur Nauarr. *cap.*27. *num.*138. Suar. *disp.*23. *sect.*5. *num.*8. Tolet. *lib.*1. *cap.*30. *num.*5. Sayrus *lib.*3. *cap.*33. *num.*27. Bonac. *disput.*2. *qu* 8. *punct.*9. *num.*6. quia Textus cùm censuram tulit licentiæ non meminit, sed solùm iniqui animo

animi; ergò accedentes hoc prauo affectu siue absque licentia, siue cum illa hac ligantur excommunicatione. Fateor hanc communem sententiam mihi difficilem esse. Nam esto in clausula, qua hæc censura fertur licentiæ mentio facta non sit, sed solùm accessus cum intentione damnificandi Prælatis, at videtur intelligendum de accessu immediatè antea prohibito, Pontifex namq; prohibet Monachis vel Canonicis regularibus administrationem aliquam non habentibus, ne ad curias Principum absque speciali Prælatorum suorum licentia se conferre præsumant. Et statim subiungit. *Quòd si vt suus Prælatis vel Monasteriis damnum aliquod inferant ad dictas curias se conferre præsumpserint, id est se conferre præsumpserint eo modo quo antea dictum est, scilicet absque licentia.* Neque ex eo quòd in hac clausula mentio licentiæ facta non fuerint, inferendum est subintelligi non debere, nam etiam nulla est mentio facta administrationis, & nihilominus subintelligitur, quia in præcedenti clausula illius mentio facta est.

Adde excommunicationem nunquam indici ob actionem externam bonam, & quæ solùm denominatiuè ab actu interiori mala est: accessus autem ad curias Principum ex speciali Prælatorum licentia, cum animo tamen nocendi Prælatis, & monasteriis nullam malitiam continet, quæ fori externi iudicio cognosci possit. Ergo ex illo accessu hæc censura non contrahitur.

Præterea est dubium, An si ad curiam accesseris recto animo, & postmodum mutes, ibique assistas animo nocendi tuis Prælatis, vel monasteriis incidas in hanc censuram? Bonac. *tom.3.de censur.disput.2.q.8. punct.9. num.4.* in partem negatiuam propendet; eo quòd in materia pœnali non sit faciendæ extensio vltra proprietatem verborum. At longè diuersum est se conferre ad curias Principum, ac tibi existere, ergo Pontifex excommunicans se conferentes, non comprehendit ibidem existentes. Præterea si eo animo iniquo te in curias Principum conferres, & illuc ingressus animum deponeres, non obinde à censura excusaris, quia factum præstitisti, cui est censura annexa. Ergo in hac censura non spectatur assistentia, sed accessus. Sed oppositum verius docuerunt Suar. *tom.de censur.disp.23.sect.5.num.6.* Filliucius, *tract.14. cap.8. quæst.6.num.141.* Quia huiusmodi accessus prohibetur ob occasionem, quam religiosi habere possunt suum prauum affectum exequendi in curiis Principum existentes. At hæc occasio vrgentior est in assistentia, quàm in accessu. Ergo potius censetur prohibita assistentia, quàm primus accessus. Adde prohibito accessu prohiberi assistentiam, quia non prohibetur solùm accessus momentaneus, & transiens, sed permanens. Illud autem debet esse certum ex solo accessu ad curias Principum animo nocendi suis Prælatis, vel monasteriis hanc censuram incurri, tametsi damnificatio non succedat; quia solus accessus eo animo factus est completa materia huius censuræ: vt aduertunt Tolet. *lib.1.cap.39.num.7.* Sayrus *lib.3. cap.33 num.27.* Suarez *disp.23.sect.5. num.6.* Filliucius, *tract. 14.cap.8.quæst.6.num.141.* Bonac. *t.3.de censur.disp.2.quæst.8. p.9.num.5.*

Dixi *sæpè intentione nocendi suis Prælatis, vel Monasteriis.* Nomine *Prælatorum* comprehenduntur non solùm Prælati immediati tui conuentus, sed Prouincialis, & Generalis, quia verè sunt tui Prælati: vti notarunt Suar. Bonac. Filliuc. *locis citatis.* Nomine verò *conuentus* venit ille conuentus, in quo habitas. Quocirca si te in curiam Principis conferas animo nocendi non tuis Prælatis, sed alienis, neque tuo monasterio, sed alteri in hanc censuram non incidis. Ea tamen ligaris, si animo nocendi tuæ Religioni in genere te conferas; quia eo ipso habes intentionem tuis Prælatis, tuoue monasterio nocendi, cùm damnum Religioni factum in omnium particularium monasteriorum, & personarum cedat. Vt benè docuerunt Suar. *de censur.disput.23.sect.5. num.7.* Filliucius *tract.14.cap.8.q.6.num.141.* Bonac. *disput.2. quæst.8.punct.9. num.8.*

5 Quinta excommunicatio continetur in eadem Clement. *ne in agro. & in eodem §. quia vero de statu Monachi*, aduersus Monachos tenentes arma intra septa sui monasterij. Inquit enim Pontifex: *Præfata quoque sententia Monachos intra septa monasteriorum sine licentia Abbatum suorum arma tenentes, decernimus subiacere.* Hæc censura cum sit præcedentis extensio comprehendit eos tantum monachos, de quibus sermo antea habitus est, neque vllos alios religiosos, nec canonicos regulares, quia solum monachi exprimuntur, vt notarunt Glossa *ibi* verbo *monachos.* Sayrus *lib.3. cap.33. num.29.* Tolet. *lib.1.c.39.num.5.* Suar. *disp.23.sect.5.num.8.* Bonacina *disp.2.q.8.p.16. in fine.*

Arma verò tenenda sunt ab iis Monachis intra septa sui Monasterij, hoc est intra illud spatium ad quod mulieres ingredi non possunt, neque extra quod religiosis absque licentia exire permittitur, vti aduertunt relati Doctores. Requiritur tamen vt arma propriè sint, id est quæ communi vsu sic accipiuntur, quia verba legis, & maximè pœnalis in significatione propria sumi debent. Quocirca retentio lapidum, lignorum, vel aliorum similium, esto animo iniquo retineantur, hanc censuram non inducit, quia illa non est per se retentio armorum, sed solùm ex intentione tenentis, quæ in præsenti non punitur: vt tradit Sylues. *verbo excommunicatio 9.num.38.* Nauarr. *cap.27.num.139.* Tolet. *lib.1.cap.39. num.5.* Suar. *disp.23.sect.5.num.8.* Sayrus *lib.3.c.33.num.29.* Filliuc. *tract.14. cap.8.q.6. num 141.* Bonac. *tom.3. de censura disp.2.q.8.punct.16.num.4.* Neque opus est arma esse offensiua, satis enim est si defensiua sint, quia textus arma absolutè prohibet, & sub nomine armorum tam offensiua, quam defensiua veniunt, vti tradunt Sayrus, Tolet. Suar. Filliucius *locis citatis.* Debent tamen arma haberi ad vsum pugnæ siue offensiuæ, siue defensiuæ ad quem assumuntur, vt locus huic excommunicationi sit: nam si habeantur arma ad alium distinctum finem puta cultelium magnum ad vsum coquinæ, sub hac censura non comprehenditur, quia illa non est formalis armorum retentio, vt aduertit Sayrus *dicto c 33.num.29.* Tolet. *c.39 numero 5.* Semper tamen præsumptio adesse debet, vnde bona fides, & ignorantia modò affectata non sit, ab hac censura excusat, quia hæc censura cùm non sit eadem cum præcedenti, vt constat ex illis verbis *præfata sententia*, & in præcedenti præsumptio requiratur, eadem in præsenti requirenda est, vt tradit Nauarr. *cap.27.numero 139.* Suar. *disp.23.sect.5.num.8.* Sayrus *lib.3. cap.33.n.29.* Filliuc. *tract.14.cap.8.quæst.6.num. 40.* Bonac. *disput.2.quæst.8.p.16. num.5.*

6 Sexta excommunicatio continetur in Clement. *attendentes de statu Monachorum*, aduersus impedientes visitatores monialium in suo munere, nisi monasteria resipiscant. Non enim hæc excommunicatio contrahitur ob solum impedimentum præstitum, sed necessarium est impedimento præstito subsequi monitionem, vt desistas, qua non obstante resipiscere nolis. Vt aduertit Nauarr. *cap.27. num. 40.* Tolet. *lib.1.cap.39. num.7* Suar. *disp 23.sect.5.num.9.* Sayrus *cap.33.num.14.vers. secundo.* Filliucius *tract.14. cap.5.quæst.4 num. 3.* Bonacina, *tom.3.de censur.disp.2.q.2. punct.4. num.1.* Hæc monitio facienda est à visitatore, seu illius superiore, quia debet esse monitio iuridica, quæ necessariò in faciente iurisdictionem requirit. Vt docet Suar. & Filliucius *locis citatis.* Bonac. *num.7.* Opus tamen non est, vt sit specialis, sufficit generalis, quia Textus qualitatem monitionis non determinat. Tolet. *loc.1. cap.39.num.7.* & Bonac. *suprà.* Quinimo existimo non esse opus, vt sit trina monitio, vel vna pro tribus, quia textus non monitionem canonicam, sed monitionem absolutè postulauit, vt docet Tolet. *loc.alleg.* tametsi Suar. Filliuc. & Bonac. contrarium sentiant.

7 Septima continetur in Clement. *de religiosis domibus*, aduersus fœminas statum Beghinarum assumentes, & aduersus Religiosos qui prædictas Beghinas fouent in earum statu, & suadent vt prædictum habitum sumant, & ad id auxilium, consilium, vel fauorem præstant. Hæc excommunicatio iam non est in vsu, quia status ille iam non extat. Ex illius tamen prohibitione non est prohibita assumptio tertij Ordinis D. Francisci, & Dominici, vtpotè à Sede Apostolica approbati, neque prohibentur in domibus sub eisdem regulis vota emittere, vt aduertit Suar. *disput.23.sect.5. num.10.* Sayrus *lib.3.chesi.cap.33. num.33.*

Octaua continetur in Clement. *vnica de consanguinit. & affinit.* aduersus contrahentes matrimonium in gradibus prohibitis. Inquit enim Pontifex; *Eos qui diuino timore postposito in suarum periculum animarum scienter in gradibus consanguinitatis, & affinitatis constitutione canonica interdictis, aut cum monialibus contrahere matrimonialiter non verentur, necnon Religiosos, & Moniales, ac Clericos in sacris Ordinibus constitutos matrimonia contrahentes refranare metu pœnæ ab huiusmodi eorum temeritatis audacia cupientes, ipsos excommunicationis sententiæ ipso facto decernimus subiacere.*

Hac constitutione intendit Pontifex (vt ipse inquit) audaciam illorum, qui matrimonium irritum attentare præsumunt coërcere. *Primo* excommunicat Pontifex eos qui in gradibus consanguinitatis, vel affinitatis iure canonico matrimonium interdicentibus non verentur matrimonialiter contrahere. *Secundò* eos qui cum monialibus, hoc est religiosis professis contrahunt. *Tertiò* Religiosos, Moniales, ac Clericos in sacris matrimonium contrahentes. Ex hac constitutione non excommunicantur contrahentes cum infideli, cum coguata legali, cum laborante impedimento publicæ honestatis, & similium, quia de his contractibus nihil textus disponit, & pœnæ non sunt extendendæ, vt tradit Glossa *in præsenti verbo eos.* Caiet. *verbo excommunicatio, cap.47.* Nauarr. *cap.27.num.141.* Suar. *disp.23.sect.5.n.10.* Bonacina *disput.2.quæst.2.p.7.num.10.*

Prædicti autem excommunicationi subiiciuntur, si scientes matrimonium esse nullum de facto contrahant: nam licet ille contractus irritus sit, nihilominus illa scelta attentatio, vtpote sacrilega digna est huiusmodi pœna. Quòd si obiicias: quomodo potest velle contrahere sciens contractum esse irritum?

irritum? Respondeo non esse opus velle efficaciter contrahere, sed satis esse, si velit contrahere quantum est ex se, ita vt sublato illo impedimento nullus esset in dicto contractu defectus, sed verum matrimonium subsisteret. Vt tradunt aliis relatis Sayrus *lib.3.cap.35.num.16.* Tolet. *lib.1. cap.39. num.8.* Suar. *disp.23.sect.5.n.15.& seqq.* Sanch. *lib.7.disp.48.à n.15.* Filliuc. *tract.14.cap.8.q.7.num.144.* Bonacina *t.3.de cens. disp.2.quæst.2.p.7.* & alij.

9 Nona lata est in Clement. *nolentes 2. de Hæreticis*, aduersus eos qui prætextu officij Inquisitionis pecuniam illicitis modis extorquent, vel ob delictum Clericorum Ecclesiarum bona confiscant. Verba Pontificis sunt: *Nolentes splendorem solitum negotij fidei per actus indiscretos, & improbos quorumuis Inquisitorum hæreticæ prauitatis quasi tenebrosi fumi caligine obfuscari, hoc sacro Concilio approbante statuimus, nullis ex tunc qui quadragesimum ætatis annum attigerint officium inquisitionis prædictæ committi Inquisitoribus. Et tam ipsorum, quam Episcoporum, seu Capitulorum Sede vacante super hoc deputatis commissarijs quibuscunque districtius iniungentes, ne prætextu officij inquisitionis quibusuis modis illicitis ab aliquibus pecuniam extorqueant, nec scienter attentent Ecclesiarum bona ob Clericorum delictum prædicti officij occasione fisco eiam Ecclesiæ applicare. Quòd si secùs in iis, vel eorum altero fecerint, excommunicationis sententiæ eos subiacere decernimus ipso facto. A qua non possint absolui præterquam in mortis articulo, donec illi à quibus extorserint plenè satisfecerint de pecunia sit extorta. Nullis priuilegis, pactis, aut remissionibus super hoc valituris.*

Ex prædictis verbis constat ob duplicem actionem hanc excommunicationē indici. Prima est extorquere pecuniam modis illicitis prætextu officij Inquisitionis. Secunda bona Ecclesiarum fisco etiam Ecclesiæ applicare ob clericorum delictum. Circa primam actionem aduerte necessarium esse, vt Inquisitores, seu eorum commissarij illicitè extorqueant pecuniam, nam si licitè extorqueant, quia debita est ratione muneris, & laboris præstiti non est locus huic censuræ, vt omnes fatentur. Secundò requiritur, vt verè extorqueant, nam si oblatam pecuniam accipiant in hanc censuram non incidunt, tametsi norint sibi offerri prætextu officij, & quia timet offerens ni offerat esse iniustè vexandum, quia dum commissarius, vel Inquisitor non petit metum inferens, vel officium debitum facere recusans, non censetur extorquere, vt rectè aliis relatis aduertit Sanch. *lib.2. in decal.cap.20 num.7.* Tertiò opus est, vt hæc pecunia prætextu officij Inquisitionis extorqueatur, nam si alio titulo etiam iniusto pecunia extorta sit, non est locus huic censuræ, vt notauit Glossa *ibi* verbo *prætextu.* Sylvest. *excommunicatio 9.n.81.* Suar. *disp.23.sect.5.n.25.* Sanch. aliis relatis *cap.20.n.8.* Bonac. *disp.2.q.10.pun.10. n.3.* Tolet. *lib.1.cap.39.n.11.* Sayrus *lib.3.cap.34.n.25.* Et alij communiter.

Nomine *pecuniæ* intelligitur, quidquid pecunia æstimabile est, vt docet *ibi* Glossa, *verbo pecuniam.* Immola *num.6.* Bonifac. *num.63.* Cardinal. *verbo inquisitoribus, not.b.2.* Nauarr. *cap.27. num.142.* Suar. & Sylvest. *locis num.præced. relatis.* Sanch. *dicto n.9.* Sayrus *dicto cap.34.num.25.* Tolet. *lib.1.cap.39.n.11.* Filliuc. *tract.14. cap.10.quæst.3 num.169.* tametsi Bonac. *dicta disp.2.q.10.pun.10.* existimet tanquam probabile solam pecuniam esse intelligendam, quia illius tantùm Pontifex meminit. Sed hoc non refert, quia id factum est ratione frequentioris vsus, non autem vt dispositio restringeretur ad solam pecuniam.

Sed an sub nomine pecuniæ veniat contractus emptionis, vel venditionis, ita vt commissarius extorquens aliquem ex his contractibus in excommunicationem incidat? difficultate non caret. Negat Bonac. *dicta disp.2.quæst.10. punct.10. num.4.* modò in contractu iustitia seruetur, non exigendo pecuniam vltra valorem rei venditæ, vel emptæ. Cæterùm ego verius censerem prædictam extorsionem excommunicatione affici: nam esto in emptione, vel venditione æqualitas seruetur, & in illis non extorqueas pecuniam indebitam; attamen quatenus extorques ipsum contractum, qui indebitus est, censeris extorquere quod est pecunia æstimabile. Quippe astringi, & cogi ad celebrandum contractum onerosum aliàs non celebrandum pretio æstimabile est.

Hinc infertur quid dicendum sit de extorquente mutuò pecuniam. Bonac. negat ob hanc actionem affici extorquentem excommunicatione. Consentit Suar. *disp.23.sect.5.num.25.* Sanch. *lib.2.in decal.c.20.num.10.* quia non extorquet pecuniam, cum illam redditurus sit, sed illius mutuationem, quæ non est aliquo pretio distincto ab ipsa pecunia reddenda æstimabilis. Sed contrarium mihi verius apparet. Nam esto mutatio sponte facta solam gratitudinem exigat, neque æstimanda sit aliquo pretio distincto à pecunia reddenda, attamen mutuatio obligatoria, seu obligatio ad mutuandum digna pretio esse videtur. Igitur si sub nomine pecuniæ intelligitur quidquid pretio æstimabile est, efficitur extorsionem mutui, & cuiuslibet alterius contractus onerosi sub hac lege comprehendi. Ex suppositione autem quòd extorquens mutuum intētione pecuniam reddendi sub hac censura non comprehendatur, si postmodum mutet voluntatem, nolitque pecuniam mutuam reddere, est difficultas; an in hanc excommunicationem incidat ab eo puncto, quo voluntatem mutauit, & pecuniam quam reddere tenebatur non reddit. Negat Bonac. *disput 2.q.10. p.10. n.4.* quia illa pecuniæ vsurpatio, seu vt melius dicam retentio, vel non restitutio non est extorsio, quippe ad rationem extorsionis requiritur quod ab alio quasi per vim tollas quod suum est, at retinendo pecuniam non tollis ab alio quod suum est, sed omittis reddere, non igitur in hanc censuram incidis. Contrarium tamen meritò docuerunt Suar. *disp.23. sect.5.num.25.* Sanch. *lib.2.c.20.numero 10.* quia illa non restitutio est positiua retentio, & iuris alieni vsurpatio, & cùm sit contra domini voluntatem est extorsio. Sicuti si prætextu officio Inquisitionis raperes ab alio pecuniam. Adde si huiusmodi prætextu extorqueres à mutuante, vt cederet restitutioni sibi faciendæ non est dubium te in hac censuram incursurum; ergo à fortiori illam incurris, cùm absque hac cessione pecuniam ei debitam tollis.

Circa secundam actionem, quæ est bona Ecclesiarum etiam fisco Ecclesiæ applicare, aduerte hanc applicationem scienter faciendam esse, quia ita cauetur in textu. Vnde quælibet ignorantia tam huius legis, quàm censuræ modò affectata non sit, excusat, vt sæpè dixi, & multis comprobat Sanchez *lib.9.de matr.disp.32.num.39.* Et tradit *lib.2.c.20.n.12.* Sayrus *lib.3.cap.34. num.25.* Tolet. *lib.1.cap.39.num.11.* Bonac. *t.3.de censur.disp.2.quæst.10.p.10.num.4.* & alij. Secundò requiritur, vt applicatio fiat ex bonis Ecclesiæ, nam si bona quæ applicantur ad clericos ipsos pertineant immediatè non est locus huic excommunicationi. Vti tradunt Glossa, *verbo Ecclesiarum*, Sanch. Suar. Sayrus, Tolet. Bonac. *loc. allegat.* Tertiò opus est, vt prætextu prædicti officij Inquisitionis fiat applicatio, quia sic cauetur in Textu ibi, *Occasione officij.* Et notauit Suar. *dicta disp.23.sect.5.n.26.* Sanch. *lib.2.cap.20. num.15.* Quartò debet applicatio de facto fieri. Neque obest, quòd Textus dicat *attentent applicare*, quia illa verba non excludunt applicationem de facto, sed de iure. Sicuti aduertit Suar. *disputat.23. sect.5. num.26.* Sanch. *lib.2. cap.20. num.16.* Bonac. *disput.2. quæst.10.punct.10. num.5.* Quintò facienda est applicatio fisco siue sæculari, siue Ecclesiastico: nam dictio illa *etiam*, non est restrictiua, sed ampliatiua. Ex *leg.2. Cod.de Testibus. leg. si quis seruum, §.etiam ff. de Peculio.* Vt multis relatis comprobat Gonzalez *reg.8. cancellariæ gloss.35. num.26.* Barbosa *dictione 95.* Solùm est dubium, an ex applicatione alteri à fisco facta hæc censura incurratur? Negant Suar. *dicta sect. 5.num.26.* & Bonac. *disp.2. qu. 10 p.10.num.5.* quia Textus solius fisci meminit, forè quia frequentius, & maiori colore ipsi bona applicantur. Non igitur aliis extendenda dispositio pœnalis est. Sed contrarium mihi probabilius apparet, scilicet ex applicatione facta sibi, vel alteri hanc excommunicationem contrahi. Moueor, quia est communis sententia, quam docet Glossa *in præsenti, verbo Ecclesiæ.* Immola *num.7.* Cardinalis *verbo inquisitoribus numero 1. notab.5.* D. Antonin. *3. part. titul. 24. capite 8.* Angel. *verbo Excommunicatio 7. casu 41. num.vnico*, Sylvest. *eodem 9. casu 42. num.81.* Sanch. eos referens *lib.2. in decalog. cap.20.n.17.* Sayrus *lib.3.cap.34.n.25.* Tolet. *lib.1. cap.39.num.11.* Deinde quia illa verba *fisco etiam Ecclesiæ*, non sunt restrictiua dispositionis, sed ampliatiua, præstántque hunc sensum: Excommunicationem incurrant, si bona Ecclesiæ applicenti fiscus enim Ecclesiæ nominatus est, quia ex illius applicatione potiùs honestari actio poterat, quàm ex applicatione facta sibi, vel alteri particulari.

Personæ verò, quæ ob extorsionem pecuniæ, vel bonorum Ecclesiæ applicationem huic excommunicationi subiiciuntur, absque dubio sunt Inquisitorum, Episcoporum, & capitulorum Sede vacante, commissarij, quia ij omnes in textu continentur. Quod adeò verum est, vt siue sint commissarij ordinarij, siue delegati, siue perpetui, siue ad tempus sub hac constitutione comprehendi debent: quia omnes hi verè, & propriè commissarij sunt. Vti docet Glossa *in dicta Clement. verbo ipsorum.* Sylvest. *excommunicatio 9. casu 42. num.82.* Suar. *de censur.disp.23 sect.5.num.24.* Sanch. *lib.2 in decalog. capite 20.n.4.* Sayrus *lib.3. cap.34. numero 25.* Bonac. *t.3. de censur. disp.2.quæst 10.punct.10.numero 6 & 7.* Inquisitores verò hac afficiuntur excommunicatione, si delinquant, si communem sententiam spectemus. Nam sic affirmat Glossa *in casus propositione, notab.2.* Immola, & Bonif. *ibi statim in principio.* Ancharran. *num.5.notab.3.* Antonin. *3.p.tit.24.cap.8.* Angel. *verbo excommunicatio 7.casu 42.numero.vnico.* Sylvest. *eodem verbo 9.num.82.* Nauarr. *capit.27.numero 141.* Sayrus. *lib.3.capit.34.n.25.* Suar. *de censur.disp.23.sect.5.n.24.* Tolet. *lib.1.c.39. num.11.* Sanch. *lib.2.in decalog.cap.20.num.5.* Bonac. *disp.2.q.10.punct.10.num.6.* Etenim finis huius constitutionis,

vt

vt constat ex eius proœmio fuit, ne splendor solitus negotij fidei per actus indiscretos, & improbos quorumuis Inquisitorum offuscetur. Si autem Inquisitores sub hac constitutione non comprehenduntur, frustra Pontifex illorum improbitatis meminit, & expressit se velle remedium adhibere. Adde dictio illa *& tam ipsorum* quæ sequentem clausulam cum præcedenti coniungit, significat non solùm commissarios Inquisitorum, Episcoporum, & capitulorum Sede vacante, sed ipsos etiam Inquisitores comprehendi.

4 Dixi *si communem sententiam spectamus*, nam si verba textus prout in nouioribus editionibus apposita considerentur, verius spectato iuris rigore existimarem, Inquisitores non comprehendi. Nam in verbo illo *Inquisitoribus* clausula finitur, & ab illa dictione *&* incipit noua alia clausula distinctam materiam continens, & distinctas personas respiciens, quod non impedit dictio *&*. Nam esto copulatiua sit, copulat præcedentem clausulam cum subsequenti in ordine ad eandem legem, sed non in ordine ad eandem materiam, & pœnam. Neque obest voluisse Pontificem hac constitutione actus improbos, & indiscretos aliquorum Inquisitorum coërcere, ne splendor negotij fidei offuscaretur, quia huiusmodi fini putauit se satisfacere sufficienter statuendo, ne alijs quam iis qui quadragesimum ætatis annum attigerint, officium Inquisitionis committatur. Et simul iniungendo sub excommunicatione, ne eorum Episcoporum, & capitulorum Sede vacante commissarij illicitè pecuniam extorqueant prætextu Inquisitionis officij; néve bona Ecclesiarum fisco applicent. Has enim actiones non credidit Pontifex fore ab Inquisitoribus in ea ætate constitutis exercendas, sicuti neque ab Episcopis, quos sub hac constitutione non comprehendi docuerunt Glossa, Sayrus, Nauarr. Suar. Sanch. Tolet. Bonacina, & alij *loc. alleg.* & consequenter nec comprehenditur capitulum Sede vacante, neque alij Prælati iurisdictionem quasi Episcopalem habentes, quinimò neque eorum vicarij, nam si horum vicarios voluisset comprehendere, illos exprimeret, sicuti expressit vicarios capituli Sede vacante. Vt rectè aduertit Sanch. *lib. 2. cap. 20. num. 6.*

Quoad absolutionem verò huius excommunicationis, tum ob extorsionem pecuniæ, tum ob applicationem bonorum Ecclesiæ fisco factam, dicendum est absolutionem excommunicationis ob extorsionem pecuniæ reseruatam esse extra mortis articulum summo Pontifici, nisi plena sit satisfactio. Satisfactione autem exhibita nemini reseruari, vt constat ex Textu *ibi*: A qua non possint absolui præterquam in mortis articulo, donec illis à quibus extorserint plenè satisfecerint de pecuniis sic extortis, nullis remissionibus super hoc valituris. Quapropter si tentes absoluere hunc excommunicatum extra mortis articulum quin plenè satisfaciat, nulla erit absolutio, quia sublata est tibi potest, vt manifestè indicat verbum *non possint*. Nomine plenæ satisfactionis intelligit. Cardinal. *in dicta Clement. Nolentes, verbo inquisitoribus num. 1. oppos. 5.* quem sequitur Sanch. *lib. 2. in decalog. cap. 20. num. 18.* vsque ad vnum denarium, ita vt nihil ex extortis etiam minimum retineatur. Sed omnia integrè reddantur nulla remissione obstante. Sed hoc mihi difficilè videtur: non enim verisimile est voluisse Pontificem ob solam omissionem restitutionis leuis materiæ impediri absolutionem censuræ: cùm illa retentio peccatum mortale non constituat, quod necessarium fuit ad censuram contrahendam. Censeberis autem plenam satisfactionem præstare, si absente persona cui est restitutio facienda pecuniam restituendam iuridicè deponas. Vt benè aduertunt Henriq. *lib. 13. de excommunicat. cap. 28. n. 4.* Sanch. *lib. 2. in decal. c. 20. num. 18.*

Difficultas est, an extra mortis articulum absolui possis impotens realem satisfactionem præstare præstita cautione pignoratitia, vel fideiussoria, aut his deficientibus, iuratoria? Negat Suar. *dicta disp. 23. sect. 5. num. 27.* Filliucius *tract. 14. cap. 10. quæst. 3. num. 169.* Bonac. *disp 2. q. 10. p. 10. in fine*, iunctis iis quæ docuerat *disp. 1. q. 22. punct. 2. num. 15.* Mouentur, quia illa cautio necessaria est etiam in mortis articulo, vt absolutio riè præstetur: Sed aliquid amplius exigit Pontifex extra mortis articulum, quàm in illo, cùm extra mortis articulum hæc absolutio reseruata sit plena satisfactione non facta, secùs in mortis articulo. Ergo credendum est reseruatam esse non facta reali restitutione. Sed rectiùs docuerunt contrarium Glossa *in dicta Clement. verbo satisfecerint. Et ibi* Immola *num. 7.* Cardinal. *num. 5. in 1. oppos.* Bonifac. *num. 91.* D. Antonin. *3. p. tit. 24.* Sylvest. *verbo excommunicatio 9 n. 81. casu 42.* Tabiena *eodem 5. casu 4. quæst. 17. num. 18.* Nauarr. *cap. 27. num. 142.* Sayrus *lib. 3. thesauri casuum conscientiæ, cap. 34. num. 25.* Thom. Sanch. *lib. 2. in decalog. cap. 20. numero 19.* Et in simili Molina *t. 1. de iustit. disp. 91. vers. pœne, & c. 3 disp. 756. in fine.* Manuel. Rodrig. *t. 1. sum 2. edit. cap. 87. numero 8.* Henriq. *lib. 13. de excommunicat. cap. 28. num. 1. in commento litt. R.* Etenim verisimile non est Pontificem exigere ab excommunicato satisfactionem impossibilem, velléque excommunicato negare beneficium absolutionis ob impedimentum, quod remouere ipse nullatenus potest. Neque obest illa exceptio mortis articuli; quia illa facta fuit clatitatis gratia non ex necessitate, cùm tacitè subintellecta esset. Præterquam quòd illa exceptio efficit validam esse absolutionem in mortis articulo, nulla satisfactione facta etiam possibili.

Sed nomine *satisfactionis*, quæ absolutioni præmittenda necessariò exigitur, solùm continetur restitutio pecuniæ extortæ, non autem expensarum, aut aliorum damnorum, si quæ grauatus passus est, quia textus solùm extortæ pecuniæ satisfactionem exigit, ibi: *Quousque plenè satisfecerint de pecunia sic extorta*, & notauit Bonifac. *dicta Clement. 2. numero 90.* Sanch. *lib. 2. in decalog. cap. 20. numero 20.* vbi rectè infert à fortiori id esse intelligendum de solutione quadruplici statuta in *cap. quoniam in fine. d. 18.* ob pœnam huius concessionis, nam esto non præmittatur absolutioni, absolutio valida est: tum quia in *dict. Clement.* hæc solutio non exigitur: tum quia non deberur ante iudicis sententiam.

De secunda verò excommunicatione contracta ob bona Ecclesiæ fisco applicata affirmo validam esse absolutionem, tametsi ei non præmittatur absolutionis rescisio, & Ecclesiæ satisfactio, quia potestas absoluendi solùm negata est, quousque plena fieret satisfactio de pecunia extorta, non autem de bonis Ecclesiæ fisco applicatis. Vt rectè docet Bonifac. *in dicta Clement. num. 93.* Suar. *de censur. disp. 23. sect. 5. num. 27.* Sanch. *lib. 2. in decalog. c. 20. n. 22.* Bonac *t. 3. de censur. disp. 2. q. 10. p. 10. num. 9.*

Decima lata est in Clement. *Ex grauì, vnica, de Vsuris*, 10 contra officiales communitatum vsuris fauentes. Etenim cùm Clementi V. notum esset quorumdam communitates locorum statuta edidisse vsurariam prauitatem approbantia, constitutionem edidit in hæc verba. *Nos igitur pernicioso his ausibus obuiare volentes, sacro approbante Concilio statuimus, vt quicunque communitatum, ipsarum potestates, capitanei, Iudices, consules Conciliarij, aut alij quiuis officiales statuta huiusmodi de cætero facere, scribere, vel dictare, aut quod soluantur vsuræ, vel quod soluta cùm repetuntur non restituantur plenè, ac liberè, scienter iudicare præsumpserint, sententiam excommunicationis incurrant. Eandem etiam sententiam incursuri, nisi statuta huiusmodi hactenus edita de libris communitatum ipsarum (si super hoc potestatem habuerint) infra tres menses deleuerint, aut si ipsa statuta, siue consuetudines effectum eorum habentes quoquo modo præsumpserint obseruare.*

Ex quo Textu manifestè colligitur hâc constitutionem vniuersalem non esse, sed restrictam ad Potestates, Capitaneos, Duces, Rectores, aliósve Officiales communitatum statuta vsuris fauentia facientes, scribentes, dictantes, vel secundum ea iudicantes, obseruantes, aut ex libris communitatum non delentes cùm possint. Et hoc verum est siue sæculares sint, siue Ecclesiastici, dummodò non ex iurisdictione Ecclesiastica, sed sæculari prædicta præstentur, quia Textus de iis tantùm loquitur, vt aduertit Bonac. *t. 3. de censur. disp. 2. q. 10. pun. 5. num. 14.* Quod si à communitate quatenus talis est hæ actiones procedant, cùm ipsa excommunicatione ligari nequeat, ligantur tamen eius officiales suo voto, & suffragio concurrentes his iniquis statutis, vel sententijs condendis: vt docuit Suar. *disp. 23. sect. 5. n. 30.* Filliucius *tract. 14 cap. 20. q. 4. num. 170.* Bonac. *dicta disp. 2. q. 10. p. 10. num. 13.* Solùm est difficultas de communitate Principi subiecta, quæque regitur per Principem, seu officiales ab eo constitutos; an inquam hic Princeps, eiúsque officiales prædicta statuta condentes, scribentes, vel obseruantes hac afficiantur excommunicatione? Bonac. *disp. 2. quæst. 10. p. 15. num. 13.* id vt probabilius affirmat, & adducit pro se Salas *de vsuris, dub. 47. num. 12.* qui nihil dicit. Mouetur, quia prædictus Princeps cùm à communitate potestatem accipiat, officialis communitatis dicendus est. Quo nomine ministri ab eo constituti nuncupantur. Præterea ipse Princeps, eiúsque officiales verè sunt rectores, & duces communitatis, non solùm quia communitatem regunt, sed quia ab ea regendi potestatem acceperunt. At in prædicto textu rectores communitatum excommunicantur. Ergo hîc Princeps, & officiales ab eo constituti comprehenduntur. Nihilominus verius existimo, prædictum Principem, in quem communitas suam omnem potestatem transtulit, nec officiales ab eo constitutos sub hac censura contineri, quia hæc censura solùm fertur aduersus rectores, & gubernatores communitatis ab ipsa communitate constitutos, vt constat ex illis verbis textus: *Quorumdam communitates locorum: &* paulò inferiùs: *Quicunque communitatum ipsarum potestates.* Et infrà: *Ex libris communitatum ipsarum.* Hæc enim omnia verba denotât ipsam cõmunitatem esse quæ iurisdictionem retinet, & sua membra gubernat per ministros à se constitutos. At hæc nequaquam vera sunt, cùm communitas à principio omnem suam potestatem in Principem transtulit: nam eo ipso communitas iurisdictione denudata est, & Principi communicatur independenter ab ipsa communitate. Ergo Principe gubernante nequaquam dici potest communitatem gubernare, sed potiùs dicendum est communitatem gubernari. Ergo ministri constituti à Principe non sunt dicendi communitate ministri, sed ministri in communitatem. Ergo sub hac censura non continentur.

Actiones verò ob quas hi communitatis ministri censuræ subiiciuntur plures sunt. Prima est concedere statuta præcipientia vsurarum solutionem, vel earum repetitionem impedientia, sub quibus non comprehenditur statutum vsurarum quantitatem determinans, ne inquam vltra hanc, vel illam quantitatem vsuræ exigantur, quia hoc statutum vsurarum exactioni terminum præscribit, non autem ad earum solutionem cogit. Secùs esset si ferretur statutum permittens tantam quantitatem solui, & non maiorem, quia tunc diuersè foueret vsurarum exactionem. Sic cum Glossa, *verbo facere* tradit Suar. *disp. 22. sect. 5. num. 31.* Tolet. *lib. 1. cap. 39. num. 11.* Bonac. *t. 3. de censur. disp. 2. q. 10. p. 15. num. 11.* Secunda actio est eadem statuta scribere: Tertia dictare. Quarta scienter ferre sententiam vsurarum solutionem præcipientem, vel impedientem earum repetitionem, tametsi nullum statutum conditum sit, quia hæc actio vt distincta à reliquis probatur, vt benè aduertit Suar. *disp. 23. sect. 5 num. 28.* Filliucius *tract. 14. cap. 10. q. 4. n. 171.* Bonac. *disput. 2. q. 10. p. 15. num. 3.* Quinta non delere huiusmodi statuta hactenus edita de libris communitatum ipsarum infrà tres menses, si super hoc adfuerit potestas. Suar. *disp. 23. sect. 5. num. 30.* Filliuc. *tract. 14. cap. 10. q. 4. num. 171.* censent extendi hanc disositionem ad statuta quæ post hanc Clement. fuerunt edita: tum ob similitudinem rationis, tum ob præsumptam Pontificis voluntatem. Sed rectiùs oppositum docuit Bonac. *t. 3. de censur. disp. 2. q. 10. punct. 15. num. 7.* quia expressè Textus de solis statutis vsque ad illud tempus editis locutus est, vt constat ex illis verbis, *hactenus edita*, dictio *hactenus* designat tempus præteritum vsque ad præsens in quo profertur, *l. 1. in pr. ff. de noui operis nuntiat.* & multis comprobat Barbosa *in suo dictionario dictione 192.* Sexta actio est obseruare statuta, seu consuetudines statutorum effectum habentes, quæ de iisdem personis intelligenda est, de quibus præcedentes actiones intelliguntur: vt tradunt Suar. Filliuc. Bonac. *loc. alleg.*

11 Vndecima lata est in Clement. *cupientes de Pœnis*, aduersus Religiosos Mendicantes nouas domos ad habitandum acquirentes, sine Sedis Apostolicæ facultate, vel acquisitas alienantes. Etenim Clemens V. cupiens ne Religiosi Mendicantes constitutionem editam à Bonifac. VIII. *in cap. vnico de excessibus Prælator. in. 6.* violarent, pœnam excommunicationis ipso facto prædictæ trangressioni adiecit. Ex quo fit virtute huius constitutionis, si Religiosi Mendicantes (de aliis enim non loquitur) nouam domum ad habitandum, non autem ad se recreandum acquirerent, siue licentia Sedis Apostolicæ huic excommunicationi subiici. Idem est si acquisita hucusque, id est vsque ad ipsam constitutionem mutarent, aut in alios cuiusuis alienationis titulos transferrent. Verùm cùm ex facultate Sedis Apostolicæ omnes Religiosi Mendicantes potestatem habeant domos acquirendi, quinimò ex causa necessaria Ecclesias, & monasteria transferendi, vt notauit Nauarr. *cap. 27. num. 144.* Sayrus *lib. 3. thesauri, cap. 33. num. 37.* Suar. *disp. 23. sect. 5. num. 35.* Tolet. *lib. 1. cap. 39. num. 12.* Filliucius *tract. 14. cap. 8. qu. 8. num. 145.* Bonac. *disp. 2. qu. 8. p. 2. num. 5.* non est cur in explicatione huius excommunicationis ampliùs immoremur.

12 Duodecima in *eodem cap.* continetur, aduersus religiosos qui suis sermonibus, vel alibi à decimarum solutione auditores retrahere intendunt. Inquit enim Pontifex. Illos etiam religiosos, qui aliqua vt audientes à decimarum Ecclesiis debitum solutione retrahant in sermonibus suis, vel alibi proferre præsumunt, excommunicationis subiacere sententiæ decernimus ipso facto. Tametsi in antecedenti clausula Pontifex de solis religiosis Mendicantibus locutus fuerit, in præsenti autem ad quoslibet religiosos dispositionem extēdit, vt notauit Glossa *ibi verbo religiosos.* Nauarr. *cap. 27. num. 145.* Sylvest. *verbo excommunicatio 9. num. 38.* Sayrus *lib. 3. thesauri, cap. 33. num 39.* Suar. *disp. 23. sect. 5. num. 37.* Filliucius *tract. 14. cap. 8. q. 8. n. 146.* Bonacina *disput. 2. q. 8. p. 13. n. 9.* Tolet. *lib. 1. capite 33. num. 13.* Et quamuis regulariter sub nomine religiosorum absolutè prolato fœminæ Religiosæ comprehendantur, id intelligendum est, quando subiecta materia illis æquè ac viris aptatur: at persuadere saltem in concionibus ne decimæ soluantur fœminis non conuenit, cùm concionari illis sit interdictum. Ergo fœminæ religiosæ sub hac censura non comprehenduntur. Atque ita docent Glossa, Nauarr. & Bonacina *loc. alleg.* Illud est certum ex omnium sententia ad Sacerdotes sæculares, clericos, aut laicos hanc constitutionem non extendi.

Vt autem prædicti religiosi hanc censuram incurrant ea debent proferre siue in concionibus, siue in colloquis priuatis, quibus audientes possint retrahi à decimarum solutione, eáque proferre debent ea intentione, vt retrahantur, vt expressè habetur in textu. Et notarunt Nauarr. Sayrus, Suar. Filliucius, Tolet. Bonac. *locis citatis.* Neque opus est, vt de facto ea prolatio efficax sit, & effectum habeat; satis enim est si effectum de se parere possit, quia textus solùm exigit prolationem præsuppositam fine, & intentione retrahendi auditores à decimarum debitarum solutione. Vt indicant illa verba, *Aliqua proferre præsumunt, vt audientes retrahant*: indicánt enim finem prolationis, sed non exigunt retractionis effectum, alioquin dixisset Pontifex, *aliqua proferunt quibus audientes retrahuntur*, vt benè Aduertit Suar. *disp. 23. sect. 5. num. 37.* Bonac. *disput. 2. q. 8. pun. 13. num. 8.* Tametsi Filliucius *dicto cap. 8. q. 8. vers. notandum tertiò*, in contrarium propendeat, existimans illa verba proferenda esse, vt audientes retrahantur cum effectu: quia retractio à decimis soluendis est finis, quem Pontifex hac constitione cauere intendit. Præterea requiritur, vt decimæ à quibus auditores retrahuntur, sint debitæ Ecclesiis, debitæ inquam non ex voto, aut promissione soluentis, sed ex constitutione Ecclesiæ, atque adeò ex iustitia, quia hoc est debitum proprium, & rigorosum, ideóque de ipso lex pœnalis quæ strictè interpretanda est, intelligi debet. Neque satis est decimas esse debitas, sed debent esse debitæ Ecclesiæ. Cui debito existimat Nauarr. *dicto c. 27. num. 145.* Caietan. *verbo excommunicatio cap. 6 5.* Sayrus *lib. 3. cap. 33. num. 40. vers. tertio*, si debeantur Ecclesiæ pastoribus, hoc est Episcopis, seu parochis, aut quibuscunque aliis personis particularibus quocunque titulo, & ratione, quia pastores Ecclesiæ, & quælibet singulares personæ non sunt Ecclesia. Sed rectiùs Suar. *disput. 23. sect. 5. num. 37.* Filliucius *tract. 14 cap. 8. q. 8. num. 146.* Bonac. *disputat. 2. q. 8 punct. 13. num. 6.* docuerunt decimas debitas Ecclesiæ pastoribus iure ordinatio sub hac constitutione comprehendi, secùs verò quæ ipsis, vel aliis singularibus personis ex priuilegio competunt. Nam quæ iure ordinario debentur, nomine Ecclesiæ debitæ sunt, cùm Ecclesia omne suum ius in suos ministros transtulerit, ac proinde decimæ debitæ Ecclesiæ, ministris Ecclesiæ deberi censentur. Secùs est de his, quibus ex priuilegio hoc debitum competit, quia non Ecclesiæ nomine, sed Prælatorum illius concessione decimas suscipiunt.

Decimatertia excommunicatio habetur in eadem Clement. 13
Cupientes, de Pœnis, circa finem, aduersus eosdem religiosos, qui negligentes fuerint in decimarum solutione suadenda pœnitentibus, & moniti à suis Superioribus ausi fuerint prædicare non purgata negligentia. Inquit enim textus: *Qui verò scienter postposuerint conscientiam facere de soluendis huiusmodi decimis ab officio prædicationis tamdiu maneant ipso facto suspensi, donec confitentibus ipsis (si hoc ipsum sibi dicendi commodè facultatem habuerint) conscientiam fecerint. Exinde excommunicationis incursuri sententiam ipso facto, si prædicare præsumpserint prædicta negligentia, vt præmittitur non purgata. Ad religiosos tamen monasteriorum, & rectores Ecclesiarum decimas percipientium nolumus hoc extendi.*

Ex prædictis verbis colligitur manifestè ob negligentiam mortaliter culpabilem confessarij in non monendis pœnitentibus, quorum confessiones audit, de decimarum Ecclesiis debitarum solutione postquam à rectore Ecclesiæ, vel illius vicario fuerit requisitus, non incurri excommunicationem, sed suspensionem à prædicationis officio. Verùm, si post incursam hanc suspensionem ausus fuerit prædicare negligentia non purgata, cùm ad illius purgationem commodam facultatem habuerit, excommunicationi subiicitur. Quapropter ad incurrendam hanc excommunicationem, requiruntur primò monitio Rectorum Ecclesiarum Religiosis facta, vt suis pœnitentibus conscientiam faciant de decimis soluendis, cùm viderint eos teneri. Secundò vt ipsi Religiosi confessarij hanc monitionem facere scienter omittant. Tertiò quòd non purgata hac negligentia, cùm commodè possint, prædicare audeant. Qualibet enim ex his conditionibus deficientibus, excusatur excommunicatio, vt docuerunt Sylvest. *verbo excommunicatio. 9. num. 89.* Angel. *verbo excommunicatio. 7. casu 44.* Tabiena *eodem 5. casu 45.* Sayrus *lib. 3. thesauri, cap. 33. num. 42.* Suar *disp. 23. sect. 5. num 39.* Filliucius *tract. 14. cap. 8. q. 8. num. 147.* Tolet. *lib. 1. cap. 39. num. 13.* Bonac. *disputat. 2. q. 8. pun. 13. num. 11. & seqq.* Hæc autem excommunicatio non extenditur ad religiosos monasteriorum, vel Ecclesiarum rectores decimas percipientium, ne delinquentibus in propria causa Pontifex caueat, vt expressè habetur in textu, & notant omnes.

Decimaquarta, & vltima excommunicatio continetur in 14
Clement. 1. *ex frequentibus, de sententia excommunicat.* aduersus Religiosos non seruantes interdictum locale generale, vel cessationem à diuinis positam authoritate Sedis Apostolicæ, vel Ordinarij illius loci.

Ad incurrendam hanc excommunicationem plura requiruntur. Primò requiritur quòd interdictum, quod religiosi obseruare non debent, sit locale generale, vt constat ex illis verbis textus: Ciuitatum, terrarum, & aliorum locorum generalia interdicta. Vocatur autem locale generale interdictum, quod est impositum regno, prouinciæ, ciuitati, villæ, vel oppido. Secùs verò quod particulari Ecclesiæ, etiam Cathedrali indicitur.

Secundò opus est, vt tale interdictum locale generale ab Ecclesia cathedrali deficiente ab Ecclesia matrice, seu parochiali illius populi obseruetur. Quia Pontifex intendit, ne Ecclesiæ cathedralis, vel matricis authoritas contemnatur, neve

Eccleſia

Ecclesiasticæ disciplinæ neruus labefiat, quod sine dubio contingeret, si obseruante Ecclesia matrice interdictum religiosi illud violare præsumant. Quæ ratio conuincit dispositionem procedere, tametsi interdictum inualidè impositum sit: quia non interdicti valor, sed illius à cathedrali, vel parochiali obseruantia spectatur, vt constat ex illis verbis: Non obstantibus quibuscunque appellationibus antea etiam ad eandem Sedem, seu alium, vel alios interiectis, & aliis obiectionibus quibuscunque. Et notauit Glossa *ibi, verbo appellationibus.* Tolet. *lib. 1. cap. 39. in fine.* Sayrus *lib. 3. c. 33. n. 40.* Bonac. *disp. 2. q. 8. p. 14. num. 6.*

Tertiò est necessarium, vt generale interdictum locale, vel cessatio à diuinis à sede Apostolica, seu eius authoritate, vel authoritate Episcopi, seu Ordinarij loci, vel authoritate Concilij prouincialis latum sit, vt ostendunt illa verba Textus: *Authoritate sedis Apostolicæ, vel à locorum Ordinariis positorum,* & infrà. Quod etiam in interdictis, & in cessationibus à diuinis indictis per prouincialium Conciliorum statuta, vel ipsorum authoritate volumus obseruari. Solùm aduerto idem esse obseruandum in cessationibus generalibus à Diuinis ciuitatum, terrarum, & aliorum locorum, quas aliquando ex consuetudine, vel aliàs capitula, collegia, aut conuentus sæcularium, aut regularium Ecclesiarum sibi vendicant.

Quartò opus est, ne Religiosis post dict. Clement. aliqua priuilegia concessa sint, quibus non obstante interdicto generali diuina in suis Ecclesiis saltem in aliquibus festiuitatibus celebrare possint, & ad ea audienda sæculares admittere, quia textus solùm derogat, priuilegiis, conuentionibus, statutis, & consuetudinibus quibuscunque antecedentibus Clementinæ promulgationem; non verò quæ illam fuerint subsecuta. Solùm est difficultas, spectato Conc. Trident. decreto, *sess. 25. cap. 12.* quo præcipitur omnibus religiosis exemptis, & non exemptis seruare censuras, & interdicta necdum à sede Apostolica emanata, sed etiam ab Ordinariis promulgata, an inquam hoc Decreto priuilegia religiosis hactenus concessa derogentur? Affirmatiuam partem defendunt Nauarr. *cap. 27. num. 190.* & latius *cons. 7. de priuilegiis, in noua edit.* Garcia 3. *p. de benefic. cap. 2. num. 278. & seqq* & 5. *p. cap. 8. num. 87.* testatur illustrissimos Cardinales consultos ab Episcopo Abulensi in hæc verba respondisse. *Priuilegia si ante Concilium concessa fuerunt, vtique reuocata existunt.* Contrariam autem sententiam scilicet Conc. Trident. Decreto specialia regularium priuilegia, vt pro suis festis, vel aliis certis diebus non seruent interdicta reuocata non esse tuentur Henriq. *lib. 13. de excommunicat. cap. 48. num. 1.* Sayrus *de censuris, lib. 5. c. 13. num. 24. & 25.* Man. Rodrig. *t. 2. qq. regular. q. 111. art. 1. & in Bullam Cruciatæ §. 5. num. 15.* Et *in addit. n. 13. & 35.* Ioann. de la Cruz *de statu religioso, lib. 2. c. 7. dub. 2. concl. 2.* Sotbus *in compend. priuilegior. verbo interdictum 3. in prine.* Bonac. *disp. 2. q. 8. p. 14. in fine.* Quia Conc. Trident. nullam mentionem fecit reuocationis priuilegiorum. Ergo non sunt censenda reuocata, cùm reuocatio vtpotè odiosa inducenda non sit, quin manifestè constet. Neque obest Cardinalium declaratio, quia hæc intelligenda est de priuilegiis generalibus, nec satis exprimentibus exemptionem ab obseruatione interdicti. Secùs verò est de priuilegiis specialibus eam exemptionem sufficienter declarantibus.

PVNCTVM XXXV.

Expenduntur excommuntcationes non reseruatæ in *lib. Extrauagantium* contentæ.

1 *Refertur prima excommunicatio aduersus impedientes Legatos sedis Apostolicæ, ne in regna, vel prouincias ad quæ missi sunt, ingrediantur, vel officium ibi liberè exerceant.*

2 *Refertur excommunicatio aduersus sumentes Ordinem Fraticillorum.*

3 *Refertur tertia aduersus Episcopos Romam latenter venientes, & ab ea recedentes sine Pontificis licentia. Item aduersus eos qui prædictos Episcopos recipere præsumpserint.*

4 *Item refertur excommunicatio aduersus Prælatos alienantes bona Ecclesiæ.*

5 *Item aduersus impugnatores litterarum Pontificis legitimè electi.*

6 *Item aduersus Germanos, religiosos, & parochos illius prouincia non seruantes pacem, & concordiam inter se statutam.*

1 PRima excommunicatio habetur in Extrauag. *super gentes, vnic. de consuetudine*, vbi ipso facto excommunicantur qui impediunt Legatos sedis Apostolicæ, ne in regna, vel prouincias ad quæ missi sunt ingrediantur, néve ibi officium suum liberè exerceant. Sed quia hæc excommunicatio, vtpotè contenta in Bulla Cœnæ ibidem est explicata, nihil superest dicendum.

Secunda habetur in Extrauag. *sanctæ Romana* Ioann. XXII. *de religiosis domibus* aduersus eos qui fictam Fraticillorum, Brochorum, seu Beguinorum religionem profitentur eam de nouo sumendo, vel in illa perseuerando. Eadémque excommunicatio extenditur ad Prælatos, & Episcopos qui prædictos sine Pontificis facultate admittunt. Sed quia hæ Religiones iam non extant, non est cur in expositione huius excommunicationis immoremur, maximè cùm hæc excommunicatio non extendatur ad eos qui nouum religionis habitum assumerent, nouámque religionem sine sedis Apostolicæ licentia instituerent: vt rectè docuerunt Caiet. verbo *excommunicatio. cap. 5.* Suar. *disput. 23. sect. 6. n. 4.* Filliuc. *tract. 14. cap. 5. q. 8. n. 79.* Bonac. *disp. 2. q. 2. p. 27.* 2

Tertia continetur *in Extrauag. Vt Prælatorum 2.* & *in Extrauag. Et si deceat 3. de maiorit. & obedient.* aduersus Episcopos Romam latenter venientes, & ab ea recedentes sine Pontificis licentia; & aduersus eos qui prædictos Episcopos sic venientes receperint antequam summum Pontificem moneant de prædictorum aduentu. Prima igitur excommunicatio fertur aduersus Episcopos tantùm, & eorum superiores. Nam esto *in Extrauag. Et si deceat*, videatur Pontifex loqui de quibuscunque Prælatis, Extrauag. 2 cuius tertia est explicatio, & ex rebus initio dictæ 3. Extrauag. positis, manifestè colligitur, de solis Prælatis Pontificali dignitate fulgentibus, & de solis Pontificibus diœcesim habentibus sermonem esse, vt rectè aduertit Bonac. *disp 2. q. 6. pun. 4. in fine.* Vt autem hi Prælati in excommunicationem incidant, debent Romam latenter venire. Censentur verò venire latenter, si absque licentia Metropolitani, vel eo absente absque licentia antiquioris Episcopi vicinoris residentis, iuxta Conc. Trident. *sess. 23. c. 1. de reformat.* venerint secreto incessuri. Deinde debent ad Curiam accedere prauo aliquo fine ducti, vt constat ex illis verbis d. Extrauag. 3. *Nos igitur vt ipsius Sedis honori in hac parte prospicere, ac talium insolemniis finem imponere cupientes.* Tertiò recedere à Curia debent Pontificia licentia non obtenta. Qualibet ex his conditionibus deficiente non est locus excommunicationi, vt latiùs probat Bonac. *t. 3. de censur. disp. 2. q. 6. p. 4. à num. 3.* 3

Secunda excommunicatio generalis est, afficitque quoscunque qui prædictos Episcopos latenter Romam venientes recipere præsumpserint, antequam Pontificem moneant de eorum aduentu. Neque opus est, vt praua intentione fauendi eorum iniquitati recipiant: quocunque enim titulo receperint scientes ipsos venire latenter, & praua intentione sufficiens est ad censuram incurrendam, quia hæc actio receptionis per se est prohibita, illiusque excommunicatio non pendet ex excommunicatione primæ actionis, siquidem antequam Episcopus è Roma recedat, & in excommunicationem incidat, illum recipiens excommunicatione ligatur, vt benè notauit Bonac. *dicto t. 3. de censur. disputat. 2. q. 6. p. 4. numero 5.* Notanter d. xi, *antequam Pontificem moneant*, neque enim satis est ad fugiendum hanc censuram propositam habere statum monendi post receptionem, si monitio absque incommodo præstari possit. Quia esto *in Extrauag. 2. Vt Prælatorum*, id satis fuerit, at Extrauag. 3. spectata, quæ secundam ampliat & extendit, nullatenus sufficit, cùm expressè monitionem præmitti postulet receptioni. Quod si de facto aliquem Episcopum receperis ignorans latenter, & praua intentione venire, & postmodum huius conscius sis, teneris statim summo Pontifici denunciare, iuxta Extrauag. *Vt Prælatorum*, in qua præcipitur, vt confestim receptus denuncietur. Præterquam quòd receptio non est actus transiens, sed permanens dum ibidem receptus commoratur, ac proinde ab eo puncto quo conscius fuisti latentis aduentus cum praua intentione, censeris recipere contra prohibitionem dictæ Extrauag. vt benè aduertit Bonacina *tom. 3. de censur. disputat. 2. quæst. 6. p. 4. num. 7.*

Quarta habetur in Extrauag. *Ambitiosa de rebus Ecclesiæ non alienand.* aduersus Prælatos alienantes bona Ecclesiæ, seu locorum piorum siue immobilia siue mobilia pretiosa sine licentia summi Pontificis, extra casus à iure permissos. Hi inquam Prælati si Episcopi sint, aut Abbates interdicto ab ingressu Ecclesiæ subiiciuntur, in quo si per sex menses perstiterint, suspenditur à regimine, & administratione Ecclesiæ cui præsunt. Inferiores verò Episcopis & Abbatibus priuantur beneficio, vel officio illius, cuius bona alienare præsumpserunt, insuperque excommunicationem incurrunt, qua etiam ligantur alienatum recipientes. De hac Extrauag. latè egi 1. *punct. tr. 12. religionis. p. vlt.* vbi *in fine* aduerti plures Doctores sentire hanc constitutionem quoad pœnas receptam non esse, & præter *ibi* adductos docet Caiet. *verbo excommun. c. 75.* & Tolet. *lib. 1. c. 40. num. 2.* 4

Quinta continetur in Extrauag. *quia non nulli, vlt. de sentent. excomm.* aduersus impugnatores litterarum summi Pontificis legitimè electi, sed nondum coronati. Cùm enim Pontifex 5

tifex eo ipso quo legitimè electus est, accipiat à Christo Domino potestatem Ecclesiæ gubernandæ, iuxta Textum in *cap. in nomine Domini* 23. *distinct.* Sicuti Episcopus à Pontifice approbatus, coronatióque solùm ad quandam solemnitatem pertineat, efficitur grauiter delinquere, errorémque committere, qui prætextu non esse verum Pontificem antequam coronetur, contendunt eius acta irrita esse, & inania. Ex quo fit materiam huius censuræ esse impugnationem, quod Pontifex legitimè electus se intromittat in prouisionibus, reseruationibus, dispensationibus, & aliis gratiis faciendis, séque in litteris simpliciter Episcopum scribat, vtatúrque Bulla, in qua nomen ipsius exprimatur, litterásque super quibuscunque negotiis expediat prætextu quòd non sit verus Pontifex ante coronationem. Quare si impugnatio contingat; eo quòd non sit legitimè electus, vel ex alio capite, non est locus huic excommunicationi, vt notant omnes Doctores: Nauarr. *c* 27. *n.* 147. Sayrus *lib.* 3. *thesauri, cap.* 35. *num.* 19. Suar. *disput.* 23. *sect.* 6. *num.* 2. Filliuc. *tract.* 14. *cap.* 5. *q.* 7. *num.* 78. Tolet. *lib.* 1. *c.* 40. *num.* 3. Bonac. *t.* 3. *de censur. disp.* 2. *q.* 2. *punct.* 11. Et quamuis Pontifex in prædicta Bulla videatur solùm loqui de impugnatione litterarum à se confectarum, vt indicant illa verba: *Nos talium temeritates compescere cupientes, singulos qui occasione huiusmodi aliquas litteras nostras super negotiis quibuscunque confectas, quas à nobis ante donationis nostræ insignia emanarunt, ausi fuerint impugnare, excommunicationis sententia innodamus.* Expendo verbum *litteras nostras*, & *à nobis*, quod indicat sermonem tantùm esse de litteris ab ipsomet Pontifice expeditis. Nihilominus communis omnium sententia teste Suar. Filliucio, Bonac. *loc. alleg.* dispositionem extendit ad litteras cuiuscunque Pontificis, verbúmque illud *litteras nostras*, & *à nobis* non arctari personæ, sed dignitati, aliàs non satis esset consultum Pontificiæ dignitati.

6 Vltima referri potest ex Extrauag. 2. *de Tregua, & pace*, vbi Germani Religiosi, & Parochi illius prouinciæ non seruantes pacem, & concordiam inter se statutam, & cuius in prædicta Extrauag. fit mentio, excommunicationi subiiciuntur, à qua nequeunt absolui, nisi de consensu partis læsæ, & præstita satisfactione. Vti latiùs expendit Bonac. *disput.* 2. *quæst.* 8. *punct.* 15.

PVNCTVM XXXVI.

Expenduntur excommunicationes nemini reseruatæ in *Concilio Trident.* contentæ.

1 *Refertur prima excommunicatio aduersus imprimentes, seu retinentes libros sine nomine Authoris, & debita approbatione.*
2 *Item aduersus prædicantes, vel pertinaciter asserentes non esse necessarium iis quos conscientia peccati mortalis grauat, præmittere sacramentalem confessionem communioni recipiendæ.*
3 *Item aduersus raptores fœminarum, eisque fauorem præstantes.*
4 *Item aduersus negantes matrimonia clandestina vera esse, quandiu Ecclesia ea irrita non fecit.*
5 *Item aduersus cogentes ad matrimonium contrahendum.*
6 *Item aduersus negantes auxilium Prælatis Ecclesiasticis ad clausuram Monialium.*
7 *Item aduersus ingredientes Monialium Monasteria, absque licentia Prælati.*
8 *Item declaratur latè excommunicatio, aduersus cogentes fœminam ad Religiosam vitam.*
9 *Item aduersus impedientes fœminarum professionem.*
10 *Item aduersus concurrentes ad duellum.*

1 PRima continetur *sess.* 4. *decreto de reformat.* aduersus imprimentes, seu retinentes libros sine nomine Authoris, & debita approbatione. Inquit enim Concilium: *Nulli liceat imprimi facere quos suis libros de rebus sacris sine nomine Authoris, nec illos in futurum vendere, aut etiam apud se retinere, nisi prius examinati, probatique fuerint ab Ordinario sub pœna anathematis, & pecuniæ in Canone Concilij Lateranensis nouissimi appositæ. Et si regulares fuerint vltra examinationem, & probationem huiusmodi licentiam à suis Superioribus impetrare teneantur, recognitis per eos libris iuxta formam suarum ordinationum. Qui autem scripto eos communicant, vel euulgant, nisi antea examinati, probatique fuerint, eisdem pœnis subiaceant quibus impressores, & qui eos habuerint, vel legerint nisi prodiderint Authores pro authoribus habeantur. Ipsa verò huiusmodi probatio in scriptis detur, atque adeo in fronte libri vel scripti, vel impressi authenticè appareat, idque totum, hoc est probatio, & examinatio gratis fiat, vt probanda probentur, reprobentur improbanda.* Hoc decretum, quòd confirmatorium est decreti Concilij Lateranensis sub Leone X. *sess.* 10. ex parte restrictius est, & ex parte latius. Restrictius est decreto Concilij Lateranensis, nam in Concilio Lateranensi sermo est de quibuscunque libris, & scripturis: at Conc. Tridentinum solummodo agit de libris, & scripturis de rebus sacris tractantibus. Item in Concilio Lateranensi exigitur extra Vrbem non solùm examinatio, & probatio Ordinarij, vel alterius ab ipso deputandi, & sed etiam Inquisitioris illius diœcesis, in qua liber imprimitur. In Vrbe verò appobatio Vicarij, & Magistri sacri Palatij. At in Conc. Trident. sola approbatio Ordinarij requisita est, præterquam in libris regularium, in quibus vltra Ordinarij approbationem exigitur approbatio, & licentia suorum superiorum, iuxta formam suarum ordinationum. Tandem in Concilio Lateranensi exigitur præsumptio, quam excludit quælibet ignorantia, quæ tamen in Concilio Trident. non exigitur. Ex parte verò decretum Conc. Trident. latius est decreto Concilij Lateranensis, siquidem extenditur non solùm ad imprimentes, vel imprimi facientes, sed etiam ad vendentes, vel retinentes. Item extenditur ad eos qui libros manuscriptos nondum probatos, & examinatos communicant, & euulgant, cùm in Concilio Lateranensi solùm de libris, & scripturis imprimendis sermo habeatur. Decretum Concilij Lateranen. in Vrbe obseruatur, at extra Vrbem solùm videtur vigere dispositio Conc. Trident. teste Toleto *lib.* 1. *sum. capite* 41. *n.* 1. Nauarr. *c.* 27. *n.* 148. cùm rarò, vel nunquam ab Inquisitoribus approbatio requiratur. Et licèt in aliquibus regnis loco approbationis Ordinarij, approbatio supremi Consilij regij successerit, id censendum est ex consensu Ordinariorum, & ex summi Pontificis tacita approbatione fieri, vt notauit Nauarr. *dicto c.* 27. *num.* 148. Suar. *disp.* 23. *sect.* 7. *numero* 1. Filliucius *tract.* 14. *capite* 6. *quæst.* 2. Bonacina *t.* 3. *de censuris disputatio* 2. *quæst.* 2. *part.* 16. *num.* 6.

Materia istius excommunicationis spectato Concilio Lateranensi, est imprimere, vel imprimi facere libros, siue scripturas absque nomine authoris, vel absque Ordinarij, & Inquisitoris licentia. Spectato verò Conc. Tridentino est non solùm imprimere, & imprimi facere præfatos libros de religione tractantes, sed eos vendere, aut retinere, aut scripto communicare, seu euulgare absque nomine Authoris, vel absque Ordinarij licentia. Notandum est verbum *libros*, sub quo non comprehenditur quælibet scriptura tantæ magnitudinis, quæ secundùm communem, & frequentem vsum liber appelletur. Ex quo deciditur, si post approbationem Ordinarij aliquas addas annotationes, & glossas insufficientes ad librum constituendum, non incidis in hanc excommunicationem, quinimo nec peccabis mortaliter seclusa malitia, vt colligitur ex Suar. *disp.* 23. *sect.* 7. *n.* 3. Filliucio *tr.* 14. *c.* 6. *q.* 2. Bonac. *t.* 3. *de censur. disp.* 2. *q.* 2. *p.* 16. Secundò est notandum nomen authoris, & licentiam Ordinarij in principio libri esse apponenda. Quod si Author, seu compositor libri sub alterius nomine librum imprimi fecerit, probabile est huic constitutioni satisfacere, quia esto ille non fuerit libri author, & compositor: at eo ipso quo sub nomine ipsius imprimitur, & euulgatur Author, & compositor illius constituitur: vt notauit Bonacina *tom.* 3. *de censuris disputatio* 2. *quæst.* 2. *part.* 16. *numero* 9. Quod intelligendum censeo, quando nomen quod apponitur verum est, & non fictitium, veràmque personam repræsentat, cui liber aptari potest: aliàs si sub nomine omnino ficto liber ederetur, manifestũ est sine nomine Authoris edi. Nomẽ enim Authoris, quod in præsenti exigitur, est nomen Authoris, qui requisitus rationem reddere possit de his quæ in libro continentur, quod persona ficta præstare nequit.

Secunda habetur in Conc. Trident. *sess.* 13. *can.* 11. aduersus 2 eos qui præsumpserint prædicare, vel pertinaciter asserere, vel publicè disputando defendere non esse necessarium iis, quos conscientia peccati mortalis grauat habitâ Confessoris copiâ, præmittere sacramentalem confessionem communioni recipiendæ. Quod Decretum latum est ad extirpandam quorumdam hæreticorum opinionem, asserentium solam contritionem esse sufficientem dispositionem, non autem latum est ad extirpandum opinionem Caietani asserentis confessionem solo iure Ecclesiastico communioni præmittendam esse: nam esto illa Caietani opinio temeraria sit, teste Suar. *t.* 3. *in* 3. *p. disp.* 66. *sect.* 3. §. *sed quæres*, præsenti decreto non damnatur, quia Caietan. non negabat confessionem non esse præmittendam, sed non esse præmittendam iure diuino, sed Ecclesiastico. Concilium verò damnat asserentes confessionem non esse necessariò præmittendam. Sicuti tradit Suar *de censur. disp.* 23. *sect.* 7. *n.* 5. Filliuc. *tract.* 14. *cap.* 6. *q* 3. *num.* 84. Bonac. *disp.* 2. *q.* 2 *p.* 14.

Sed an hoc decretũ liget existentes in Anglia, aliisque partibus, vbi Concilium receptum non est? Affirmant Suar. & Filliucius *suprà*, quia hoc decretum doctrinam continet Fidei pertinentem. Cæterùm secundam hanc rationem non est dubium omnes comprehendere, cùm ea quæ ad fidem pertinent communia omnibus sint; at quatenus transgressoribus huius decreti pœnam excommunicationis imponit, existimo eos non comprehendere, quia decreta pœnalia, & præceptiua non ligant existentes ea in parte vbi Concilium publicatum non est. Sicuti docet Bonac. *t.* 3. *de censur. disput.* 2. *q.* 2. *p.* 14. *in fine.*

Tertia

3 Tertia continetur *sect.* 24. *cap.* 6. *de reformat.* aduersus raptores fœminarum, eisque auxilium, vel fauorem præstantes. De qua excommunicatione satis diximus *tract. de matrimonio disputatione* 4. *punct.* 1. §. 2. *à. numero* 10. *vbi de impedimento raptus.*

4 Quarta refertur ex Conc. Trident. *sess.* 24. *cap.* 1. *de reformat.* vbi anathemate damnat eos, qui negarent matrimonia clandestina vera, & rata esse quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit, & matrimonia à filiisfamiliàs contracta sine consensu parentium irrita esse, & parentes ea rata, vel irrita facere posse. Et quidem si hæc ex animo affirmentur, cùm manifestum errorem contra fidem contineant excommunicationi ob hæresim impositæ subiiciuntur. Si verò solùm verbo tenus asserantur, existimo excommunicationi non reseruatæ subiici, vt hoc decretum aliquam pœnam de nouo statuere censeatur.

5 Quinta fertur *sess.* 24. *cap.* 9. *de reformat.* aduersus quoscunque cuiuscuis conditionis, & dignitatis existant, qui subditos suos, vel alios ad matrimonium contrahendum directè, vel indirectè cogunt: vbi notandum est loqui de coactione iniusta, illicita, qualis esset, si dominus insinuanter Petro non soluturam stipendium debitum, nisi Mariam duceret. Secùs esset, si beneficium gratuitum denegaret, quia in denegatione beneficij gratuiti nulla est iniusta coactio, benè tamen in denegatione stipendij debiti. Comprehendit autem hæc excommunicatio non quoscunque cogentes, sed dominos temporales iurisdictionem temporalem habentes, quia de his tantùm Concilium loquitur, vt colligitur ex verbis quæ huic Decreto præmittuntur scilicet, *temporalium dominorum, & magistratuum*: & illis *ab eis iniurias nasci, à quibus iuris spectantur*, quæ de solis habentibus iurisdictionem in foro externo intelligi possunt, iuxta quæ decretum mensurandum est. Argum. *leg. finalis. ff. de hæredibus instituendis*, maximè cùm textus vtatur illa dictione *quare*, quæ est causalis relatiua, & refertur ad personas, quæ ibidem memorantur, & non ad alias. *leg. interpretatione, ff. de Pœnis.* & *cap. pœna, de pœnitent. disp.* 2. & tradit Gutierr. *lib.* 1. *canon. qq. cap.* 20. *num.* 32. & *de matrim. cap.* 79. *à num.* 8. Molina *tract.* 2. *de iustit. disp.* 176. *vers. ad secundam partem.* Henriq. *lib.* 11. *cap.* 6. §. 6. Sanch. *lib.* 4. *disp.* 22. Bonacina alijs relatis *t.* 3. *de censur. disp.* 2. *q.* 2. *pun.* 6. *num* 5. Et decisum à Gregor. XIII. refert Barbosa *in dicto Concilij decreto*; tametsi contra sentiat Suar. *t.* 3. *de censur. disp.* 23. *sect.* 7. *num.* 6. Filliucius *tract.* 14. *capite* 6. *q.* 4. *numero* 86. & alij relati à Sanch. *dicta disput.* 22. *num.* 9. quaslibet personas priuatas ad matrimonium cogentes in hanc excommunicationem incidere.

Solùm est difficultas de Episcopo, alióque Prælato Ecclesiastico ad matrimonium cogente, an huic excommunicationi subiiciatur; Affirmat Gutierr. *de matrim. cap.* 79. *num.* 12. Henriq. *lib.* 11. *cap.* 6. *num.* 5. Sanch. *lib.* 4. *cap.* 22. *num.* 10. quia iurisdictionem habet in foro externo. Sed hoc ad summum intelligendum est casu, quo Episcopus, seu Prælatus Ecclesiasticus non solùm Ecclesiastica iurisdictione gaudeat, sed sæculari, quia Concilium violentiam dominorum temporalium, & magistratuum coërcere voluit, vt constat ex præfatione illius textus, ibi. *Dominorum temporalium, & magistratuum.* Ergo qui dominus temporalis non est, nec magistratus saltem quoad iurisdictionem, huic excommunicationi subiici nequit. Vti Bonac. *disp.* 2. *q.* 2. *punct.* 6. *circa finem.* probabile censet. Illud est certius Regem, Reginam, Imperatorem, & Imperatricem sub hac excommunicatione non comprehendi, quia illorum non fit expressa mentio quod necessarium erat, argum. Conc. Trident. *sess.* 21. *cap.* 11. & eorum quæ in Bulla Cœnæ notantur. Et tradit Sanch. *dicta disp.* 22. *n.* 10. Gutierr. *cap.* 79. *num.* 12. Bonac. *p.* 6. *in fine.*

6 Sexta habetur *sess.* 25. *cap.* 5. *de Regularibus*, aduersus sæculares magistratus negantes auxilium, vel fauorem Prælatis Ecclesiasticis ad clausuram monialium, cùm fuerint ab eis moniti, & requisiti. Nomine magistratuum veniunt omnes illi qui iurisdictionem temporalem habent in republica à Principe constituti, vti sunt gubernatores, rectores, iudices siue prouinciarum, siue communitatum, tametsi personæ Ecclesiasticæ sint, quia non tam persona, quàm officium in præsenti spectatur. Vt bene aduertit Bonac. *t.* 3. *de censur. disput.* 2. *q.* 10. *p.* 7. *num.* 5. Principes verò qui nomine proprio iurisdictionem exercent, neque aliis subiiciuntur, esto negent auxilium, vel fauorem, in hanc excommunicationem non incidunt; quia hos Concilium hortatur, non præcipit, neque excommunicationem imponit, vt de se constat, & notauit Bonac. *loco citato.*

7 Septima continetur in *eodem cap.* 5. aduersus quoscunque ingredientes monialium monasteria absque licentia Prælati habita in scriptis, causa legitima intercedente. De qua excommunicatione latè dixi *tractat.* 16. *de statu religioso*, *disputat* 4. *p.* 10. §. 4. neque hic nouum aliquid notandum occurrit.

8 Octaua habetur *sess.* 25. *c.* 18. *de regularibus*, aduersus quoscunque cogentes fœminam ad religiosam vitam. Anathemati (inquit sancta Synodus) subiicit omnes, & singulas personas cuiuscunque qualitatis, vel conditionis fuerint, tam clericos quàm laicos, sæculares, vel regulares, atque etiam qualibet dignitate fulgentes, si quomodocunque coëgerint aliquam virginem, vel viduam, aut aliam quamcunque mulierem inuitam, præterquàm in casibus in iure expressis, ad ingrediendum monasterium, vel ad suscipiendum habitum cuiuscunque religionis, vel ad emittendam professionem; quique auxilium, consilium, vel fauorem dederint, quique scientes eam non sponte ingredi, aut habitum suscipere, aut professionem emittere quoquo modo eidem actui vel præsentiam, vel consensum, vel authoritatem interposuerint.

Non est dubium ad incurrendam hanc censuram deberé esse coactionem grauem cadentem in constantem virum, & iniustam; quia leuem pro nihilo reputat ius ex *leg. nec timorem, ff. quod metus causa.* Et fauet Bonifac. *Clem.* 1. *num.* 34. *de foro competenti.* Et tradit Sanch. *lib.* 4. *in decalog. cap.* 4. *num.* 4. Iusta verò coactione nec dici coactio potest, neque digna est aliqua pœna, vti tradunt Doctores statim referendi.

Coactio facienda est fœminæ, non viro, quia de solis mulieribus textus loquitur, neque dispositio pœnalis vltra proprietatem verborum extendenda est, maximè cùm in fœminis specialis ratio adsit, vtpotè quæ frequentiùs ad monasteriorum ingressum coguntur. Vt docet Suar. *disput.* 23. *de censur. sect.* 7. *num.* 8. Sanch *lib.* 4. *in decalog. c.* 4. *num.* 3. Filliucius *tract.* 14. *cap.* 6. *q.* 5. *num.* 89. Bonac. *t.* 3. *de censur. disputat.* 2. *q.* 2. *p.* 2. *in fine.*

Præstand a verò coactio est vel ad ingrediendum monasterium, vel ad suscipiendum habitum cuiuscunque religionis; vel ad professionem emittendam. Ex quibus verbis controuersia est inter Doctores, an si cogas fœminam monasterium ingredi, non vt ibi profiteatur, sed vt ibi educetur, & deliberet de statu assumendo, in hanc excommunicationem incidas? Negat Man. Rodrig. *t.* 2. *sum. cap.* 8. *concl.* 5. *num.* 10. Bonac. *t.* 3. *de censur. disp.* 2. *q.* 2. *p.* 2. *num.* 6. quia Concilium in hoc decreto libertati status religiosi consulere intendit, qui finis non adest, cùm fœmina non ad religiosum statum assumendum cogitur. Sed contrarium docuerunt Nauarr. *lib.* 5. *consilior. tit. de sententia excommunicat. cons.* 56. *per totum in prima edit.* & *in* 2. *lib.* 3. *tit. de regularib. toto cons.* 6. Suar. *t.* 5. *in* 3. *p. disp.* 23. *sect.* 7. *num.* 9. Zeiola *in praxi episcop.* 2. *p.* verbo *moniales, vers.* 13. Augustl Barbosa *in remissionib concilij, & de potest episcop. alleg.* 50. *num.* 174. quia Concilium disiunctiuè loquitur de ingressu, de susceptione habitus, & de professione. At cogens fœminam monasterium coactè ingredi vt ibi educetur, tametsi habitum non suscipiat, neque professionem emittat, verè cogit ad monasterij ingressum. Ergo hac excommunicatione ligatur. Et fortè ob hanc causam Concilium expressit monasterij, & non religionis ingressum, indicans solùm coactum ingressum in monasterium ad ibi commorandum habitu sæculari retento, sufficientem esse ad hanc censuram. præterea illa exceptio, præterquàm in casibus à iure expressis, denotat solùm ingressum causa educationis sub hoc Decreto comprehendi, quia in iure vix est expressum aliquem cogi posse ad monasterium ingrediendum, vt ibi profiteatur, sæpè autem vt ibi commoretur, & pœnitentiam agat.

Hanc sententiam, quæ mihi verà videtur temperat Sanch. *lib.* 4. *in decalog. cap.* 4. *num.* 12. vt intelligatur de ingressu animo principali, vt postmodum fœmina habitum sumat, quia coactio ad ingressum sub ea intentione præstita libertati status religiosi obest. Secùs verò si is animus absit. Hanc limitationem adhibita quadam distinctione probo. Si enim cogens ad ingressum absque vlla intentione etiam in genere sumendi religiosum habitum cogat, quod contingit, cùm expresè solùm intendit, vt fœmina ibidem educetur; dum ætatis aptæ matrimonio sit fine, & intentione eam in matrimonium collocandi, placet Sanch. limitatio, quia ille ingressus non videtur libertati status religiosi obesse, cui hoc Decreto consulere Pontifex voluit, sed potiùs videtur obesse libertati matrimonij, de quo Pontifex in præsenti nihil disponit. At si cogens ad ingressum animum habeat vt fœmina ibidem educetur, vt postmodum statum religionis, vel matrimonij eligat, qui sibi aptior visus fuerit, existimo sub hoc decreto comprehendi, quia saltem in genere est intentio cogendi ad religiosum habitum, talisque ingressus periculis est expositus alicuius nimiæ suasionis à monialibus factæ, vel coactionis à parentibus.

Illud est certius ex coactione non induci excommunicationem, quousque ingressus in monasterium, vel habitus susceptio, vel professionis emissio sequatur, quia Conc. Trident. non excommunicat conantes cogere ad ingressum, sed verè cogentes. qui censendi non sunt, dum ingressus non subsequitur. Vt tradit *relatis Nauarr. & Rodrig.* Sanch. *lib.* 4. *c.* 4. *num.* 19. Bonacina *dicta disputat.* 2. *q.* 2. *p.* 2. *numero* 8. Tolet. *lib.* 1. *cap.* 41. *num.* 7. Sayr. *decis.* 51. *sub. tit. de sententia excommunicat.*

Secundò excommunicat Pontifex eos, qui prædictis cogentibus auxilium, consilium, vel fauorem præstiterint, quos intelligen

telligendum est, vt nuper diximus ingressu, susceptione habitus, vel professione subsecutis, quia hæ actiones sunt accessoriæ coactioni, ac proinde quousque coactio excommunicatione afficiatur, non afficiuntur huiusmodi accessoriæ actiones, vt ex communi sententia notauit Bonac. *d.pun.2.num.12.* Sanch. *lib.4.in decal c.4.n.18.*

Tertiò subiicit Pontifex huic excommunicationi eos qui scientes fœminam coactè monasterium ingredi, vel habitum suscipere, vel professionem emittere quoquo modo suam præsentiam, consensum, vel authoritatem prædictæ actioni interponunt. Censeberis autem tuam præsentiam, consensum, vel authoritatem interponere, si ex proposito, & à consilio adsis, cùm mulier monasterium ingreditur, habitum suscipit, vel professionem emittit. Secùs si casu adfueris, aut ob aliam causam, scilicet ob sactum audiendum, ob comitandum dominum, & à fortiori ad testificandum professionem irritam esse, vtpotè coactam, quia Præsenti Decreto tantùm ea præsentia punitur, quæ voluntaria est, vt apposita fine prædictum actum fouendi, eique authoritatem præstandi; vt aduertit Sanch. *d.lib.4.in decalog.cap.4.n.20.& 21.* Bonac. *t.3.de censur.disp.2. q.2.p.2.num.11.*

Superest dicendum de personis in hanc excommunicationem incidentibus ob aliquam ex præfatis actionibus, an aliquæ sint exclusæ? Affirmat Suar. *disp.23.sect.7.num.8.* nullam excluſam esse, quia Conc. Tridentinum vniuersas, & singulas cuiuscunque qualitatis, & conditionis fuerint tam clericos, quàm laïcos sæculares, vel regulares, atque etiam qualibet dignitate fulgentes excommunicationi subiicit. At sub his verbis omnes, nemine dempto, comprehenduntur. Ergo Nihilominus Sanch. *lib.4.in decalog.cap.4.n.2.* & Bonac. *disp. 2.q.2.p.2.num.14.* existimant Regem, & Reginam sub hoc Decreto non comprehendi, qua oportebat horum fieri expressam mentionem iuxta ipsum Conc. Trident. *sess.22.capit. 11.de reformat.* & placet hæc sententia. Alij, quos tacito nomine refert Azor. *2.p.instit.moral.lib.2.cap.21.q.15.* quibus ipse astentiri videtur, & Barbosa *in remissionib. concilij, d.c.19.* excludunt ab hoc Decreto parentes, eo quòd non sit verisimile voluisse Pontificem hos excommunicatione punire ob coactionem, quæ in commodum filiarum censenda est fieri, cùm parentibus iure naturali competat vitæ, salutis, & incolumitati filiarum consulere, à qua obligatione non sunt censendi deficere. Sed rectius omnes alij Doctores hanc restrictionem non admittunt: quia hæc excommunicatio non tam lata est in puellarum fauorem, quàm in libertatem religionis, quæ potiùs à parentibus, quàm ab aliis lædi potest.

9 Nona *in eodem cap.18.* continetur, aduersus impedientes fœminarum professionem. Inquit enim Concilium. Simili quoque anathemati subiicit eos qui sanctam Virginum, vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi, vel voti emittendi quoquo modo siue iusta causa impedierint. Nomine veli accipiendi, vel voti emittendi professio intelliguntur. Sed quia hæc professio in monialibus aliquando fit velo suscepto, aliquando absque veli susceptione; ea de causa vtrumque modum professionis Pontifex expressit: vt benè aduertunt Suar. *dicta disp.23.sect.7.num.10.* Sanch. *lib.4.in decalog. cap.4. n.14.* Filliucius *tr.14.c.6.q.5.ad finem. n.90.* Bonac. *t.3.de censur.disp.2.q.2.p.3.num.2.*

Ex quo infer, si impedias fœminam, ne votum professionis ingrediendæ emittat huic censuræ non subiici, quia illa non est impeditio voti religiosum statum constituentis, cuius impedimentum hoc Decreto punitur. Neque ex tali impedimento apposito professionem impedis, cùm fœmina absque emisso voto religionis assumendæ ingredi religionem posset, & profiteri. Atque ita docent Suar. Sanch. Filliucius, Bonacina *loc.alleg.*

Quinimò verius existimo ob impedimentum fœminæ præstitum, ne religionis habitum suscipiat huic excommunicationi locum non esse: nam esto professio subsequi non possit habitu non suscepto, eâque de causa impediens habitus susceptionem consequenter professionem impedit. At Conc. Trident non de impediente professionem remotè, sed de impediente proximè, & immediatè loquitur. & quæ post susceptum habitum contingere potest, aliàs non solùm professionem, sed ipsum ingressum, & habitus susceptionem exprimeret, sicuti fecit in cogentibus. Et docet Sanch. *lib.4.in decal.cap.4. num.15*, aduersus Suar. *dicta disp.23.sect.7. num.10.* Filliuc. *num.90.* Bonac. *num.4.* Modus autem impediendi debet esse iniustus, vt constat ex illis verbis *absque iusta causa*, debétque inuoluntarium causare, aliàs non impediet voluntatem veli suscipiendi. Quocirca cùm vis, metus, & dolus inuoluntarium causent huic censuræ subiiciuntur. Vti tradit Sanch. *lib.4. in decalog.c.4.num.10.* Bonacina *disp.2.q.2.p.3.n.6.* quia textus excommunicat quoquo modo impedientes voluntatem fœminarum.

10 Decima excommunicatio in Conc. Trident. contenta habetur *sess.25. num.19. de reformat.* aduersus varias personas causa duelli. Primò excommunicantur omnes domini temporales in suis terris dantes, vel permittentes locum ad monomachiam. Secundò pugnantes. Tertiò patrini. Quartò spectatores non casu, sed ex proposito: omnes hi excommunicationi subiiciuntur, tametsi pugna non subsequatur; si tamen per ipsos pugnaturos id non stetit; vt explicuit Gregor. XIII. in sua Bulla, edita 9. Decemb. anno 1582. incipiente: *Ad tollendum detestabilem duellorum vsum*, & est 82. in ordine, extenditque prædictam excommunicationem ad duella priuata, absque solemnitatibus in Concilio requisitis. Itemque ad eos qui quoquo modo prædictis pugnaturis auxilium, vel fauorem præstiterint. Cæterùm Clemens VIII. in quadam constitutione quæ incipit: *Illius vices*, edita anno Domini 1591. hanc excommunicationem sibi reseruat, illamque extendit ad Reges, & Principes, si duellum commiserint, vel cùm possint non impedierint De qua excommunicatione, & quibus in casibus incurratur dixi *tract.6.de charitate, disp. de bello pun.vlt.*

PVNCTVM XXXVII.

Expenduntur excommunicationes ipso iure non reseruatæ extra corpus iuris, & Tridentinum contentæ.

1 *Refertur excommunicatio aduersus resignantes, vel permutantes fictè beneficia.*

2 *Item aduersus docentes indulgentias sanctæ Mariæ obtineri à sæcularibus, visitantibus Ecclesias Religiosorum priuilegiatorum.*

3 *Item aduersus Religiosos, & Moniales sanctæ Clarę, vtentes Bulla Cruciatæ, aliisque confessionalibus, absque licentia suorum Superiorum.*

4 *Item aduersus Fratres Reformatos Ordinis S. Francisci, transeuntes ad non Reformatos.*

5 *Item aduersus impugnantes montem Pietatis.*

6 *Item aduersus Fratres S. Francisci de Paula, recipientes religiosos Minores de Obseruantia. absque licentia Pontificis.*

7 *Item aduersus delegatos Pontificis concedentes alienationem bonorum Ecclesiasticorum fieri in damnum Ecclesiæ.*

8 *Item aduersus ministros Status Ecclesiastici, applicantes alteri quàm Camerę Apostolicę mulctas, & confiscationes in terris Pontifici subiectis.*

9 *Item aduersus Doctores & facultatem doctorandi habentes, qui permiserint aliquem gradu Doctoris insigniri, non præmissa fidei professione.*

10 *Item aduersus se intromittentes in officiis notariatuum venditis; aut vendendis per Cameram Apostolicam.*

11 *Item aduersus maiorem Pœnitentiarium, & Officiales Pœnitentiariæ, se intromittentes in expeditionibus prohibitis in* Bulla Pij IV. de hac re.

12 *Item aduersus procuratores officij Correctoris Cancellariæ Apostolicæ, se intromittentes in causis sibi interdictis in* Bulla Pij IV.

13 *Item aduersus Nuntios, & Legatos sedis Apostolicæ impetrantes litteras, aut fauores pro dignitatibus à Romano Pontifice obtinendis.*

14 *Item aduersus iudices, & gubernatores status Ecclesiastici, concedentes licentiam torquendi ignea breuioris mensuræ deferendi, seu retinendi &c.*

15 *Item aduersus Tridentini glossatores.*

16 *Item aduersus magistratus, & iudices inobedientes mandatis, & præceptis illustrissimorum Cardinalium, sanctæ Inquisitionis officium spectantibus.*

17 *Item aduersus eos qui Inquisitores, & officium Inquisitionis exercentes, occiderint, verbauerint, &c.*

18 *Item aduersus eos qui deputatos fabricæ sancti Petri auxiliatum molestare.*

19 *Item aduersus incantatores, diuinatores, & iudiciarios.*

20 *Item refertur excommunicatio aduersus causantem abortum.*

21 *Item aduersus depingentes Agnos Dei benedictos.*

22 *Item declaratur latè excommunicatio lata aduersus tauorum, aliorumque ferarum agitatores.*

23 *Item aduersus præsumentes absoluere à delictis incursis ob delicta Bullæ Cœnæ.*

PRima referri potest ex Innocent. VIII. quæ illius est 1
13. in ordine, & incipit: *Sicut bonus*, aduersus fictè resignantes, vel permutantes beneficia. Ad incurrendam igitur hanc excommunicationem opus est, vt resignatio, vel permutatio fiat extra curiam, & vltra duas dietas, & prætextu facultatis à Pontifice concessæ, cùm tamen nulla concessa sit. Quod non procedit in resignationibus simpliciter factis, quia hac facultate Pontificia non indigent, sed in resignationibus in fauorem certæ personæ, vt benè aduertit Filliucius *tract.14.c.7. q.7.n.21.* Bonac. *disp.2.q.4.p.8.num.4.*

Hæc

Hæc excommunicatio comprehendit primò resignantes, & resignatarios, modò sint Episcopo inferiores, nam Episcopis, eorúmque superioribus interdicitur Ecclesiæ ingressus. Secundò admittentes huiusmodi resignationes. Tertiò notarios rogantes, seu instrumentum resignationis conficientes. Quarto testes interuenientes prædictæ fictioni, modò omnes conscij sint huius sceleris, vt tradunt Filliucius, & Bonac. *suprà*.

2 Secunda excommunicatio quoad obligationem præcedenti similis continetur in Bulla Leonis X. incipiente: *Dudum per nos*, vti refert Viualdo. *in excommunicationib. non reseruatis, n.43.* Filliucius *tr.14.c.8.q.11. ad finem*: cuius materia est prædicare, vel priuatim docere indulgentias S. Mariæ ad populum obtineri à sæcularibus posse, visitantibus Ecclesias Religiosorum priuilegiatorum. At hæc constitutio, vti notat Bonacina *t.3.de censur. disp.2.quæst.8.p.10* non reperitur in Bullario, & à paucis refertur; ideóque credendum est eius obligationem cessasse.

3 Tertia quæ est Leonis X. *in priuilegiis Minorum*, refertur aduersus Fratres, & Moniales S. Clarę, eo quòd Bulla Cruciatæ, aliisque confessionalibus vtantur absque licentia suorum Superiorum: prout refertur à Viualdo *in excommunicationib. non reseruatis n.42.* Filliucio *d.tract.14.cap.8. quæst.11.* Sed cùm non contineatur in Bullario, neque communiter ab aliis Doctoribus referatur, indicium est eius cessasse obligationem.

4 Quarta est ipsius Leonis X. in Bulla Vnionis, aduersus Fratres reformatos Ordinis S. Francisci, transeuntes ad non Reformatos, & aduersus ipsos recipientes, nisi capitulum prouinciale iudicet minus malum esse dimittere Reformatum ad non Reformatos, quàm inter Reformatos retinere, quod raro iudicare potest. Vt videre est apud Sorbum *in additionib. ad collector. verbo Conuentuales Fratres num.2.*

5 Quinta continetur in Bulla Leonis X. quæ incipit: *Inter multiplices*, & est 9. in ordine illius Pontificis, aduersus impugnantes montem Pietatis constitutum iuxta formam ab ipso Leone X. præscriptam. Inquit enim Pontifex. *Omnes autem Religiosos, & Ecclesiasticas, ac sæculares personas, qui contra præsentis declarationis, & sanctionis formam de cætero prædicare, seu disputare verbo, vel scripto ausi fuerint, excommunicationis latæ sententia pœnam priuilegio quocunque non obstante incurrere volumus.*

Materia huius excommunicationis est prædicare, vel disputare scienter, & ex malitia contra montem Pietatis, asserendo verbo, vel scripto non esse licitum, nec pietati conformem. Comprehenditque tum religiosos, tum quoslibet alias personas Ecclesiasticas in qualibet ex his actionibus delinquentes. Sed an comprehendat sæculares laicos? Variant Doctores. Nam Filliucius *tract.14. capit.7.quæst.7.num.122.* negat, eo quòd munus prædicandi, vel disputandi Ecclesiasticis tantùm competat, non sæcularibus. Neque obest illa dictio *sæculares*, nam vt inquit Filliucius, non est apposita ad ampliandam dispositionem, sed ad distinguendum Ecclesiasticas personas sæculares à religiosis, quæ etiam Ecclesiasticæ sunt. Sed longè verius est sæculares laicos comprehendi. Vti docuit Bonacina *tom.3. de censur. disputat.2 quæst.4. punct.2. numero 4. in fine*, ideò namque Pontifex post religiosorum, & Ecclesiasticarum personarum expressionem sæcularium mentionem fecit, vt sæculares laicos comprehenderet; alias si solùm sæculares Ecclesiasticos comprehendere voluisset, frustrà sæcularium personarum meminisset post expressionem religiosorum, & Ecclesiasticarum personarum. Nam in illis verbis *Ecclesiasticarum personarum* absque vllo addito satis intelliguntur omnes personæ Ecclesiasticæ sæculares, siquidem necessariò à religiosis distingui debebant. Neque obest quòd sæcularibus laicis non competat munus prædicandi, quia satis est quòd munus disputandi competere possit. Præterquam quòd esto laici verbo, & solemniter prædicare nequeant, at scripto, & priuatim præstare aliquando poterunt.

6 Sexta est Iulij II. in Bulla incipiente: *Exponi*, aduersus Fratres S. Francisci de Paula, recipientes religiosos Minores de Obseruantia, absque licentia Pontificis. Ad idem est ea excommunicatio, quam tulit Paulus III. in Bulla quæ incipit: *Romani*, edita anno 1537. & Iulius III. in Bulla incipiente *Officij*, edita anno 1550. Et Sixtus V. in Bulla incipiente: *Pro ea*, edita anno 1586. aduersus Capucinos recipientes Fratres Minores de Obseruantia, absque Pontificis facultate, vel licentia suorum Prouincialium in scriptis obtenta, & contra ipsos Fratres Minores præsumentes se ad dictam Congregationem transferre, absque præfata licentia. Sed de tranhu ad alias religiones qua ratione interdictus sit satis diximus *tract.16. de statu religioso, disp.4.p.16.*

7 Septima continetur in Bulla Pauli II. quæ est 2. huius Pontificis in ordine & incipit: *Cum omnibus iudiciis*, aduersus delegatos Pontificis concedentes alienationem bonorum Ecclesiasticorum fieri in damnum Ecclesiæ; & aduersus dolosè procurantes huiusmodi alienationem. Verba Pontificis sunt: *Si quis autem commissarius, vel delegatus conscientia sua prodigus in grauamen, aut detrimentum Ecclesiæ per gratiam, aut timorem, vel sordes alienationi consenserit, aut decretum, vel authoritatem interposuerint, inferior quidem Episcopo sententiam excommunicationis incurrat, Episcopus verò, aut superior ab executione officij per annum nouerit se suspensum. Is verò qui dolo, vel fraude, aut scienter in detrimentum Ecclesiæ alienationem fieri procurauerit, aut qui per sordes, vel impressionem alienationis decretum extorserit eidem excommunicationi subiiciatur, à qua nisi per Romanum Pontificem non possit absolui.*

Hæc constitutio duplicem partem continet; alia spectat ad iudices authoritatem alienationi præstantes; alia respicit procurantes prædictam fieri alienationem. Qua parte hæc constitutio iudices spectat non comprehendit quoscunque, sed tantùm commissarios, & delegatos sedis Apostolicæ ad examinandas causas pro alienatione bonorum Ecclesiasticorum requisitas constitutos. Hi igitur si humanis respectibus gratiæ, vel timoris ducti, vel donationibus, aut promissionibus allecti in grauamen, aut detrimentum Ecclesiæ alienationi bonorum Ecclesiasticorum consenserint, vel decretum, seu authoritatem interposuerint, excommunicationi subiiciuntur. Notandum est verbum illud *in grauamen, aut detrimentum Ecclesiæ*: nam si ex alienatione hoc detrimentum non proueniat, tametsi Ecclesiæ vtilis non sit, vel non seruentur solemnitates pro alienatione Ecclesiasticorum bonorum requisitæ, non est huic excommunicationi locus: vt aduertit Suar. *disp.22 sect.6. num.4.* Bonac. *tom.3. de censur. disput.2. quæst.5. punct.5.numero 2.* Sed an opus, fit vt alienatio re ipsa sequatur, vt Iudices interponentes suam authoritatem & decretum in excommunicationem incidant? Probabilius videtur necessarium esse, eo quòd dum alienatio non subsequitur, dici non potest consensus, authoritas, vel decretum iudicis interposita esse alienationi, sed alienationis conatui, & desiderio: quippe verbum illud *interponere*, vt ex Ambrosio Calepino cõstat, propriissimè significat comprobare, authoritatemque præbere. Ergo vt iudices suo consensu, & decreto alienationem comprobent, eique authoritatem præbeant, necessarium est alienationem fieri. Sic tanquam probabile defendit Bonac. *loco citato n.4.* tametsi contrarium probabilius iudicet.

Si verò de procurantibus alienationem loquamur, etsi Filliucius *tract.15. cap.7. quæst.4. ad finem* probabile reputet solos laicos comprehendi, verius est & laicos, & clericos etiam Episcopos comprehensos esse, quia dictio illa *is* verò vniuersalis est. Neque est vlla ratio, ob quam dispositio ad solos laicos restringatur, cùm æquè Ecclesiastici, ac laici hanc alienationem procurare possint, in qua procuranda grauiùs Ecclesiastici quàm sæculares delinquunt. Incurrunt verò in hanc excommunicationem, si dolo, vel fraude, vel scienter in detrimentum Ecclesiæ alienationem fieri procurauerint, vel per sordes, aut impressionem, hoc est per donationes, seu promissiones, vel importunas persuasiones decretum alienationis à dictis commissariis extorserint. Existimo autem procurationem debere esse efficacem, & per quam alienatio subsequatur: nam cùm hæc constitutio odiosa sit, strictè interpretanda est. Præterquam quod superius diximus iudicium, consensum, decretum excommunicationi obnoxium, esse illud cui alienatio annectitur. Ergo quouisque prædictum decretum extorqueas excommunicationi non subiiceris.

Monent tamen benè Filliuc. & Bonac. *locis citatis* excommunicationem latam contra iudices alienationi consentientes reseruatam non esse, at latam contra procurantes dolo, vel fraude fieri alienationem, vel extorquentes per sordes, aut impressionem alienationis decretum reseruatam esse, vt constat ex illis verbis; A qua nisi per Pontificem absolui non possint.

8 Octaua referri potest ex Pio IV. in Bulla 43. quæ incipit: *Decet Romanum Pontificem*, & fertur aduersus ministros status Ecclesiastici, qui mulctas & confiscationes, seu alias pœnas pro quibuscunque delictis soluendas, & luendas in ciuitatibus, terris, locis Pontifici immediatè subiectis alteri quàm Cameræ Apostolicæ applicant, nisi fortè ex Pontificis decreto, aut consuetudine applicatæ sint pro reparationibus murorum, pontium, & maximè Ecclesiarum, piorum locorum aliisque rebus publicis, vel nisi sint mulctæ, & pœnæ debitæ in satisfactionem damni in vineis, agris, quia hæ pœnæ & mulctæ in ipsa constitutione excipiuntur.

Comprehendit hæc censura quoscunque rectores, præsides, iudices, aliósque ministros sedis Apostolicæ, qui Cameram Apostolicam prædictis mulctis, & pœnis defraudant alteri applicantes. Legatos verò etsi indignationem sedis Apostolicæ incurrant, probabile est censuræ non subiici, & notauit Bonacina *tom.3.de censur. disp.2.quæstio.10.puncto 13.numero 2.* & colligitur ex illis verbis: *Inhibentes vniuersis, & singulis Legatis sub indignatione nostra, ac rectoribus, ac aliis suprà*

dictis sub excommunicatione, aut suspensione à diuinis, aliisque arbitrio nostro pœnis, eo ipso incurrendis. Vbi notandum est Legatis præceptum imponi sub indignatione sedis Apostolicæ, at rectoribus, aliisque ministris sub excommunicatione, aut suspensione.

Notanter dixi in principio *referri potest*, eo quòd satis probabile sit in prædicta constitutione non contineri excõmunicationem latam ipso iure. Nam cùm Pontifex non absolutè imponat excommunicationem, sed sub disiunctione, vel excommunicationem, vel suspensionem à diuinis. Et cùm non sit maior ratio quare potiùs excommunicatio, quàm suspensio incurratur, efficitur nullam incurri, nam ad incursionem censuræ necessaria est illius determinatio. Vti docuit Nauarr. *capit. 27. numero 161.* Vgolin. *tab. 1. de censur. cap. 20. §. 3. numero 4.* Henriq. *lib. 13. capite 32. numero 4.* Sayrus *lib. 4. capit. 7. numero 3.* vbi plures refert, & colligitur ex *leg. 3. Cod. de sententiis quæ sine certa quantitate*, ibi enim decidituir sententiam sine certa quantitate prolatam nullam esse, quia vt sic mandari executioni nequit. At censura sub verbis alternatiuis prolata nihil certum, & determinatum exprimit. Ergo nulla est.

Dices cum Suar. *disp. 3. de censuris sect. 2. numero 12.* & Bonac. *t. 1. disp. 1. de censur. q. 1. pun. 7. num. 1.* & *t. 3. de censur. disp. 2. q. 10. pun. 13. in fine*, relinqui arbitrio delinquentis determinationem, sicuti cùm iudex delinquentem pœna exilij, vel pecuniaria damnat, & confessarius pœnitenti iniungit orationem, vel ieiunium, ipsius arbitrio electionem remittit. Quod si ipse neutrum elegerit, vtraque ligandus erit, quia videtur esse ferentis intentio, ne eius dispositio frustranea sit.

Sed respondeo, etsi hic modus ferendi sententiam sustineri possit in iis pœnis, quæ per actionem distinctam à sententia mandari executioni debent, vti sunt pœnæ pecuniariæ, exilij, ieiunij, orationis &c. at sustinendus non est in pœnis, quæ ipsamet sententia executioni mandantur, vti sunt censuræ ipso iure latæ: nam ex sententia vaga, & indeterminata nequit effectus determinatus oriri. Neque in censuris admittenda est electio delinquentis, Tum quia nemo eliget quod sibi nociuum est, nisi ad id compellatur. Tum præcipuè quia vel illa electio præstanda est ante delictum commissum, vel post illud; Ante delictum commissum nemo tenetur determinare sententiam alternatiuè latam; quia ea non ligatur: post delictum commissum non est locus electioni, cùm ipsi delicto annecti censura debet, vt sit ipso iure lata, & non ferenda. Quocirca si in aliqua Bulla, vel sententia hic modus ferendi censuram reperiatur, credendum est non esse censuram ipso iure latam, sed ferendam, præstatéque hunc sensum delinquens eo ipso subiectus sit, & expositus excommunicationi, vel suspensioni incurrendæ, quam legislator determinauerit.

9 Nona excommunicatio continetur in Bulla Pij IV. incipiente: *In sacro-sancta*, aduersus Doctores, vniuersitatem, & alios habentes facultatem doctorandi, permittentes aliquem gradu doctoris insigniri, vel cathedram ascendere, non præmissa fidei professione. Etenim Pius IV. in supradicta constitutione, obligat omnes Doctores, magistros, Regentes, & alios cuiuscuis artis, ac facultatis professores siue clericos, siue laicos, siue regulares, qui in quibuscuis vniuersitatibus, aut gymnasiis publicis, aut alibi lectoris ordinariam aut extraordinariam cathedram assequi, aut retinere obtentam, seu theologiam, canonicam, vel ciuilem censuram, medicinam, philosophiam, grammaticam, vel alias Liberales Artes vbicunque publicè, vel priuatim profiteri, seu lectiones aliquas in facultatibus huiusmodi habere, vel exercere voluerint, vt ante hæc omnia fidei professionem faciant: quod decretum ita vniuersale est, vt ex declaratione sacræ congregationis teste Capucino *super priuilegia Mendicantium, verbo professio fidei, notab. 4.* censeantur sub eo comprehendi docentes prima Grammaticæ, Arithmeticæ, Musicæ, & aliarum artium liberalium rudimenta. Et licèt Rodrig. *t. 2. qq. regular. quæst. 72. articul. 2.* Filliucius *tractat. 14. capit. 10. q. 1. num. 163. & quæst. 5. numero 174.* censeant sic promotos ad cathedras, vel gradus absque præmissa fidei professione subiici excommunicationi, aliisque pœnis, quibus promouentes dicemus statim subiici. Verius est solùm pœnam nullitatis gradus, & promotionis incurrere ipso iure, vt aduertit Sorbus *in compendio priuilegior. Mendicant. verbo professio fidei, sub finem.* Sanch. *lib. 2. in decalog. cap. 5. num. 4.* Bonac. *t. 3. de censur. disp. 2. q. 10. p. 14. in fine.*

Insuper decernit Pontifex omnes Doctores, Rectores, Superiores, seu facultatem habentes doctorandi qui præfatos promouerint gradu Doctoris, Magistri, Licentiati, aut Bachalaurei, seu ad cathedram, aut lectiones promoueri, aut obtentas retinere permiserint, non facta fidei professione excommunicationis sententiæ subiacere, si inferiores sint Episcopo, necnon priuationis omnium dignitatum, beneficiorum, & feudorum Ecclesiasticorum, & inhabilitatis ad illa, & ad alia in posterum obtinenda. Si autem Episcopi sint, vel eorum superiores interdicto Ecclesiæ affici. Porrò vt hanc censuram incurrant debent esse rectores, doctores, seu superiores illarum vniuersitatum, ciuitatum, oppidorum, vel locorum vbi fit promotio, ita vt iurisdictionem spiritualem vel temporalem ibidem habeant, vt colligitur ex illis verbis: Ne quem in vniuersitatibus, ciuitatibus, oppidis, vel aliis locis sibi in spiritualibus, vel temporalibus subiectis, aliter cathedras, aut alias lectiones retinere; consequi, vel ad gradus promoueri respectiuè patiantur in virtute sanctæ obedientiæ, &c & notauit Bonac. *t. 3. de censur. disp. 2. q. 10. p. 14. num. 2.*

Aduertit autem Sanch. *dicto lib. 2. capit. 5. numero 4.* quem Bonacina *d. punct. 14. in fine* sequitur, hanc constitutionem in pluribus prouinciis, religionibus, & vniuersitatibus receptam non esse, neque vim obligandi habere. Cùm passim videamus plures gradibus litterariis insigniri, & ad cathedras ascendere, quin professionem fidei præmittant, quod nullatenus fieret, si huiusmodi Bulla recepta esset, vigerétque eius obligatio.

Decima refertur in Bulla Pij IV. quæ incipit: *Superna pro-* 10
uidentia, aduersus eos qui per se, vel per alios se intromittere in officiis notariatuum venditis, aut vendendis per Cameram Apostolicam, vel notarios ea ementes vexare præsumunt. Comprehendit hæc excommunicatio quasuis communitates, collegia, & alias quasuis particulares personas, Legatos, Vicelegatos, Gubernatores, Potestates, Officiales, Iudices, & Commissarios, qui quouis quæsito colore, ingenio, vel prætextu, audeant, seu præsumant se vlterius in eisdem notariatuum officiis tam per Cameram venditis, quàm deinceps vendendis, ac aliis præmissis, vel eorum interpretatione, ac originalibus scripturis officia huiusmodi, ipsorúmque notariorum præiudicium concernentibus per se, seu eorum cancellarios, seu secretarios, aut scribas, vel alium, seu alios intromittere, aut de illis quomodolibet disponere, seu notarios illa pro tempore ementes molestare, perturbare, vel impedire, aut contra eos procedere. Aduerte communitates, & collegia, vt tales sunt excommunicatione non affici, benè tamen quoad personas particulares ibidem delinquentes. Deinde aduerte Legatos, & Vicelegatos, esto excommunicationi subiiciantur, non tamen pœnis arbitrio thesaurarij imponendis, quibus reliqui omnes Legatis inferiores subiiciuntur, vt colligitur ex ipso texto, & notauit Bonac. *tom. 3. de censur. disputat. 2. quæst. 10. punct. 12. in fine.*

Vndecima continetur in Bulla eiusdem Pij IV. incipien- 11
tis: *In sublimi B. Petri solio*, aduersus maiorem Pœnitentiarium, & officiales Pœnitentiariæ se intromittentes inexpeditionibus prohibitis in dicta Bulla. Pius namque IV. ne officiales sacræ Pœnitentiariæ limites suæ potestatis excederent, modum præscripsit obseruandum sub excommunicatione, aliisque pœnis in hæc verba. *Authoritate Apostolica tenore præsentium statuimus, & ordinamus, quod de cætero perpetuis futuris temporibus pro tempore existens maior Pœnitentiarius, ac eiusdem Pœnitentiariæ regens, correctores, procuratores, ac alij quicunque eius officiales, & ministri ab eorum omnium, quæ infrascriptis capitulis, & prohibitionibus continentur concessione, commissione, & expeditione penitus cessare debeant. Et in primis summus Pœnitentiarius abstineat à commutatione vltimarum voluntatum, & earum derogationibus, necnon ab vnionibus perpetuis, & suppressionibus, ac translationibus beneficiorum Ecclesiasticorum, & applicationibus vnius beneficij alteri beneficio, & illarum confirmationibus. Item à concessione iuris patronatus, seu præsentandi ad beneficia Ecclesiastica propter augmentum fructuum, sed tantùm ex causa fundationis illud concedere possit. Similiter abstineat à licentiis extandi extra pro monialibus ex quacunque causa, necnon à declaratoriis pro religiosis propter vim, & metum, quæ ingressu religionis, vel emissione professionis sibi illata fuisse prætendant; quando post emissam professionem huiusmodi susceperunt sacros ordines in religione, etiamsi asseratur quod eisdem vi, & metu durantibus illos susceperunt: in illis autem casibus declaratoria ipsa committantur Ordinario loci, & vocato Priore monasterij in quo fuerit emissa professio, & nunquam in curia, etiamsi pars, & testes præsentes essent. Nec concedat religiosis licentias standi extra propter infirmitatem, & similia impedimenta, nec etiam pro subuentione parentum, aut pupillorum, vel aliorum consanguineorum, nisi obtenta licentia superiorum; & in facultatibus pro religiosis eisdem transeundi de ordine ad ordinem etiam in casibus à iure permissis apponatur semper clausula. Quod perpetuò ibidem in claustro domino famulari retineantur. A postatis verò absolutionem non concedat, nisi ea lege expressa, vt statim ad claustrum proprij ordinis redeant, vel ad alium ordinem transeant aqualis, vel arctioris obseruantiæ, vt ibi perpetuam vitam agant. Nec illis, aut aliis prædictis indulgeatur, vt beneficia Ecclesiastica obtinere, vel illis tanquam mercenarij deseruire, aut aliàs etiam de superiorum suorum licentia extra claustrum quoquo modo degere valeant. Similiter*

non concedat commissiones alienationum, vel permutationum, aut affrancationum, aut illarum confirmationum de bonis Ecclesiasticis infrà quæ dicitur, si in euidentem, pro rebus quarum redditus annuus summam viginti ducatorum auri de Camera excedat, & commissiones huiusmodi semper Ordinario loci, & alteri personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ coniunctim committantur, etsi de ipsius Ordinarij interesse, & præiudicio agatur, tunc loco ipsius committatur Metropolitano, & si res ad ipsum Metropolitanum pertineat Ordinario vicinori: & nunquam similes concedantur commissiones, quando agitur de alienatione iurisdictionum, vel vasallorum ad Ecclesiam quouis modo pertinentium. Præterea ne Ordinarij in corrigendis subditorum excessibus impediantur, & delicta impunita remaneant, non concedat absolutiones, vel mandata de absoluendo ab homicidiis, vel aliis grauibus delictis etiam occultis pro quibus de iure ciuili pœna capitalis imposita sit (præterquam in foro conscientiæ duntaxat.) In reliquis verò minoribus, & leuioribus excessibus, de quibus tamen delinquens non fuerit citatus, vel inquisitus committere possit Ordinario, vt imposita illi pœna eius arbitrio cum etiam in foro fori absoluat, ipsúmque ab executione ordinum, si secum super irregularitate dispensarum fuerit similiter eius arbitrio suspendat. Episcopis autem, vel eorum superioribus, aut alijs Prælatis sedi Apostolicæ immediatè subiectis, & quibuscunque personis in terris Ecclesiæ, & multò minus in Vrbe delinquentibus ab aliquibus delictis extra forum conscientiæ absolutionem minimè concedere possit. Cauent etiam Pœnitentiarius, ne in absolutionibus à simoniæ reali, vel conuentionali etiam occulta vnquam concedat, vt ipsi simoniaci beneficia super quibus simoniam commiserint, seu pecunias, vel alia pro illis accepta, aut fructus exinde post commissam simoniam perceptos in toto, vel in parte retinere possint, quinimo in absolutionibus huiusmodi apponatur clausula. Quod vterque ad beneficium super quo fuit commissa simonia perpetuò inhabilis existat. Et insuper homicida voluntario, etiam alijs canonicè absoluto altaris ministerium, aut ascensum ad superiores ordines, & restitutionem, aut retentionem beneficiorum, quibus ipso iure quis priuatus, vel priuandus sit concedere minimè valeat. Nec minus litteras de promouendo ad sacros ordines, ac etiam ad primam tonsuram a quocunque Catholico Antistite, nisi allegetur iusta causa, propter quam ab Ordinarijs suis promoueri nec ab eis, aut eorum officialibus litteras dimissorias obtinere valeant, & tunc concedi possint à quocunque ordinario, vel pro eo Pontificalia exercente, etsi causa allegata falsa fuisse deprehendatur, sic promoti ab executione ordinum per suos Ordinarios suspendi, vel illa etiam perpetuò priuari possint. Similiter idem Pœnitentiarius non concedat absolutiones sacramento nisi ad effectum agendi duntaxat. Nec dispensationes matrimoniales in forma gratiosa, sed semper committantur Ordinarijs, prout alias fieri consueuit. Nec concedat religiosis licentiam suscipiendi gradum doctoratus, vel magisterij contra statuta Ordinis, nisi ex aliqua probabili causa, & nisi de licentia suorum Superiorum. Nec absolutiones à fructibus indebitè perceptis ratione intrusionis in beneficio, vel ob non promotionem, aut alium tituli defectum etiam in foro conscientiæ, nisi facta restitutione fructuum huiusmodi. Nec etiam absolutiones concedat pro vsurpata iurisdictione, vel violata libertate Ecclesiastica etiam in foro conscientiæ, nisi cum clausula, satisfacto prius de damnis, & expensis parti læsæ. Neque facultates testandi iuxta formam quinterni simpliciter, sed cum clausula, dummodò non supra summam centum ducatorum etiam ad pias causas, aut pro seruientibus. Religiosis verò etiam extra claustrum, etiam ex Apostolica dispensatione degentibus facultates testandi nullo modo concedantur. Et insuper non confirmet gesta per Ordinarios, aut alios inferiores illis de iure communi non concessa, nec suppleat eorum defectus. Minus etiam dispenset super ætate promouendorum ad sacros Ordines de iure requisita. Nec tempus Prælatis ad munus consecrationis suscipiendum à iure statutum vltra tres menses, & terminum anni Rectoribus parochialium Ecclesiarum, & aliis quibuscunque ad sacros etiam presbyteratus ordines suscipiendos à iure, aut in fundatione beneficiorum quomodolibet constitutum extra casus à iure permissos vltra sex menses minimè prorogare valeat. Et vltra præmissa obtineat ab expeditionibus quibuscunque, quæ sibi per litteras suarum facultatum expressè non conceduntur, nisi alias de iure communi in casibus de quibus agitur Ordinario concessa reperiantur. Nec suffragetur prætextus consuetudinis, seu styli, aut quasi possessionis ipsius maioris Pœnitentiarij, & prædecessorum suorum in similibus concedendis, etiamsi consuetudo, aut stylus, vel quasi possessio huiusmodi per litteras facultatum suarum generaliter approbata reperiantur. Volumus insuper, quòd officium sacræ Pœnitentiariæ sede Apostolica vacante in omnibus, & singulis quæ ad forum fori quomodolibet pertinent penitus, & omnino conquiescant. Quodque ea tantum pro animarum salute expedire valeat quæ forum conscientiæ respiciunt. Restrictius inhibentes moderno, & pro tempore existenti maiori Pœnitentiario in virtute sanctæ obedien-

tia, ac regenti, correctoribus, scriptoribus, procuratoribus, reuisoribus, sigillatoribus, aliisque Pœnitentiariæ officialibus quibuscunque sub nostræ indignationis, & excommunicationis latæ sententiæ, necnon priuationis, & amissionis suorum huiusmodi, & aliorum officiorum, & beneficiorum quorumcunque per eos obtentorum, & inhabilitatis ad illa, & alia in posterum obtinenda, aliisque grauioribus nostro, & pro tempore existentis Romani Pontificis arbitrio infligendis, & applicandis pœnis. Nec de concessionibus, & expeditionibus sibi per præsentes interdictis præmissorum tenore, etiam prætextu quorumuis priuilegiorum, & indultorum eis quomodolibet et concessorum se intromittere quoquo modo audeant, seu præsumant. Decernentes quascunque concessiones, gratias, aut expeditiones deinceps ab eodem officio Pœnitentiariæ contra præsentium tenorem (quod absit) pro tempore emanatas, etiamsi in illis asseratur vitæ vocis oraculo, ac de mandato nostro, & pro tempore existentis Romani Pontificis speciali, & expresso factas fuisse, nullas nihilominus, & inualidas, ac extortas, & surreptitias esse, & censeri, neminique suffragari posse. Et ita per quoscunque iudices, &c.

Placuit præter morem nostrum huius Bullæ tenorem referre, vt omnibus notum sit quæ Pœnitentiario summo interdicantur. Ex illius verbis constat quæ sit materia huius censuræ, & quas personas comprehendat.

Duodecima continetur in Bulla eiusdem Pij IV. incipiente: *Vniuersi gregis Dominici*, aduersus procuratores officij correctoris Cancellariæ Apostolicæ, & litterarum minoris iustitiæ, seu contradictarum qui se intromittere præsumunt in causis sibi interdictis in dicta Bulla. Insuperque priuantur officiis, & beneficiis obtentis, ac inhabiles redduntur ad illa, & alia in posterum obtinenda, aliisque pœnis arbitrio Pontificis subiiciuntur. Correctori autem non excommunicatio, sed indignatio Pontificia indicitur, vt constat ex illis verbis; distinctius inhibentes præfato, ac pro tempore existenti Correctori sub indignationis nostræ; Procuratoribus verò præsentibus, futuris sub excommunicationis latæ sententiæ, &c. Similis excommunicatio habetur in Bulla eiusdem Pontificis Pij IV. incipiente: *Inter multiplices Pastoralis officij*, aduersus iudices, & notarios status Ecclesiastici se intromittentes in expeditionibus, decretis, & aliis in præfata Bulla interdictis, quam Paul. V. in Bulla 71. quæ incipit: *Vniuersi*, confirmauit quoad ea quæ ipsius constitutioni non aduersantur. Sicuti notauit Bonac. *tom. 3. de censur. disput. 2. qu. 11. p. 11.* 12

Decimatertia habetur in Bulla Pij IV. incipiente: *Etsi Romanum Pontificem*, aduersus Nuntios, aliósque missos à Pontifice, ad Imperatorem, & Reges, Duces: aliosque Principes, si ab eis impetrent litteras, aut fauores ad dignitates à Romano Pontifice obtinendas. Comprehendit hæc excommunicatio omnes, & singulos quacunque dignitate, Episcopali, Archiepiscopali, Patriarchali, vel Cardinalitia præfulgentes missos à Romano Pontifice ad Imperatorem, Regem, Reginam, Duces, aliósque Principes sæculares, si ab aliquo eorum commendationes, preces, aut alios etiam vocales, aut in scriptis fauores ad aliquas Pontificias, aut alias dignitates sæculares, vel regulares, aut etiam Cardinalatus, vel alios honores, & officia Ecclesiastica consequendum, aut sibi, vel aliis consanguineis, & necessariis suis quoquo modo per ipsum Romanum Pontificem conferenda per se, vel alium, seu alios directè, vel indirectè quomodolibet ambire, seu procurare, néve illis etiam vltro sibi per Principem sponte oblatis vti præsumant, vel audeant. Quæ intelligenda sunt durante legatione. Nam illa finita cessat finis huius prohibitionis, qui est, ne negotiis sedis Apostolicæ occasione horum fauorum præiudicium irrogetur. Nota commendationes obtinendas esse ab illis Principibus apud quos à Pontifice Nuntij mittuntur, & in ordine ad consequendum aliquam dignitatem Ecclesiasticam, vel sæcularem, aut alios honores, seu officia sibi, aut consanguineis, siue necessariis suis, hoc est affinibus à Pontifice conferenda. Nam pro consecutione beneficiorum, officiorum, & honorum ab alio, quàm à Pontifice nulla est prohibitio, sicuti non est, si non sibi aut consanguineis, vel affinibus, sed amicis commendationem obtineant. Extenditur prædicta prohibitio, etiamsi sponte oblatis vtantur. Cui prohibitioni non aduersatur si Principi has commendationes motu proprio præstanti non contradicant, quia contradictio non præcipitur, sed solùm prohibetur commendationum procuratio, illarúmque vsus. 13

Decimaquarta habetur in Bulla eiusdem Pij IV. quæ incipit: *Cùm ciues*, aduersus iudices, & gubernatores status Ecclesiastici, qui licentiam concesserint quoquo modo tormenta ignea vulgò *arcabuces* breuioris mensuræ duorum palmorum deferendi, retinendi, vendendi, emendi, aut quouis alio titulo recipiendi, & aduersus eos qui prædicta arma prætextu dictarum facultatum deferunt, vel retinent. Hanc constitutionem sub eadem pœna excommunicationis, & suspensionis à diuinis Pius V. in Bulla quæ incipit: *Cùm vices*, confirmauit, extenditque ad eos qui in statu Ecclesiastico 14

facultatem concedunt etiam ad breuissimum tempus deferendi cultellos, pugiones, & quodlibet aliud armorum genus breuioris mensuræ trium palmorum, & contra eos qui præfata arma prætextu dictarum facultatum deferunt, vel retinent. Qui verò ex malitia ea deferrent, etsi grauiùs puniendi sint, censuræ tamen suspensionis, & excommunicationis prædictæ non subiiciuntur.

15 Decimaquinta continetur in Bulla eiusdem Pij IV. quæ incipit: *Benedictus Deus*, aduersus Tridentini glossatores. Pontifex namque, vt Decreta Concilij sincerè obseruentur, inhibet omnibus tam Ecclesiasticis, quàm laicis Prælatis sub interdicto ab ingressu Ecclesiæ; aliis verò sub excommunicatione latæ sententiæ, ne glossas, annotationes, scholia, vllúmve omnino interpretationis genus super ipsius Concilij Decretis quocunque modo edant, aut quicquam quocunque nomine, etiam sub prætextu maioris Decretorum corroboration's, aut executionis, alióve quæsito colore statuant, absque Pontificis facultate. Hæc constitutio intelligitur de editione glossarum, annotationum, & scholiorum ex proposito facta, non autem de ea quæ incidenter fit, & in ordine ad aliam materiam exactiùs explicandam: vt benè aduertit Suar. *disp.* 23. *sect.* 7. *num.* 12. Bonac. *tom.* 3. *de censur. disput.* 2. *q.* 2. *p.* 17. *num.* 2.

16 Decimasexta sumitur ex Bulla Pij V. quæ incipit: *Sanctissimus Dominus noster*, & lata est aduersus magistratus, iudices, & gubernatores iurisdictionem habentes in quauis parte mundi, qui illustrissimorum Cardinalium supremæ Inquisitionis mandatis, & præceptis sanctæ Inquisitionis officium spectantibus, non obedierint. Sub hac autem excommunicatione non comprehenduntur Reges, Comites, & Barones, aliique Principes sæculares ab alio supremo Principe iurisdictionem non accipientes. Nam hos rogat Pontifex, non præcipit.

17 Decimaseptima continetur in Bulla Pij V. cuius initium est; *Si de protegendis*, aduersus eos qui Inquisitores, & Episcopos officium Inquisitionis exercentes, aliósque sancti officij ministros, denunciatores, accusatores, aut testes in causa Fidei occiderint, verberauerint, deiecerint, seu perterrefecerint, quiue Ecclesias, ædes, aliáue res siue publicas siue priuatas Officij, aut ministrorum expugnauerint, inuaserint, incenderint, expilauerint, aut libros, litteras, authoritates, exemplaria, regitta, protocolla, exempla scripturas, aliáve instrumenta siue publica, siue priuata vbicunque posita combusserint, & diripuerint, siue interuerterint, seu ex incendio, & direptione, aut alio quocunque modo illa exportauerint, seu qui in conflagratione, expugnatione aut direptione etiam ipsimet siue capiendi, siue comburendi, siue supprimendi causa fuerint, siue res, aut personas seruari, defendiue prohibuerint; quiue carcerem, aut aliam custodiam seu publicam, seu priuatam effregerint, vinctum extraxerint, seu emiserint, capiendum prohibuerint, captúmue eripuerint, receperint, occultauerint, seu facultatem effugiendi dederint, seu iusserint id fieri, qui ceetum, concursúmve fecerint, siue vt aliquid prædictorum fieret; siue aliàs auxilium, consilium, vel fauorem præstiterint, licèt nemo occisus, nemo verberatus, nemo extractus, emissus, vel ereptus, nihil expugnatum, nihil effractum, suecisum, direptúmve, nullum denique damnum re ipsa sit secutum; nihilominus hic sit anathemate præsentis canonis ligatus. Ex his constat auxiliatores, consiliatios grauiùs in hac constitutione, quàm causas principales puniri, siquidem hi ob attentatam vexationem quousque damnum inferant, non ligantur excommunicatione, benè tamen consiliarij, & auxiliatores, vt ex verbis relatis Bullæ constat. Illud aduerte prædictas actiones præstandas esse in odium sancti Officij; nam si ob aliam causam Inquisitorem eiúsve ministros vexes, & non quia munus exercent Inquisitionis, huic excommunicationi non videtur locus.

18 Decimaoctaua sumitur ex Bulla Pij V. quæ incipit, *Exigit*: ibi enim excommunicatio, & suspensio à diuinis indicitur aduersus omnes, & singulos quacunque authoritate, etiam Cardinalitia fulgentes, qui collegium & deputatos fabricæ sancti Petri occasione ipsius fabricæ ausi fuerint molestare, secus si ob aliam causam molestiam inferant, vt bene aduertit Bonacina *de censur. tom.* 3. *disputat.* 2. *quæst.* 2. *punct.* 2. *numero* 3. probátque ibidem hanc censuram perpetuam esse.

19 Decimanona colligi poterat secundùm probabilem sententiam ex Bulla Sixti V. quæ incipit: *Cœli, & terræ creator*, quæ est aduersus incantatores, & iudiciarios: nam cùm ibi confirmentur omnia decreta, & pœnæ iuribus antiquis latæ, & in aliis iuribus videantur huiusmodi excommunicati, maximè *capit.* 1. *causa* 23. *quæst.* 5. & *capit. aliquanti* 26. *quæst.* 5. & in Bulla 13. Ioann. XXII. quæ incipit, *Super illius*. Et in Bulla 7. Leonis X. quæ incipit: *Superna dispensationis*, efficitur ex Bulla Sixti V. excommunicatos esse. Cæterùm etsi hoc probabile sit probabilius est nullam excommunicationem ipsè iure latam esse aduersus præfatos diuinatores. Vti probaui *tract.* 17. *de vitiis oppositis religioni. punct. vltim.* ibique supradictis canonibus satisfeci. Quod docet præter Authores ibi relatos Tolet. *lib.* 1. *cap.* 40. *numero* 3. Filliucius *tract.* 14. *cap.* 6. *q.* 11. *num.* 97. Bonac. *t.* 3. *de censur. disp.* 2. *q.* 2. *punct.* 8. *à num.* 1.

Vigesima sumi pot est ex eiusdem Sixti V. Bulla, quæ incipit: *Effrenatam*, quæ lata est aduersus causantem aborsum. Sed hanc constitutionem Gregor. XIV. in Bulla incipiente: *Sedes Apostolica pia mater*, temperauit, tum ne excommunicatio à Sixto imposita reseruata esset, tum ne comprehenderet aborsum fœtus inanimati, sed tantùm animati. Cùm verò dubium est, an fœtus animatus sit, vel non, excommunicationi non est locus, quia expresè Sixtus V. postulauit aborsum sequi. Comprehendit hæc excommunicatio non solùm ea usantes aborsum, sed auxilium, consilium, vel fauorè prædicto crimini præstantem, dummodo aborsus re ipsa fuerit subsequutus: sicuti hæc latiùs tradunt Sayrus *lib.* 3. *c.* 33. *num.* 24. Filliucius *tract.* 14. *cap.* 6. *q.* 9 Bonacina *t.* 3. *de censur. disp.* 2. *q.* 2. *punct.* 10.

Vigesimaprima continetur in Bulla Gregorij XIII. incipiente: *Omni certè studio*, quæ est aduersus eos qui Agnos Dei benedictos depingunt, vel sic depictos vænales proponunt, vel retinent. Pontifex namque ob reuerentiam debitam his Agnis sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda interdicit, ne quisquam siue vir, siue fœmina sæcularis, siue Ecclesiasticus etiamsi regularis ordinis sit, & quocunque gradu, conditione, statu, nomine, dignitate, & honore præcellat, Agnos Dei per Pontificem benedictos depingere, inficere, minio notare, vel aurum, aut colorem aliquem imponere, vel quidquam aliud superinducere, neque depingi, aut miniari facere, nec illos vænales proponere, seu tenore quouis prætextu, qualibet de causa audeat, sed eos albos, & mundos decenter, ac reuerenter à cunctis haberi, deferri, & custoditi.

Hanc excommunicationem extra curiam Romanam existimat Filliuc. *tract.* 14. *cap.* 6. *quæst.* 8. *numero* 93. non esse receptam, vel consuetudine abrogatam esse; passim enim cernuntur Agni Dei depicti, quos tamen non est verisimile ex licentia Pontificis depictos esse. Ex suppositione verò quod hæc constitutio vires obtineat, excommunicationi subiacent quia ex malitia Agnos Dei benedictos depingit, deaurat, seu aliquem illis colorem imponit, vel quicquam superinducit. Secundò qui mandat prædictas actiones fieri. Ex eo autem quòd Agnos Dei liquefacias, & iterum confectas reliquis Sanctorum permixtos in hanc excommunicationem non incidis, quia illa non est Agnorum infectio, sed confectio, & dissolutio. Vt notauit Bonac. *t.* 3. *de censur. disputat.* 2. *quæst.* 2. *punct.* 29. *num.* 3. Tertiò qui præfatos Agnos benedictos vænales proponeret. Quod intelligendum est de venditione simoniaca, qualis esset, si occasione benedictionis venderentur, vel pluris vendantur. Secùs si ratione solius materiæ ex qua conficiuntur, vel ratione laboris, & expensarũ in illis conficiendis, vel Roma asportandis venditio fiat, quia nullum verbum est in dicta constitutione, ex quo colligi possit prohiberi venditionem, quæ aliàs simoniaca non est. Vt notauit Sanchez *lib.* 2. *in decalog. capit.* 43. *numero* 29. Bonac. *tom.* 3. *de censur. disputat.* 2. *quæst.* 2. *punct.* 29. *numero* 3. tametsi contra sentiat Azor. 1. *p. lib.* 9. *capite* 9 *q.* 4. & incidat Filliucius *tract.* 14 *cap.* 6. *quæst.* 8. quatenus non solùm permittit venditionem, cùm ex licentia Pontificis depicti sunt. Quartò excommunicat Pontifex qui eos sic depictos retineret, subintellige ad vendendum: nam esto peccare nosse depicti sint, eos postmodum retinere nullum est peccatum: non enim præcipit Pontifex eos destrui, vt benè aduertit Sanch. *lib.* 2. *decalog. c.* 43. *n.* 28. Bonac. *disp.* 2. *q.* 2. *p.* 29. *num.* 4.

Vigesimasecunda continetur in Bulla Pij V. edita Kalend. Nouemb. anno 1567. quæ incipit: *De salute gregis*, aduersus taurorum, aliarumque ferarum agitationem. Considerans namque Pontifex spectacula, vbi tauri, & feræ in circo, vel foro agitantur à pietate, & charitate Christiana aliena esse, prohibet sub excommunicationis, & anathematis pœnis ipso facto incurrendis omnibus & singulis Principibus, etiamsi regali, vel imperiali dignitate præfulgeant, ne in suis prouinciis, ciuitatibus, terris, oppidis, & locis hæc spectacula, vbi taurorum, aliarúmque ferarum bestiarum agitationes exercentur fieri permittant. Militibus quoque cæteris aliis personis, ne cum tauris, & aliis bestiis in præfatis spectaculis ipsi tam pedestres, quàm equestres congredi valeant, interdicit. Quod si quis ibi mortuus fuerit Ecclesiastica præcipit carere sepultura. Clericis quoque tam regularibus, quàm sæcularibus beneficia Ecclesiastica obtinentibus, vel in sacris ordinibus constitutis sub excommunicationis pœna, ne eiſdem spectaculis intersint, prohibuit, omnésque obligationes, iuramenta, & vota de hac taurorum agitatione, etiam prætextu honorandi Sanctos, cassauit, & annullauit.

Prædictam constitutionem Pij V. remperauit Gregor. XIII. die 25. Augusti, anno 1575. ne procedat in laicis, & equi-

tibus

tibus Ordinum militarium, dummodò in diebus festiuis tauri non agitentur, & prouisum sit ab eis ad quos spectabit, ne alicuius mortis, aut grauis damni periculum subsit, reliquis in suo robore permansuris.

Postmodum Sixtus V. anno 1586. sciens Salmanticæ constitutionem Pij V. & Gregor. XIII. non obseruari, aliósque Magistros, & Theologiæ, iurisque ciuilis Professores, non solùm agitationibus taurorum se ostentare, sed insuper ausos esse docere clericos in sacris constitutos prædictis spectaculis interessentes, nullum reatum committere, Episcopo Salmanticensi decretum misit cuius initium est: *Venerabili fratri*, quódque ad verbum refert Ioann. Gutierr. *lib. 1. canon. quæst. cap. 7. num 3.* quo prædictum abusum damnat, & Episcopo Salmanticæ præcipit etiam vt Delegato sedis Apostolicæ coërceat.

Denique Clemens VIII. die 13. Ianuarij, anno 1596. ad instantiam Philippi II. Hispaniarum regis, eiúsque oratorem Antonium Suessæ Ducem sustulit omnes excommunicationes, atque anathemata, cæteráque pœnas in litteris Pij V. & Gregor. XIII contentas, quoad omnes in illis expressos in regnis Hispaniarum dumtaxat, Monachis, & Fratribus mendicantibus, cæterisque cuiuscunque Ordinis, & instituti regularis exceptis, easdémque Pij prædecessoris litteras ad terminos iuris communis reducit, statuítque ne huiusmodi agitationes taurorum festis diebus fiant, & non nisi priùs prouiso per eos ad quos spectat, ne inde alicuius mors quoad fieri possit sequatur: prout latiùs referunt Gutierr. *dicto cap. 7. in fine.* Rodrig. *t. 3. qq. regul. q. 68. art 2.* Villalob. *tract. 12. diffic. 20. num. 3.* & alij.

Ex prædictis decretis aliqua colligunt Doctores vt certa, alia sub dubio. Primò certum est agitationem taurorum per se licitam esse dummodò pericula nocumenti à magistratibus euitentur, vti plerunque euitantur constitutis securitatis locis, quò congressuri facilè confugere possint, & omnibus voce præconis monitis aute tauri exitum, vt se in tuto recipiant, diligentíque adhibitâ, ne senes, pueri, fœminæ, mente capti, claudi, infirmi in eo loco vbi tauri agitandi sunt adsint, quia secluſis his periculis, ludus ille nullam malitiam continet, aliàs nec Gregor XIII. nec Clemens VIII. illum permitterent. Sicuti tradit Nauarr. *in sum. cap. 15. num. 18.* Ioann. Gutierr. *lib. 1. canon. qq. cap. 7. num. 9.* Man Rodrig. *t. 3. qq. regular. q. 68. art. 1.* Henriq. de Villalobos *2. p. sum. tract. 12. de homicidio difficult. 20. num. 6.*

Secundò est certum festis diebus peccatum mortale esse tauros in circo, vel in foro agitare, quia hoc prohibitum est magistratibus à Pio V. sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, neque derogatum est à Gregor. XIII. & à Clemente VIII. sed potiùs ab eisdem confirmatum, vt aduertit Nauarr. *dicto cap. 15. num. 19.* Gutierr. *capit. 7. numero 10.* Man. Rodrig. *t. 2. sum. capite 71. numero 1.* Villalobos *d. tract. 12. difficult. 20. numero 10.* Nec refert an festum sit ex iure communi, an ex speciali constitutione, consuetudine, & voto alicuius loci, dummodò dies festiuus sit: vti aduertit Petr. Nauarra *lib. 2. de restit. cap. 3. num. 306.* Villalobos *numero 11.*

Hanc conclusionem temperant Nauarr. *cap. 15. numero 19.* Ludouic. Lopez *in suo instructor. 1. p. cap. 70.* Bonac. *disput. 2. de censur. quæst. 4. p. 7. num. 12.* ne procedat in agitatione taurorum ita moderata, vt ex ea sequi probabiliter non possint nocumenta personalia mortis, vulneris, ossium rupturæ: sicuti si præcisis cuspidibus agitarentur, aut cornibus colligatis, quia cessat ratio finalis, ob quam hæc constitutio lata est, nempe ob vitandas mortes ex prædicta agitatione frequenter contingentes, vt in proœmio dicitur. Ex quo sumenda est ratio finalis legis. Argum. *leg. fin. ff. de Haredibus instituendis.* Et confirmatur, nam reste communi sententia, & viu populi Christiani torneamenta in quibus de periculo grauis damni prouidetur licita sunt, tametsi *cap. 1. de torneamentis* fuerint absolutè prohibita ob mortes hominum, & animarum pericula ibi contingentia, quia præstita ea moderatione cessat ratio finalis prohibitionis. Ergo idem est dicendum in præsenti. Ex qua doctrina excusant Nauarr. *dicto cap. 15. num. 20.* Bonac. *dicto t. 3. de censur. disp. 2. q. 4. pun. 7. num. 12.* Stephan. Dauila *2. p. de censur. cap. 1. dub. 4.* Religiosos, & Clericos in sacris agitantes vitulos etiam maiusculos in atrio, claustro, vel agro, vel illorum agitationi interessentes, quia cessat periculum mortis, vel grauis damni.

Hæc tamen limitatio mihi non probatur, sicuti nec Ioann. Gutierr. *dicto cap. 7. num. 13.* quia Gregor. XIII. agitationem taurorum permittit, prouiso per eos ad quos spectabit, ne exinde alicuius mors quoad fieri possit sequatur, & hac permissione non obstante prohibet, ne diebus festis agitentur. Ergo agitatio taurorum etiam remotis periculis diebus festis illicita est. Præterquam quòd esto ex agitatione taurorum præcisis cuspidibus, aut cornibus colligatis non adsit æquale periculum, ac si cuspidibus integris liberi, & expediti agitarentur, nihilominus periculum perfectè non vitatur, cùm possint homines in altum leuare, & in terram proïicere, pedibúsque conculcare. Adde agitationem taurorum diebus festiuis non tantùm prohiberi ob damna quæ inde prouenire solebant vitanda, quàm ob honorem festorum, quæ diuinis laudibus, pisque operibus, non autem huiusmodi ludis celebrari, & honorari debent.

Hoc autem intelligendum est, si in circo, vel foro agitentur: nam si extra forum, vel circum agitatio fiat, libera fugiendi tauris facultate relicta, non est locus huic prohibitioni; æque de causa communiter diebus festis agitantur tauri per plateas, & calles ciuitatis chordis longis pedes, vel cornua ligati absque vllo scrupulo: vti tradit Nauarr. *cap. 15. num. 18.* Gutierr. *cap. 7. num. 14.*

Tertiò certum est extra Hispaniam omnes magistratus, & Principes agitationem taurorum permittentes in diebus festis excommunicationi ipso facto subiici. Sæculares verò agitantes, si ibidem moriantur priuari Ecclesiastica sepultura tametsi sacramentum Pœnitentiæ, & Eucharistiæ recipiant, quia hæc priuatio in pœnam delicti commissi apposita est. Clericos verò regulares interessentes agitationi taurorum in circo, vel in foro præstitæ etiam die feriali pœna excommunicationis affici. Et idem est de clericis beneficium Ecclesiasticum habentibus, aut in sacris ordinibus constitutis. Quæ omnia constant ex motu Pij V. & Gregor. XIII. At in Hispania omnes pœnæ quoad omnes prædictos abrogatæ sunt Monachis, & Fratribus mendicantibus, cæterisque cuiuscunque Ordinis, & instituti regularibus exceptis, vt constat ex decreto Clementis VIII.

Quartò est certum præsentiam his decretis prohibitam debere esse ex proposito, & à Concilio, & ex qua absolutè denominetur quis interesse prædicto spectaculo: quare si per accidens, & quasi per transennam taurum agitari videas, non est locus huic prohibitioni. Vt aduertit Ioann. Gutierr. *lib. 1. canon. qq. cap. 7. num. 42 & 43.* Villalobos *dicta d. ffic. 20. n.* 14. Bonac. *t. 3. de censur. disp. 2. q. 4. p. 7. num. 2.* Et idem est, si ita è longinquo videres, vt prudentis arbitrio censeri non possès interesse: non enim visus vtcunque prohibetur, sed visus ex quo interesse illis spectaculis denominetur: vt tradit Bonac. *supra.* Auila *2. p. de censur. cap. 5. disp. 1. dub. 4. concl. 3. & 4.* Quod si in feneſtra aliqua fori occultè adsis facie cooperta, & vestibus mutatis, existimat Auila *supra* te non peccaturum mortaliter, quia non est assistentia, ex qua statui clericali opprobrium proueniat, cùm non agnoscatur ibi clericum adesse. Sed contrarium meritò docuit Gutierr. *dicto capit. 7. num. 38.* Bonac. *disp. 2. q. 4. p. 7. num. 2.* Rodrig. *2. p. sum. cap. 71. num. 3.* & *tom. 3. qq. regular. q. 68 articul. 6. vers. nec minùs.* Tum quia prohibitio absoluta est, tum quia grauius scandalum & indecentiam prædicta assistentia nata est generare, & de facto generat iis qui simulationem agnoscunt: Hæc sunt quasi certa.

Sed dubio autem est, an omnes Religiosi etiam nullo ordine insigniti sint, sub constitutione Gregorij comprehendantur? Affirmat Man. Rodrig. *t. 3. qq. regular. qu. 68. articul. 2.* & *cap. 71. sum. numero 4.* Petr. Nauarr. *lib. 2. de restitut. cap. 3. num. 306.* Bonac. *tom. 3. de censur. disput. 2. q. 4. punct. 7. num. 7.* Tum quia quilibet religiosus clericus regularis nuncupatur. Tum quia Clemens VIII. in suo Decreto excipiens religiosos non vsus fuit nomine Clerici, sed absolutè dixit Monachis, & Fratribus mendicantibus, cæterisque cuiuscunque ordinis, & instituti regularibus exceptis. At sub nomine monachi, fratris, regularis continetur religiosus, tametsi nullo ordine insignitus sit. Nihilominus verius existimo sub dictis constitutionibus non contineri religiosum nullo ordine insignitum, quod docuit Villalobos *d. tractat. 12. difficultat. 20. numero 16.* quia textus prohibitionem indicens nomine Clericorum regularium vsus est: at esto in decreto fauorabili sub nomine clerici comprehendantur religiosi, non tamen in decreto pœnali, & odioso vt est præsens, quod debet restringi. Adde si Pontifex vellet omnes regulares comprehendere, vt quid addidit illam particulam *Clerici*, apertiùs enim suam intentionem exprimeret illa dictione omissa, & solùm exprimens regulares. Signum ergo est solos regulares ordine insignitos voluisse comprehendere. Neque obest decretum Clement. VIII. quia illud decretum non inducit nouam obligationem, sed quæ lata erat constitutio. Pij, & Gregorij aduersus religiosos in suo robore relinquit. Quocirca intelligendum est de monachis, fratribus, & regularibus, qui clerici sunt. Ex his à fortiori infertur moniales sub hoc Decreto non comprehendi, quia nullatenus sunt Clerici regulares. Et tradit Bonac. *disp. 2. q. 4. p. 7. numero 10.* Villalobos *difficult. 20. num. 17.* tametsi contra sentiat Auila *2. p. capite 5. disput. 1. dub. 4. concluſ. 6.*

Illud est certum nouitios sub nomine regularium in hoc Decreto non comprehendi, quia propriè, & strictè non sunt regulares, sed regulares esse intendunt: vt tradit Bonacina *dicto pun. 7. num. 9.* Item neque Equites militarium ordinum, etiamsi minoribus ordinibus fuerint insigniti: quia expressè excipiuntur in dicta Bulla Gregorij, & notant relati Doctores. Canonici verò regulares, & fratres Clerici Ordi-

ninum militarium sine dubio comprehendûtur, quia verè sunt regulares, vt notauit Rodrig. *q.*68. *art.*4. Villalobos *tract.*12. *diffic.*20. *in fine*. Bonac. *disp.*2. *q.*4. *p.*7. *num.*9.

Secundum dubium est quibus clericis sæcularibus extra Hispaniam interdicta sit assistentia taurorum agitationi? Constat ex Bulla Pij V. & Gregorij omnes & singulos qui beneficium Ecclesiasticum habuerint, vel sacris fuerint initiati? Sed an sufficiat beneficium, tametsi exiguos reditus habeat? Non conueniunt Doctores. Nam Stephan. Dauila *de censur.* 2. *part. capite* 5. *disputat.* 1. *dub.*4. *concluf.*7. negat sufficere, quia prædictum beneficium, ac si beneficium non esset reputatur, cùm ad horas Canonicas recitandas non obliget. Sed oppositum censeo verius cum Bonacina *tom.*3. *de censur. disputat.* 2. *quæst.*4. *punct.*7. *numero* 5. quia beneficium exiguorum reddituum verum beneficium est. Et licèt sufficiens non sit ad inducendam obligationem pensum horarum singulis diebus recitandi, non inde inferri potest insufficiens esse ad obligandum, ne his spectaculis beneficiarius assistat, quia recitatio horarum est beneficiarij munus, ob cuius exercitium beneficiarius ex fructibus beneficij alitur, quia beneficium datur propter officium. Si igitur beneficij fructus insufficientes sunt ad beneficiarium alendum, beneficium insufficiens est ad obligandum beneficiarium ad continuam horarum recitationem. Quæ ratio nullatenus procedit in priuatione abstinendi ab his spectaculis, quæ solùm ob indecentiam clericalis status inducitur. Et confirmo, quodlibet beneficium quantumuis exiguum sufficit, vt beneficiarius fori priuilegio gaudeat, vt omnes fatentur. Ergo etiam sufficiens erit, vt beneficiarius spectaculis indecentibus priuetur, quia vtrumque scilicet priuilegium, & prohibitio ob eandem causam nempe ob honorem status clericalis indicitur. Notanter dixi extra Hispaniam, nam in Hispania solis Clericis regularibus hæc assistentia interdicta est: nam Clemens VIII. in suo Decreto loquens de Clericis, inquit: Clericos verò sæculares beneficia Ecclesiastica obtinentes vel sacris ordinibus, seu in Ecclesiastica dignitate constitutos in dictis Hispaniarum regnis existentes, per præsentes monemus, & exhortamur in Domino, &c. Non igitur præcipit, sed consulit. Tertium dubium est, an excommunicatio, quæ clericis beneficia habentibus, vel in sacris constitutis extra Hispaniam iniungitur, & in Hispania clericis regularibus sit ipso iure lata, vel per iudicem ferenda? Affirmat esse latam ipso iure Filliucius *tract.*14. *capite* 7. *quæst.*8. *num.*123. motus illa dictione copulatiua, *similiter prohibemus sub excommunicationis pœnâ*, quæ denotat pœnam excommunicationis similem esse præcedenti, quæ ipso iure lata erat aduersus Principes, & communitates permittentes in suis prouinciis, terris, & locis taurorum agitationem, sed longè verius est non esse latam, sed ferendam per iudicem. Vti docuit Ludouic. Lopez *instructor. conscient.*2. *punct. capit.*31. *quæst.*4. Gutierr. *lib.*1. *canon. qq. cap.*7. *numero* 17. Petr. Nauarr. *lib.*2. *de restit. capite* 3. *numero* 304. Rodrig. *tom.*2. *sum. capit.*71. *numero* 4. Auila *de censur.*2. *p. capit.*5. *disputat.*1. *dub.*4. Bonacina *tom.* 3. *de censur. disputat.* 2. *quæst* 4. *punct.* 7. *numero* 3. Villalobos 2. *p. sum. tract.*12. *difficultat.* 20. *numero* 3. Nam illa verba *sub excommunicationis pœna*, non sunt censuræ ipso iure latæ: ex dictione autem illa copulatiua *similiter prohibemus*, id non colligitur, quippe hæc non refertur ad pœnam excommunicationis, sed ad prohibitionem, hoc est sicut Principibus, & magistratibus prohibitum est, ne in suis terris, & locis agitationem taurorum permittant, sic clericis, & religiosis assistere prohibetur. Si autem Pontifex vellet, vt sub eisdem pœnis prohibitio fieret, id exprimeret dicens. Similiter prohibemus sub eisdem pœnis positis. Quinimò addens *sub pœna excommunicationis*, neque exprimens latæ sententiæ, manifestè indicauit non esse ipso iure latam, sed ferendam. Adde hanc explicationem beniginorem esse, quæ in decreto pœnali semper præferenda est.

23 Vigesimatertia continetur in Bulla Cœnæ Domini aduersus præsumentes absoluere delinquentes à censuris incursis ob delicta in Bulla Cœnæ Domini contenta. Inquit enim Pontifex. Quod si fortè aliquis contra tenorem præsentium talibus excommunicatione, & anathemate laqueatis, vel eorum alicui absolutionis beneficium impendere de facto præsumpserint, eos excommunicationis sententiâ innodamus, quæ excommunicatio reseruata non est, vt probauimus *hac disputat. pun.*22. & videri potest Bonac *disp.*1. *de censur. q.*22 *pun.*3.

DISPVTATIO IV.

De Suspensione.

AMETSI hæc vox Suspensio, strictè & in rigore sumpta, significet incertitudinem, vt probat Ambros. Calepin. *verbo suspensio*: at ex iuris Canonici interpretatione translata est ad significandam priuationem cuiusuis actionis, & officij, iuxta Clement. *cupientes verbo suspensio de Penis*, vbi prohibitio ab officio aduocationis, & notariæ suspensio nuncupatur: & in Trident. *sess.*22. *c.*10. *de reformat.* Episcopus prohibens notariis, ne sua officia exerceant suspendere dicitur suspensionis. Hæc tamen acceptio latissima est, vtpote communis tam actibus sæcularibus, quàm Ecclesiasticis. Strictiùs sumitur pro prohibitione exercitij spiritualis, vel spiritualibus annexi, vt *in cap. quæsitum. cap. fin. de cohabitat. clericor. & mulier.* existenti enim in peccato mortali, actus sacri prohibentur. Verùm in præsenti suspensio non ita latè sumitur, sed pro prohibitione exercitij potestatis Ecclesiasticæ & secundùm hanc acceptionem eius naturam, causas, & effectus enodabimus.

PVNCTVM I.

Quid sit suspensio, & quotuplex.

1 *Definitur suspensio, & qualiter ab aliis censuris differat.*
2 *Clerici tantùm afficiuntur suspensione.*
3 *Triplex est suspensio, & declaratur hac diuisio.*

MVltiplicem definitionem Doctores suspensioni assignant; ea est clarior, breuior, magisque recepta, quam tradunt communiter Doctores, Nauarr. *capit.*27. *num.*151. Suar. *t.*3. *de censur. disp.*25. *sect.*1. *num.*2. Sayrus *lib.*4. *thesauri, cap.*1. *num.*13. Auila *de censur.*3. *p. disp.*1. *dub.*1. Henriq. *lib.*13. *cap.*31. *num.*2. Coninch. *disp.*15. *dub.*1. Bonac. *t.*1. *disp.*3. *de suspens. punct.*1. *num.*2. Paul. Layman. *lib.*1. *sum. tract.*5. *part.*3. *cap.*1. Gaspar. Hurtado *tract. de suspens. difficult.*1. Videlicet suspensio est censura Ecclesiastica, qua ministet Ecclesiæ formaliter impeditur ne functiones Ecclesiasticas exerceat, aliquáue potestate vtatur. Dicitur censura Ecclesiastica, iuxta Textum *in cap. quærenti, de verbor. significat.* quia est pœna medicinalis. Et secundùm hanc partem conuenit suspensio cum excommunicatione, & interdicto, siquidem omnes sunt censuræ, & functiones Ecclesiasticas impediunt. Differt verò ab illis, & ac omnibus aliis quæ non sunt propriè censuræ, vt ab irregularitate, depositione, & degradatione in modo quo his omnibus priuat. Nam excommunicatio esto priuet ministrum Ecclesiæ, ne functiones Ecclesiasticas exerceat, aliáve potestate vtatur: hoc enim solùm est quatenus hæ functiones Ecclesiasticæ sunt quædam cum fidelibus communicationes, à qua communicatione excluſus est excommunicatus: at suspensio his functionibus priuat, non quatenus participant rationem communicationis, sed quatenus sunt vſus alicuius potestatis Ecclesiasticæ prouenientis ab officio, vel beneficio. Insuper excommunicatio pluribus priuat, quàm suspensio, vt de se constat; extenditurque non solùm ad Ecclesiasticas personas, sed ad laicas, secùs suspensio. Ab interdicto autem differt, quia interdictum priuat receptione aliquorum sacramentorum, Ecclesiasticâ sepulturâ, & officiis diuinis, à quibus suspensus priuatus non est. Deinde esto interdictus priuetur administratione sacramentorum; non priuatur illa quatenus est vſus cuiusdam spiritualis potestatis, sed quatenus est communicatio quædam, & quasi cooperatio illius. Vnde vt notant Doctores teste Suarez *disputat.* 25. *sect.*1. *numero* 5. interdictus priuatus est, ne possit alteri sacræ functioni interesse, non solùm exercendo spiritualem iurisdictionem, sed nec cooperando ei, aut ministrando aliquo modo, cùm tamen suspensus non priuetur illo ministerio, quod laicus exercere potest in Missæ sacrificio, aut sacramentorum administratione. Et hinc oritur alia differentia suspensionis ab interdicto, sicut ab excommunicatione, nam interdictum sicut excommunicatio afficit quamlibet personam fidelem; at suspensio requirit necessariò esse personam Ecclesiasticam, hæc enim sola est quæ potest Ecclesiasticam functionem exercere.

Aliquibus Doctoribus placet sub persona Ecclesiastica comprehendi fœminas religiosas, quibus iurisdictio spiritualis commissa est, vti Abbatissis, & Prioriſſis; has enim posse suspendi ab officio propria suspensione docuerunt Nauarr. *cap.* 27. *num.*151. & 158. & § 7. *num.*159. Henriq. *lib.* 13. *de excommunicat. cap.*31. *numero* 2. Filliuc. *lib. de censur. tit.*

tit. de suspensione, cap. 9. & indicat Layman. lib. 1. sum. tract. 5. par. 3. cap. 1. num. 2. Nam esto clerici non sint, sunt personæ Ecclesiasticæ iurisdictionis Ecclesiasticæ capaces. Sed rectiùs reliqui omnes Doctores teste Gregorio de Valen. tom. 4. disput. 7. q. 18. p. 1. pronunciato 1. Sayro lib. 4. thesauri, cap. 1. num. 16. Suar. dicta sect. 1. num. 5. Coninch. disp. 15. dub. 1. num. 2. & dub. 3. num. 18. & 21. asserunt solos clericos affici suspensione posse, cum ipsi tantùm capaces sint officij, & beneficij Ecclesiastici functiones exercendi, etenim iurisdictio quæ Abbatissis commissa est, non est propriè iurisdictio Ecclesiastica; cum non ex ordine Ecclesiastico proueniat; aliàs suspensionem ab officio violantes, irregularitatem incurrerent; quæ transgressoribus suspensionis ab officio indicta est, c. is cui, de sententia excommunicat. in 6. & cap. 1. de sententia, & re iudic. eodem lib.

3 Quoad diuisionem attinet triplex est suspensio, alia ab officio, alia à beneficio, alia ab vtroque simul. Solùm aduerto suspensionem absolutè latam comprehendere suspensionem ab officio, & beneficio, quia non est vnde limitationem accipiat, & cur potiùs de officio, quàm de beneficio intelligatur. Vti docet Henriq. lib. 13. sum. cap. 33. Tolet. lib. 1. cap. 43. num. 7. Auila 3. p. disp. 2. dub. 1. concl. 2. Suar. disp. 25. sect. 2. num. 9. Coninch. disp. 15. dub. 1 num. 4. Paul. Layman. lib. 1. sum. tract. 5. par. 3. cap. 1. num. 2. Suspensio quæ simul ab officio, & beneficio suspendit appellari debet simpliciter totalis; quæ verò tantùm suspendit ab officio, vel beneficio partialis dici potest. Suspensio ab officio si absoluta sit omni spirituali officio tum ordinis, tum iurisdictionis, & Ecclesiasticæ administrationis priuat. Partialis verò ex eo dicitur; quia aliquam functionem impedit vel ordinis, vel iurisdictionis, vt constat ex cap. sanè, el 2. de officio delegati. & cap. 2. eodem tit. in 6. & ibi Glossa. Idem est de suspensione à beneficio si integra sit priuat omni illius administratione, & fructuum perceptione: at si partialis fuerit priuare potest à certo beneficio, vel illius parte, scilicet ab his, vel illis fructibus percipiendis. Deinde suspensio alia est absoluta, seu absque vlla temporis determinatione, alia determinata, seu pro determinato tempore lata, de qua diuisione sunt plures textus in iure. Solùm aduerto suspensionem pro determinato tempore non esse propriè censuram; quia tantùm apponitur in pœnam delicti commissi, ideóque elapso termino pro quo imposita est, cessat absque alia absolutione, vt optimè notauit Tolet. lib. 1. sum. cap. 46. num. 1. Suar. t. 5. de censur. disp. 25. sect. 1. num. 3. post medium. & disp. 26. sect. 1. num. 14. Idem tradunt Glossa, & Doctores in Clemen. 1. de Decimis, verbo donec. & in capite sacro, verbo per mensem, de sententia excommunic. Innocent. & Abbas in cap. cùm bona, de state, & qualit. Secùs verò est & Doctores in Clement. 1. de Decimis, verbo donec. & in cap. de suspensione absoluta, quæ de se perpetua est, ideóque contracta indiget absolutione, vt cesset. Tandem suspensio alia est à iure, alia est ab homine. De qua diuisione satis disput. 1. huius tractatus diximus.

Punctum II.

Qui suspendere, quive suspendi possint.

1 *Suspensionem à iure solus summus Pontifex ferre potest.*
2 *Episcopus sine capitulo benè potest suspensionem ferre, etsi spectato iure antiquo contrarium esset dicendum.*
3 *Conditiones requisitæ in ferente suspensionem eædem sunt, quæ pro ferenda excommunicatione requiruntur.*
4 *Solus clericus suspendi potest.*
5 *In suspensione à iure generaliter lata, non comprehenditur Episcopus etiamsi consecratus non sit.*
6 *Suspensione generaliter lata aduersus omnes clericos, religiosi clerici comprehenduntur.*
7 *Qualiter suspensio in communitatem ferri possit.*
8 *Semel suspensus potest iterum suspendi.*
9 *Defunctus capax non est huius censuræ, tametsi ob suspensionem præcedentem priuari possit beneficij fructibus.*

1 SVspensionem à iure latam solus iuris conditor fert. Suspensionem verò ab homine is qui potestatem habet excommunicandi ferre plerunque potest, quia regulariter potestas pro omnibus censuris ferendis committitur, eo quòd omnes censuræ ad eundem finem referantur, & se mutuò iuuent ad comprimendam rebellium contumaciam: vt tradit Syluest. verbo suspensio 1. num. 2. Nauarr. cap. 27. num. 159. Sayrus lib. 4. thesauri, cap. 2. num. 1. Suar. disp. 28. sect. 1. num. 2. Tolet. lib. 1. capit. 13. Henriq. lib. 13. capit. 35. numero 1. Vgolin. tab. 4. capite 1. Nulla tamen est repugnantia, quin sola potestas suspendendi absque potestate excommunicandi, vel è contra alicui concedatur, cùm sint censuræ diuersæ: vti notauit Suar. dicta sect. 1. numero 2.

2 Iure antiquo Episcopus sine capitulo suspendere non poterat, iuxta textum in cap. penult. 15. q. 7. & subditur ibi irritam fore sententiam Episcopi, nisi præsentia clericorum firmetur. Hoc tamen decretum affirmat Suar. dicta disp. 28. sect. 1. num. 14. non esse in vsu, neque ab vniuersali Ecclesia receptum; fuit enim Concilij prouincialis Carthaginen. 4. Postea verò Alexand. III. in cap. 1. de excess. prælator. mandat ne Episcopus sine iudicio capituli Presbyteros attentet suspendere, vel Ecclesias eorum interdicere. Hic textus non loquitur de omnibus clericis, sed solùm de Presbyteris, quos prohiber suspendere, vel eorum Ecclesias interdicere absque consensu capituli; non tamen irritat suspensionem latam absque tali consensu. Præterea (vt benè tradit Suar. loco citato, cum communi sententia (textus loquitur de suspensione lata tantùm in vindictam delicti commissi, non de suspensione quæ est censura, & medicinalis pœna. Ego verò addo illam solemnitatem consensus capituli pro ferendis censuris suspensionis, & interdicti aduersus clericos consuetudine abrogatam esse. Videmus enim passim Episcopos absque vllo capituli consensu requisito pœnam suspensionis in clericos proferre; vt aduertit Panormit. in dicto cap. 1. & Suar. disp. 28. sect. 1. n. 4. in fine.

3 Conditiones autem requisitæ in ferente suspensionem sunt eædem quæ pro ferenda excommunicatione requiruntur, quásque explicuimus, cùm de censuris in genere sermonem fecimus. Primò namque debet esse clericus. Nam esto Syluest. verbo Abbatissa, & verbo suspensio num. 1. & Henriq. lib. 13. de excom. & suspens. 35. n. 1. censeant Abbatissam suspendere posse clericos Ecclesiarum sibi subditarum. Argum. cap. dilecta de maiorit. & obedient. Communis tamen sententia, quam sequitur Glossa in dicto cap. dilecta, verbo iurisdictionem. Innocent. & Panormitan. ibi. Viuald. tract. de suspens. num. 151. Sayrus lib. 4. thesauri, cap. 2. num. 9. negat suspensionem ab alio quàm à clerico fieri posse, quia est actus iurisdictionis Ecclesiasticæ, quæ solùm clericis conuenire potest; suspensionémque latam ab illa Abbatissa in dicto cap. dilecta, non esse suspensionem propriam, sed prohibitionem. Quod non leuiter colligitur, ex eo quòd Pontifex non præcipiat Episcopo cui rescripsit, vt suspensionem Abbatissæ latam seruare faciat, sed vt per censuram compellat subditos Abbatissæ præceptis obedire. Signam ergo est suspensionem ab Abbatissa latam non habuisse rationem censuræ, sed solùm cuiusdam prohibitionis. Secundò debet iurisdictionem in foro externo habere, comparatione illius quem suspendere intendit; vt constat ex his quæ diximus disp. 1. Tertiò hanc iurisdictionem expeditam debet habere, quare si aliqua censura ligatus existat nequit suspensionem ferre, non solum licitè, sed nec validè, si censura illa denunciata sit: at secluſa denunnunciatione peccabit ferens censuram, nisi sit ad instantiam partis, vt aduertit Stephan. Dauila 3. p. de censur. disp. 4. dub. 1. concl. 3.

4 Quoad personas verò in quas suspensio ferenda est, necessariò clericum esse debere firmat communis sententia, cum Glossa in cap. quicunque verbo ministros, de sententia excommunicat. in 6. Innocent. in cap. vlt. de excess. Prælator. Panormit. in cap. dura sæpe num. 10. de crimine falsi. Nauarr. cap. 27. num. 150. & sequentib. Suar. disput. 28. sect. 2. num. 1. Auila 3. p. disput. 4. dub. 2. concl. 1 & alij. Etenim cum suspensio necessariò versari debeat circa officium, vel beneficium Ecclesiasticum, quorum laici incapaces existunt, efficitur in solos clericos suspensionem ferri posse. Quòd si in Extrauag. de cens. inter communes, & alibi suspenduntur laici à communione Eucharistiæ, non fertur ibi suspensio propria, sed est quædam pars excommunicationis maioris, quæ priuat vsu passiuo sacramentorum.

Dices suspensionem ab officio priuare non solùm exercitio ordinis iam obtenti, sed obtinendi, & suspensionem à beneficio priuare fructibus beneficij non solùm obtenti, sed etiam obtinendi. Ergo quoad effectum, scilicet beneficij consecutionem, & ordinis receptionem, poterit laicus suspendi; siquidem priuari potest, ne beneficium consequatur, néve ordines recipiat? Respondeo suspensionem per se non priuare beneficio, vel ordine acquirendo, sed consecutione quadam quatenus ex priuatione vsus ordinis habiti nascitur priuatio in vlteriorem ordinem ascendendi. Præterea insignitus prima tonsura, capax est ordinis, & beneficij recipiendi, ac proinde ab illis suspendi potest. Secùs ante receptionem primæ tonsuræ, cùm illorum incapax existat.

5 Ex clericis verò quilibet, quacunque dignitate præfulgeat suspendi potest. Sub decreto autem generali suspensionis Episcopi non comprehenduntur; nisi de ipsis fiat expressa mentio, ex cap. quia periculosum, de sententia excommunic. in 6. Et idem cauetur de interdicto. Secùs est de excommunicationis censura, vt tradit ibi Glossa communiter recepta, teste Nauarr. cap. 27. num. 165.

Sed an Episcopi electi, & confirmati, sed non consecrati comprehendantur; difficultate non caret? eo quòd his Episcopis non competat Episcopale munus exercere, quæ fuit ratio eximendi à sententia generali suspensionis, & interdicti Episcopos. Adde neminem dici propriè Episcopum quousque consecratus sit, sicuti nec sacerdos, quousque presbyteratus ordine sit insignitus, tametsi ad presbyteratum fuerit approbatus. Sed verius est quod docet Suar. *disp.28.sect.2.num.* 7. Paul. Layman. *lib.1.sum.tract.5. part.3.cap.2.* Sayrus *lib.4. cap.12.num.1. & seqq.* Gaspar Hurtado *tract. de suspensione, difficult 9. num.23.* Henriq. *lib.13.cap.34.num.2.* Episcopum electum, & confirmatum, tametsi consecratus non sit prædicto exemptionis priuilegio gaudere, siquidem alia priuilegia concessa Episcopis ad confirmatum, & non consecratum extenduntur; vti est priuilegium de eligendo confessore, *cap.vlt.de pœnitent & remissionib.* & priuilegium altaris viatici, *cap.fin. de Priuilegiis in 6.* Præterquam quòd priuilegia concessa à Principe, & maximè inserta in iure communi, latè sunt interpretanda. Neque ratio dubitandi vrget, quia illa ratio exercendi officium Episcopale solùm fuit motiua, & impulsiua ad priuilegij concessionem, non tamen fuit adæquata, & finalis concessionis. Hæc enim causa præcipua est dignitas Episcopalis qua gaudet Episcopus nondum consecratus. Argum. *cap. si compromissarius, de Electione in 6.* vbi in sententia generali suspensionis à beneficio tantùm non comprehenditur Episcopus, esto per illam suspensionem non priuetur ab executione Episcopalis officij. Quinimo hoc priuilegium extendunt Sayrus, Henriq. Layman. Hurtado *locis allegatis* ad Cardinales ob eorum excellentem dignitatem, ob quam priuilegia Episcopis concessa, censentur & ipsis concedi.

6 Secundò est dubium, an sub suspensione generaliter lata aduersus omnes clericos, religiosi comprehendantur? Et quidem si prima tonsura initiati non sunt, nō comprehenduntur, quia non sunt clerici, esto aliquo modo personæ Ecclesiasticæ nuncupentur, iuxta se, ideóque in Clem. *de vita, & honestate clericor.* distinguuntur clerici à religiosis. Et si religiosi prima tonsura initiati fuerint, etsi aliquibus placeat sub constitutione generaliter lata aduersus clericos non comprehendi, probabilius oppositum existimo cum Suar. *t.5. de censur.disp.28.sect.2. num.9.* quia nomen clerici indifferens est ad sæculares, & religiosos, vt constat ex dicta Clement. *ibi*: Sæculares clerici, & religiosi. Ergo suspensio lata aduersus omnes clericos comprehendit religiosos clericos, quia nulla adest ratio ob quam eximantur.

7 Tertiò est dubium, qua ratione suspensio in communitatem feratur; Posse comunnitatem suspendi quatenus communitas est ab officio conferendi beneficia constat ex *cap.vnico, Ne sede vacante in 6.* & *ex cap. Romana, cap. si sententia, de sententia excommunicat.in 6.* Quod caput esto loquatur de interdicto, ad suspensionem extendi debet, quia eadem est ratio, vti traditur in Trident. *sess.24. cap.16. de reformat.* vbi capitulum Sede vacante non constituens œconomum, & vicarium tempore, & modo ibi præscripto, priuatur facultate constituendi illos ministros, quod est ab illo munere pro illa vice suspendi. Secundò suspendi capitulum potest ab officio, & exercitio ordinis, ne scilicet Sede vacante confessores creet, Episcopos vocet ad ordines conferendos, quæ sunt munia capitulo competentia. Tertiò potest suspendi tam capitulum Ecclesiarum, quàm monasteriorum à beneficio; vt colligitur ex *cap. quisquam de electione in 6.* & ex Extrauag. *1.de electione*, quæ suspensio priuat capitulum fructibus beneficij. & impedit ne suos faciat. Si verò sit suspensio ab officio, priuat vsu iurisdictionis, & impedit posita denunciatione, ne sint validi actus à suspenso exorati. Quartò suspendi capitulum potest, non quatenus communitas est, sed quoad singulares personas, quæ culpabiles inueniantur, vt habetur expressè in *cap.quia sæpè, de electione in 6.* vbi singulares personæ bona Prælati defuncti, vel ipsius Sedis occupantes, & inter se diuidentes suspensioni ab officio, & beneficiis quibuscunque subiiciuntur, quousque restituerint quidquid de bonis perceperint supradictis.

8 Ad hæc reducitur, an semel suspensus possit iterum suspendi? Et certum est posse non solùm quando suspensiones sunt diuersæ, sed etiam quando sunt eiusdem rationis, si multiplicentur causæ, & tituli, vt de excommunicatione diximus.

9 Defunctus verò capax non est huius censuræ, sicut neque excommunicationis. Verùm qua ratione priuari potest Ecclesiastica sepultura ob excommunicationem præcedentem, sic priuari potest fructibus beneficij, quibus post mortem frui deberet, propter suspensionem in vita contractam; quod nihil aliud est quàm effectum suspensionis, vel excommunicationis post mortem extendi.

PVNCTVM III.

Ob quam causam suspensio ferenda sit?

1 *Aliquibus placet suspensionem ob culpam alienam ferri posse.*
2 *Verius est oppositum.*
3 *Satisfit oppositis argumentis.*
4 *Nequit ferri suspensio, vt communiter fertur ob culpam leuem.*

1 ALiquibus placet suspensionem ob culpam alienam ferri posse ductis ex eo quòd communitate suspensa ab officio, vel beneficio singulares personæ etiam in culpabiles suspenduntur: sicuti interdicta communitate innocentes interdicuntur. Secundò in *cap.vel non est compos, 14.de temporib. ordinat.* puer ordinatus diaconatu anno ætatis suæ 13. suspenditur ab officio diaconi vsque ad legitimam ætatem non ob propriam culpam, sed in iniuriam ordinantis. Tertiò in *cap. 1.de ordinatis ab Episcopo, qui Episcopatui renunciauit.* cauetur suspensos esse debere ab officio, quousque legitimus Pontifex dispenset, tametsi ignoranter prædictos ordines suscepissent.

2 Cæterùm communis sententia affirmans suspensionem quæ propriè pœna est, priuans iure quæsito proprio, nullatenus contrahi ob culpam alienam sed ob propriam, vt tradit Nauarr. *cap.27.num.151.* Henriq. *lib.13.cap.34.num.1.* Suar. *disput.28. sect.4. num.3.* Stephan. Dauila *3.part. disp.3. dub.1. conclus.2.* Sanch. *lib.9. disp.32.num.9.* Coninch. *disputat.15. dub.3.* Gaspar Hurtado *tract. de suspens. difficult.9.* Paul. Layman. *lib.1.tract.5.cap.9.part.3.* Et colligitur ex *cap. satis peruersum.56.dist.* & ex *cap.2.de constitutionib. lib.* Rem quæ culpa caret in damnum vocare non conuenit. Et in *cap. de his quæ fiunt à maiore parte capituli*, vbi dicitur peccata suos authores tenere debent, neque pœna est vlterius protrahenda, quàm delictum fuerit in excedente, quia iniquum est innocentem pœnas nocenti debitas sustinere.

3 Neque argumenta opposita vrgent. Ad primum concedo suspensa communitate suspendi tam nocentes, quàm innocentes illius, non quidem quoad se, & secundùm munus quod singuli, vt personæ particulares exercere possunt, sed tantùm quoad actiones totius communitatis quæ deliquit, & cuius ipsi sunt membra. Quod non est singulares communitatis puniri, sed communitatem ipsam delinquentem. Neque in interdicto innocentes puniuntur, sed Ecclesia iustas ob causas sua beneficia, & officia subtrahit tam nocentibus, quàm innocentibus. Ad secundum respondeo illam non esse propriam pœnam, & censuram, sed quandam prohibitionem, quæ ad irregularitatem reducitur ob improportionem, & inhabilitatem quam quis habet cum officio ordinis exercendo ante ætatem leg timam, cuius decentiæ, & reuerentiæ in dicta prohibitione consulitur. Quapropter Panormitan. *in dicto cap.non est compos, num.4.* distinguit duplicem suspensionem aliam ob defectum, aliam ob crimen, & suspensionem: ob defectum affirmat non esse propriè censuram, neque ob illius violationem irregularitatem incurri. Secùs verò de suspensione ob crimen contracta. Sicuti tradit Dominic. *in cap. Apostolica. 56. dist.* Couarru. *Clement. si furiosus. 1.p. §.1.num.4.* Salcedo, *pract.cap.26. lit.B.* Suar. *disput.28.sect.4. num.5.* Ad tertium respondeo sic ordinatum manere suspensum, seu impeditum exequi officium ordinis recepti, quousque Episcopus declaret ignoranter suscepisse ordinem ab eo qui Episcopatui renunciauit, & vsque ad talem declarationem ordinatus dici potest suspensus non suspensione propria, quæ sit censura, sed prohibitione, & præcepto, quia indiget purgatione ob præsumptionem criminis. Qua purgatione facta legitimus Prælatus declarat non esse suspensum, & ratione huius declarationis dicitur Prælatus dispensare, non quia propriè dispenset, sed quia ea declaratione facta relinquitur ordinato libera facultas ordinem susceptum exercendi. Secundò respondeo ob delictum ordinantis, & in illius iniuriam, & confusionem posse prohiberi sic ordinatum exequi proprium officium. Argum. *c.non est compos, de temporib. ordinat.* & *cap. decernimus.16. quæst.7.* vt inde apertè colligatur quantum deliquerit ordinans, cùm necesse sit ob eius culpam ordinatum ab officio remoueri.

4 Sed an ob culpam leuem suspensio iniungi possit? Non conueniunt Doctores. Nam Caietan. *in sum.verbo suspensio.* Armilla *eodem in princ.* Nauarr. *cap.27. num.151. & 159. & 165.* Medina *in sum.lib.1. cap.11.§.8.* Henriq. *lib.13. cap.34 num.1.* Auila *3.p.disp.3.dub.2. conclus.1.* affirmant venialem culpam sufficere; quia hæc sufficit ad excommunicationem minorem, quæ videtur grauior pœna, quam suspensio, cùm priuet maioribus bonis scilicet sacramentorum vsu, & receptione. Cæterùm si de suspensione loquamur, vt communiter fertur, neque à iudice ob leuem culpam infligitur, neque in iure imposita est: vt benè docet Sotus *in 4.d.22. quæst.3 art.1. colum.2.*

colum.2. Suar. *disp.28.sect.4.num.6.* Gab. Vazq. *1.2. disp.158. num.49.* Coninch. *disp.15.dub.3. conclus.2. num.24.* Gaspar. Hurtado *tract.de censur. difficult.7. num.19.* Paul. Layman. *lib.1 sum.tract.5.p.3.cap.3.* Sanch. *lib.9.disp.32.num.9.* quia suspensio ex se graue malum est, ideóque grauem culpam supponere debet. Neque obest excommunicationem minorem bonis excellentioribus priuare, quia illa priuatio facilè tolli potest, cùm quilibet sacerdos possit illius absolutionem impendere, quod in suspensione non procedit. Præterquam quòd sæpè inducit damnum irreparabile, & nonnullam infamiam secum affert. Notanter dixi, *communiter fertur*: nam aliquam suspensionem ad modicum tempus probabile est à iudice infligi posse ob culpam leuem, vt notarunt Sanch. Coninch. Hurtado, Layman. *loc. allegatis.*

Punctum IV.

Quæ forma seruanda sit in suspensione ferenda?

1 *Nulla est præscripta forma pro suspensione ferenda.*
2 *Præcedere debet monitio.*
3 *Debet ferri in scriptis, & exprimi causa ob quam imponitur.*

1 PRo suspensione nulla est præscripta forma verborum, sed ea verba requiruntur, quæ sufficienter declarent hunc effectum, vt notauit Nauarr. *c.27. n.161.*

2 Semper tamen præcedere debet monitio, si suspensio ad correctionem delinquentis, & ad illius contumaciam reprimendam feratur, vti aliis relatis tradit Nauarr. *cap.27. num.159.* Gregor. de Valencia, *t.4.disp.7.q.18 pun.1.pronunciato 7.* quia Ecclesiæ constare nequit de contumacia, & inobedientia alicuius, nisi priùs illum moneat. Ideóque satis probabile est censuram suspensionis ferentem absque monitione suspensum esse per mensem ab ingressu Ecclesiæ, & censuram esse nullam, vti docuit Henriq. *lib.13. cap.39. numero 4.* Suar. *disputat.28.sect.5.num.2.* Auila *3.part. disput.3. dub.1.conclus.3.* & probatur ex *c.sacro, de sententia excommunicat.* vbi excommunicanti absque monitione per mensem ingressus Ecclesiæ interdicitur. Sed excommunicatio, suspensio, & interdictum paria sunt. Argum. *c. cum medicinalis de sententia excommunicat.in 6.* Ergo pœnæ latæ ob impositionem excommunicationis absque monitione ad suspensionem, & interdictum extendi debent. Verùm quando suspensio fertur in puram pœnam delicti commissi, monitione non indiget, vt benè aduertunt Nauarr. Suar. Auila *locis relatis*, & manifestè constat ex *cap. tam litteras de testibus*, vbi suspendit Pontifex quemdam presbyterum ad cuius suspensionem ferendam nullam præmittit monitionem. Et in *cap. Romana de sentent.excommunic.in 6.* post factam mentionem excommunicationis, suspensionis, & interdicti subditur de sola excommunicatione nunquam ferri sine monitione. Ergo tacitè indicatur suspensionem, & interdictum aliquando sine monitione ferri posse.

3 Vt autem debito modo suspensio feratur, debet ferri in scriptis, & exprimi ibi causa ob quam imponitur; insuperque instrumentum debet dari suspenso, si illud expostulet. Argum. Textus in *cap.1. de sentent.excommunicat. in 6.* Et tradit Nauarr. *d.c.27.num.159.* Auila *3.p. de censuris, disp.3. dub.1. concl.3.* Suar. *disp.28.sect.5. num.3.* Quòd si iudex huius constitutionis temerarius exiterit violator per mensem vnum ab ingressu Ecclesiæ, & diuinis officiis suspenditur. Superior verò ad quem recurritur sententiam sine difficultate relaxare debet, & latorem ad expensas, & omne interesse condemnare, & aliàs animaduersione condigna punire, vt pœna docente discant iudices quàm graue malum sit sententiam excommunicationis, suspensionis, & interdicti sine debita maturitate fulminare. Vti habetur in *dicto capit.1. de sententia excommunic. in 6.* Ex quo fit transgressorem huius constitutionis graue peccatum commissurum. Sicuti aduertit Angel. *verbo suspensio numero 16.* Syluest. *eodem.num.6. casu 15.* Henriq. *cap.39.num.4.* Auila *suprà. conclus.3.*

Punctum V.

De effectibus suspensionis.

CVm suspensio alia sit ab officio, alia à beneficio, alia ab vtroque, & quælibet ex his diuersos effectus habeat, operæ pretium est de qualibet figillatim sermonem instituere.

§. I.

Quos effectus habeat suspensio ab officio?

1 *Suspensio ab officio absolutè lata, suspendit ab omni officio tam ordinis, quàm iurisdictionis spiritualis.*
2 *Suspensus ab officio nequit licitè eligi ad beneficium Ecclesiasticum.*
3 *Eius collatio irrita est, etsi contrarium plures doceant.*
4 *Affirmant aliqui suspensum ab officio, esse à beneficio suspensum.*
5 *Contrarium verius est.*
6 *Plures negant deberi fructus beneficij suspenso ab officio Sacramenta ordinis ministranti, aliaque diuina officia exercenti.*
7 *Verius videtur oppositum.*
8 *Satisfit contrariis fundamentis.*
9 *Suspensus ab officio vocem habere potest in capitulo, etsi aliqui contrarium censeant.*
10 *Suspensio ab officio determinato lata, extra illam materiam extenditur.*
11 *Suspensus ab ordine absolutè priuatus est cuiuscunque ordinis vsu.*
12 *Suspensus ab ordine non est suspensus à iurisdictione.*
13 *Suspensus à determinato ordine, priuatus indirectè est ab vsu alterius ordinis prædicto annexi.*
14 *Communis sententia firmat suspensum ab ordine inferiori à maiore suspensum esse.*
15 *Contrarium verius censeo.*
16 *Episcopus suspensus à collatione inferioris ordinis, à superioris censetur suspensus; iuxta plurium sententiam.*
17 *Probabilius est oppositum.*
18 *Satisfit fundamentis contrariis.*
19 *Ex suspensione iurisdictionis non priuatur suspensus vsu ordinum.*
20 *Suspensio iurisdictionis determinata non extenditur vltrà designatam materiam.*

SI suspensio ab officio absolutè lata sit nulla restrictione 1
apposita, suspendit ab omni officio tam ordinis, quàm iurisdictionis spiritualis; quia hæc omnia sub nomine officij veniunt; vt ex communi notant Suar. *disp.26. sect. 1. num.4.* Auila *3.p. de censur.disp.2.dub 1.conclus.5.* Tolet. *lib.1.cap.43. num.6.* Layman. *lib.1. sum.tract.5.part.3.cap.1.n.3.* Coninch. *disp.15.dub.2 num.5.* Quocirca sic suspensus non poterit administrare sacramenta, neque celebrare, neque indulgentias concedere, neque eligere, quia hæc omnia pertinent ad officium clericale, benè tamen poterit recipere sacramenta, ingredi Ecclesiam, assistere officiis diuinis, canere in choro more laïcorum, ac denique vti qualibet iurisdictione temporali, si illâ habeat, tametsi in sententia exprimatur, quòd suspensus sit ab officiis diuinis, & iurisdictione, quia intelligi debet de iurisdictione Ecclesiastica, de officiis diuinis prout à clericis quatenus tales sunt exercentur, vt docet Abbas *cap. vlt. de clerico excommunic. ministr.* Nauarr. *lib.5. consilior. tit.de sententia excommunicat. consil.64.* Suar. *disp.26. sect. 3. num.9.* Auila *3.p.disp.2.dub.1. conclus.6.* Coninch. *disp.15.dub.2. conclus.1.* Paul. Layman. *lib.1. sum.tract.5.par. 3.cap.1. num.2.* & colligitur ex *cap.1. de sententia, & re iudicata*, vbi dicitur suspensum à diuinis prohiberi exercere officium sicut prius, & incurrere irregularitatem suspensionem violando. At certum est non incurrere irregularitatem, nisi solemniter exerceat aliquem actum ordini deputatum, ergo ab illius exercitio tantùm priuat.

Difficultas est, an suspensus absolutè ab officio possit ad 2
beneficium eligi? Affirmat non solùm validè, sed licitè eligi posse Gaspar Hurtado *tract. de suspensione, difficult.4.num.8.* ductus ex textu *cap.vel non est compos, de Temporib.ordination.* vbi mandatur de beneficio Ecclesiastico prouideri ordinato ante legitimam ætatem. Sed meritò reliqui omnes Doctores censent illicitè prædicto suspenso etiam tolerato beneficium Ecclesiasticum conferri. Vt videre est in Henriq. *lib.13.c.32. num.1.* Auila *3.p.disp.2.dub.1. conclus.5.* Paul. Layman. *lib.1. sum.tract.5.p.3.cap.1 num.3.* Coninch. *disp.15.dub.2.conclus. 3.* quia beneficium datur propter officium, *cap.fin de Rescriptis in 6* ergo impedito officium exercere meritò denegatur beneficium, argum. *cap.vlt.de cleric.excommunic.ministr.* Neque obest textus in *cap.non est compos*; quia illa non est propria suspensio, sed prohibitio, & præceptum, ne ante legitimam ætatem ordinem receptum exerceat, & casu quo suspensio esset, non est suspensio absoluta, sed pro determinato tempore, ideoque non impedit beneficij collationem,

cuius

cuius officium illo tempore suspensionis non est necessariò exercendum.

5 Sed an collatio beneficij facta suspensio irrita sit, vel veniat irritanda, dissentiunt Doctores. Nam Abbas *cap. vel non est compos, num. 4. de temporib. ordinat.* Suar. *disp. 26. sect. 3. num. 8.* Coninch. *disp. 15. dub. 2. conclus. 3.* Paul. Layman. *lib. 1. sum. tract. 5. par. 3. c. 1. nu. n. 4.* Gaspar Hurtado *de suspensione, diffic. 4. num. 8.* negant esse irritam, sed venire irritandam quia nullus est textus ex quo irritatio ipso iure colligi possit. Sed contrarium verius existimo cum Glossa *cap. cum bona memoria, verbo suspensi, de statu, & qualitate.* Et *in c. cum dilectus, verbo cassatib. de consuetud.* & *cap. per inquisitionem de electione.* Nauarr. Flamin. Lessio, Bertachino, & aliis pluribus, quos refert, & sequitur Nicol. Garcia *de benefic. 7. p. cap. 14. num. 1. & seqq.* vbi variis decisionibus Rotæ hanc sententiam comprobat Bonac. *t. 1 disp. 3. de suspens. punct. 2. num. 13* Moueor ex textu *in c. cum bona memoria de statu, & qualit.* vbi respondet Pontifex de his qui durante suspensione beneficia consecuti sunt, non licere ea retinere, præcipitque illos prædictis beneficiis spoliari. Signum ergo est collationem irritam fuisse; aliàs licitè illa beneficia retinerent, quódque indicat verbum *spoliare*, quod solùm conuenit ei qui rem vsurpatam habet. Idem colligitur ex *dicto cap. cum dilectus.* Et *cap. per inquisitionem.*

4 Grauior dubitatio est an suspensus ab officio sit etiam à beneficio suspensus; Nam Glossa *in c. latores, verbo ab officio de clerico excommunicat. ministrante.* Paludan. *in 4. dist. 18. quæst. 7. art. 3. conclus. 3.* Bernard. Diaz. *pract. crimin. cap. 73. num. 2.* Nauarr. *lib. 1. consil. in 1. edit. tit. de temporib. ordinat. consil. 41.* Gregor. de Valen. *t. 4. disp. 7. quæst. 18. p. 1. pronuncia. to 2.* censent suspensum ab officio absolutè eo ipso esse à beneficio suspensum, eo quòd beneficium est officio accessorium. *Cap. fin. de Rescriptis in 6.* Ergo prohibito principali accessorium censeri debet prohibitum. Arguit regulæ *Accessorium de Reg. Iur. in 6.* & *lege ratio, ff. de sponsalib.* Alij distinguunt de suspensione ab officio lata ob graue delictum, & hanc affirmant à beneficio suspendere, secùs ob delictum, quod non irrogat infamiam. Alij id admittunt in suspensione lata à iure, secùs in ea quæ ab homine fertur. Alij è contra, quas opiniones, & Doctores refert Sayrus *lib. 4. thesauri, cap. 5. à num. 13.*

5 Sed communis sententia, scilicet suspensum ab officio non esse à beneficio suspensum verior est prout eam docuit Vgolin. *tab. 4. de censur. cap. 6. §. 6.* Henriq. *lib. 13. cap. 32. num. 3.* Sayrus *dicto cap. 5. num. 16.* Sanch. *lib. 3 de matr. disp. 51. numero 11.* Auila *3. p. de censur. disp. 2. dub. 1. concl. 6.* Coninch. *disput. 15. dub. 2. conclus. 3* Paul. Layman. *lib. 1. sum. tract. 5. par. 3. cap. 1. num. 2.* Gaspar Hurtado *de suspens. difficult. 4. numero 9.* Suar. *disp. 26 sect. 3. num. 4.* Bonac. *t. 1. disp. 3. de suspens. punct. 2. num. 10.* Ratio est manifesta, quia aliquando fertur suspensio ab officio, aliquando à beneficio, aliquando ab vtroque simul: vti colligitur ex *cap. inter. de purga. canon.* & *cap. tam litteris de testib. & attestat.* & *cap. quanto de officio ordinar.* & *cap. quisquis de electione.* & *cap. quia sæpè eodem tit. in 6.* & *cap. 2. de fideiussoribus*, & aliis, vbi tanquam res distinctæ enumerantur suspensiones ab officio. Ergo signum est suspensionem ab officio non comprehendere suspensionem à beneficio, aliàs superflue hæ vt distinctæ exprimerentur. Quapropter si suspensus ab officio satisfaciat obligationibus beneficij quantum est in se, per se, vel per substitutum, fructus beneficij percipere poterit.

6 Quod si suspensus ab officio Sacramenta ministret, & officia diuina solemniter in choro exerceat, quibus per suspensionem priuatus est affirmat Rebuff. *praxi beneficiar. tit. de simonia in resignat. num. 15.* Couarruu. *4. decret. 2. p. cap. 6. § 8. n. 7. in fine.* Viuald. *candelab. Sacr. 2. p. in materia de suspens. n. 171. in fine*, nequaquam lucrari fructus, & distributiones illis officiis inique exercitis correspondentes, quia fructus illi, & distributiones conceduntur ob ministerium ab Ecclesia acceptum. At ministerium illud Ecclesia non accepit, imo potiùs detestatur. Non igitur ob illius exercitium præmium fructuum concedere debet. Et confirmo: à prædicto officio suspensus est remotus, ergo etiam remotus est à fructibus beneficij, qui ratione illius conceduntur. Et fauet *cap. eos qui 81. dist.* vbi Pontifex inquit eos qui officium diuinum derelinquunt, sicut se ab officio alienos faciunt, ita à beneficio Ecclesiarum priuatos esse iudicamus. Idem traditur *cap. si quis sacerdotum, eadem dist.* Et *cap. præter hoc 32. dist.* Postquam clericus concubinarius declaratur ab officio suspensus; inquit Pontifex: *Neque partem ab Ecclesia suscipiat.* Ergo suspensus ab officio priuatus est saltem illis beneficij fructibus, qui officio cuius exercitium sibi interdictum est, correspondent.

7 Sed verior est sententia affirmans fructus prædicto officio iniquè exercito correspondentes lucrari, & retineri à suspenso posse. Vti docuit Steph. Dauila *3. p. de censur. disput. 2. dub. 1. conclus. 6.* & loquens de excommunicat. *2. p. cap. 6. disput. 6. dub. 1. in fine.* Petr. Nauarr. *lib. 2. de restit. cap. 2. in nona edit. par. 2. diffic. 5. n. 243.* Henriq. *lib. 13. c. 3. n. 3.* & *c. 14. n. 3.* & *c. 32. num. 3.* Sanch. *lib. 3. de matr. disp. 51. num. 12.* Ratio est, quia pœnæ extendendæ non sunt absque manifesto textu: at nullibi habetur suspensum exercentem officium à quo suspensus est, fructibus tali officio correspondentibus priuari ipso iure. Ergo, &c. Et confirmo si rem furtiuam detinens in illius vtilitatem laborem aliquem impendas, poteris mercedem illius laboris detinere; teste communi sententia. Ergo etiam poteris retinere fructus officio correspondentes, quod in vtilitatem beneficij impensum est. Secundò confirmo ex *cap. pastoralis, §. verum de appellationib.* vbi excommunicatus relegato ad tempus comparatur, at relegato ad tempus non subtrahuntur bona, nisi hoc in sententia exprimatur, *leg. depositorum. Cod. de Pœnis* Ergo neque suspensio ab officio debent subtrahi ante sententiam.

Neque argumenta in contrarium vrgent. Ad primum dic 1
distributiones, & fructus dari propter ministerium vtile Ecclesiæ, & ab ea acceptum tanquam validum, quòd à suspenso fieri potest esto non licitè. Ad confirmationem concedo accessorium sequi naturam principalis; at nego fructus accessorios esse ministerio tantum licitè exercito, cùm verè accedat ministerio validè præstito. Cùm autem suspensio non irritet ministerium, neq; fructuum acquisitionem annullabit. Textus *in cap. eos qui*, nihil probat, quia loquitur de eo qui nullo modo officium exercet, sed ab illo integrè remouetur. *In cap. præter hoc.* suspensus ab officio etiam à beneficio suspenditur, vt clericus concubinarius à tali delicto committendo arceatur.

Rursus dubitare potes, an suspensus absolutè ab officio 9
vocem habeas in capitulo; Negat Glossa *in cap. cum dilectus verbo à suspensis.* Et *ibi* Panormit. *num. 20. de consuetud.* Felin. *in cap. Apostolicæ de exception.* Sayrus *lib. 4. thesaur. cap. 5. num. 12.* eo quòd vocem habere in capitulo vsus & exercitium est Ecclesiastici officij. Tum quia solis clericis subdiaconatu insignitis competit ex Clement. *vt ij, de statu, & qualit.* Sed contrarium probabilius existimo, quia festo suffragium in capitulo per se non est exercitium ordinis; cùm laicis conuersis competat iuxta Glossam *in cap. eo, verbo electionibus, lib. 6.* Itémque monialibus ex Glossa *in Clement. vt ij de statu, & qualit. verbo mancipati*, neque etiam est vsus alicuius iurisdictionis Ecclesiasticæ, cùm fœminæ, & laici hanc vocem habeant, & iurisdictionis Ecclesiasticæ incapaces existant. Ergo ex suspensione ab officio nequaquam priuatio vocis in capitulo inferri potest, quod Sayrus *dicto c. 5. num. 12.* concedit, quando hæc vox ratione beneficij suspensi competit.

Quod si suspensio ab officio non absolutè feratur, sed de- 10
terminatè ad aliquam materiam extra illam non extenditur; quia pœnæ extendendæ non sunt vltra verborum propietatem; vti ex communi sententia tradit Nauarr. *cap. 27. numero 160.* Suar. *disput. 26. sect. 5.* Sayrus *lib. 4. cap. 5. num. 17.* Henriq. *lib 13. c. 32. num. 1.* Vgolin. *tab. 4. c. 6. §. 4.* Coninch. *disp. 15. dub. 2. num. 8.* Vnde suspensio ab ordine si absoluta sit extra officium ordinis non extenditur, & suspensio à iurisdictione extra iurisdictionem Ecclesiasticam non procedit.

Ex hac regula quæ verissima est, colliges primò suspen- 11
sum ab ordine absolutè priuatum esse cuiuscunque ordinis vsu, quia in his materiis indefinita vniuersali æquipollet, & nulla est ratio ob quam dispositio hunc potius ordinem quam alium comprehendat. Secùs esset si suspensus fuisses à sacris ordinibus, non obinde impediris minores exercere; quia spectato communi modo loquendi, & maximè in materia odiosa sub ordinibus sacris minores non comprehenduntur, vt colligitur ex Trident. *sess. 23. cap. 11. de reformat.* & tradit Sylvest. verbo *suspensio. quæst. 5.* Hentiq. *lib. 13. c. 32. num. 2.* Suar. *disp. 26. sect. 4. num. 2. & 3.* Sayrus *lib. 4. c. 5. numero 13.*

Secundò colliges suspensum ab ordine non esse suspen- 12
sum à iurisdictione, quia sunt res omnino distinctæ, & inter se non necessariò connexæ, vt bene tradit D. Thom. *3. p. in addit. q. 22. art. 3.* Nauarr. *cap. 27. num. 160.* Vgolin. *tab. 4. cap. 6. §. 5.* Sayrus *lib. 4. cap. 4. num. 6.* Suar. *disp. 26. sect. 4. n. 5.* Auila *3. p. de censur. disp. 2. dub. 2. conclus 8.* Filliuc. *tract. 30. c. 2. qu. 4. num. 24.* Bonac. *tom. 1. disput. 3. de suspens. punct. 2. num. 4.* Paul. Layman. *lib. 1. summ. tract. 5. part. 3. punct. 1. numero 9.* Vnde suspensus ab ordine concedere potest facultatem eligendi confessarium, tametsi ipse confessarius esse non possit, quia ad confessarij munus ordinis vsus requiritur, secùs ad facultatem concedendam. Item potest eligere, quia hæc potestas non ordinem, sed iurisdictionem spectat, vt notauit Glossa *in cap. Presbyterum. verbo habere, 28. dist.* per textum *ibi*, vbi expressè dicitur suspensum ab officio (scilicet ordinis) non esse suspensum à iure eligendi: Suar. *n. 5.* Auila *concl. 8.* Sayrus *c. 3. n. 20. & c. 4. num. 6.*

Si verò suspensio sit ab ordine aliquo speciali, ab eo tan- 13
tùm priuat directè, indirectè tamen ab eo cuius vsus prædicto ordini annexus sit. Exemplis rem declaro. Suspensus ex à

Sacer

Sacerdotali officio, eo ipso suspensus es ab ordine Diaconatus, & Subdiaconatus in Missa exercendo. Suspensus es à Pontificalibus, munia Pontificalia exercere non potes, vti sunt ordines conferre, conficere chrisma, formare altaria, seu Ecclesias consecrare, virgines benedicere. Si autem ad aliquam ex his actionibus exercendis vsus sacerdotalis ordinis requisitus sit, ab eo indirectè suspenderis, sicuti colligitur ex Glossa *in Extrauag. suscepti regiminis, verbo à Pontificalibus.* Et notauit Sayrus *lib.4.thesauri c.4.num.*14. Paul. Layman. *lib.1.sum.tract.5.par.3.c.1. num.*6. Item ex suspensione ab altari solùm es suspensus à celebratione, ac proinde alia munia sacerdotalis officij optimè exercere potes, argum. Textus *in c. significauit. De corpore vitiatis*, vbi Abbas & Doctores communiter notant.

14 Grauis difficultas est, an suspensus ab ordine inferiori sit etiam à maiori suspensus, tametsi maioris vsus præstari possit absque minoris exercitio? Affirmat communis sententia, vt videre est apud Suar. *disp.26.sect.4.num.*6. Nauarr. *c.27.n.*163. Henriq. *lib.*13. *c.*32. *num.* 2. Sayr. *lib.4. cap.3. regula prima*, tametsi aliquas limitationes adhibeat prædictam regulam destruentes. Mouentur, quia ei cui res minoris momenti prohibitæ sunt, dedecet maiora concedi, iuxta *reg. in c. cui licet. de Regul. iuris in* 6. & *capite cum illorum, de sentent. excommunicat.*

15 Contrarium tamen sustinendum censeo. scilicet ex suspensione ordinis inferioris te nõ esse prohibitum superiorem ordinem prædicto inferiori minimè annexum exercere, vt si suspensus es à diaconatu, poteris absoluere, Extremam vnctionem ministrare; & suspensus à sacerdotali officio poteris episcopale munus exercere, in iis quæ sacerdotalis ordinis vsum non prærequirunt; quia in pœnis stricta interpretatio facienda est, neque vllum est inconueniens quod minori honore priuatus maiorem retineat; hoc enim solùm probat delictum ob cuius causam suspensio lata fuit non ita graue fuisse, vt vtriusque honoris maioris, & minoris priuationem mereretur. Atque ita docent Suar. *disp.26.sect.4.num.* 11. Coninch. *disp.*15. *dub.2. num.*10. Filliuc. *tract.17.cap.2.q.4.n.*25 & 29. Paul. Laym. *lib.1.sum.tract.5.par.3. cap.1.n.*6. Gasp. Hurtado *de suspens. diffic.4.num.*9.

16 Hinc deciditur, an suspensus Episcopus à collatione inferioris ordinis censeatur à superiori suspensus? Affirmant qui censent suspensum ab ordine inferiori esse à superioris vsu suspensum, vti est Glossa *in c. eos qui de temporib. ordinat. in* 6. *verbo ordinium.* Abbas *in cap. vel non est compos, de temporib. ordinat. num.*4. Hostiens. *in cap.*1. *cùm dilectus, eodem tit.* Sylvest. *verbo suspensio. num.*5. Henriq. *lib.*13. *c.*32. *num.*2. Auila 3. *q. disp.*2. *dub.*2. *concl.*11. Vgolin. *tab.*4. *cap.*6. §.6. Tolet. *lib.*1. *cap.*43. Reginald. *lib.*31. *n.*15. Bonac. *tom.*1. *disp.*3. *de suspens. p.*2. *num.*7. & alij relati à Sayro *lib.*4. *c.*3. *num.*3. Mouentur ex *leg. relegatorum* §. *fin. ff. de interdictis*, vbi affirmatur, cui honor inferior interdictus est, maiores quoque interdictos censeri debere. Deinde indignus minore honore eo ipso maiore indignus est. *leg. qui indignus, ff. de Senatorib.* Ergo idem erit in præsenti, argum. *cap. cum illorum, de sententia excommunicat.* ibi cùm maiora intelligantur illi prohibita cui vetita sunt minora

17 Nihilominus dicendum est suspensum à collatione inferioris ordinis, non esse suspensum à collatione superioris, aut econtrà, quando vnum sine altero exerceri potest: vti docuit Suar. *disp.26. sect.4.num.*11. *& seqq.* Paul. Layman. *lib.*1. *sum tract.5.par.*3. *c.*1. *num.*6. Filliuc. *tract.*17. *c* 2. *num.*25. & 29. Coninch. *disp.*15. *dub.*2. *num.*10. Gaspar Hurtado *de suspens. difficult.4. num.* 10. Et decidi videtur in *cap. vlt. de temporib. ordinat. lib.*6. vbi Episcopus suspensus à collatione primæ tonsuræ non censetur ex communi sententia suspensus à collatione reliquorum ordinum. Deinde in *cap. litteras de temporib. ordinat.* suspenditur Episcopus à collatione diaconij, & presbyterij. Si autem facta suspensione pro ordine inferiori ad superiorem censetur extensa, vt quid Pontifex exprimeret suspensionem presbyterij posita suspensione diaconij. Item in *cap. ex litteris de excessib. Prælator. ad finem*, suspenditur Episcopus propter homicidium cui authoritatem præbuit ab altaris ministerio, & consequenter à Pontificali officio, quia nequit hoc officium absque altaris ministerio exercere, at conferre ordinem superiorem inferiori non collato optimè potest, quia vnius collatio ab alterius collatione non pendet. Ergo &c.

18 Argumentum oppositæ sententiæ facilè dissoluitur: concedo namque indignum minore, & maiore indignum esse quando ex se, & absolutè indignus est: secùs quando sit indignus in pœnam delicti commissi. Vel dic indignum minori honore, seu cui minor honor interdictus est expedire maiorem interdici; non tamen de facto interdictum esse. Adde neque hoc semper esse verum; forte enim delictum contra minorem honorem commissum est, ideóque à solo illo expedit remoueri, aliàs suspensus ab officio confirmandi, censeretur suspensus ab officio consecrandi, & suspensus ab officio prædicandi suspensus esse deberet ab officio celebrandi, absoluendi, vtpote digniori, quod non est dicendum.

Illud verò existimo certum suspensum ab exercitio, seu collatione inferioris ordinis, non fore irregularem; ex eo quòd superiorem ordinem exerceat, vel conferat; quia non præstat aliquid quod sibi per censuram sit directè interdictum, sed solùm consecutiuè, & ex quadam decentia, vt rectè aduertit Sayrus *lib.4.thesaur.cap.*3. *n.*11. Coninch. *disp.*15. *dub.*2. *num.*10.

Tertiò colliges ex suspensione iurisdictionis non esse priuatum vsu ordinum, quia vsus ordinis, & iurisdictionis distinguuntur. Quapropter, etsi nequeas censuras proferre, vel ab illis absoluere, aut à peccatis confirmare electos, beneficiorum collationem facere, & alia similia quæ iurisdictionem spectant; at optimè poteris canere in choro, diuinis assistere, celebrare, quia hæc ordinum exercitio competunt: vt colligitur ex *capite transmissum.* Et *ibi* Glossa, *verbo de talibus de elect. & capite aqua, & ibi* Glossa, *verbo de iurisdictione de consecrat. Eccles. vel altaris.* Et tradit Nauarr. *cap.27. num.*160. Vgolin. *tab.*4. *cap.*6. §. 5. & §.6. Henriq. *lib.*13. *cap.*32. *num.*4. Sayr. *lib.*4. *thesauri, cap.*4. *num.*20. Auila 3.*p. disp.*2. *dub.*2. *concl.*12. Quod adeò verum est, vt esto suspensus sit ab administratione Ecclesiæ tam in temporalibus, quàm spiritualibus, non obinde prohiberis ab vsu ordinis, qui absque iurisdictione in alios exerceri potest. Nam ex suspensione ab administratione Ecclesiæ in temporalibus solùm prohibitus es de iuribus, & possessionibus Ecclesiæ, seu beneficij in iudicio, vel extra disponere. Ex suspensione ab administratione in spiritualibus, prohibitus tantùm es ea spiritualia exercere, ad quorum exercitium iurisdictio requisita est, qualis est beneficiorum collatio, & electio, sacramentorum ministratio susditis facta, vt latiùs tradit Sayr. *lib.4.thes. cap.7. num.*5. 19

Quartò colliges suspensionem iurisdictionis non absolutæ, sed alicuius actus determinati illius tantùm vsum prohibere, quia pœnæ vltra proprietatem verborum legis pœnalis non debent extendi. Sicuti ex communi docuerunt Panormit. *in cap. Apostolica, n.*6. *de exceptionib.* Innocent. *cap. cùm dilectus num.*4. *de consuetud.* Vgolin. *de censur. tab.*4. *cap.*6. §.4. Sayrus *lib.*4. *cap.*4. *num.*21. & *cap.*5. *num.*27. Quocirca suspensus à collatione beneficiorum, vt in *cap. graue, de Præbendis*, & suspensus à confirmatione Episcoporum, *cap.*2. *de translat. Episcopor.* & *cap. prouida, de electione lib.*6. reliquos omnes actus iurisdictionis exercere potest. Argum. *leg. cùm prator, ff. de ind.* quia exclusio, & prohibitio vnius est tacita aliorum concessio. 20

§. II.

Suspensio à beneficio quos effectus habeat?

1 *Suspensio à beneficio non priuat beneficio, sed illius fructibus.*

2 *Suspensio à beneficio absoluitè, est suspensio ab omnibus beneficiis quæ actu possides.*

3 *Communis sententia docet hac suspensione à beneficio te inhabilem reddi beneficio suscipiendo. Sed contrarium verius est.*

4 *Examinatur, an sub suspensione à beneficio distributiones quotidianæ comprehendantur, & sub distinctione respondetur.*

5 *Sub nomine fructus beneficij non comprehenditur collatio, & electio ad beneficium.*

6 *Qualiter suspensus à beneficio recipere possit illius fructus qui ad sui, & suorum congruam sustentationem fuerint necessarij.*

SVspensio à beneficio non priuat beneficio, sed illius fructibus, vt colligitur ex *cap. cupientes* §. *cæterùm de electione.* vti tradit Panormit. *in cap. cum dilectus numero* 20. *de consuetud.* Vgolin. *tab.*4. *de censur. cap.*8. §.1. Henriq *lib.*13. *cap.*32. *num.*4. Sayrus *lib.*4. *thesauri, cap.*6. *num.*2. Neque obinde deobligatur suspensus beneficij oneribus satisfacere, quia suspensio punit, non releuat, vt notat Glossa in *cap. cum vniuersalis, verbo admiserint de electione*, & *ibi* Panormit. *numero* 10. Henriq. *lib.*13. *cap.*32. *num.*4. Vgolin. *tab.*4. *de censur. cap.*8. §.8. Sayrus *lib.*4. *thesaur. cap.*5. *num.*9. & *cap.*6. *numero* 8. Suar. *disp.*27. *sect.*1. *num.*3. *& seqq.* Coninch. *disp.*15. *dub.*2. *concl.*6. *num.*12. Layman. *lib.*1. *sum. tract.*5. *part.*3. *cap.*1. *num.*4. Bonac. *de censur. disp.*3. *p.*2. *num.*13. Gaspar Hurtado *de suspens. difficul.*4. *num.*9. Quod si dicas acerbiorem pœnam esse suspensionem à beneficio tantùm, quàm suspensionem ab officio, & beneficio; siquidem per suspensionem à beneficio priuatur quis beneficij fructibus manente onere, & obligatione, officium exercendi; at per suspensionem ab officio 1

cio & beneficio à prædicto onere eximitur? Respondeo cum Suar. *dicta sect. 1. n. 5.* obligationem ad præstandum officium etsi onus sit, vtilitatem, & honorem secum afferre. Potestas namque expedita ad officium præstandum vtilis, & honorifica est, quo honore, & vtilitate priuat suspensio ab officio, ideóque grauior pœna censenda est suspensio ab officio, & beneficio, quàm à solo beneficio. Adde per suspensionem ab officio, & beneficio te non esse liberum ab omni onere, si quidem in particulari officium canonicum recitare debes, & si est beneficium curatum à quo est suspensus, teneris saltem per alium officio satisfacere, dum Episcopus non prouiderit, eo quòd suspensionem non agnouerit.

2 Portò suspensio à beneficio absolutè lata, est suspensio ab omnibus beneficiis quæ actu possides, nisi ex intentione ferentis, aliàve circunstantia contrarium colligatur, quia non est maior ratio cur ad vnum potius beneficium, quàm ad aliud dispositio se extendat. Argum. *Clem. 2. & ibi* Glossa, verbo *beneficium, de vita, & honest. clericor.* Et tradit aliis relatis Vgolin. *tab. 4. de censur. cap. 8. §. 5.* Sayrus, *lib. 4. thesauri, cap. 6. num. 24.* Ex intentione autem ferentis, aut ex aliqua circunstantia sæpè suspensio à beneficio absolutè lata restrictionem accipit. Ex circunstantia, aut ex intentione ferentis restrictionem censetur accipere suspensionis sententia, si delictum ob quod fertur sit aduersus aliquam particularem Ecclesiam. Nam tunc credendum est comprehendere tantùm beneficia illius Ecclesiæ, ex textu in *cap. si compromissarius, de Electione in 6.* vbi eligentes in signum suspenduntur per triennium à beneficiis obtentis in illa Ecclesia, quam taliter eligendo noscuntur offendisse. Idem colligitur ex *cap. cupientes vers. cæterùm de electione in 6. & cap. 2. vers. & nihilominus de rebus Eccles. non alienand.* Et licèt restrictio illa facta à Bonifac. VIII. videatur specialis, neque ad alios casus extendenda, probabilius est regulam ibi generalem constitui, vt in similibus causis suspensio restricta esse intelligatur. Tum quia Pontifex non solùm illam legem Concilij Lateranen. sed etiam aliam similem Concilij Lugdunens. quæ habetur in *cap. fin. §. 1. de elect. in 6.* eodem modo interpretatus est. Tum etiam quia restrictio pœnæ fauorabilis est, & ex alia parte à Pontifice traditur, & satis insinuatur pro regula generali. Ergo sic accipienda est. Atque ita docent ex communi Sayrus *l. b. 4. thesauri, cap. 6. n. 25.* Suar. *disp. 27. sect. 1. num. 12. & num. 13.* infert si Canonicus, Episcopus, vel Rector sub nomine canonici, Episcopi, vel rectoris suspendantur, suspendi tantùm à beneficio, quod sub illo nomine significatur, quia prædicata sæpè ex subiectis limitationem accipiunt. Deinde ex intentione ferentis suspensionem censenda est limitari, vt solùm comprehendat beneficia sita in diœcesi, & territorio sententiam ferentis: nam esto Prælatus possit sibi subditum suspendere ab omnibus beneficiis tam suæ diœcesis quàm alienæ, cùm in ea sententia non excedat suam iurisdictionem, vtpote priuans subditum iure ipsi inhærente, communisque sententia defendat teste Suar. *disp. 27. sect. 1. num. 19.* Suspensionem absolutè latam illa omnia comprehendere; at satis probabile est sola beneficia in sua diœcesi sita comprehendere velle, cùm aliud non exprimit. Sicuti tradit Sayrus *lib. 4. thesauri, cap. 4. num. 28.* & probabile reputat Suar. *dicta disp. 27. sect. 1. num. 10. & seqq.* Quod dictum est de suspensione à beneficio absolutè lata, dicendũ est de suspensione à iurisdictione comprehendere tantùm iurisdictionis vsum, qui in ea diœcesi exercendus est.

Quod si obiicias suspensus absolutè ab officio ordinis vbicunque suspensus est. Sicuti notant Glossa, *in cap. pastoralis, §. verum de appellationibus & ibi* Abbas *num. 20.* Decius *num. 9.* Vgolin. *tab. 4. cap. 6. §. 2. num. 1.* Sayrus *lib. 4. cap. 5. numero 7.* Layman. *libro 1. summ. tractatu 5. parte 3. capite 1. circa finem.* Ergo etiam suspensus absolutè ab officio iurisdictionis, & à beneficio vbique manere debet suspensus? Respondeo negando consequentiam, quia ordinis exercitium vbique vnicum est: at iurisdicto pro diuersitate locorum variationem recipit, & beneficium situm in vna diœcesi, illiúsque fructus diuersi sunt à beneficio, & fructibus alterius diœcesis, ac proinde mirum non est quòd suspensio ab ordine ad alia loca extendatur. Secùs suspensio à iurisdictione, & à beneficio: vti notauit aliis relatis Sayrus *lib. 4. thesauri, cap. 5. num. 9. & cap. 6. num. 19.*

3 Sed an suspensio à beneficio inhabilem reddat beneficij susceipiendi? Affirmat communis sententia teste Coninch. *disp. 15. dub. 2. num. 14.* quia beneficium est ius percipiendi fructus, quo per suspensionem priuatus es. Sed rectiùs Suar. *disp. 27. sect. 1. num. 26.* Layman. *lib. 1. sum. tract. 5. par. 3. cap. 1. num. 3.* & Coninch. *suprà*, censent validam esse collationem, etsi ope iudicis veniat irritanda, quia nullus est textus, ex quo irritatio ipso iure colligatur. Neque est verum per suspensionem te priuari iure radicali percipiendi fructus; aliàs titulo beneficij possessi priuareris, sed solùm priuaris iure proximo, libero, & expedito prædictos fructus percipiendi. Quinimo Suar. *dicta disp. 27. sect. 1. num. 27.* meritò probabile reputat, si nullum beneficium habens crimen commit-as, cui annexa est suspensio à beneficiis, te non esse priuatum nouo beneficij acquisitione, quia hæc pœna censetur ferri aduersus beneficiarios qui ex suspensione à beneficiis possessis suspenduntur, & ex consequenti priuantur aliis acquirendis.

Rursus cùm suspensio à beneficio propriissimè sit suspensio à beneficij fructibus, ita vt suspensio absoluta omnes fructus cuiuscunque beneficij comprehendat, determinata verò illius tantùm cuius est suspensio. Examinandum est quæ nomine fructuum veniant intelligenda? Conueniunt Doctores decimas, primitias, oblationes, pensiones ædium locatarum, agrorum fructus, & reliqua emolumenta, quæ ratione beneficij percipiuntur sub fructibus comprehendi.

Sed an comprehendantur distributiones quotidianæ, quæ interessentibus diuinis officiis conceduntur? Non conueniunt Doctores. Nam Glossa *in Clement. 2. verbo suspensus. De vita, & honest. clericor.* Et *ibi* Zabarella *num. 6.* Ancharran. *num. 3.* Felin. *in capite Apostolica, numero 23. de exceptionibus* quos refert, & sequitur Vgolin. *tab. 4. cap. 8. §. 2.* censent has distributiones comprehendi. Consentit Sayrus *lib. 4. thesauri, cap. 6. num. 11.* & Bonac. *de censur. disp. 3. pun. 2. num. 14.* Filliuc. *tract. 17. cap. 3. numero 44.* cùm distributiones solis beneficiatis conceduntur, quia eo ipso censentur intuitu beneficij concedi.

Sed in hac parte distinguendum censeo, si distributiones sint ex fructibus beneficij extractæ, eo quòd fructus beneficij in distributiones quotidianas fuerint diuisi, veriissima est superior sententia, quia illæ non tam sunt distributiones, quàm beneficij fructus, cùm etiam ab infimis, & legitimè absentibus obtineantur. At si distributiones illæ non ex fructibus beneficij fuerint extractæ, sed ex particulari fidelium fundatione, esto solis beneficiatis applicentur, existimo sub suspensione à beneficio non comprehendi, quia non intuitu beneficij, sed in stipendium officij conceduntur; beneficiúmque conditio est vt concedantur, non causa concessionis. Sic tenet Paul. Tuscus *lib. 2. de visitat. & regimine Ecclesiæ, cap. 29. num. 10.* Couarru. *lib. 3. var. cap. 13. num. 8.* Gasp. Hurtado *de suspens. difficult. 4. numero 10.* nec dissentit Sayrus *lib. 4. cap. 6. num. 11.*

Inter fructus beneficij computanda est illius administratio ex omnium sententia. Quapropter suspensus à beneficio nequit locare beneficium, seu illius bona, fructus vendere per se, vel per alium, in iudicio agere, al ámve actionem præstare quæ ad temporalem administrationem pertineat, ideóque œconomus constituendus est, vt expressè colligitur ex *cap. 1. §. vlt. de elect. in 6. & capite cupientes §. cæterum, eodem titulo 6.* Et tradit aliis relatis Sayrus *lib. 4. thesauri, cap. 6. numero 4. & seqq.* Suar. *disp. 27. sect. 1. num. 31.* Paul. Layman. *lib. 1. sum. tract. 5. part. 3. cap. 1. num. 3.* Deinde nequit sic suspensus beneficium permutare, aut in fauorem tertij resignare, quia hæc permutatio, & resignatio est quidam beneficij vsus, & administratio. Sicuti relato Ioannes Andrea docuit Geminian. *dicto capite cupientes, §. cæterùm, num. 7.* Sayrus & Suar. *locis relatis.*

Sub nomine fructus beneficij comprehendunt aliqui nempe Nauarr. *cap. 27. num. 160.* Henriq. *lib. 13. cap. 32. num. 4.* Sayrus, *lib. 4. thesauri, cap. 4. num. 7.* collationem, & electionem ad beneficium titulo beneficij competentem, quia cùm à beneficio proueniant, inter beneficij fructus computari debent. Sed rectiùs contrarium docuit Glossa *in dicto capite cupientes, verbo beneficiis de electione. libro 6. & in capite cum Venientensis, verbo admiserint.* Et *ibi* Panormit. *num. 20. de electione.* Et *in cap. cum dilectus. num. 20. de consuetud.* Suar. *disp. 27. sect. 1. num. 34.* Filliucius *tract. 17. cap. 3. quæst. 5. num. 46.* Coninch. *disp. 15. dub. 2. num. 11* Paul. Layman. *lib. 1. sum. tract. 5. par. 3. cap. 1. num. 4.* Bonac. *de censur. disp. 3. pun. 2. num. 11.* Aulla *3. p. disp. 2. dub. 1.* Gaspar Hurtado *tract. de suspens. difficult. 4. num. 9.* Et colligitur apertè ex *cap. cum in cunctis. §. vlt. de electione*, vbi vltra suspensionem à beneficiis indicitur priuatio potestatis eligendi. Ergo signum est sub suspensione à beneficiis hanc priuationem non contineri. Et ratio est, quia potestas eligendi, & conferendi beneficia, tametsi à beneficio prouenial, non est beneficij vsus, sed officij ex beneficio competentis.

Quod si obiicias textum in *cap. quisquis, de electione*, vbi suspensi ab officiis, & beneficiis priuantur potestate eligendi, cùm tamen in dicta suspensione hæc potestatis priuatio contineatur. Respondeo in *dicto cap.* non ferri suspensionem ab officio, & beneficio ipso iure, sed decerni ferendũ, ideóque post dictam suspensionem statuitur priuatio potestatis eligendi ipso iure: inquit enim Innocent. III. Qui verò electionem huiusmodi, quam ipso iure irritam esse censemus, præsumpserint celebrare, ab officiis & beneficiis penitus suspendantur per triennium, eligendi tunc potestate priuati.

6 Superest, an suspensus à beneficio recipere possit illius fructus qui ad sui, & suorum congruam sustentationem necessarij fuerint? Et censeo sub distinctione respondendum, si suspensio lata sit in contumaciam, posítque suspensus delicti

pœnitens

pœnitens ab ea liberari, nullatenus poterit eos fructus percipere; quia voluntariè eam priuationem sustinet: vt benè aduertit Panormit. *in cap. pastoralis, §. verum, num. 26. de appellationib.* Vgolin. *tab. 4. de censur. c. 8. §. 7. n. 2.* Iacob. de Graffis, *lib. 4. decis. aur. cap. 25. num. 6.* Sayrus *lib. 4. thesauri, cap. 6. n. 13.* Bonac. *disp. 3 de censur. pun. 2. n. 14.* At si suspensio non in contumaciam, sed in pœnam delicti commissi fuerit imposita, ita vt in voluntate suspensi constitutum non sit ab ea liberari, poterit suspensus eam partem fructuum sibi applicare, quæ necessaria fuerit, ne mendicari cogatur, iudexque suspensionem ferens tenetur eam partem designare. Sicuti tradit Glossa *in cap. cum Vintonienſis, verbo admiserint.* & *ibi* Panormit. *n. 10. de electione.* Sayrus plures referens *lib. 4. cap. 6. num. 12.* Suar. *disp. 27. sect. 2. num. 3.* Coninch. *disp. 15. dub. 2. conclus. 6.* Bonacina *dicto pun. 2. num. 14.* Paul. Layman. *lib. 1. sum. tract. 5. par. 5. cap. 1. num. 4.* Gasp. Hurtado. *tract. de suspens. difficult. 4. num. 10.* Etenim Ecclesia vt status clericalis honori, & decori consulat, hanc in suspensum benignitatem exercet. Quinimo Stephan. Dauila *2. p. c. 6. disp. 6. dub. 1. conclus. 1. & 2. & 3. par. disput. 2. dub. 2. concl. 6.* Gaspar Hurtado. *d. tract. de suspens. difficult. 4. num. 10.* nec dissentit Layman. *loco. citato*, existimant suspensum recipere posse fructus beneficij correspondentes labori quem seruiendo beneficio impendit, quique substituto concederentur, quia hi non tam sunt beneficij fructus, quàm stipendium laboris impensi. Quod verò Petr. Nauarra *lib. 2. de restit. c. 2. n. 237.* asserit suspensio à beneficio non esse fructus beneficij denegandos, quousque à iudice per sententiam condemnetur, admittendum non est; vtbenè reprobat Gaspar Hurtado *suprà*, quia suspensio à beneficio hanc fructuum priuationem ipso facto inducit, sicut suspensio ab officio officij priuationem.

§. III.

Quem effectum habeat suspensio alternatiua ab officio, & beneficio conditionalis, & determinata?

1 *Si suspensio alternatiua ab officio, vel beneficio feratur, nullum effectum producit, etsi contrarium aliqui affirment.*
2 *Suspensio determinatè prolata suscipere determinationem potest ex materia, loco, & tempore.*
3 *Qualiter tempus computandum sit.*
4 *Suspensio sub conditione lata, cessat conditione apposita.*

1 ALiquando suspensio profertur sub disiunctione, ab officio inquam vel beneficio, & inter Doctores controuertitur, quem effectum habeat? Variæ sunt de hac re sententiæ. Nam Glossa *in cap. à Crapula, verbo beneficio. De vita, & honest. clericor.* & *in cap. latores, verbo ab officio. & ibi* Hostiens. & Panormitan. *n. 7. de clerico excommunic. ministr.* censent tametsi sub dubio vtramque suspensionem ab officio, & beneficio comprehendere: nam cùm nulla adsit ratio, ob quam magis ad beneficij suspensionem, quàm ad suspensionem officij referatur, nec illa sententia irrisoria sit, censenda est vtramque suspensionem comprehendere. Alij, è quorum numero est Gaspar Hurtado *tract. de suspens. difficult. 4. num. 11.* existimant in voluntate suspendi situm esse effectum huius censuræ, sicuti cùm pœna pecuniaria, vel exilio quis condemnaretur. Quod si reus noluerit eligere, vt tenetur, vtraque suspensione credendum est ex mente legislatoris, affici.

Sed verius censeo prædictam sententiam sub dicta forma prolatam nullum effectum ipso iure producere, argum. *leg. 3. Cod. de sentent. quæ sine certa quantit. profer.* vbi decidit sententiam incertam, & indeterminatam nullam esse: at sententia suspensionis lata sub illa forma indeterminationem, & incertitudinem habet. Ergo, &c. Neque est verum obligatum esse delinquentem eligere qua suspensione affici vellet, nam hac obligatione non astringitur ante delictum commissum, vt de se constat; commisso autem delicto statim in suspensionem incidere debebat; aliàs non esset suspensio ipso iure. Ergo non potest ab electione delinquentis dependere. Præterquam quòd alienum est quemlibet obligare suarum pœnarum executorem esse. Neque est simile de sententia condemnatoria ad solutionem pecuniæ, vel exilij, quia hæc non annectitur delicto, sed post delictum commissum fertur, ideóque compelli potest delinquens, vt vnum è duobus eligat, Quocirca si in aliqua Extrauag. reperiatur suspensio sub illa forma lata, credendum est voluisse Pontificem non ipso iure ferre suspensionem, sed sensum esse ipso facto & iure prædictum delinquentem subiectum esse suspensioni ab officio, vel beneficio, quam Pontifex determinauerit. Atque ita docent Panormit. *in cap. latores. num. 7. de clerico excommun. ministrante.* Sylvest. *verbo suspensio, num. 5.* Tabiena. & Rosella *ibi.* Nauarr. *cap. 27. num. 161.* Maiol. *lib. 2. de irregularit, cap. 19. num. 14. vers. prima declaratio.* Henriq. *lib. 13. cap. 32. num. 4.* Ludouic. Lopez *2. p. instructor. num. 97. vers. vlt.* Vgolin. *tab. 1. de censur. c. 20. §. 3. num 4.* Viuald. *cand. aur. tit. de susp. n. 155.* Sayr. *lib. 4. thes. cap. 7. n. 3.*

2 Si verò de suspensione determinata loquamur, constat ex superius dictis sententiam suspensionis tam ab officio, quàm à beneficio recipere determinationem posse tum ex materia, tum ex loco, tum ex tempore. Ex materia suspensio ab officio recipit determinationem, si sit lata ab officio tantùm ordinis, vel ab aliquo actu iurisdictionis, vel ordinis, & non ab omnibus. Similiter suspensio à beneficio determinata censebitur, si sit suspensio à Beneficiis quæ in vno loco habes, & non à beneficiis alterius loci, iuxta *cap. cupientes, & c. compromissarius de electione lib. 6.* Vel si lata suspensio sit quoad partem fructuum, & non quoad omnes, prout fieri posse tradit Glossa in Clement. *cupientes de Pœnis*, & sumitur ex Clement. *de vita, & honest. clericor.* vel si suspensio feratur à beneficiis de præsenti obtentis; vti habetur in *dicta Clement. 2.*

Quoad locum suspensio determinata esse potest, si pro vno tantùm loco feratur, quo posito extra illum locum ita liberam personam reliquit, ac si suspensione careret; quia sententia nequit suos limites excedere, & priuatio officij, vel beneficij in vno loco reliquorum concessio est. argum. textus *Nonne de præsumpt. & leg. cum prætor. ff. de iudiciis.*

Quoad tempus autem determinata suspensio erit, si fiat per mensem, per annum, vel annos; qua determinatione posita absque alia absolutione cessat suspensio illo tempore finito, vt tradit Glossa, *Clement. 2. verbo donec, de Decimis. & in c. sacro de sentent. excommunicat. & in cap. 1. eodem titul. in 6.* Innocent. & Abbas *in cap. cum bonæ, de ætate & qualit.* Iacob. de Graffis *lib. 4. decis. cap. 25. num. 14.* Alfons. Viuald. *tit. de suspens. num. 180.* Sayrus *lib. 4. thesaurt, cap. 8. n. 23.* Suar. *disp. 26. sect. 1. num. 14.* Durante illo tempore suspensio tolli non potest, nisi ab eo à quo lata est, vel eius superiore, quia inferior nequit superioris sententiam immutare, vt rectè aduertit Sayrus *suprà.*

3 Solùm est difficultas qualiter hoc tempus computandum sit, maximè cùm incepto anno, vel mense suspensio contrahitur? Et in primis certum esse debet computationem inciendam esse ab eo die, & momento quo est contracta suspensio, quia ab eo puncto sententia executioni mandata est, sicuti colligitur ex Glossa *in cap. prouida, verbo annum continuum, de electione lib. 6.* & tradit Bald. *leg. 3. ff. si quis cautionibus.* Vgolin. *tab. 4. de censur. cap. 15. num. 2.* Sayrus *lib. 4. thesauri, cap. 8. numero 2.* Bonacin. *tom. 1. de censur. disputat. 3. punct. 3. numero 2.* Neque obest diem termini non esse in termino numerandum. argument. *cap. 1. & ibi* Glossa, *verbo proponitur de restitut. spoliator. lib. 6.* & Iason. *in leg. 1. num. 20. ff. si quis cautionibus.* Quia id intelligendum est de his sententiis, quæ secum non trahunt executionem, non verò de censuris ipso iure latis, quæ secum executionem ferunt. Vt decidit *cap. Pastoralis, § verum de appellationib.* Finitur autem computatio, si per mensem suspensio sit eo die mensis sequentis, quo in antecedenti incœpit. V. g. contracta est tertio Ianuarij, finitur tertio Februarij, & eadem computatio facienda est in suspensione per annum, computandum inquam esse tempus ab eo die, & momento quo contracta suspensio est, vsque ad alium similem diem, & horam anni sequentis, eo quòd hæc sit communis, & frequens annorum, & mensium computatio, quæ in interpretatione legum, & maximè pœnalium spectanda est. Vti docent aliis relatis Vgolin. *tab. 4. de censur. cap. 15. n. 2.* Sayrus *lib. 4. cap. 8. num. 4. & 5.* Bonac. *de censur. disp. 3. p 3. num. 3.*

Quod si eo tempore suspensionis interueniat bissextus, grauis est inter Doctores controuersia, an ille intercalaris computandus sit in suspensione per mensem, vel annum apposita, ita vt in illo mense, vel anno contineatur, ac si bissextus non esset, vel potiùs numerandus sit distinctus, & extra numerum mensis, vel anni? Ratio difficultatis est, quia esto sit dies distinctus pro vno tamen die cum præcedenti computatur, spectata communi computatione: vti habetur *cap. quæsuit §. fin. de verbor. significat. & leg. cum bissextus ff. eodem. & in leg. 3. §. minorem. ff. de Minoribus.* Cæterùm omnino dicendum est diem illum intercalarem habendum esse vt distinctum, & extra numerum mensis, vel anni computandum. Vti docuit Gloss. *in c. 2. verbo, anno 55. distinct. & cap. quæs. §. fin. de verb. sign. & ibi* Panorm. *n. 4.* Sylu. *verbo susp. q. 5.* Henr. *l. 13. c. 35. n. 2.* Vgol. *tab. 4. de cens. c. 1 5. §. 1. n. 3.* Sayr. *lib. 4. thes. cap. 8. n. 12.* Bonac. *t. 1. de cens. disp. 3. p. 3. n. 5.* Ratio est, quia mensis, vel annus maximè in materia pœnali accipiendus est iuxta communem vsum: at bissextus extraordinarius est, ergo ex illo non est computandus mensis. Et confirmari potest ex *leg. cum hæres. §. Stichus. si heredi, ff. de Statu liberor.* vbi decidit libertatem promissam seruienti per annum, acquiri si seruiat 365. diebus, eo quòd hæc materia fauorabilis sit, at eundem fauorem continet à suspensio-

ne libertas. Ergo bisextus non debet intrare in numero anni, vel mensis, sed vt dies distinctus computari. Neque obest vt diem vnum, & indistinctum computari, & mensem & annum constituere; quia id verum est quoad annorum, & mensium numerationem, sed non quoad circulum solis, & lunæ, à quo propriè annus, & mensis computatur: vt notauit Glossa *in dicto c. quæsiuit. verbo qui duo.* Præterquam quòd in fauorabilibus bisextus pro vno die habetur. Secus in pœnalibus, & in contractibus, argum. *leg. 2. ff. de diuersis, & temporal. præscriptionib.* Ab hac doctrina censerem excipiendam suspensionem latam per quadriennium, eo quòd dies bissextilis ad illius complementum omnino pertineat, cùm Sol, & Luna suum cursum quolibet anno conficiant spatio 365 dietum, & sex horarum, quæ sex horæ continuatæ vnum diem quolibet quadriennio necessariò constituunt. Sicuti aliis relatis adiuertit Sanch. *lib. 4. in decalog. cap. 45. num. 3. & in præsenti.* Bonac. *t. 1. de censur. disp. 3. p. 3. num. 6.*

4 Verùm si suspensio sub aliqua conditione feratur, illud est certum cessare conditione apposita, quia solùm apponitur, quousque apponatur conditio. Hæc autem conditio pendere potest à voluntate suspensi, vel à voluntate suspendentis. A voluntate suspensi pendet, si suspensio apposita sit sub hac conditione, quousque satisfacias, quousque delicti pœniteas. Quo casu in tua voluntate situm est à suspensione liberari satisfactione, vel pœnitentia exhibita, quia præstas id quod pro termino fuit in sententia appositum. Vt notauit Sayrus *lib. 4. thesauri, cap. 8. num. 14. & 16.* At si conditio è voluntate ferentis censuram, vel ab alio tertio pendet, vt si lata fuerit suspensio, quousque ferens suspensionem aliud disposuerit, vel iuxta suum beneplacitum, oportet vt aliud disponat, vel eius beneplacitum cesset, vt suspensio cessare intelligatur. Ea tamen est differentia inter has conditiones, quòd illa conditio donec aliud sit dispositum non censetur perfici morte ferentis censuram, quia per mortem non aliud disponitur: at illa conditio *donec tibi placuerit*, morte completa est, quia succedente morte tum beneplacitum cessat, vti tradit Felin. *cap. 1. num. 7. de Iudicijs.* Suar. *disp. 26. sect. 1. circa finem.* Monent tamen Doctores, specialiter Sayrus *lib. 4. cap. 8. num. 17.* suspensum ad beneplacitum Prælati, non esse in suspensione detinendum, nisi quantum ad eius correctionem necessarium fuerit iuxta Conc. Trident. *sess. 25. cap. 3. de ref. format.*

Punctum VI.

Quod peccatum sit violare suspensionem, & quæ pœna sit violantibus imposita?

1 *Graue peccatum est ex suo genere suspensionis violatio.*
2 *Eximitur suspensus ab officio non denunciatus, si ad petitionem aliorum fidelium officia ministret.*
3 *Suspensus denunciatus nullatenus potest extra vrgentissimam necessitatem officia à quibus est suspensus, exercere.*
4 *Ob violationem suspensionis in ordine irregularitas contrahitur.*
5 *Quod verum est, esto pro determinato tempore suspensio apposita sit.*
6 *Ob nullam aliam violationem suspensionis irregularitas contrahitur.*
7 *Qualiter suspensus irritationem, & annullationem actus incurrat.*

1 Solus suspensus violare propriè suspensionem potest, quia solùm ipsi vsus officij, vel beneficij interdictus est, reliqui verò solùm peccare possunt, quatenus occasio fuerint dictæ violationis. Certa igitur sententia est suspensum ab officio, vel beneficio ex suo genere mortale peccatum committere, si suspensionem transgrediatur, quia contemnit Ecclesiæ præceptum, & grauem illius censuram: sicuti tradit Nauarr. *cap. 27. num. 168* Henriq. *lib. 13. cap. 33. numero 1* Tolet. *lib. 1. cap. 14.* Sayrus, *lib. 4. thesauri, cap. 11. num. 8.* Suar. *disp. 26. sect. 2. num. 1.* Auilla *3. part. disput. 3. dub. 2.* Coninch. *disp. 15. dub. 2. num. 17.* Reginald. *lib. 32. tract. 2. num. 31.* Bonac. *t. 1. de censur. disp.... punct. 4. num. 1.* Dixi *ex suo genere*, nam aliquando ex paruitate materiæ trangressio suspensionis venialis esse potest, vt in suspenso à iurisdictione receptio vnius testis, & in suspenso ab ordine, minorum ordinum exercitium, quia frequenter ab iis qui nullo sunt ordine insigniti præstatur, vt notant Nauarra, Sayrus, Suar. Bonacina, & alij *suprà.*

2 Ab hac regula eximitur suspensus ab officio non denunciatus, si ad petitionem aliorum fidelium officia à quibus est suspensus, ministret. Nam eo casu à suspensione prius absolui nequit, licitè poterit, & absque vlla irregularitatis pœna ea officia petentibus ministrare ob Extrauag. Concilij Constant. *Ad euitanda scandala*, magis explicata in Concilio Basilcensi, & Lateranensi sub Leone X. *sess. 10.* & tradit ex communi Henriq. *lib. 13. cap. 33. n. 3.* Tolet. *lib. 1. cap. 14.* Sayrus *lib. 4. thesauri, cap. 11. num. 2. & 3.* Suar. *disp. 26. sect. 2. n. 2. & seqq.* Gaspar Hurtado *tract. de suspens. difficult. 1. num. 13.* Quippe petitio fidelium suspendit censuræ prohibitionem, & reddit actum licitum, qui aliàs illicitus esset.

Verùm si suspensus denunciatus sit nullatenus licet ei extra vrgentissimam necessitatem, & secluso scandalo ea officia à quibus est suspensus, exercere, tametsi ab aliis fidelibus postuletur, quia ea petitio iniqua est, vt pote inductiua ad peccatum. Nam esto nullum sit præceptum ex vi suspensionis, quod communicationem cum suspenso prohibeat, ideóque secluså petitione, & inductione, seu cooperatione licitè possis Missæ aliisque officiis diuinis à suspenso peractis assistere. Vt tradit Sayrus *lib. 4. thesauri. cap. 11. num. 6.* Suar. *disp. 26. sect. 2. num. 7.* & *disp. 28. sect. 5. num. 6.* Henriq. *lib. 13. cap. 33. n. 3.* Auila *3. p. disp. 2. dub. 3. concl. 1.* attamen præcepto diuino, & naturali obligatis, ne aliquo modo causa sis peccati alterius, sicuti prædicti Doctores aduertunt. Quod si roges quod ergo priuilegium fidelibus concessum est *in Extrauag. Ad euitanda scandala*, vt non teneantur vitare suspensum non denunciatum, si suspensum etiam denunciatum non obligantur vitare? Respondeo priuilegium in eo consistere, quòd ante denunciationem possunt fideles petere à suspenso administrationem Sacramentorum, iurisdictionis exercitium, & quælibet alia officia, quorum vsu per suspensionem priuatur est, qui posita petitione fidelium licitus redditur. At stante denunciatione fideles nequeunt vsum officij suspenso prohibiti petere, quia peterent quid illicitum: siquidem ex petitione fidelium non suspenditur prohibitio: vt benè notat Suar. *disput. 18. sect. 5. num. 7.*

Quoad pœnas appositas suspensionem violantibus, dicendum est ob solam violationem suspensionis ab Ordine sacro eius officium solemniter exercendo irregularitatem incurri: vti ex communi docent Nauarr. *cap. 27. num. 163.* Valent. *t. 4. disp. 7. qu. 18. punct. 1.* Filliucius, *tract. 17. cap. 11. q. 4.* Sayr. *lib. 4. cap. 16. num. 3.* Bonac. *tom. 1. de censur. disp. 3. punct. 4. n. 5.* Duplicem partem habet conclusio, alteram affirmatiuam, alteram negatiuam; affirmatiua est ob violationem suspensionis ab Ordine sacro eius officium solemniter exercendo irregularitatem incurri, quæ colligitur expresse *ex cap. 1. de sententia & re iudicata. lib. 6.* & *cap. cum medicinalis de sententia excommunic. eodem lib.* & ex Extrauag. Pij II. incipiente: *Cùm ex sacrorum*: & tradunt Nauarr. Suar. Sayrus, aliique Doctores relati. Sed notanda sunt verba conclusionis, non enim ob quamcunque suspensionis ab ordine violationem incurritur irregularitas, sed ob violationem suspensionis ab Ordine sacro, nam ob violationem suspensionis ab Ordinibus minoribus receptissima sententia est irregularitatem non incurri, eo quòd officia horum Ordinum cum omni sua solemnitate à laicis, sicuti à clericis præstari solent. Vt notauit Sayrus *lib. 4. cap. 11. num. 9.* & latiùs *cap. 16. num. 11.* Bonacina *t. 1. de cens. disp. 3. punct. 4. num. 5.* Neque item ob violationem suspensionis ab Ordine sacro irregularitas incurritur, nisi quando officium Ordinis sacri sic exercetur, vt non nisi ab insignitis eo Ordine exerceri posset. Cùm ergo sæpè contingat Ep stolam, & Euangelium in Missa cani absque manipulo, vel stola ab iis qui Subdiaconatum, & Diaconatu ordinati non sunt, efficitur ea officia sic exercentes irregulares non esse, quia non censentur officium Ordinis sacri propriè, & formaliter exercere. Vti ex communi tradunt Nauar. Sayrus, & Bonac. *suprà.* Ob eandem rationem suspensus à Diuinis officiis, & à Sacramentis irregularis non est tametsi Diuinis assistat, & Sacramenta recipiat, quia ea assistentia, & receptio non est exercitium Ordinis sacri, cùm à laicis præstari possit, vt ex communi tradit Bonacina *disp. 3. pun. 4. n. 6.* Quinimo nec suspensus ab Ordine diaconatus, vel officio prædicandi irregularis erit, tametsi cum superpelliceo, & benedictione Sacerdotis solemniter in Missa concionetur, quia esto officium concionandi solemniter ex præscripto Ecclesiæ solis Diaconis competat, at non est vsus Ordinis; siquidem non ordinatis concedi Episcopo potest. Sicuti tradit Sylvest. *verbo suspensio q. 5.* Maiol. *lib. 2. de irregul. cap. 19. n. 21.* Sayrus *lib. 4. thesauri, cap. 16. num. 20.* Henriq. *lib. 13. c. 32. num. 3.* Bonac. *d. pun. 4. n. 6.* Tametsi contra sentiat Nauarr. *c. 27. n. 165.* Gregor. de Valen. *t. 4. disp. 7. q. 18. p. 1. dub. 3.*

5 Aliqui hanc partem conclusionis temperant, ne procedat in violatione suspensionis ab Ordine sacro pro determinato tempore appositæ, & in puram pœnam delicti commissi, sed in suspensione absolutè lata pro contumacia suspensi coercenda. Etenim Eman. Saa, *verbo irregularitas ex ordinis abusu, num. 7.* inquit: *Si aliquis se suspensus solitum ad tempus, malè censent si celebret non fieri irregularem.* Sed hæc limitatio nullatenus admittenda est, quia aduersatur expresse *cap. 1. de sentent. & re iudicata in 6.* vbi Iudex ordinarius, vel delegatus qui contra iustitiam quidquam fecerit in grauamen partis alterius &c. ab executione officij per annum suspenditur. Quòd si suspensione durante damnabiliter se ingesserit Diuinis, irregularitatis laqueo se inuoluet secùndùm canonicas

nicas sanctiones, à qua non nisi per summum Pontificem poterit liberari, Item traditur in *c.1.de sententia excommunic. in 6.* Atque ita tradit vt omnino certum Suar. *disp.26. sect.2. n.3.* Filliuc. *tract.17.cap.10.quæst.9.num.193.* Sayrus *lib.4. cap 16.num.30.* Bonac. *t.1. de censur. disputat. 3. punct.4. numero 6.*

6 Altera pars conclusionis negativa est, ob nullam aliam suspensionis violationem irregularitatem incurri, quia non habetur in iure, & irregularitas non incurritur nisi in casibus in iure expressis. Quapropter non incurritur irregularitas ob violationem suspensionis à iurisdictione præcisè, quia nullibi hæc irregularitas his violationibus apposita est, & notauit Suar. *dicta disp.26 sect.2.num.6.* Filliuc. *tract.17. cap.10. q.6. num.188* Bonac. *t.1. de censur. disp.3.p.4.num.6.* & alij passim. Vnde conferentes beneficium, eligentes, sententiam in causa proferentes irregulares non sunt, quinimo nec Parochus matrimonio assistens, quia hæc omnia actus sunt iurisdictionis, non Ordinis sacri exercitium. Deinde non incurritur ob violationem suspensionis à beneficio ob eandem rationem, quia non habetur in iure. Sicuti notauit Innocent. *in cap. cum prudem. de renunciat.* Paludan. *in 4.dist.18 q.7.art.3. concl.2.* Simon Maiolus, *lib.3.de irregularit.cap.19.numero 14.* Sayrus *lib 4.thesauri,cap.16.num.2.* Bonac. *d. disp.3. punct.4. num.6 in fine.* Verùm huius suspensionis violator ipso iure priuatur beneficio, vt deciditur *c.1.§. vlt.de elect.lib.6* ibi: *Ad quæ si infra illud tempus propria temeritate se ingesserit, eis ipso iure sit priuatus.* Vt benè notauit Tolet. *lib.1. cap.45. num.11.*

7 Alia pœna est irritatio, & annullatio actus à suspenso præstiti: quæ pœna solùm habere locum potest in iis quæ ab Ecclesia pendent, vti est iurisdictio, & beneficium, in his ergo suspensus si beneficium administret, & iurisdictionem exerceat inualidum actum facit, modo vt suspensus denunciatus sit, secùs ante denunciationem; quia facta denunciatione priuatur potestate omnimoda illos actus exercendi: at ante denunciationem solùm impeditur ab illorum exercitio, dum à fidelibus non requiritur, requisitus verò à fidelibus & validè, & licitè prædictos actus exercet, ideóque necessarium est, vt iurisdictionem retineat, sicuti hæc ex communi sententia tradit Henriq. *lib.13. c.33. num.2. & seqq.* Suar. *disp.27. sect.2.n.2.* Sayrus, *lib.4.cap.11.num.15.* Bonac. *tom.1.disput.3. punct.4.in fine.*

Punctum VII.

Qualiter sententia suspensionis per applicationem suspendi possit?

1 *Suspensio ante incursionem appellationis potest suspendi.*
2 *Debet esse appellatio rationabilis, & legitima.*
3 *Suspensionem incursam appellatio subsecuta non suspendit.*
4 *Suspensio à beneficio per appellationem suspenditur.*
5 *Suspensio ab officio, & ab ingressu Ecclesiæ absolutè lata, & incursa, si postmodum à iudice pro aliquo tempore suspendatur per appellationem interpositam illo medio tempore, non impeditur eius effectus ex plurium sententia.*
6 *Verius est oppositum.*
7 *Suspensio ob officio, vel ingressu Ecclesiæ, quæ non est censura, sed pœna per interpositam appellationem suspenditur.*

1 ANtequam censura incurratur, conueniunt ferè omnes Doctores appellationem vim habere suspendendi censuræ effectum, ex Textu in *cap.ad hæc quoniam.* Et *cap.pastoralis §. verum, de appellationib. Cap. per tuas de sententia excommunic.* Et *cap.solet.Cap.venerabilibus eodem lib.6.* eo quod natura appellationis legitimæ sit potestatem Iudicis à quo, ligate, ne in illa causa vlterius pendente appellatione procedere possit, iuxta Textum *in cap. si à iudice de appellationib. lib.6.* Et licet in iure expressus non sit huius appellationis effectus comparatione suspensionis, sufficit tamen generaliter appellationi hanc vim inesse comparatione cuiuscunque sententiæ. Præterquam quòd comparatione excommunicationis incurrendæ hic effectus expressus est in supradictis textibus. Ergo idem erit in suspensione, & interdicto, cùm hæ censuræ inter se conueniant. Argum. *cap. quærenti de verbor. significat.* Atque ita tradit Glossa *in cap. licet, verbo excommunicationis, de sententia excommunicat.* Panormit. *in cap. ad hæc quoniam n.1. de appellationib.* Sylvest. *verbo suspensio, q.3.* Vgolin. *tab.1.cap.2.§.23. num.9.* Bonac. *disp.3. & 5.p.1. circa finem,* & alij communiter.

2 Hæc doctrina intelligenda est, dummodo appellatio rationabilis sit, hoc est ex causa rationabili, & legitima: vti habetur *cap.cum appellationibus, de appellationib.lib.6.* Nam futilis, friuolaque appellatio hanc vim non habet, vt colligitur ex *dicto cap.cum appellationibus.* & *cap. inter cætera eodem tit.* & *cap.pastoralis, §. verum de appellationib.* Et tradit Panormit. *ibi num.14.* Vgolin. *tab.1.de censur.cap.13. §.18.num 33.* Sayr. *lib.4. c.9.n.5.* Deinde intelligenda est, modò ferens suspensionem non habeat potestatem procedendi in causa appellatione remota; nam stante ea potestate cum per appellationem non suspendatur iurisdictio Iudicis à quo valida erit suspensionis sententia, & effectum habebit, ac si appellatio non fuisset interposita, vt multis comprobat Felin. *in cap. intelleximus, num.18. de iudiciis. & cap.significauerunt, num.19. de exceptionib.* Vgolin. *de censur. tab.2. cap.16.§.7. num.3.* Sayrus *lib.4.thesauri, cap.9.num.4.* Gasp.Hurtado. *de suspens. difficult.10.n.27.* Hanc verò potestatem solùm habet summus Pontifex, & cui ipse iure, vel priuilegio commiserit, quia nullus alius impedire potest effectum à iure appellationi concessum, vt benè tradit Felin. *in d.cap.significauerunt.*

Si verò appellatio suspensionem incursam subsequatur, 3
nullatenus suspensionis effectum suspendit; quia secum trahit executionem. Argum. *d.cap pastoralis*, quod in suspensione ab officio, & ab ingressu Ecclesiæ certissimum est, ex decisione textus *in capit. is cui de sententia excommunicat. lib.6. & ibi* Glossa, *verbo sequentem.* Ex quo Textu probabiliter infertur reliquas suspensiones, tametsi de rebus spiritualibus sint, per appellationem subsequentem suspendi posse; siquidem de sola suspensione ab officio, & ab ingressu Ecclesiæ statuitur per subsequentem appellationem non suspendi: hæc enim exceptio firmat regulam in casibus non exceptis, sicuti notauit Gasp. Hurtado, *tract. de suspens. diffic.10. num.27.* Tametsi Doctores nempè Glossa *in dicto cap.is cui, verbo sequentem* Innocent. & Panormit. *in cap. ad hæc quoniam.num.1.de appellationib.* Sylvest. *verbo suspensio.quæst.3.* Tabiena *n.9 vers. octauo.* Viuald. *candelab.aur.tit.de suspens. n.135.* Sayr. *lib.4 thesauri, c.9.n.1.* communiter censeant suspensionem à rebus meriè spiritualibus per subsequentem appellationem non impediri; eo quòd eadem sit ratio in his suspensionibus, ac in suspensione ab officio spirituali, & ingressu Ecclesiæ. Quod certè non conuincit, nam in pœnis non est ob identitatem rationis extensio vltra casus expressos facienda.

Hinc infertur suspensionem à beneficio per appellatio- 4
nem suspendi, quia non continetur sub suspensione ab officio, & ingressu Ecclesiæ, quæ exceptæ sunt in *dicto cap. is cui de sententia excommunicat.in.6.* sicuti notarunt *ibi* Ioann. Andreas, & Glossa *verbo sequentem.* Innocent. & Panormit. *in dicto cap.ad hæc quoniam, numer.1. de appellationib.* Angel. *verbo suspensio 2. num.1.* Sylvest. *eodem, qu.3.* Henriq. *cap.34. num.4.* Auila *3.part.de censur.disp.3. dub.4.* Tolet. *lib.1.c.44. in fine.* Sayrus *lib. 4.thesaur.cap.9.num.10.* Secundò infert Nauarr. *lib.1.consilior.tit.de elect.cons.8.* suspensionem ab administratione beneficij, à voce actiua, & passiua per appellationem subsequentem suspendi; quia non sunt suspensiones ab officio, & ingressu Ecclesiæ. Quod verum censeo de administratione beneficij, & electione passiua; at electio actiua cùm sit actus officij, & iurisdictionis, nequit per appellationem subsequentem suspendi.

Superest tamen duplex difficultas. Prima, an suspensio ab 5
officio, & ab ingressu Ecclesiæ absolutè lata, & incursa si postmodum à iudice pro aliquo tempore suspendatur per appellationem illo medio tempore interpositam, impediatur eius effectus; Negant Innocent. *in cap. cum inter de consuetud.* Bald. *in leg. cum alias. cod. si à curat. furios.* Et *in leg. fin. vers. & circa hoc fuit dubium. Cod. si à non competenti iudice.* Vgolin. *de censur. tab.1.cap.9.§.11.num.10.* & alij relati à Glossa, & Panormit *in cap. ad hæc quoniam de appellationib.* Mouentur ex eo quòd illa censura iam est incursa, & secum trahit executionem; tametsi ex benignitate iudicis pro aliquo tempore suspendatur eius effectus.

Cæterùm verius est per appellationem interpositam illo 6
medio tempore quo censura suspensa est, impediri illius effectum, quæ fuit sententia Glossæ *in dicto cap. Ad hæc quoniam, in verbo interd ctu.* Et *in cap dilectus, verbo suspendendus, de appellat.* Panormit. *in dicto cap. ad hæc quoniam, num.5.* Angeli, *verbo interdictum 8.num.4.* Tabienæ *interdictum 1. §.1.* Federici de Senis, *cons.28.* Rotæ Romanæ *decis.434. de sentent.excommunicat.* Alterij *de interdicto, disp.11. cap.5. sub finem.* Sayri, *lib.4.thesauri, cap 9.num.14.* Bonac. *t.1. de censur.disp.3. de suspensione pun.1 circa finem.* Et colligitur manifestè ex *cap.dilectis de appellationib.* vbi quidam Decanus qui sententiam interdicti tulerat, eámque pro aliquo tempore suspenderat, reprehenditur à Pontifice, eo quòd appellationi illi medio tempore interpositæ non detulerit. Sentit ergo Pontifex & appellationem legitimè interponi, & efficacem esse ad censuræ effectum impediendum. Præterea appellatio vim habet suspendendi censuram, quando secum non trahit executionem, at stante suspensione Iudicis censura non secum trahit executionem, siquidem suspensus æquè liber est ab effectibus censuræ, ac si nunquam ea astrictus esset. Deinde si suspensionem tulisses sub aliqua conditione, non est dubium ante conditionem appositam appellatione

suspendi posse, quia vsquequò conditio ponatur, censura non habet effectum. At cùm censura pro aliquo tempore suspenditur effectum non habet, quousque tempus illud elapsum sit, ergo interim appellatione impediri potest, ne effectum elapso illo termino habeat.

7 Secunda difficultas est; An suspensio ab officio, vel ingressu Ecclesiæ quæ non est censura, sed pura pœna in punitionem delicti apposita, per sequentem appellationem impediatur eius effectus; Ratio difficultatis est, quia Textus in *dicto cap. is cui, de sentent. excommunicat. lib. 6.* absolutè decidit per sequentem appellationem non suspendi suspensionem ab officio, & ingressu Ecclesiæ. Ergo quocunque modo suspensio apposita sit siue in correctionem delicti, siue in illius punitionem subsequenti appellatione non suspenditur, quia secum trahit executionem. Nihilominus Abbas *in cap. 2. de clerico excommun. ministr. num. 2.* Et *in cap. sæpè num. 16. de appellationib.* merito affirmat suspensionem quæ est pura pœna per sequentem appellationem suspendi, textúmque in *dicto cap. is cui*, intelligi de suspensione tantùm quæ est censura. Et probari potest; quia Textus eam suspensionem ab officio, & ab ingressu Ecclesiæ decidit subsequenti appellatione non suspendi, quæ excommunicationi est similis, vt constat ex illis verbis, *sicut excommunicatio, &c.* At excommunicatio numquam induit rationem puræ pœnæ, sed semper retinet naturam censuræ. Ergo pro sola suspensione quæ censura est intelligitur prædicta Textus decisio. Deinde odiosùm est negare appellationi hanc vim, & efficaciam impediendi effectum sententiæ latæ. Ergo dum manifesto Textu, vel ratione non conuincimur, asserendum non est.

PVNCTVM VIII.

Qualiter suspensio semel incursa suspendi possit?

1 *Absolutione, vel dispensatione suspenditur.*
2 *Manente suspensione eius effectus, & obligatio suspendi potest à Pontifice: ab aliis affirmant plures.*
3 *Verius est à solo Pontifice suspensionis effectum suspendi posse illâ manente.*

1 NOn est dubium absolutione, vel dispensatione suspendi hanc censuram posse: vti suspenditur excommunicatio in *c. cum voluntate.* Et *c. responso de sententia excom.* Et *c. solet, eod. tit. lib. 6.* Et interdictum, in *c. quod in te de pœnit. & remissionib.* Et *c. non est vobis de Sponsalib.* Et *c. permittimus, de sent. excomm.* Et *cap. fin. eodem tit. lib. 6.* Nam hæ censuræ, & pœnæ non sic delinquentem afficiunt, quin aliqua viâ tolli non possint, quæ non est alia quàm absolutione, vel dispensatione. Hæ namque sicut dari possunt absolutè, sic pro limitato tempore, & ad reincidentiam.

2 Difficultas autem est, An manente suspensione possit illam ferens eius effectum, & obligationem tollere, ac si de facto ipsa censura sublata esset; Et de Pontifice nemo est qui dubitet, cùm ex eius voluntate, & institutione censurarum effectus, & obligatio pendeat, vt tradit Glossa *in cap. ad hæc quoniam, verbo interdictum de appellationib.* Innocent. *in cap. ad monasterium. de Regularib.* Panormit. *in cap. nonnulli num. 1. de sentent. excommunicat.* Felin. *in cap. 1. num. 11. de Constitutionib.* & alij. De aliis à Pontifice docere videntur Innocent. *in cap. cum inter de consuetud.* Panormit. *in cap. ad hæc quoniam n. 5. & cap. dilectus, n. 22. de appell.* Sayrus. *lib. 4. thesauri, cap. 10. n. 13.* Mouentur, nulla ex facultate Pontificis manifestum est posse prædictum effectum & obligationem suspendi, sed hanc potestatem concessam esse colligitur ex *cap. dilectus de appellationib.* vbi Decanus suspendit interdictum à se latum, cuius suspensionem non improbat Pontifex: & *in cap. Alma mater de sentent. excommunicat. lib. 6.* suspenditur interdictum pro aliquibus festiuitatibus. Ergo similiter suspendi poterit suspensio.

3 Cæterum verius existimo effectum suspensionis suspendi non posse ab alio quàm à Pontifice ipsa suspensione manente, sicuti de omnibus censuris generaliter docui *hoc tract. disput. 1. punct. 9.* Mouetur, quia inferior nequit Superioris decretum, & institutionem mutare aut variare ex *cap. cum inferior, de maiorit. & obedient.* At ex decreto, & institutione Pontificis suspensio, & quælibet alia censura dum de facto est, suum effectum habet, & obligationem inducit: ergo inferior Pontifice nequit hunc effectum, & obligationem à suspensione, aliaue censura separare. Quod si dicas id verum esse propria authoritate, secus authoritate Pontificis? Obstat; quia ex nullo textu vel ratione colligitur Pontificem hanc Prælatis inferioribus tribuisse potestatem. Nam in *c. dilectus de appell.* non effectus interdicti manente interdicto, sed ipsum interdictum suspenditur pro aliquo tempore iterum apponendum. In *cap. alma mater*, ab ipsomet Pontifice fit suspensio, & fortè non effectus interdicti tantùm, sed ipsius interdicti.

PVNCTVM IX.

De absolutione, vel dispensatione suspensionis.

1 *Suspensio lata pro determinato tempore, vel sub aliqua conditione elapso tempore, vel conditione adueniente cessat absque absolutione.*
2 *Intermedio tempore solùm ab eo tolli potest, qui suspensionem tulit.*
3 *Suspensio sub expressa conditione, vt in perpetuum duret nequit ab inferiori relaxari.*
4 *Suspensio lata à iure absolutè ad comprimendam alicuius contumaciam, potest ab Episcopo relaxari.*
5 *Latam in puram pœnam negant plures ab Episcopo tolli posse.*
6 *Oppositum videtur probabilius.*
7 *Spectato Conc. Tridentini decreto à qualibet suspensione possunt Episcopi absoluere per se, vel suos vitarios, dummodo ex delicto occulto prouenerit.*
8 *Spectato iure communi nullus Sacerdos iurisdictione in foro externo carens, à suspensione absoluere potest.*
9 *A suspensione ab homine lata regulariter solus ille, seu eius successor in dignitate absoluere poterit.*
10 *Nulla est forma præscripta in suspensionis absolutione.*

INitio huius disputationis dixi suspensionem aliam esse censuram, & in correctionem inobedientiæ latam; aliam puram pœnam in punitionem delicti appositam, & hæc aliquando fertur pro determinato tempore, aliquando absque vlla temporis determinatione, aliquando in perpetuum.

Suspensio lata pro determinato tempore, vel sub aliqua conditione, aut conditionis cessat one, tempore elapso, vel conditionis cessatione apposita absque vlla absolutione cessat; quia vltra intentionem ferentis progredi nequit, vt tradit Gloss. *in c. qui sæpè verbo donec, de elect. in 6.* Et *in Clem. 1. verbo donec, de Decimis.* Panormit. *cap. 1. num. 6.* & Felin. *num. 7. de Iudiciis.* Graffis *lib. 4. decis. cap. 25. num. 14.* Valentia *tom. 4. disput. 7. quæst. 18. punct. 1.* Couarruu. *4. decretal. 2. p. cap. 6. in princ. numero 18. & 19.* Nauarr. *cap. 27. numero 161.* Henriq. *lib. 13. cap. 35. numero 2.* Sayrus *lib. 4. cap. 17. numero 2. & 3.* Suar. *disp. 29. sect. 1. num. 1.* Auila *3. p. disput. 6. dub. 1.* Gaspar Hurtado *tract. de suspens. diffic. 12. num. 29.* Coninch. *disputat. 25. dub. 4. num. 30.* Bonac. *disp. 3. p. vlt. num. 1.* Et alij passim. 1

Illo autem intermedio tempore, seu ante impletam conditionem tolli suspensio per dispensationem potest ab eo qui eam tulit, non autem ab inferiori. Quotica suspensionem latam in iure communi ad certum tempus nequit alius à Pontifice spectato iure antiquo tollere, seu relaxare ante tempus finitum, vt tradit Glossa communiter recepta in *cap. cupientes, §. cæterum, verbo suspensos de elect. lib. 6.* Et *in Clement. 1. §. verum, in verbo excommunicat. de hæreticis.* Paludan. *4. disp. 18. q. 7. art. 3. concl. 11.* Sylueſt. *verb. suspensio. q. 8. vers. tertium.* Couar. *in 4. decret. 2. p. cap. 6. num. 14.* Sanch. *lib. 3. de matrim. disp. 51.* Sayrus *lib. 4. cap. 17. num. 10.* Etenim Pontifex suspendens pro illo determinato tempore intendit, vt suspensio toto illo tempore duret, ideóque censendus est relaxationem inferioribus impedire; alias effectus huius suspensionis, & intentio Pontificis frustraretur, si ab Episcopo remitti posset. Quod adeò verùm est, vt si à iure decreta sit suspensio annalis, vel triennalis pro aliquo delicto ab Episcopo imponenda, nequit Episcopus eam imponendo minuere, vel impositam relaxare, quia ipsi solùm concessa est suspensionis impositio, non illius duratio, hæc enim à Pontifice iuris conditore determinata est, in quo iure nequit inferior dispensare. Iuxta *leg. 1. ff. ad Senatusconsult. Turpilian.* Secùs esset si ius suspensionis tempus non præscripserit, sed solùm statuerit pro delicto suspensionem imponi, nam eo casu poterit Episcopus imposita suspensione pro aliquo determinato tempore ante illud finitum relaxare, quia potuit à principio eam suspensionem non ita extendere. Sicuti tradit Suar. *dicta disp. 29. sect. 1. num. 20.* Paul. Layman. *lib. 1. sum. tract. 5. par. 3. cap. 4. num. 3.* Gasp. Hurtado *tract. de suspens. difficult. 12. num. 32.* 2

Suspensio siue à iure, siue ab homine lata sub expressa conditione, vt in perpetuum duret, manifestum est ab inferiori relaxari non posse, quia inferior nequit superioris statuta derogare: sicuti notauit Panormit. *cap. 2. de solution. num. 5.* Sylueſt. *verbo suspensio. q. 8.* Nauarr. *cap. 27. n. 162.* Sayr. *lib. 4. thesaur. cap. 17. num. 18.* Layman. *lib. 1. summ. tractat. 5. part. 3. cap. 4. num. 3.* 3

Verùm si suspensio lata in iure fuerit absolutè ad comprimendam alicuius contumaciam, seu in illius correctionem absolui ab Episcopo, seu eius vicem gerente poterit, dummodò Pontifex absolutionem sibi non reseruauerit, & suspensus à contumacia recesserit. (Nam in illa perseuerans, à nemine debet 4

debet absolui, nisi causæ grauissimæ, & vrgentissimæ absolutionem postulauerint.) Constat conclusio ex *cap. Nuper, de sentent. excommunicat.* ibi: *Cum conditor canonis absolutionem sibi non reseruat, tacitè inferiori concedit.* Sed apertiùs probatur ex *cap. ex litteris de constitutionib.* vbi decidituir pœnam alicui inflictam ob contumaciam si non exprimatur quod sit perpetua, esse temporalem, cessanteque contumacia tollidebere. Sicuti tradit Glossa *in Clement. 1. §. verum, in verbo excommunicationis de Hæreticis.* Panormit. *cap. 2. de solutionib. num. 5.* & *ibi.* Felin. Syluest. *verbo suspensio, q. 8. vers. tertium.* Nauarr. *cap. 27. num. 162.* Henriq. *lib. 13. cap. 35. num. 2.* Sayr. *lib. 4. cap. 17. num. 12.* Suar. *disp. 29. sect. 2. num. 15.* Auila *3. p. disp. 6. dub. 1. concl. 3.* Layman. *lib. 1. sum. tract. 5. part. 3. capite 4. numero 2.* Gaspar Hurtado *difficult. 12. de suspens. num. 31.* Quinimo aliquibus Doctoribus nempe Innocentio *in cap. cum bona, de ætate, & qualit. vers. si verò expressit.* & *in cap. sicut, num. 2. de cohabitat. clericor. & mulier.* Felino *cap. ex litteris, n. 36. de constitutionib.* Decio *ibi. num. 16. vers. quarta conclusio.* Sayro *lib. 4. thes. cap 17. num. 8.* placet prædictam censuram absolutione non indigere, sed per recessum à contumacia suspensionem finiri; eo quòd videatur ferri sub hac tacita conditione, donec suspensus à contumacia recesserit, quâ conditione posità ipso iure finitur. Sed rectiùs Suar. *disp. 29. sect. 2. num. 15.* censet absolutione auferendam esse. Nam quamuis cessante contumacia, cessare debeat censura, eo quòd illius absolutio impendenda sit, ipso tamen facto non cessat, quia non est apposita sub illa conditione, sed absolutè; alias nullum esset discrimen inter censuram suspensionis conditionaliter appositam, & eam quæ absolutè, & absque vlla conditionis determinatione infligitur.

5 At si suspensio in puram pœnam delicti commissi iniuncta à iure sit absque vlla temporis determinatione, censent grauissimi Doctores, Panormit. *in cap. tam litteris, num. 3.* Et *in* Felin *de testib. & attestationib.* Angel. *verbo suspensio, 4. num. 1.* Syluest. *eodem. q. 8. vers. tertium.* Tabiena, *ibi. §. 11.* Nauarr. *cap. 27. num. 162.* Philiarc. *lib. 4. de officio sacerdotis cap. 1.* Greg. de Valent. *t. 4. disp. 7. q. 18. punct. 1.* Vgolin. *tab. 4. de censur. cap. 4. §. 1. num. 1.* Bonac. *t. 1. de censur. disp. 3. p. vlt. in fine.* Gasp. Hurtado *de suspens. difficult. 12. num. 32.* & alij, ab Episcopo tolli non posse, eo quòd hæc suspensio absque vlla temporis determinatione apposita, censenda est perpetua. Argum. *leg. seruus. C. de Pœnis*, vbi decidituir pœnam carceris simpliciter latam debere durare in perpetuum. At in pœnis à iure perpetuis, solus conditor iuris dispensare potest, eo quòd nemini alteri inueniatur concessum. Nam Textus in *c. nuper. de sententia excommunic.* solùm concedit Ordinariis absolutionem censuræ à iure latæ non reseruatæ, at hæc suspensio non absolutione, sed dispensatione auferenda est.

6 Nihilominus contraria sententia, posse scilicet Episcopum in hac pœna dispensare, benignior est, & fortè probabilior, quam docuit Glossa *in Clement. 1. §. verum. verbo excommunicationis de Hæreticis.* & *in cap. cupientes. §. cæterum verbo suspensos de elect. lib. 6.* Innocent. *in cap. 2. de solutionib.* Paludan. *in 4. d. 18. q. 7. art. 3. concluf. 11.* Couarruu. *in 4. decret. 2. p. cap. 6 in princ. num. 15.* Alfons. Viuald. *in suo candelab. aureo. tit. de suspens. num. 180.* Sayrus, *lib. 4. thesauri, cap. 17. numero 15.* Suar. *disp. 29. sect. 1 num. 9.* Auila. *3. p disp. 6. dub. 1. concluf. 4.* Paul. Layman. *lib. 1 sum. tract. 5. part. 3 cap. 4. num. 4. vers. verum.* Moueor, quia hæc suspensio absolutè lata differt ab ea quæ expressè in perpetuum fertur: aliàs frustra in perpetuum adderetur. Sed nulla alia differentia in iis intercenire potest, nisi quod suspensio quæ in perpetuum fertur ex intentione ferentis, debet in perpetuum durare. Secùs verò suspensio quæ absque illa expressione perpetuitatis fertur, quia hæc ex intentione ferentis remissibilis est, & auferenda præstita sufficiente pœnitentia, & emendatione. Deinde, sæpè ita hanc suspensionem absolutè latam in pœnam delicti commissi reseruant, vt constat ex *cap. cum quidam. Cap. litteras. Cap. dilectus de temporib. ordinat. Cap. tam litteras de testibus.* Aliquando verò nullam reseruationem apponunt. Ergo tacitè insinuant nullam apponendo reseruationem inferioribus concedi, aliàs frustranea esset reseruatio.

7 Duo pro certo habenda sunt. Primum: spectato Concilij Tridentini decreto *sess. 24. cap. 6. de reformat.* possunt Episcopi per se, vel suos vicarios à qualibet suspensione à iure, vel ab homine generaliter lata absoluere, seu dispensare, dummodò ex delicto occulto proueniat, neque ad forum contentiosum deducta sit, vt latiùs *alibi* dictum est, & notant in præsenti Henriq. *lib. 13. cap. 35. num. 3.* Sayrus *lib. 4. thesauri, cap. 17. num. 19.* Paul. Layman. *lib. 1. sum. tract. 5. part. 3. c. 4. circa finem.* Quinimò ex priuilegio Societati Iesu concesso absoluendi à quibuscunque censuris, sententiis, & pœnis ex delicto prouenientibus possunt Confessarij à superioribus deputati has suspensiones relaxare; nam esto hæ suspensiones non absolutione propriè, sed dispensatione, tolli debeant, earum tamen relaxatio iuxta frequentem loquendi modum absolutio nuncupatur, vt notant Syl-

uest. *verbo absolutio 6. dub. 2.* Nauarr. *cap. 27. num. 161.* Suar. *disp. 29 sect. 3. initio.* Paul. Laym. *lib. 1. tract. 5. par. 3. cap. 4. circa finem.*

8 Secundum habendum pro certo est, spectato iure communi nullum Sacerdotem qui in foro externo iurisdictionem non habet, posse à suspensione etiam per modum censuræ lata, absoluere; quia huius absolutio non est necessario præmittenda peccatorum absolutioni; ob cuius causam in *cap. nuper de sententia excommunicat.* proprio Sacerdoti conceditur potestas absoluendi ab excommunicatione non reseruata. Vti notauit Henriq. *lib. 13. cap. 35. numero 1.* Auila *3. p. de censur. disp. 6. dub. 1. concl. 2.* Layman. *lib. 1. sum. tract. 5. par. 3 cap. 4. num. 2.* Gasp Hurtado *de suspens. difficult. 12. numero 32.*

9 Hucusque dixi de suspensione à iure, vel ab homine generaliter lata. At si loquamur de suspensione ab homine lata specialiter, regulariter solus ille successor in dignitate poterit illam relaxare, ne eius authoritas contemnatur. Quod adeò verum est, vt quam Super or ipsius possit validè sententiam ab inferiore latam relaxare, illicitè tamen procedet eam relaxationem concedens, vt apertè probat Glossa *in cap. cum ab Ecclesiarum de officio ordinarij, verbo non relaxes, per Textum ibi:* Et multis relatis tradit Sayrus *lib. 4. thesauri, cap. 17. num. 24.* à qua doctrina meritò excipit ipse Sayrus *numero 26.* duplicem casum. *Primus* est quando inferior sententiam tulit absque solemnitate requisita in *cap. cum medicinalis, de sentent. excommunicat. lib. 6.* quia eo casu poterit superior prædictam sententiam relaxare, si ad ipsum recursus fiat. *Secundus* est in causa appellationis, nam ob appellationem defertur superiori iurisdictio in causa; iuxta Textum in *cap. ad reprimendum de officio ordinarij.* Et *cap. per tuas de sententia excommunicat.* Et *cap. venerabilibus §. porrò. & §. fin. eodem tit. lib. 6.* Vt autem hic superior licitè absolutionem præstet, ea debet obseruare quæ in supradictis capitibus continentur, nempè si sententia manifestè iniusta sit statim absoluit, sit si nulla absque vlla dilatione nullam esse declarabit. At si constet valere; reum absoluendum remittat Iudici à quo neque ipse absolutionem præstabit, nisi fortè sub iuramento priùs priùs præcipiat suspenso, vt suo Iudici competenti satisfaciat. Quod si de iustitia, vel nullitate sententiæ dubitet, præstita cautione suspensum absoluere ad cautelam poterit.

Dixi ferentem censuram suspensionis regulariter absoluere ab ea posse. Sunt enim aliqui casus extraordinarij, quibus hæc potestas ferenti censuram denegatur, prout referunt Angel. *verbo suspensio 4. num. 3* Syluest. *ibi, q. 8. in fine.* Tabiena *eodem. vers. duodecimo.* Viuald. *tit. de suspensione num. 181.* Henriq. *lib. 13. cap. 35. num. 2.* Sayrus *lib. 4 thesauri, cap. 17. num. 27.* Gaspar Hurtado *de suspens. difficult. 12. num. 30.* Primus est, si Clerici sæculares vel regulares à suis Ordinariis officio priuati sint; eo quòd hæreticis denunciati Sacramenta ministrauerint, aut ab eis oblationes, vel eleemosynas receperint, aut Ecclesiasticam sepulturam tradiderint; nam hi priuati non ab Episcopo priuante, sed à Pontifice restitui possunt. Vt habetur *cap. excommunicamus el. 1. §. credentes de Hæreticis.* Verùm, vt rectè aduertit Nauarr. *cap. 27. num. 162.* & ex illo Sayrus *dicto c. 17. num. 27.* hic Textus non loquitur de priuatis ab officio per suspensionem, sed per depositionem, ideoque mirum non est quòd nemini alteri à Pontifice potestas sit eos restituendi. Clericis autem regularibus sic delinquentibus sua priuilegia comparatione ipsorum in ipsa diœcesi, vbi tale facinus perpetrarunt, nullatenus prosunt; vt notat Bernard. Diaz *in sua pract. can. cap. 207.* & Sayrus *loco relato.* Secundus esset, si à proprio Episcopo esset degradatus. *Cap. ex tua de Clerico non residente.* Sed hic casus, vt ipse Nauarr. & Sayrus aduertunt, non ad suspensionem pertinet. Tertius est quando quis indignis vitæ moribus, & doctrina beneficia confert, & semel ac iterum monitus è Concilio prouinciali adhuc in sua malitia perseuerat, si ab ipso Concilio suspendatur à beneficiorum collatione, nequit nisi à Pontifice, vel eius Patriarcha restitui, iuxta Textum *in cap. graue nimis 27. de Prabendis.* Si verò delinquens Metropolitanus sit, non à Concilio prouinciali suspenditur, sed summo Pontifici, aut Patriarchæ denunciatur. Sicuti habetur in *d. cap. graue nimis.*

10 Forma, seu modus absoluendi à suspensione nullus est ex necessitate, seu præcepto determinatus; sed ille sufficiens erit qui sufficienter absoluentis intentionem exprimat. Vt tradit S. Antonin. *3. p. tit. 29. c. 4.* Syluest. *verbo suspensio. q. 8.* Nauarr. *c. 27. n. 161.* Vgolin. *tab. 4. de cens. c. 16. §. 1* Sayrus *lib. 4. thesauri, c. 17. num. 34.* Monent tamen prædicti Doctores hanc formam frequenter esse obseruandam. *Ego te absoluo à vinculo suspensionis, quam incurristi ob talem causam restituo te executioni ordinis, officio, vel beneficio, In nomine Patris, & Filij & Spiritus sancti.* Quod si pluribus suspensionibus ligatus sis, ab eis absolui potes, ex eo tantùm quòd absoluens dicat te absoluere ab omni vinculo suspensionis, & intentionem, & potestatem habeat ab omnibus absoluendi, vt benè aduertit

Suar. *disp.* 29. *sect.* 3. *num.* 2. Quod si dubia sit suspensio præstanda est absolutio non absolutè, sed hac conditione præmissa: *si teneris vinculo suspensionis, ego te absolvo, &c.* Vt notauit Nauarr. *dicto cap.* 27. *num.* 162. Et hæc absolutio ad cautelam nuncupata necessaria omnino est, vt officium exercere, vel beneficium administrare possis, cum quæstio subo-ritur de valore suspensionis: vt docet Sayrus *lib.* 4. *cap.* 17. *num.* 37.

PVNCTVM X.

De suspensionibus tam in corpore iuris, quàm extrà, contentis.

§. I.

Expenduntur suspensiones ipso iure latæ ob iniquam Ordinum susceptionem.

1 *Suspenditur suscipiens Ordinem ab Episcopo Episcopali dignitati renunciante.*
2 *Item suspenditur ab executione Ordinis suscepti recipiens Ordinem, seu Consecrationem Episcopalem ab Episcopo excommunicato, suspenso, vel interdicto, &c.*
3 *Tertio suspenditur qui excommunicatione maiori ligatus ob Clerici percussionem Ordinem aliquem suscipit.*
4 *Quartò suspenditur suscipiens Ordinem ab alieno Episcopo, absque licentia proprij Ordinarij.*
5 *Quintò suspenditur ordinatus ab Episcopo proprio, Pontificalia exercente in alienâ diœcesi, sine licentia Episcopi illius loci.*
6 *Sextò ordinatus ante legitimam ætatem.*
7 *Septimò Ordines suscipiens extra tempora designata ab Ecclesia.*
8 *Octauò ordinatus non seruatis temporum interstitiis.*
9 *Nonò promotus per saltum.*
10 *Decimò qui post contractum matrimonium etiam non consummatum aliquem ex sacris Ordinibus suscipit, extra casus à iure permissos.*
11 *Vndecimò qui sede Episcopali vacante, neque arctatus occasione alicuius beneficij recepti vel recipiendi, ordinatur in sacris intra annum cum litteris dumsorijs à Capitulo acceptis.*
12 *Duodecimò ordinatus carens titulo patrimonij, vel beneficij ad Ordines sacros requisito, pacto inito cum Ordinante, seu præsentatore de non petendis alimentis.*

1 PRimò ordinem suscipiens ab Episcopo qui Episcopali dignitati renunciauit, suspenditur ab executione Ordinis sic suscepti; à qua suspensione solus Pontifex absoluere potest, nisi fortè ignoranter Ordo susceptus sit, quia eo casu Episcopo datum est dispensare. Sicuti habetur in *cap.* 1. *de ordinatis ab Episcopo, qui renunciauit Episcopatui.* Vt autem hanc suspensionem incurras; requiritur ex parte Episcopi vt ipse renunciauerit Episcopatui non solùm quoad locum, sed etiam quoad iurisdictionem, officium, & vsum Ordinis Episcopalis, eaque renunciatio Pontifice acceptata sit. At ex tua parte necessarium est, vt à prædicto Episcopo Ordinem sacrum recipias, ibi: *Sanè si ab eodem sacros Ordines scienter quis receperit &c.* neque enim ob susceptionem minorum Ordinum vsque ad Subdiaconatum exclusiuè in hanc pœnam incidis, esto Episcopus non solùm renunciasset dignitati Episcopali, quoad potestatem conferendi sacros Ordines, sed etiam quoad potestatem conferendi minores, quia Textus solùm loquitur de recipiente sacros Ordines, cuius dispositio vtpotè pœnalis, extendenda non est vltra casum expressum, vt benè aduertit Bonacina, *t.* 3. *de censur. disp.* 3. *q.* 1. *punct.* 9. *num.* 11. Sayrus *lib.* 4. *cap.* 14. *num.* 8. Neque ab hac pœna excusaris, tametsi ex licentia proprij Episcopi eos Ordines sacros recipias; quia ea licentia nulla est, cùm nullus alius à Pontifice possit præfatum Episcopum habilem reddere ad Ordines conferendos, muneraque Episcopalia ministranda. Vt notat Bonacina *suprà, n.* 5. Secundò est opus, vt Ordinem sacrum à præfato Episcopo suscipias sciens Episcopatui quoad locum, & dignitatem renunciasse, impeditumque esse ab Ordinum collatione, vt colligitur ex illis verbis: *Si ab eodem sacros Ordines scienter quis receperit.* Ergo seclusâ hac scientiâ, seu ignorantiâ affectatâ, in hanc censuram vel pœnam non incidis. Et quidem si ignorantia inuincibili Ordo susceptus sit, id omnino verum existimo; quia eo casu non te indignum fecisti officij suscepti executione, cum nullam culpam commiseris. Prætereà quòd censura, vel pœna culpam mortalem supponunt. Neque obest quòd Episcopo proprio concedatur dispensatio in hoc impedimento, quando nec scienter, neque cum ignorantia crassa, & supina Ordo susceptus est, quia illi dispensatio largè accipitur pro permissione Ordinis exequendi, & declaratione ab Episcopo facta nullam ibi adesse suspensionem. Vti explicat Coninch. *disp.* 15. *dub.* 5. *n.* 32. Gaspar Hurtado *tract. de suspens. difficult.* 13. *num.* 34. Prætereà quòd potuisti (vt multis placet) Ordinem suscipere cum ignorantia vincibili, & mortaliter culpabili, tametsi non crassa, & supina.

Secundò ab executione Ordinis suscepti suspenderis, si recipias Ordinem, seu consecrationem Episcopalem ab Episcopo excommunicato, suspenso, vel interdicto, irregulari, simoniaco, hæretico, vel schismatico, quia omnes hi carent potestate conferendi Ordines. Non igitur debent executionem illorum aliis conferre iuxta vulgare principium. *Nemo dat quod non habet.* Et *Cap. Diabertum, t.* 9. 7. Opus autem est, vt prædicti omnes sint ab Ecclesia vt tales denunciati, nam ante denunciationem tolerantur ab ipsa, & potestatem conferendi Ordines in fauorem fidelium retinent, ideoque recipientes nulla suspensione ligantur. Vt notauit Sayrus *libro* 4. *thesaur, cap.* 14. *numero* 4. Suarez *disput.* 31. *sect.* 1. *num.* 64. Bonac. *tom.* 3. *de censuris, disput.* 3. *quæst.* 1. *punct.* 10. *num.* 2. 2

Difficultas autem est, An si laboras ignorantia probabili dicti defectus in Ordinante recipias Ordinem, abillius executione suspendaris? Affirmant plures Doctores. Glossa in *cap. si qui à Simoniacis. t.* 9. 1. Et *in cap. ab excommunicato, q.* 1. Couarruu. *cap. alma mater. 1. p. §* 6. *num.* 6. Suar. *disp.* 31. *sect* 1. *num.* 64. Sayrus *lib.* 4 *cap.* 14 *num.* 3. Bernard. Diaz, *tract. cap.* 28 *num.* 3. Alter. *de censur. 2. disp.* 9. *cap.* 4. Bonacina aliis relatis *t.* 3. *de censur. disp.* 3. *q.* 1. *punct* 10. *num.* 4. Mouentur quia hæc priuatio ab executione Ordinum, non videtur apposita in pœnam delicti ipsius ordinati, sed in iniuriam, & detestationem ordinantis, ad cuius finem parum refert siue sciens, siue ignoranter ordinatus Ordinem receperit. Præterea hæc decisio nititur illi vulgari principio. *Nemo dat quod non habet.* Argum. *cap. gratia. 1. q.* 1. Ergo quoties Ordinans fuerit impeditus à sui ordinis executione, nequibit eam alteri conferre. Nihilominus verius existimo te excusatum esse à dicta priuatione, si ignorantia probabili Ordinem ab his impeditis recepisti. Quæ fuit sententia Innocentij *in cap. 1. numero* 4. *de schismaticis.* Panormit. *in cap. veritatis, num.* 6. *de dol. & contum.* Alfonsi à Castro *lib.* 2. *de lege pœnali, c.* 15. *conclus.* 3. Rodrig. *in sum. t.* 2. *c.* 19. Coninch. *disp.* 15. *dub.* 5. *n.* 32. Gaspar Hurtado. *tract. de censur. difficult.* 13. *num.* 14. Mouetur quia nullus est Textus ex quo colligi possit, stante prædicta ignorantia à hanc priuationem contrahi: imo potius contrarium non leuiter deducitur ex *c. si qui Si moniacis* 1. *q.* 1. Et *c. ordinationes. 9. q.* 1. Et *cap.* 1. *&* 2. *de schismaticis. Cap. ferunt* 34. *de simonia.* Præterquam quòd falsum est hanc inhabilitatem non esse appositam in pœnam delicti ab ordinato commissi, Ordines ab incapaci recipiendo, vt expendenti prædictos textus facilè constare potest. Illud verò vulgare principium, Nemo dat quod non habet, ad summum verum est in iis quæ à donante per translationem dominij conferuntur, secùs verò in his quæ consequenter, vel ex potestate ab Ecclesia, vel à Deo accepta alteri communicantur, vt exemplis facilè comprobari potest. Non baptizatus conferre baptismum potest, Sacerdos peccator à peccatis absoluere, & gratiam conferre. Et in humanis gubernator ciuitatis, & Iudex adiudicare bona alicui potest quæ ipse non habet, quia ad hæc omnia solùm in conferente requiritur potestas: cùm autem Episcopus quantumcumque simoniacus, & hæreticus sit, potestatem habeat Ordines validè conferendi quibus annexa est excommunicatio, dum expresè non impeditur, efficitur executionem concedere, tametsi ipse illam non habeat.

Hinc infertur te non esse impeditum ab executione Ordinis à prædictis recepti, si illum recepisti metu coactus, qui te à culpa excusant. Vti docuerunt Syluest. *verbo irregularitas, §.* 9. *vers. secundum.* Nauarr. *c.* 27. *num.* 144. Tametsi contra sentiat Suar. *disp.* 31. *sect.* 1. *num.* 63. Bonac. *de censur. disp.* 3. *q. p.* 10 *num.* 5.

Porrò qui censent hanc inhabilitatem non in pœnam Ordinati, sed Ordinantis iniungi, consequenter affirmant à solo Pontifice relaxari posse. At nos qui censemus esse veram censuram, seu pœnam ob delictum Ordinati impositam, affirmamus aliquando ab Episcopo posse remitti: primò cùm est contracta absque ignorantia crassa, & supina, tametsi cum ignorantia vincibili, & mortaliter culpabili. Argum *capitis* 1. *requisiuit de ordinato ab Episcopo qui Episcopatui renunciauit.* Secundò quando contracta est ex delicto occulto, neque ad forum contentiosum deducto, quia Conc. Trident. *sess.* 24. *capite* 6. *de reformat.* omnibus Episcopis facultatem concedit absoluendi, & dispensandi in omnibus censuris, & pœnis ex delicto occulto prouenientibus &c.

Tertiò suspenditur qui excommunicatione maiore ligatus ob Clerici percussionem, Ordinem aliquem suscipit: habetur 3

betur *cap. cum illorum de sentent. excommunicat.* vbi Innocent. III. inquit : *Nonnulli Ecclesiasticam censuram negligentes in excommunicatione positi Ecclesiasticos Ordines accipere non formidant. Quid autem de his fieri debeas Apostolicum sæpius oraculum imploratur. Circa quos credimus distinguendum, quod tales vel sciunt excommunicationis se vinculo irreticos, vel non recolunt fatium pro quo in lata sententia Canonem inciderunt, vel factum quidem scientes iuris ignari nescient exinde se tenere. Primo, si fuerint seculares Clerici à susceptis Ordinibus censemus in perpetuum deponendos, in reliquis casibus tam Archiepiscopi, quàm Episcopi absque mandato Sedis Apostolicæ speciali, dispensandi facultatem se nouerint non habere ; quibus etiam est absolutio talium interdicta, cùm maiora intelligantur illis prohibita, quibus vetita sunt minora. Quod si claustrales huiusmodi fuerint, & ad Ordines promoueri contingat, iuxta præmissam distinctionem, qui scienter in contemptum Ecclesiasticæ disciplinæ se fecerint ordinari, ab executione suscepti Ordinis, & officij decernimus manere suspensos. Circa reliquos verò saltì memoriam, vel iuris peritiam non habentes, monasteriorum utilitate pensatâ, post iniunctam regularem pœnitentiam & peractam, Abbates ipsorum poterunt dispensare, nisi grave iuerit & notabile factum, aut is qui fecit adultus fuerit, & discretus, vt violenter contra obliuionem, & ignorantiam præsumatur.*

Ex hoc textu constat Clericos sæculares excommunicatos suscipientes in excommunicatione Ecclesiasticos Ordines in perpetuum ab Ordinibus sic susceptis esse deponendos : Regulares verò ab executione Ordinis susceptì, & officij suspensos esse. Et licèt illud verbum *deponendos* sit futuri temporis, indicétque censuram hanc, seu pœnam aduersus Clericos sæculares comminatoriam esse, & ope Iudicis ferendam; attamen quia in eo Textu solùm Pontifici dispensatio remittitur denegata Archiepiscopis, Episcopis dispensandi facultate, conuincitur manifestè depositionem ipso iure iniungi, aliàs frustra negaretur Episcopis hæc facultas, & Pontifici remitteretur, cùm nihil esset dispensandum. Præterquam quòd Regulares suspenduntur ipso iure, ergo credendum est sæculares etiam suspendi, quia ex dispositione vnius partis constitutionis manifesta, alia quæ est dubia explicari debet. Argum. *leg. 2 ff. de rebus dubij*. Sicutinotauit Bonac. *disput. 3. qu. 1. p. 6. num. 5*. Et licèt Textus de recipientibus Ordines in excommunicatione ob Clerici percussionem contracta, loqui tantùm videatur : at communis omnium sententia est teste Bonac. *suprà, num. 1.* dispositionem intelligendam esse de qualibet excommunicatione. Tum quia Pontifex cùm ad decisionem procedit generaliter loquitur, ibi : *Nonnulli Ecclesiasticam sententiam negligentes in excommunicatione positi, Ecclesiasticos Ordines recipere non formidant*. Et infrà, *excommunicationis vinculo irretitos*. Tum quia nulla est specialis ratio, ob quam susceptio ordinum in excommunicatione ob percussionem Clerici potius quàm in excommunicatione ob alias causas huius censuræ subiiciatur.

Ad incurrendam igitur hanc pœnam necessarium est vt suscipiens Ecclesiasticos Ordines excommunicatione maiori ligatus sit, quia nomine excommunicationis absolutè prolato, maior tantùm intelligitur, & in decreto pœnali non lata, sed potius stricta interpretatio facienda est. Vti ex communi notat Bonac. *t. 3. de censur. disp. 3. q. 1. pun. 6. n. 1.* Aliqui doctores, Couarruu. *cap. alma mater. 1. p. §. 6. num. 6* Maiolus *lib. 4. c. 34.* Marius Alterius *t. 2. disp. 10. cap. 6. vers. ad probandum*, censent suscipientem Ecclesiasticos ordines suspensione, vel interdicto innodatum huic pœnæ subiici; eo quòd æquè delinquat, & Ecclesiasticam disciplinam contemnat, ac si in excommunicatione positus Ordines Ecclesiasticos reciperet. Sed rectiùs Stephan. Dauila. *7. p. de censur. disp. 1. sect. 1. dub. 6.* Suar. *disp. 31. sect. 1. num. 58.* Bonac. *t. 3. de censur. disp. 3. q. 1. p. 6. num. 3* ob solam susceptionem Ordinis in excommunicatione hanc pœnam incurri, quia prædictus Textus in *cap. cum illorum* solùm de suscipientibus Ordines in excommunicatione loquitur, & dispositiones pœnales extendendæ non sunt ob identitatem rationis.

Deinde sic excommunicatus suscipere debet aliquem ex Ecclesiasticis Ordinibus, ibi : *Ecclesiasticos Ordines recipere non formidant*, & quamuis prima tonsura communi modo loquendi Ordo nuncupetur, at quia strictè, & propriè loquendo ab Ecclesiasticis Ordinibus distinguitur; ad illósque recipiendos est dispositio; ea de causa suscipiens primam tonsuram in excommunicatione huic pœnæ non subiicitur : vt tradit Nauar. *cap. 27. num. 241.* Suar. *disp. 31. sect. 1. num. 58.* Filliucius *tract. 17. cap. 5. num. 94.* Auila *7. p. de censur. disp. 9. sect. 1. dub. 6.* Ob eandem rationem suscipiens consecrationem Episcopalem excommunicatione ligatus excusari ab hac pœna potest, quia secundùm probabilem sententiam, non est Ordo à Sacerdotio distinctus. Præterquam quòd suspensio generaliter lata non afficit Episcopos, nisi eorum fiat expressa mentio. Atque ita docet Suar. *num. 58.* Filliucius *num. 94.* Bonac. *tom 3. de censur. disp. 3. q. 1. p. 6. num. 4.* Quod verò Nauar. *lib. 5. consiliorum de excommunicat. cons. 28. à num. 2. vsque 26.* & Auila *7. p. de censuris disp. 9. sect. 1. dub. 6.* censent huic pœnæ locum non esse Ordines minores in excommunicatione susceptos, nullatenus admittendum est; quia verè sunt Ordines Ecclesiastici, vt probauimus *tract. de Ordine*, & præsens Textus de suscipientibus Ordines Ecclesiasticos loquitur, & fortè ob hanc causam non dixit Ordines sacros, sed Ecclesiasticos, vt tam minores, quàm maiores censerentur comprehensi. Sicuti docet Suar. *ac disp. 31. sect. n. 59.* Filliucius, *tract. 17. cap. 5. q. 9. n. 94.* Bonac. *disp. 3. q. 1. p. 6. num. 3*.

Sed an ab hac pœna, seu censura excusetur excommunicatus Ordines suscipiens in excommunicatione ignarus probabiliter suæ excommunicationis, vel prohibitionis Ecclesiæ Dissentiunt Doctores. Nam Couarruu. *cap. alma mater. 1. p. §. 6. num. 6* Maiol. *lib. 4. de irregularit. c. 34. num. 4.* Marius Alterius *t. 2. disp. 10 cap. 6. dub. 2.* negant excusari, quia hæc non tam est pœna, quàm quædam inhabilitas, quæ absque culpa contrahi potest, ideóque in *dicto cap. cum illorum* non solùm scientes se esse excommunicatione irretitos, sed etiam illius ignari, aut ignari iuris, quo tenentur depositioni, seu suspensioni subiiciuntur.

Cæterùm longè verius est à prædicta pœna excusari in foro conscientiæ suæ excommunicationis, vel prohibitionis Ecclesiæ probabiliter ignarum. Vti docuit Panormitan. *in cap. veritatis. num. 46. de Dolo, & contum.* Et *in cap. cùm illorum, n. 15. de sententia excommunicat.* Sylvest. *verbo irregularitas. 7.* Nauarr. *c. 27. n. 24.* Suar. *disp. 31. sect. 1. num. 59.* Filliuc. *tract. 17. cap. 5. q. 9. num. 94.* Bonac *disp. 3. q. 1. p. 6. num. 2.* Quia negari non potest hanc depositionem, seu suspensionem pœnam non esse, cùm sit priuatio executionis Ordinis susceptì, & officij possessi, & consequenter iuris quæsiti; at pœna cessante culpa contrahi non potest. Ergo. Neqs obest quòd ignorantes suam excommunicationem, vel ius quo tenentur suspendantur, seu deponantur, quia id intelligendum est de ignorantia vincibili, & mortaliter culpabili. Nam inuincibiliter ignorantes dictam excommunicationem, seu Ecclesiæ prohibitionem solùm in foro externo suspensi, seu depositi censeri debent, eo quòd in foro externo nulla huius rei probabilis ignorantia præsumatur.

Absolutio, seu dispensatio huius pœnæ in Clericis sæcularibus reseruatur Pontifici, in regularibus iuri communi relinquitur, & si fiat cum ignorantia committitur eorum Superioribus.

Quartò suspenditur ab executione Ordinis susceptì qui Ordinem suscipit ab alieno Episcopo absque licentia proprij Ordinarij. Aliquibus Doctoribus placet hanc suspensionem sufficienter probari ex *cap. illud quoque. 1. dist. 7.* vbi dicitur : *Non sit rata ordinatio eius.* Et in *cap. si quis ausus fuerit, eadem dist.* dicitur : *Irrita sit huiusmodi ordinatio.* At Suar. *t. 5. de censur. disp. 31. sect. 1. num. 13.* existimat in his verbis non contineri censuram ipso iure latam, sed ferendam. Non esto in prædictis capitibus dicatur, irrita sit talis ordinatio, intelligi debet per sententiam : quia est benignior interpretatio, & Textui accommodata, quod facis colligitur ex eo quòd in Concilio Nicæno *cap. 17.* vnde illi Textus deducti sunt, dictum sit *irrita erit*, & secundùm aliam translationem *irrita habeatur*, scilicet sententia accedente; ideóque *in cap. translationem de temporib. ordinat.* dicitur : *Interdicenda illis est Ordinis sic susceptì executio.*

Verùm etsi in iis textibus non contineatur suspensio ipso iure lata, continetur tamen in *Extraua.* Pij V. quæ incipit : *Cum ex sacrorum*, quæ est sexta illius in Bullario, eamque refert Salcedo *in sua pract. cap. 26.* & confirmauit Pius V. *in suis constitutionibus Apostolicis sanctione 22.* vt refert Corduba *in sum. q. 114* & habetur *Regula 22. cancellaria apposita ad finem propriorum mortuum.* Et licèt in *suprad. Extraua.* solùm feratur suspensio aduersus suscipientes aliquem sacrum Ordinem absque dispensatione Canonica, aut legitima licentia, vt constat ex illis verbis : *Ad aliquem ex sacris Ordinibus se fecerint promoueri* : attamen in *cap. 1. de temporib. ordinat. in 6.* generaliter fertur suspensio aduersus Hispanos, qui ad Episcopos Italiæ accedunt ordinandi, sine Episcopi proprij licentia. Denique Conc. Trident. *sess. 23. cap. 8. de reformat.* apertis verbis hanc suspensionem indicit : *Si quis* (inquit) *ab alio promoueri peratnullatenus id ei etiam cuiusuis generalis, aut specialis rescripti, vel priuilegij prætextu etiam statutis temporibus permittatur, nisi eius probitas, ac mores Ordinarij sui testimonio commendentur. Si secus fiat Ordinans à collatione Ordinum per annum; Ordinatus verò ab Ordinum executione quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, sit suspensus.* Hæc igitur suspensio incurritur ob receptionem Ordinum tam maiorum, quàm minorum; quia de omnibus generaliter Textus loquitur, sicuti declarauit ibi sacra Concilij congregatio. Ob receptionem autem primæ tonsuræ, non videtur hanc suspensionem contrahi. Tum quia nullum ei est officium annexum à cuius executione suspendi initiatus possit. Tum denique quia strictè loquendo, & rigore iuris spectato non est Ordo, & solum ob Ordinem receptum indicitur hæc suspensio. Atque ita tenet Tolet. *lib. 1. sum. cap. 44. num. 4.* Zerola *1. p. prax. Episcop.*

verbo dimissoriæ. Augustt Barbosa *in remissionib. concil. sess. 23. c. 8. circa finem*. Et alij. Quamuis oppositum censeant plures Doctores relati à Bonac. *disp. 3. q. 1. p. 11. num. 18*. Oportet verò vt recipiens dictos Ordines culpam mortalem committat sic recipiendo, quia censura, & pœna grauis hanc culpam exigunt. Quare si ex aliquo capite à culpa mortali excusetur, vel quia ignoranter probabiliter talem Episcopum carere potestate ordinandi, vel litteras illas dimissorias insufficientes esse; vel quia ad susceptionem prædictorum Ordinum graui metu fuit inductus ab hac censura, & pœna excusabitur. Sicuti notarunt Nauarr. *in sum. cap. 27. num. 155. & in cap. recepta de restitut. spoliatorum. propos. 8. num. 32*. Henriq. *lib. 13. cap. 38*. Coninch. *disput. 14. de censur. num. 36*. Auila *de censur. 7. p. disp. 9. sect. 1. dub. 7*. Suar. *disput. 31. sect. 1. num. 15*. Bonac. *t. 3. de censur. disp. 3. q. 1. pun. 10. num. 15*. & alij apud ipsos. Quinimo Salcedo *in pract. cap. 26. §. ex tunc*. Et Auila *3. p. de censur. disp. 3. dub 7. §. pro intelligentia*, docent ignorantiam culpabilem, modò affectata non sit, excusare, quia Pius II. in *sua Extrauag.* vtitur verbo *præsumpserit*, ad cuius normam decretum Conc. Trident. regulandum est.

Sunt tamen aliqui casus, in quibus permittitur ab alieno Episcopo absque licentia proprij Ordines suscipi. Primus est, si proprius Episcopus ab executione Ordinum sit notoriè suspensus, eo quòd subditum alterius diœcesis sine debita facultate ordinauerit: nam eo casu subditis conceditur facultas, vt ab alieno Episcopo Ordines recipiant. *Cap. eos qui de temporib. ordinat. in 6*. Et *ibi* Glossa. Et notauit Pet. Rebuff. *prax. beneficiat. 1. p. de formula dimissoriarum, num. 19*. Salcedo *pract. cap. 26. §. tribus tamen casibus*. Suar. *disputat. 31. sect. 1. num. 15*. Non est autem opus, vt suspensio sit declarata, sufficit si per euidentiam facti notoria sit, quia Textus in *dicto cap. eos qui*, solùm requirit esse manifestam, quod tum euidentia facti, tum sententia Iudicis contingit. Sicuti aduertit Auila *3. p. disputat. 5. dub. 7. concluf. 3*. Bonac. *t. 3. de censur. disputat. 3. q. 1. punct. 10 num. 6*.

Secundus est, si per triennium commoretur cum Episcopo tanquam eius familiaris, seu de eius familia, & beneficium quacunque fraude cessante statim ab illo recipiat. Vti habetur in Conc. Trident. *sess. 23. cap. 9*. His enim conditionibus positis, poterit primam tonsuram, & reliquos Ordines tam maiores, quàm minores recipere ab illo Episcopo, absque proprij Episcopi licentia, qua Conc. Trident. nullam restrictionem apposuit. Quod intelligendum est de Episcopo diœcesim, & subditos actu habente. Nam titulares Episcopi nequeunt prætextu cuiuscunque familiaritatis aliquem secum per triennium commorantem ordinare, quia sic cauetur in dicto Conc. Trident. *sess. 14. c. 2. de reformat.* quod decreto *sess. 23. cap. 9.* reuocatum non fuit, vt supponunt Doctores communiter. Familiaris autem in præsenti ille tantùm censendus est, qui cum Episcopo in eodem loco commoratus fuerit, non verò ille qui longè distat, tametsi sumptibus Episcopi alatur, quia eius mores non satis poterit perspectos habere, quæ fuit ratio ob quam Concilium postulauit, vt familiaris cum Episcopo per triennium commoraretur. Hoc autem triennium spectarè communi sententiâ continuum esse debet, quia quoties à iure tempus ad aliquem actum assignatur, plerunque continuum intelligitur. Vt tradit Glossa *leg. 3. & leg. naturaliter. ff. de vsucapionibus. & in Rubff. de diuersis, & tembor. præscript*. Abbas *in c. vlt. ad finem, de electione*. Bartol. & Castrens. *in leg. vlt. §. quoties, ff. de Publican. & vectigal*. Alexand. *cons. 34. num. 1. lib. 5*. Lapus *allegat. 46. num. 3*. Et alij. Non est autem opus, vt hoc triennium incipiat, postquam ordinans creatus Episcopus fuerit: satis enim est, si secum triennio fuerit commoratus: vt notat Garcia *de benefic. 2. part. c. 5. n. 83*. Bonacina aliis relatis *t. 3. disp. 3. q. 1. p. 11. num. 9*. Debet autem factâ ordinatione statim (hoc est absque vlla dilatione) beneficium Ordinato conferre, quod verum habet, tametsi solam primam tonsuram conferat, quia sub hac conditione hæc ordinandi potestas ei commissa est, vt declarauit Congregatio Concilij teste Barbosa in *dicto decreto*. Cui obligationi non satisfacit, si maiorem partem anni transire permittat absque beneficij collatione, vt ex Concilij congregatione notauit Flaminius *lib. 4. de resignat. q 2. num. 3*. Garcia *2. p. c. 5. n. 87*. Salcedo *pract. c. 26. vers. tertius casus*. Quod si beneficium postmodum Episcopus non contulerit, non obstante Ordinatus bona fide, & cum spe beneficij sibi conferendi suspensionem incurrit, quia hæc vtpotè pœna, & censura contrahi nequit absque culpa, à qua Ordinatus (vt suppono) liber est, vt benè notauit Bonac. *d. p. 11. n. 12*. Excusatur autem Episcopus ab hac obligatione conferendi beneficium Ordinato, si ad titulum patrimonij, vel pensionis promouerit. Vti facere potest, teste Garcia *2. p. de benefic. c. 5. n. 80*. Barbosa *in remissionib. Concilij*, quia beneficium conferendum præcipitur, vt Ordinatus destitutus Episcopi obsequio, & familiaritate habeat vnde sustentari possit. Sicuti docet Bonac. *dicto p. 5. q. 1. p. 11. n. 11*. Ex hac verò facultate graues Doctores, Salcedo *dicto c. 26. §. tertius casus*. Garcia *2. p. c. 5. n. 86*. Bonac. *n. 13*. & alij censent non concedi Episcopo potestatem dispensandi cum suo familiari ad Ordines in interstitiis, & illegitimitate, aliisque impedimentis, quia hæc potestas diuersa est, neque potestati à Concilio Trident. concessæ annexa. Sed contrarium est satis probabile, quod docuit Saa, *verbo Episcopus, num. 36*. Sanch. *dub. 8. de matr. disput. 1. num. 25*. Tum quia ad prædictorum dispensationem videtur sufficere habitatio maiori parte anni. Tum quia concessâ facultate ordinandi quæ maior est, concessa videntur, quæ prædictæ ordinationi conueniunt, etsi non necessariò.

Tertius casus, in quo Episcopus subditum alterius diœcesis ordinare potest, est quando censet proprium Episcopum ratam Ordinationem habiturum: illa enim ratihabitio præsumpta censetur facultatis concessio. Argum. *c. Lugdunensis, vlt. 9. q. 2*. vbi sanctus Epiphanius ordinauit quemdam ex diœcesi S. Ioannis Chrysostomi absque expressa eius facultate, quod sanctus vir non fecisset, si ei detrimentum fore perpenderet. Atque ita tradit *ibi* Glossa, Maiolus, *lib. 4. de irregularit. c. 2. num. 7*. Suar. *disp. 31 sect. 1. num. 17*. Valer. Reginald. *praxi, lib. 32. tract. 2. c. 69. vers. sunt autem*. Barbosa *in remiss. Concilij sess. 23. cap. 8. in fine*. Fateor hanc ratihabitionem in prædicto Textu ex parte Ordinatorum non admitti, tametsi ex parte Ordinantis admittatur, siquidem Ordinatis imponitur pœnitentia in satisfactionem Ecclesiæ quam offenderunt, & illâ pœnitentiâ petactâ miserationis intuitu recipiuntur in suo honore, hoc est ad exercitium Ordinis accepti: sicuti docet Petrus Rebuff. *in pract. benefic. 1. p. de forma dimissoriarum. litterarum n. 14*. Et Salcedo *in pract. c. 26. §. secundus in fine*. Quocirca hæc ratihabitio non est facilè admittenda, tum ne iurisdictioni proprij Episcopi præiudicium fiat, tum ne indigni promoueantur: sicuti illam non admittit Bernard. Diaz *in sua pract. cap. 26. vers. secundus casus*. Et *ibi* Salcedo. Quaranta aliis relatis, *verbo Ordo. vers. amplia*. Bonac. *tom. 3. disp. 3. q. 1. p. 11. num. 14*. Sed solùm permitti potest, quando maxima, & ferè morali certitudine constet gratam Episcopo proprio fore ordinationem. Nam hac stante morali certitudine sicuti possunt alia Sacramenta, quæ ad sui licitam administrationem iurisdictionem requirunt, administrari, potest & hoc Sacramentum.

Quintò fertur suspensio aduersus eum qui ordinatur ab Episcopo proprio Pontificalia exercente in aliena diœcesi, sine licentia Episcopi illius loci, in quo Ordines censet. Quæ suspensio colligitur ex *c. Episcopum 9. q. 2*. vbi talis ordinatio irrita esse decernitur. Sed apertiùs ex Conc. Trident. *sess. 6. cap. 5*. ibi *Nulli Episcopo liceat extra suos prius legij prætextu Pontificalia in aliena diœcesi exercere, nisi de Ordinarij loci expressa licentia, & in personas eidem Ordinario subiectas tantùm. Si secus factum fuerit, Episcopus ab exercitio Pontificalium, & sic ordinati ab executione Ordinum sint ipso iure suspensi*. Quod dictum est de Episcopo, intelligendum est de Archiepiscopo, qua ipsi datum non est Pontificalia exercere in diœcesi Suffraganeorum, nisi in aliquibus casibus: vt notat Glossa *in cap. Romana, notab. 2. de officio ordinar. lib. 6*. Couarru. *pract. quæst. c. 9. num. 2*. Zerola, *verba Archiepiscopis, vers. ad secundum*. Barbosa *in remissionib. concilij, sess. 6. cap. 5*. Bonac. *t. 3. de censur. disp. 3. q. 1 p. 12. num. 1*. Sed an hæc suspensio extendatur ad recipiendam solùm primam tonsuram, Affirmat Rebuff. *prax. beneficij. tit. de Clericis ad sacros Ordines malè promotis, Glos. 1. num. 4*. Alterius *t. 2. disp. 10. c. 2. vers. quod si*. Bonac. *supra n. 2*. quia Episcopus conferens primam tonsuram Pontificalia exercet, cùm solis Episcopis, seu iurisdictionem quasi Episcopalem habentibus, sit datum eam conferre. Neque obest quòd in suo cubiculo eam conferre possit, nam etiam ibi potest calicem consecrare, cùm tamen ea consecratio Pontificalis vsus sit.

Cæterùm etsi Episcopus ob collationem primæ tonsuræ in aliena diœcesi absque licentia Ordinarij illius loci à Pontificalium executione suspendatur: at prima tonsura initiatus suspensionem *ibi* latam non incurrit. Tum quia prima tonsura spectato iuris rigore non est Ordo, sed Ordinis dispositio, & ab Ordinibus sæpè distinguitur, vt constat manifestè ex Conc. Trident. *sess. 14. cap. 2. de reformat*. ibi: *Ad sacros, aut minores Ordines, vel primam tonsuram promouere, seu ordinare valeat*. Tum præcipuè, quia hæc tonsura nullum speciale munus habet, à cuius executione ea initiatus suspendi valeat. Et ita tenet Henriq. *lib. 3. c. 6. num. 6*. affirmans primam tonsuram conferri ab Episcopo posse suis subditis in aliena diœcesi. Illud optimè aduertit Suar. *disp. 31. sect. 1. num. 21*. Ordinatum sine licentia sui Episcopi ab alio Episcopo in aliena diœcesi absque debita licentia duas suspensiones incurrere, vnam: quia sine litteris dimissoriis: aliam, quia ab eo Episcopo in eo loco Ordines suscipit; possétque vna suspensio ab alia separari, ideóque non se impediunt quominus simul contrahantur. Vide quæ diximus *tract. de ordine, p. 15*.

Sextò suspenditur Ordinatus ante legitimam ætatem ex *Extrauag.* Pij II. quæ incipit: *Cum sacrorum*, quámque confirmauit Clemens VIII. *ibi* enim Pius II. inquit: *Statuimus, & ordinamus, quod omnes, & singuli qui absque dispensatione Canonica, aut legitima licentia, siue extra tempora à iure prescripta, siue ante ætatem legitimam, vel absque dimissoriis litteris*

etiam

eclam citramontanis ad aliquem ex sacris Ordinibus fecerint promoueri, à suorum ordinum executione ipso iure suspensi sint. & si huiusmodi suspensione durante in eisdem Ordinibus ministrare præsumpserint, eo ipso irregularitatem incurrant. Ætas requisita pro prima tonsura, & à fortiori pro aliis Ordinibus est septimus annus completus. Cap. nullus de temporib. ordinat. vbi prohibetur infanti primam tonsuram conferre. Infans autem est qui septennium nondum compleuit. Leg. si infanti. §. vlt. & leg. penult. Cod. de iure deliberandi. Completo septennio & prima tonsura, & minores Ordines conferri possunt; quia nulla pro his Ordinibus est ætas à iure præscripta, sed arbitrio Episcopi relinquitur: vt tradit Suar. disp. 31. de censur. sect. 1. num. 23. Bonac. t. 3. de censur. disp. 3. q. 1. punct. 1. num. 4. At pro Ordinibus sacris suscipiendis ætas præfixa est à Conc. Trident. sess. 23. cap. 12. de reformat. nam ad Subdiaconatum requiruntur anni 22. pro Diaconatu 23. pro Presbyteratu 25. incœpti excommuni Ecclesiæ praxi. Pro Episcopatu autem 30. completi. iuxta textum in c. cum in cunctis, de electione. Computanda est huiusmodi ætas non à die conceptionis, vt placuit Sfortio Oddo de restit. in integrum. 1. p. q. 2. art. 2. num. 48. sed à die nativitatis siue naturalis, siue violentæ: vt ex communi docuit Couarruu. 4. decret. 2. p. cap. 8. §. 2. Mandosius de ætate minori, cap. 1. num. 25. Sanch. in decalog. lib. 4. cap. 35. num. 2. quia dies conceptionis ignotus est. Præterquam quòd dum infans in vtero matris existit, neque in lucem prodit, non reputatur persona distincta, cuius ætas enumerari debeat.

Qui igitur aliquo ex sacris Ordinibus ante ætatem præfixam initiatur, suspensionem ab executione Ordinis sic suscepti incurreret, modò in illius susceptione bona fide non processerit, ignorans probabiliter se ætate legitima carere, vel non adesse Ecclesiæ legem sub suspensione prohibentem Ordines ante illam ætatem suscipi, nam eo casu excusatur ab hac pœna, quæ non nisi ob grauem culpam contrahi potest: vt aduertit Nauarr. c. 27. num. 155. Suar. disp. 31. sect. 1. n. 16. qui censent quamlibet ignorantiam modò affectata non sit, excusare; quia Pius V. vtitur verbo præsumpserit, quod dolum importat. Sed rectiùs Bonac. t. 3. de censur. disp. 3. q. 1. punct. 1. numero 3. solam ignorantiam probabilem, & inuincibilem excusare; quia verbum præsumpserit, non pro contrahenda suspensione, sed pro contrahenda irregularitate ob violatam suspensionem assumptum est, vt legenti Textum constare potest.

Dixi sic Ordinatum suspensum esse ab executione Ordinis sic suscepti, sed non ab executione aliorum Ordinum legitima ætate perceptorum: nam esto Pius II. in sua Bulla generaliter dixerit, a suorum ordinum executione ipso iure suspensi sint, intelligendum est de Ordinibus indebitè susceptis. Argum. Textus vel non est compos, de Temporib. ordinat. & notauit Bonac. d. t. 3. disp. 3. q. 1. p. 1. num. 8.

Monent tamen Suar. disp. 31. sect. 1. num. 23. Garcia 2 p. de benefic. c. 5. num. 51. referens sacræ Cardinalium Congregationis decisionem. Bonac. suprà, pun. 1. in fine, & Doctores communiter, Ordinatum ante legitimam ætatem siue scienter, siue ignoranter, absolutúmque à suspensione non posse Ordinem receptum exercere, quousque ad legitimam ætatem perueniat. Argum. cap. vel non est compos de temporib. ordinat. non ob impedimentum suspensionis, sed irregularitatis à iure inductæ, qua quis prohibetur ante legitimam ætatem Ordinem suscipere, & consequenter ab illius vsu.

7 Septimò suspenditur qui Ordines suscepit extra tempora designata ab Ecclesia, absque dispensatione legitima. Quæ suspensio iure antiquo lata non erat ipso iure, sed ferenda, vt constat ex cap. sane. Cap. cum quidam. Et cap. consultationi de temporib. ordinat. At in dicta Extrauag. Pij II. Cùm ex sacrorum, habetur expressè, extenditurque tantùm hæc suspensio ad sacrorum Ordinum susceptionem, & meritò; quia minores Ordines non habent statuta tempora, vt constat ex cap. de temporib. ordinat. Et notauit Suar. disp. 31. de censur. sect. 1. num. 30? Bonac. t. 3. de censur. disp. 3. q. 1. num. 4. Requiritur tamen culpa grauis in ordinato, vt aduertunt præfati Doctores. Vnde si bona fide sacris initieris, credens te habere facultatem, vel Episcopum dispensare posse, vel ex alia simili ignorantia, sicut excusaris è culpa, sic & à censura censeris excusatus. Effectus huius suspensionis est impedire executionem Ordinis malè susceptí, nam esto in prædictis decretis dicatur à suis Ordinibus, subintelligendum est malè susceptis, - r in eo puniaris in quo deliquisti, quia est benignior interpretatio, & saluatur proprietas verborum: vti notauit Auila de censur. 3. p. disp. 5. dub. 7. §. sexto notandum. Henriq. lib. 13. c. 33. numero 2. Suar. disp. 31. sect. 1. num. 31. Gaspar. Hurtado tract. de suspens. difficult. 13. num. 36. Bonac. t. 3. disp. 3. q. 1. pun. 3. n. 5. Huius censuræ absolutio Episcopo competit, siquidem non est reseruata, vt aduertit Suar. Hurtado, Auila & Bonac. suprà. Nam esto Sixtus V. in Extrauag. Sanctum, & salutar. sibi absolutionem reseruauerit, Clemens VIII. in constitutione quæ incipit: Romanum Pontificem, edita pridie kalend. Martij, anno 1595. ad terminos sacrorum Canonum, & constitutionis Pij II. & decretorum Concilij Trident. reducta est, exceptis his quæ in dicta Bulla contra simoniacè ordinantes, & ordinatos statuuntur, quæ nullo modo reuocantur.

Octauò suspensio fertur aduersus Ordinatum non seruatis 8
temporum interstitiis, quod multipliciter contingere potest. Primò si eodem die plures Ordines sacros suscipias. Secundò si minores simul cum sacro vbi non est consuetudo. Tertiò si non serues moram temporis inter vnum, & alium Ordinem à Conc. Trident. præscriptam.

Præmittendum est ex his quæ diximus tract. de Ordine, d. 13. primam tonsuram quolibet die conferri posse, cùm iura certum diem non requirant. Minores omnibus diebus ieiunij; quatuor temporum, & Dominicis, & festiuis dari posse; sacros verò non nisi in Sabbato quatuor temporum, & in duobus casibus die Dominico. Primò si ieiunium Sabbathi continuetur ab Ordinato, & Ordinante vsque ad diem Dominicum, quia tunc reputatur eadem dies teste Salcedo pract. cap. 26. vers. ista autem. Suar. disp. 31. sect. 1. num. 40. & 42. Secundò si die Sabbathi tanta esset Ordinandorum multitudo, vt non possent omnes Ordinibus insigniri, nam tunc in Dominicam collatio Ordinum transferri poterit, vt notauit Glossa, & Innocent. in cap. litteras de temporib. ordinat. Syluest. verbo ordo. 2. q. 6. Salcedo loco citato. Consecratio verò Episcoporum solis Dominicis, & festiuis diebus facienda est. Cap. ordinationes 75. dist. Et notauit Syluest. verbo consecratio 1. q. 3 quam consecrationem debet recipere Episcopus electus, & confirmatus intra trium mensium spatium à sua confirmatione, alioquin ad fructuum perceptorum restitutionem tenetur, & si intra totidem menses id postmodum facere neglexerit, Ecclesia ipso iure priuatur, vt habetur in Conc. Trident. sess. 23. capit. 2. de reformat.

Secundò præmittendum in receptione minorum Ordinum, non esse necessaria temporum interstitia. Nam esto in c. singulis. 77. dist. desiderentur quædam tempora illud ius antiquum est, & ita possunt omnes illi Ordines simul cum prima tonsura eodem die, si Episcopo visum fuerit, conferri; præsertim vbi viget consuetudo. Vt colligitur ex c. 2. De eo qui ordinem furtiuè suscepit. Et tradit Glossa, & Doctores ibi. Et in c. 3. de temporib. ordinat. Suar. disp. 31. sect. 1. num. 4. Saytus lib. 4. thesauri, cap. 14. n. 25. Bonac. t. 3. de censur. disp. 3. q. 1. pun. 4. §. 1. n. 2. Vnde in Concilio Trident. sess. 23. c. 11. de reformat. statuitur hos Ordines recipi per tempora interstitia, nisi aliud Episcopo expedire magis videatur. Quare ex arbitrio Episcopi rationabili, possunt eodem die omnes prædicti Ordines simul cum prima tonsura recipi, & sic praxis obtinuit. A susceptione autem postremi gradus ad Subdiaconatum annus integer. Ecclesiasticus transire debet, nisi necessitas, aut Ecclesiæ vtilitas iudicio Episcopi aliud exposcat, vt habetur in Conc. Trident. sess. 24. c. 11. de reformat. sic, A Subdiaconatu ad Diaconatum annus integer similiter transire debet, nisi aliud Episcopo videatur. Sicuti decidit Conc. Trident. sess. 23. c. 13. & idem decisum est capite 14. à Diaconatu ad Presbyteratum. His positis,

Dicendum est, si recipias primam tonsuram, & Ordines minores non seruatis temporum interstitiis contra voluntatem Episcopi graue peccatum committis; quia violas statuta sacrorum Canonum in materia graui. Vt tradit Glossa in cap. quicunque verbo Acolytus 77. dist. Salcedo cap. 26. Bonac. tom. 1. de censur. disput. 3. quæst. 1. punct. 4. § 1. num. 2. Suar. disp. 31. sect. 1. num. 43. nullam tamen suspensionem incurris, quia nullibi cauta est, vt docent præcitati Doctores. Si verò Ordines minores simul cum Subdiaconatu susciperes, absque Episcopi dispensatione, illóque ignorante suspensionem, seu irregularitatem incurreres. Ex cap. 2. de eo qui ordinem furtiuè suscepit, sicuti notauit Nauarr. cap. 25. num. 71. vers. octauo. Maiolus lib. 4. de irregularit. cap. 11. num. 1. Saytus lib. 4. thesauri, cap. 14. num. 25. Auila 7. part. de censur. disputat. 9. sect. 1. dub. 4. Bonac. tom. 3. de censur. disput. 3. quæst. 1. punct. 4. num. 2. Quod tamen intelligendum est, quando non vocatus te ingessisses Ordinandum; quia tunc Ordinem furtiuè suscipis: secùs verò si vocatus esses tam ad Ordines minores, quàm Subdiaconatum, tametsi ex inaduertentia Episcopi, quia cessat furtiua Ordinis receptio. Posse autem Episcopum dispensare, vt simul eodem die Ordines minores, & Subdiaconatum recipias, supponit sacra Cardinalium congregatio, & docuit Nauarr. cap. 25. num. 71. & indicat Suar. dicta sect. 1. num. 41. Bonac. d. p. 4. n. 2. Quod si duos sacros Ordines eodem die reciperes absque dispensatione Pontificis (qui tamen dispensare potest) dubius est Suar. disp. 31. de censur. sect. 1. num. 41. an incurras suspensionem, eo quòd in cap. litteras de temporib. ordinat. vbi de ordinato Diaconatu & Presbyteratu eodem die decernitur ab executione officii Sacerdotalis manere suspensum, quousque Pontifex aliter disponat, non fertur lex pro futuris casibus, sed casui ibidem relato arctatur dispositio. Cæterùm communis sententia affirmat, te manere suspensum. Vti tradit Nauarr. cap. 25. num. 71. Maiol. lib. 4. de irregular. cap. 11. Viuald. tit. de suspens. num. 47. Saytus lib. 4. thesauri, cap. 12. num. 25. Bonac. tom. 3. disputat. 3. quæst. 1. p. 4. num. 5. tum quia verum non est in prædicto cap. litteras legem

non

non statui; aliàs de omnibus decretis casum specialem referentibus, idem dici posset. Tum præcipuè quia Textus *in c. innotuit, De eo qui furtiuè ordinem suscepit*, inquit de his qui Subdiaconatus, & Diaconatus Ordinem simul susceperunt, de iuris rigore in susceptis Ordinibus ministrare non debent, ibique potestas dispensandi Abbati, & Episcopo remittitur, si Religionem intrauerint. Secùs reseruatur Pontifici, vt aduertunt Maiol. Bonac. Suar. *loc. cit.*

Ob violationem interstitiorum nulla est in iure pœna apposita, tametsi graue peccatum committas legem Ecclesiasticam transgrediens. Sicuti tradit Zerola *in pract. 2. part. verbo ordo, num.* 8. Alterius *2. p. disp. 10. c. 4. post princ.* Suar *disp. 31. sect. 1. n. 43.* Riccius *in collect. decis. 3 p. collect. 576.* Barbosa *de potest. Episc. alleg. 18 n. 11.* Bonac. *t. 3. disp. 3. q. 1. p. 4. §. 2. numero 1.* Solùm aduerto in dispensatione interstitiorum diuersam causam requiri pro sacris Ordinibus susciendis. Nam agens Concil. Trident. *sess. 23. c. 11.* de susceptione Subdiaconatus post susceptionem postremi gradus minorum Ordinum, inquit: *Non promoueantur nisi post annum, nisi necessitas, aut Ecclesiæ vtilitas aliud exposcat.* Et *cap. 13.* agens de promotione ad Diaconatum inquit. *Promoti ad sacrum Subdiaconatus Ordinem, si per annum saltem in eo non sint versati, ad altiorem gradum nisi aliud Episcopo videatur, ascendere non permittantur; cùm autem hoc iudicium rationabile debeat esse, oportet vt saltem Ecclesiæ vtilitas adsit quæ dispensationem exigat. Verùm à Diaconatu ad presbyterarum ascensio non permittitur, nisi ob Ecclesiæ vtilitatem, ac necessitatem aliud Episcopo videatur.* Vt habetur *dicta sess. 23. c. 14. de reformat.* Quod si Episcopus absque prædictis causis vtilitatis, vel necessitatis dispensationem concedat, nulla est dispensatio, vtpote facta in lege Superioris contra formam à superiore præscriptam. Sicuti aduertit Suar. *disp. 31. sect. 1. num. 43.*

9 Nonò fertur suspensio aduersus eum qui per saltum promouetur, hoc est qui ad Ordinem superiorem, prætermisso inferiori, ascendit. Vti colligitur *ex c. solicitudo. 52. distinct. & ex cap. vn. de clerico per saltum promoto*, vbi de Subdiacono qui prætermisso Diaconatu Presbyteratum susceperit, inquit Pontifex: *Mandamus, quatenus condignam pœnitentiam pro negligentia huiusmodi iniungas eidem, qua peracta ipsum in Diaconatum ordinare procures, & sic de misericordia eundem ministrare permittas in ordine Sacerdotis.* Ergo ob prædictum delictum impeditus erat promotus à susceptione Ordinis prætermissi, & ab administratione Ordinis susceptí. Et denique in Concilio Tridentino supponitur, siquidem *sess. 23. cap. 14. in fine de reformat.* dicitur: *Cum promotus per saltum si non ministrauerint, Episcopus ex legitima causa potest dispensare. Si igitur dispensatione indigent, ergo vinculo aliquo ligati erant, quod nullum aliud esse potest, nisi suspensionis, siquidem non solum impediuntur à susceptione Ordinis prætermissi, sed etiam à susceptí administratione.* Atque ita docent Sylvest. *verbo irregularitas. q. 11.* Sotus *in 4. d. 25. q. 1. art. 3.* Nauarr. *cap. 25. num. 71.* & *cap. 27. num. 244.* Gregor. Lopez, *leg. 63. tit. 5. part. 1.* Salcedo *pract. c. 29.* Suarez. *disp. 31. de censur. sect. 1. num. 35. & seqq.* Auila *7. p. disp. 9. dub. 2.* Bonac. *t. 3. de censur. disp. 3. q. 1 p. 2. numero 1.* Filliucius *tract. 17. c. 5 q. 8. n.* ... August Barbosa *de potest. Episcop. allegat. 47. num. 1.* Sayrus *lib. 4. c. 14. n. 26.* Coninch. *disp. 15. dub. 5. num. 40.* Gaspar Hurtado *de suspens. difficult. 13. num. 39.* & alij. Tametsi contrarium censeant non improbabiliter Turrecremata *in dicto cap. sollicitudo, art. 4 & ibi* Archidiacon. & Præpositi. Angel. *verbo irregularitas. 1. num. 36.* Armilla *eodem n. 68.* Bernard. Diaz, *pract. c. 29.* & probabile reputant Suar. & Auila *suprà* ducti ex *dicto cap. sollicitudo*: vbi solùm mandatur Episcopo prohibere ab officio Sacerdotis Presbyterum per saltum promotum, donec Subdiaconatum intermissum recipiat, quod non arguit suspensionem ipso iure latam, sicuti neque Textus *in c. vn. de clerico per saltum promoto*: cùm ex eo tantùm colligatur non esse permittendum sic ordinatum Ordinem prætermissum recipere, & in susceptó ministrare, quousque condignam de delicto pœnitentiam præstet. Verba verò Concilij, quæ efficaciora sunt in hac parte explicari possunt, non de propria dispensatione alicuius impedimenti contracti, sed de permissione absque impositione alicuius suspensionis, vel pœnæ. Sed hæc nullo modo placent, quia videtur esse Textuum violenta explicatio. Et quia Concil. Trident. concedit Episcopo potestatem dispensandi cum promotis per saltum, si non ministrauerint. Supponit ergo post ministrationem non posse dispensare, quod verum esse non posset, nisi ex ministratione irregularitatem incurrerent, ob violatam suspensionem ex ordinatione per saltum contractam.

10 Decimò suspenditur, & irregularitate innodatur, qui post matrimonium contractum etiam nõ consummatum, aliquem ex sacris Ordinibus susciepit extra casus à iure permissos. Vti habetur in Extrauag. Ioann. XXII. *Antiqua de voto & voti redempt.* ibi *districtiùs inhibentes, ne quisquam durante matrimonio nondum etiam consummato, aliquem de sacris Ordinibus præsumat suscipere, nisi prout sacris Canonibus nouerit conuenire. Quod si secus à quoquam forsitan attentatum fuerit, ordinamus quòd nec matrimonio soluto in sic suscepto Ordine ministrare, neque ad superiores Ordines promoueri, nec ad aliquod beneficium, vel officium Ecclesiasticum valeat promoueri.* Ex his verbis constat sic promotum suspensionem incurrere, quatenus ab executione Ordinis susceptí suspenditur; irregularitatem verò, quatenus prohibetur ad superiores Ordines ascendere, & in beneficio Ecclesiastico promoueri. Vt aduertit Bonac. *t. 3. de censur. disp. 3. q. 1. p. 7. num. 1.* Gaspar. Hurtado *de suspens. difficult. 13. n. 40.* Coninch. *disp. 15. dub. 5. num. 41.* Notanter dixi *aliquem ex sacris ordinibus*: nam esto graue peccatum committat coniugatus, Ordines minores post matrimonium recipiens, nullam tamen pœnam ipso iure incurrit; quia Extrauagans supradicta solùm de susceptione ordinum loquitur, & nullus alius inuenitur Textus in iure pœnam susceptioni Ordinum minorum indicens.

Præterea dixi *extra casus à iure permissos*. Sunt enim plures, in quibus licitè coniugatus Ordinem etiam sacrum suscipit. Primò si ante consummatum matrimonium professionem in Religione approbata emittat; quia eo casu vinculum matrimonij soluitur. Secundò si post consummatum matrimonium vxor ex viri consensu Religionem ingrediatur. Iuxta *caput Episcopus benedictionem, 76. dist.* Tertiò si ipsa separata viuere vult, & votum castitatis emittat dum senex sit, & de incontinentiæ periculo non suspecta. Iuxta *cap. seriatim, 32. dist.* Et *cap. coniugatus de coniurat. coniugator. Cap. Agathosa 27. q. 2.* Quartò si ob causam vxoris diuortium quoad thorum, & habitationem perpetuò celebratum est; quia ab oneribus matrimonij soluitur. In his ergo casibus quia vir licitè Ordines suscipit, nullam suspensionem incurrit.

Quod si bonâ fide putans vxorem esse mortuam, vel validam professionem emisisse, cùm tamen nihil horum contigerit; Ordinem sacrum recipiens, suspensionem non incurrit; quia ad hanc suspensionem culpa grauis requiritur, vt constat ex illis verbis *Extrauag. Nemo aduersus supradicta præsumat, & si secus fuerit à quoquam attentatum.* Sicuti notauit Suar. *disp. 31. sect. 2. num. 56.* Bonac. *disp. 3. q. 1. p. 7. num. 4.* Ex Ecclesiastico tamen præcepto prohibitus est ab executione Ordinis sacri matrimonio durante; in quo præcepto nequit Episcopus dispensare, vt aduertit Bonac. *suprà. p. 7. in fine.* Matrimonio autem dissoluto, vel ipsa vxore votum castitatis emittente si senex sit, nec de incontinentiæ periculo suspecta, vel Religionem ingrediente, poterit sic promotus in susceptó ordine ministrare, & ad superiores ascendere, quia nullo impedimento, aut præcepto remouetur, vt affirmat Suar. *disp. 31. sect. 1. num. 56.*

In casibus autem in quibus hæc suspensio contrahitur nullus præter summum Pontificem potest dispensare, etiam matrimonio dissoluto, nisi fortè fuerit dissolutum ob tui in Religionem ingressum, quo casu permittitur in dicta Extrauagant. Episcopo dispensario, vel Religionis Superioribus, qui ex priuilegio sibi concesso à Sede Apostolica possunt, cum suis Fratribus in his suspensionibus dispensare.

Vndecimò fertur suspensio aduersus eum qui Sede Episco- 11
pali vacante, nec arctatus occasione alicuius beneficij recepti, vel recipiendi ordinatur in sacris intra annum cum litteris dimissoriis à Capitulo acceptis. Ex Conc. Trid. *sess. 7. cap. 10. de reformat.* quæ suspensio durat vsque ad beneplacitum futuri Prælati. Pro susciepientibus minores Ordines alia pœna statuitur, scilicet ne clericali priuilegio præsertim in criminibus gaudeant, quare si non suspenduntur, vt congregato Concilij declarauit, teste August. Barbosa, *in dicto cap. 10.* Quod adeò verum est, vt nec primam tonsuram virtute litterarum dimissoriarum à Capitulo recipere possit qui beneficio recepto, vel recipiendo arctatus non fuerit. Vti docuit Nauarr. *cons. 17. de temporib. ordinat.* Man. Rodrig. *t. 2. cap. 14. num. 6.* Garcia. *5. p. de benefic. c. 7. num. 95.* temetsi pœna imposita ordinatis minoribus hunc non comprehendat; quia appellatione minorum Ordinum maximè in decreto pœnali, & odioso solùm veniunt intelligendi quatuor minores Ordines, & non prima tonsura quæ ab illis distinguitur: vti colligitur ex Trident. *sess. 23 cap. 4. §. 6. 10 & 11.* & notauit Garcia, *suprà.* Arctatus verò occasione beneficij recepti (vt rectè explicat Garcia. *5. p. de benefic. cap. 7. num. 97. & seqq.*) ille dicitur qui beneficium obtinet ratione cuius obligatur se promouri facere. Vt qui obtinet Parochialem Ecclesiam, est arctatus intra annum ad sacerdotium promoueri, & obtinens Canonicatum ad sucipiendum Ordinem ei annexum, & sic de aliis beneficiis, seu capellaniis requirentibus ex institutione seruitium personale, seu ordinis exercitium. Occasione verò beneficij recipiendi arctatus dicitur, qui vocatus est ad beneficium vacans, certum requirens Ordinem quo ipse caret. Quod adeò verum est, vt si ad beneficium præsentetur, careátque prima tonsura, possit illi conferri ex litteris dimissoriis à Capitulo acceptis, vt ea præsentatio effectum habere possit: sicuti decisum à sacra Congregatione refert Barbosa in *remissionib. Concilij, dicto cap. 10.* & Garcia *suprà.* Electus verò in concursu ad beneficium curatum, cuius collatio facienda est à Pontifice, nequit interim dici arctatus occasione beneficij accepti, cum illud ante collationem Pontificis non habeat, neque occasio-

ne

ne beneficij recipiendi, cùm ad illius receptionem Ordo sacer non requiratur. Similiter nequit dici arctatus occasione beneficij recipiendi is, cui vis beneficium resignare certum Ordinem requirens quo resignatarius caret; quia ea resignatio voluntaria est, & ratione resignationis voluntariæ futuræ dici non potest arctatus. Vt bene Garcia *dicto capit. 7. à numero 97.*

12 Duodecimò fertur suspensio iure lata, & Pontifici reseruata in *cap. per tuas. Et cap. penult. de Simonia:* aduersus ordinatum carentem titulo patrimonij, vel beneficij ad Ordines sacros requisiti, & pacisentem cum ordinante, seu præsentatore non petiturum ab eis alimenta. Quod adeò verum est, vt etiamsi ignoranter procedat hanc pœnam incurrat, modò non sit ignorantia omnino inuincibilis, & inculpabilis. Vt docuit Suar. *disp. 31. sect. 1. n. 34.* Garpar Hurtado *de suspens. difficult. 13. n. 37.* Coninch. *disp. 15. dub. 5. num. 38.* Ordinans verò à collatione Ordinum, præsentans ab eorum executione per triennium manent suspensi. Quod si secluso hoc pacto, Ordines recipias ab Episcopo conscio tuæ inopiæ, & defectus tituli nullam pœnam ipso iure incurris. Nam esto in *cap. neminem, & cap. sanctorum. 70. dist.* pœna suspensionis indicta ordinato fuerit, reuocata fuit in *cap. cum secundum Apostolum de Prabendis. & cap. si Episcopus eodem tit. in 6.* imposita ordinanti obligatione ordinatum alendi, quam obligationem solùm creditur renouasse Conc. Trident. *sess. 21. c. 2. de reformat.* Verùm si Episcopus ignarus omnino sit huius defectus, tu verò falsis probationibus titulum finxisti, etsi multi probabiliter existiment te manere suspensum, probabilius est nullam suspensionem ipso iure incurrere, neque ordinantem obligatum esse tibi alimenta subministrare, vtpotè qui nullam culpam commiserit: quæ omnia latiùs probata sunt *hac 3. part. tract. de Ordine punct. 12.*

§. II.

De suspensionibus ipso iure latis contra Clericos, ob prauum vsum Ordinis suscepti.

1 *Declaratur prima suspensio aduersus Clericum recipientem oblationes à manifesto vsurario, vel eius corpus defunctum Ecclesiastica sepultura tradentem.*

2 *Declaratur secunda qua est aduersus Parochum, vel alium Sacerdotem siue Regularem, siue Secularem, qui alterius Parochi sponsos sine illorum parochi licentia, matrimonio iungere vel benedicere ausus fuerit.*

3 *Tertia refertur aduersus Sacerdotem secularem, vel regularem matrimonia clandestina non prohibentem, seu illis interessentem.*

4 *Quarta refertur aduersus Clericum secundas nuptias benedicentem.*

5 *Quinta aduersus Episcopum, vel Presbyterum ingressum ad Missarum solemnia celebranda, si præsumat recedere, vt ab alio Missa sacrificium perficiatur.*

6 *Sexta aduersus Sacerdotem sacrificantem, & se à communione suspendentem.*

7 *Septima aduersus eos qui Ordine vtuntur in loco interdicto.*

8 *Octaua refertur aduersus Sacerdotes, tam seculares, quàm regulares non seruantes quæ in decreto sanctæ Congregatio. Romanæ edito 16. Iulij ann. 1525. præscribuntur.*

1 PRima sumitur ex *c. quia in omnibus de Vsuris*, aduersus clericum quia à manifesto vsurario oblationes receperit, vel eius corpus defunctum tradiderit Ecclesiasticæ sepulturæ. Quæ suspensio est ab officio, donec Episcopo suo videatur satisfactum, compellitúrque oblationes receptas restituere iudicis sententia interueniente. Vt colligitur ex illis verbis Textus; *Reddere compellatur.* Nomine *obligationum* venit quod Deo offertur liberè in recognitionem diuinæ excellentiæ, non vero quod debitum est, & ministris Ecclesiæ conceditur in suorum laborum stipendium, & eorum sustentationem. Vsurarius autem debet esse manifestus non vtcunque, sed per denuuciationem, quia post Extrauag. *Ad euitanda scandala*, solùm denunciatum tenemur vitare. Sicuti hæc omnia tradunt Suar. *disp. 31 sect. 2. à n. 6.* Coninch. *disp. 15. dub. 5. num. 41.* Filliucius, *tract. 17. cap. 6. num. 100.* Bonac. *t. 3. de censur. disp. 3. q. 3. pun. 6.* Ad idem reduci potest suspensio lata *cap. super eo de Raptoribus*, vbi Clerici qui raptoribus Ecclesiarum absque vlla facta satisfactione sacramentum absolutionis impenderint, aut eorum sepulturæ interfuerint, vel eorum eleemosynas recipere attentauerint, seu huiusmodi rapinæ participes inuenti fuerint Ordinis sui damnum irrecuperabiliter pati, & Ecclesiastico beneficio carere debent. Quæ suspensio non videtur ipso iure lata, sed ferenda, vt indicant illa verba *patiantur, careant.* In Conc. Trident. verò *sess. 22. cap. 11. de reformat.* etiam post integram satisfactionem, & absolutionem à suorum Ordinum executione suspendi arbitrio sui Ordinarij debent.

Secunda sumitur ex Conc. Trident. *sect. 24. cap. 1. de reformat.* quæ est aduersus Parochum, vel alium Sacerdotem siue regularem, siue sæcularem, qui alterius Parochi sponsos sine illorum parochi licentia (etiamsi sibi licere contendat ex priuilegio, vel ex immemorabili consuetudine) matrimonio iungere, vel benedicere ausus fuerit. Quæ suspensio ab officio, & beneficio videtur esse, quia absolutè fertur, vt tradit Bonac. *disp. 3. q. 3. p. 5. num. 7.* Filliucius, *tract. 17 cap. 6. q. 4. num. 01.* At vt prædicti Doctores firmant, probabilis est sententia Suarez *disp. 31. sect. 3. n. 18.* asserens solùm esse suspensionem ab officio, & munere Sacerdotali; siquidem fertur non solùm in Sacerdotes sæculares, sed regulares, & per modum vnius, & consequenter ab aliqua actione quæ illis communis sit. Præterquam quòd pœna culpæ commensurari debet. Cùm autem culpa solùm sit aduersus sacerdotale officium, pœna suspensionis solùm sacerdotale officium spectare debet. Durat autem hæc suspensio quousque ab Ordinario illius parochi qui matrimonio interesse debebat, vel sponsos benedicere; absolutio præstetur, vt expressè notatur in dicto Textu. Excommunicationem autem latam in *Clement. 1. de Priuilegiis* aduersus Sacerdotem regularem matrimonio absque parochi licentia assistentem, cessare credunt Sayrus *lib. 4. thesauri. cap. 15. num. 10.* Henriq. *lib. 13. cap. 39. num. 3.* Filliucius, *tract. 17. cap. 6. num. 102.* Rebell. *post 4. lib. declaration. sect. 2. num. 83.* Bonac. *t. 3. de censur. disp. 3. q. 3. p. 5. num. 6.* ob impositam à Conc. Trident. suspensionem, ne vnicum delictum duplici pœna puniatur, maximè quia receptum apud Doctores est pœnam, seu legem nouo iure appositam alicui delicto corrigere grauiorem iure antiquo appositam, vt multis comprobat Sanch. *lib. 3. de matr. disp. 48. num. 8.* Sed appositum in præsenti verius videtur, vt docuit Nauarr. *lib. 5. Consil. tit. de pœnis, cons. 1.* aliàs *lib. 1. tit. de constitutionib. cons. 10.* Maiolus *lib. 3. de irregularit. cap. 25. num. 12.* Man. *1. 1. sum. cap. 219. num. 14.* Sanchez *dicto lib. 3. disp. 48. num. 8.* Quia cùm hæ pœnæ ipso iure infligantur, nec sint incompatibiles, vtraque censendus est Sacerdos regularis ligari. Illa verò doctrina, quod pœna mitior noua lege inducta corrigat antiquam, verum habet in pœnis à Iudice infligendis; quia vnica actione eas infligit, non vero in iis quæ ipso iure latæ sunt. 2

Tertiò placet Henriq. *lib. 13. cap. 39. num. 3.* Sayro, *lib. 4. thesauri, cap. 15. num. 8.* suspensionem ab officio per triennium ipso iure ferri aduersus Sacerdotem sæcularem, vel regularem, matrimonia clandestina non prohibentem, seu illis interessentem *ex cap. cùm inhibitio de clandest. desponsat. impuber.* Sed rectiùs Couarruu. *in 4. decretal. 2. p. cap. 6. num. 13.* Sanch. *lib. 3. disp. 48. à num. 6.* Bonac *t. 3. disp. 3. q. 3. pun. 5. num. 9.* Filliucius *tract. 17. cap. 15. num. 102.* censent suspensionem non esse ipso iure latam. Sed ferendam; quia Textus vtitur verbo *suspendatur*, quod actionem Iudicis denotat. 3

Quarta refertur ex *cap. capellanum. de secundis nuptiis*, aduersus Clericum secundas nuptias benedicentem. At vt Glossa *ibi*, Couarruu. *4. decretal. 2. p. cap. 8. §. 11. num. 2.* Bernard. Diaz *pract. cap. 74.* Henriq. *lib. 13. cap. 39. num. 3* Sanchez *lib. 7. disp. 81. num. 27.* Sayrus *cap. 15. num. 4.* Filliucius *tractatu 17. cap. 6. num. 105.* Bonacina *t. 3. de censur. disp. 3. q. 3. punct. 5.* docent in prædicto Textu non esse censuram latam, sed ferendam. 4

Quinta adducitur *ex cap. nullus Episcopus de consecrat. dist. 1.* vbi Episcopus, vel Presbyter ingressus ad Missarum solemnia celebranda, si præsumat recedere, vt ab alio Episcopo, vel Presbytero Missarum solemnia suppleantur, nisi aliqua passione vrgente à sacro Corpore, & Sanguine Domini nostri Iesu Christi suspenditur. Sed an hæc suspensio sit ipso iure lata, an ferenda? Non conueniunt Doctores. Nam Sayrus *lib. 4. cap. 15. num. 1.* Bonac. *t. 3. de censur. disp. 3. q. 3. p. 2.* existimant ipso iure latam esse; quia Textus inquit: *A Corpore, & Sanguine Domini nostri Iesu Christi sit suspensus*, quæ verba actionem ipsius legis, non Iudicis denotant. Sed rectiùs contrarium docuit Glossa *ibi*, vtens loco illorum verborum; *Suspensus sit, verbo suspendatur.* Et Filliuc. *tract. 17. cap. 15. n. 103.* Nam cùm in materia pœnali stricta interpretatio facienda sit, & verba illa *suspensus sit* indifferentia sint ad significandam censuram latam & ferendam, non est cur latam esse intelligamus; maximè cùm in *c. nihil. 7. q. 1.* vbi eiusdem casus mentio fit, dicatur, Excommunicationis sententiam sustinebit; quod Iudicis officium requirit. Et licèt Doctores dissentiant, an hæc pœna sit suspensio, an verò excommunicatio. Alij vt Archidiacon. *dict. cap. nihil* censent esse excommunicationem minorem, alij vt Maiolus *lib. 3. cap. 16. in fine* excommunicationem maiorem esse affirmant, quia separatio ab altari anathema dici solet. *Cap. Engeltrudam, 3. q. 4.* & *cap. nemo per ignorantiam de consecrat. dist. 1.* At verius est esse suspensionem ab officio sacerdotali celebrandi, quia separari à Corpore, & Sanguine Christi nequit Sacerdos, nisi separetur à celebrandi munere. Neque obest Textus, *in cap. nihil*, vbi expressè de excommunicatione sermo habetur; quia ibi excommunicatio ferenda indicitur 5

ob sacrificium, ex quacunque occasione inchoatum relinquatur; at *in cap. nullus Episcopus*, suspensio indici videtur, si relinquatur sacrificium imperfectum, vt alius Episcopus, vel Presbyter illud perficiat, vt colligitur ex illis verbis: *Nullo modo audeat data occasione recedere, vt ab alio Episcopo, vel Presbytero Missarum solemnia suppleantur.*

6 Sexta sumitur ex Concilio Tolet. *in cap. relatum de consecrat. dist. 2.* vbi Sacerdos sacrificans, & se à communione suspendens (intellige culpabiliter) à gratia communionis qua se indecenter priuauit per annum repellitur ipso iure, vti demonstrant illa verba Textus; *Anno vno repulsum se nouerit.* Non enim actionem futuram denotant, sed præsentem, & à lege appositam: vt aduertit Filliucius, *tract. 17. cap. 15. numero* 104. Sed an hæc sit propria suspensio, an species excommunicationis, vel interdicti? non est constans sententia. Probabilius existimo esse suspensionem, eo quòd Sacerdos communionem in sacrificio omittens non prohibetur à communione more laicorum recipienda, sed à communione in sacrificio, & consequenter prohibetur à celebratione quæ est vera suspensio. Quod si Sacerdos vtramque speciem consecrans vnam tantùm malitiosè assumat, & ab alia se indecenter suspendat; ea tantùm directè priuatur, indirectè tamen vtraque, cùm non possit vnam sine alia recipere. Sicuti hæc docent Sayrus, *lib. 4. cap. 15. num. 2.* Alter. *t. 2. disp. 11. cap. 3.* Maiol. *de irregularit. lib. 3. cap. 16.* Bernard. Diaz, *pract. cap. 42.* Bonac. *t. de censur. disp. 3. quæst. 3. punct. 3.*

7 Septima à pluribus Doctoribus asseritur latam esse aduersus eos qui Ordine vtuntur in loco interdicto. Probant hanc sententiam ex *cap. tanta de exessib. prælator.* Glossa *ibi verbo irritas.* Sylvest. *verbo interdictum. 6. n. 3.* Angel. *eodem 7. num. 7.* Armilla, *num. 58.* eo quòd sententiæ datæ ab Episcopo violante interdictum, & collationes, & institutiones beneficiorum ab eodem factæ decernuntur irritæ, & inanes. Signum ergo est suspensum esse ab officio, quia hæc est suspensio quæ iurisdictione priuat. Alij hanc suspensionem probant ex *cap. Episcoporum de Priuilegiis in 6.* Alij ex *cap. postulasti, de Clerico excommunicat. ministr.* Alij ex *cap. is qui de sentent. excommun. in 6.* Sed vt rectè expendit Filliucius, *tract. 17. cap. 15. quæst. 2. num. 8.* ex nullo ex prædictis Textibus suspensio probatur. Nam ex *cap. tanta* id non conuincitur. Non enim sententiæ datæ ab illo Episcopo qui violauit interdictum decernuntur irritæ, quia suspensus erat à iurisdictione ob interdicti violationem, sed quia erant iniustæ. Vnde non omnes sententiæ, & collationes ab eo factæ irritantur; sed eæ tantùm, quæ occasione interdicti violandi prolatæ sunt, vt *ibidem* cauetur *in 2. parte illius Textus*, manifestum est non ferri ipso iure suspensionem, siquidem dicitur eos qui prædictum interdictum violarunt authoritate Apostolica ab officio, & beneficio suspendas: indicatur ergo sententia ferenda, non ipso iure lata. Neque item probatur hæc suspensio ex *cap. Episcoporum*; quia *ibi* solùm continetur quædam species interdicti laicis, & Clericis communis, scilicet prohibitio ab ingressu Ecclesiæ. Neque probatur ex *c. postulasti*: quia *ibi* asseritur Clericos violatores interdicti si sæculares sint, esse beneficiis spoliandos; at verò regulares in arctum monasterium detrudendos, quod pœnam ferendam denotat, non latam. In *cap.* verò *is qui* non suspensio, sed potiùs irregularitas quædam indicitur, siquidem ineligibilis redditur. Præterquam quòd illa verba Textus, *Adeo efficitur ineligibilis, vt neque ad eligendum cum aliis debeat admitti*; non videntur sententiam latam, sed ferendam continere.

8 Octaua referri potest ex decreto sanctæ Congregationis Romanæ visitationis, edito die 10. Iulij anno. 1625. quo suspenduntur à munere audiendi confessiones Sacerdotes tam sæculares, quàm regulares, non seruantes ea quæ in prædicto decreto statuuntur, videlicet si absque expressa licentia in scriptis Romani Vicarij confessiones in priuatis domibus audiant, dummodò non fuerint Cardinalium, Oratorum, Regum, & magnorum Principum, Ducum, & nepotum Romani Pontificis, vel infirmorum qui nequeunt absque graui incommodo ad Ecclesias confugere: Cùm verò confessiones in Ecclesia audierint, debent si Clerici sæculares sint superpelliceo, & stola indui, si regulares stola. Mulierum verò confessiones si contingat in ædibus fieri, semper excipiendæ sunt ostiis apertis. Hæc constitutio, illiúsque pœna extra Episcopatum Romanum vim non habet, cùm non à Pontifice, sed à Congregatione visitationis lata sit. Quinimo Vrbanus VIII. prædictam prohibitionem magna ex parte creditur temperasse, vel potiùs abstulisse. Sicuti latiùs hæc tradit Bonacina *tom. 3. de censur. disputatio. 3. quæstio 3. puncto 4.*

§. III.

Expenduntur suspensiones ipso iure latæ aduersus Clericos, ob violationem obligationum, quæ ipsorum sunt propriæ.

1 *Prima suspensio refertur quæ est aduersus, Clericos scienter aliquem ad Episcopatum, Rectoriam, seu beneficium eligunt, contra formam præscriptam in* cap. cum in cunctis de electione.

2 *Secunda refertur aduersus electores, & qui per abusum secularis potestatis aliquem ad beneficium Ecclesiasticum eligunt.*

3 *Tertia aduersus confirmantem, seu approbantem electionem indigni.*

4 *Quarta continetur aduersus Clericos beneficium habentes, seu curam alicuius Ecclesiæ, qui Ecclesiam alienis debitis grauant &c.*

5 *Quinta aduersus Clericum beneficiatum qui aliquid malitiosè opponit in personam electi ad dignitates, personatus, & Canonias, & in probatione deficit.*

6 *Sexta aduersus electores Episcoporum, qui electionem factam siue in concordia, siue in discordia culpabiliter omiserint præsentare electo infra octo dies &c.*

7 *Septima aduersus compromissarium, qui scienter eligit indignum ad Episcopatum, vel superiorem dignitatem.*

8 *Octaua aduersus eos qui Sede vacante bona Ecclesiæ Cathedralis Regularis, vel Collegiatæ occupant, inter se diuidunt, surripiunt, dilapidant &c.*

9 *Nona aduersus exercentes munus conseruatoris, & ne alius quàm de manifestis iniuriis, & violentiis scienter se intromittentes.*

10 *Decima aduersus Iudices Ecclesiasticos, ordinarios, & delegatos, qui in iudicio contra conscientiam, & contra iustitiam in grauamen partis alterius quidquam fecerint per gratiam, vel per sordes.*

11 *Vndecima aduersus Clericos inferiores Episcopo, eorúmque familiares, qui occasione visitationis Ecclesiarum aliquam pecuniam, seu munus etiam sponte oblatum præter moderatum victum sui, & suorum pro tempore visitationis insumendum acceperint, nisi infra mensem duplum Ecclesiæ grauatæ restituerint.*

12 *Duodecima aduersus Clericos beneficiatos, qui veste sæculari absque rationabili causa vtuntur.*

13 *Decimatertia aduersus Cancellarium Vniuersitatis, conferentem gradum Doctoris, vel Magistri non exacto prius iuramento à Doctorando, quòd in ea solemnitate non insumet vltra tria millia Turonensium argenteorum.*

14 *Decimaquarta aduersus postulantes Cathedralem Ecclesiam qui 27. annum nondum attigerint, vel postulantes religiosos Mendicantes ad inferiores Ecclesias Cathedralium.*

15 *Decimaquinta aduersus Ordinarios quoscunque, eorúmque commissarios, & delegatos, qui in Romana curia pro suis negotiis commorantes, beneficiis priuant, aliisque conferunt.*

16 *Tandem refertur suspensio aduersus Episcopos, aliosque Prælatos admittentes resignationem contra formam præscriptam à* Pio V.

PRima suspensio ipso iure lata habetur in *c. cùm in cunctis* 1
§. *Clerici de electione*, aduersus Clericos qui scienter aliquem ad Episcopatum, Rectoriam, seu beneficium, cui animarum cura annexa est, eligunt, contra formam in *dicto cap.* præscriptam, quæ est, vt nemo in Episcopum eligatur qui trigesimum ætatis annum non exegerit, & ex legitimo matrimonio natus non fuerit, & vita & scientia commendabilis non demonstretur. In Decanatum, Archidiaconatum, aliúdque beneficium parochiale nisi vigesimum quintum annum inchoauerit, & moribus, & scientia commendandus existat. Eligens igitur ad præfata beneficia contra prædictam formam triennio suspenditur ab Ecclesiasticis beneficiis non quibuscunque, sed illius Ecclesiæ in quam eligendo indignum, deliquit, iuxta textum *in c. si compromissarius, de elect. in 6.* Et notauit Suar. *disp. 31. sect. 3. num. 10.* Bonac. *t. 3. de censur. disput. 3. quæst. 4. pun. 1. num. 8.* Et insuper priuatur ipso iure potestate eligendi pro ea vice. Quod si in illa Ecclesia nulla beneficia obtinet, hanc suspensionem à beneficiis non incurrit, sed arbitrio iudicis puniendus venit. Debet autem electio fieri indigni, indignitate prouenient ex defectu ætatis, natiuitatis morum, & scientiæ ad præfata beneficia requisitorum, quia id necessarium est, vt electio esse censeatur contra formam in *eo textu* præscriptam. Quare si ex alio capite indignitas pro-

uenit

venit, non est locus huic censuræ; vt notauit Suar. *suprà, numero* 11. Bonac. *num.* 2. Item debet esse electio ad Episcopatum, Decanatum, Archidiaconatum, aliudve beneficium, cui animarum cura annexa sit, quia de ipsis tantùm textus loquitur. Vnde pro electione indigni ad beneficia simplicia nulla est pœna ipso iure statuta. Episcopi verò si in hac electione delinquant, hanc suspensionem non incurrunt, quia non exprimuntur; priuantur tamen potestate prædicta officia, & beneficia conferendi: vt habetur in *dicto cap. cùm in cunctis*: & ex alia parte debent puniri pœna suspensionis quæ non est lata, sed ferenda iuxta textum in *c. nihil est de electione*: & notauit Suar. *suprà*, & Bonac. *n.* 7.

2 Secundò aliqui affirmant ferri suspensionem in *cap. quisquis de elect.* aduersus electores qui per abusum sæcularis potestatis aliquem ad beneficium Ecclesiasticum eligunt. Sed verius est quod docet Glossa *ibi verbo suspendantur*. Suar. *disput.* 31. *sect.* 3. *numero* 12. Bonacina *tom.* 3. *de censur. disputat.* 3. *quæst.* 4. *punct.* 5. *num.* 3. suspensionem ab officiis, & beneficiis *ibi* appositam non esse ipso iure latam, sed ferendâ, vt constat ex illis verbis Textus: *Ab officiis, & beneficiis penitus suspendantur per triennium*. Nam verbum *suspendantur* actionem iudicis denotat: suspensionem verò, seu priuationem potestatis eligendi quam incurrunt, existimat Suar. *suprà, num.* 12. ipso iure incurri ex illis verbis; *Eligendi tunc potestate priuati*. Sed probabilius Glossa *verbo tunc*. Alterius *t.* 2. *disput.* 16. *capit.* 5. *sub finem*. Bonacina *dicto pun.* 5. *num.* 3. censent eam priuationem non induci ipso iure, sed posita triennali suspensione ab officiis, & beneficiis; quia illa verba præstant hunc sensum, *qui præfatam electionem per abusum sæcularis potestatis præsumpserint celebrare, ab officiis, & beneficiis penitus suspendantur per triennium, quæ suspensione durante eligendi potestate sint priuati*. Illud est certum Episcopos huic pœnæ non subiici, quia illorum in hac parte non est facta expressa mentio. Præterquam quòd ipsi ibidem aliter cauentur puniri, electus verò electioni præfatæ consentiens, electionis commodo caret, & ineligibilis est, & absque dispensatione non valet ad aliquam eligi dignitatem. Censetur autem electio fieri cum abusu potestatis sæcularis, quando sæcularis potestas absque priuilegio Pontificis se electioni immiscet, & authoritatem illi præbere intendit, quod fit electores Ecclesiastici liberè permittant: prædictis pœnis subiiciuntur.

3 Tertiò placet grauibus Doctoribus, Glossæ *in cap. nihil est de electione*. Henriq. *lib.* 13. *cap.* 39. *num.* 2. Sayro *lib.* 4. *cap.* 12. *num.* 35. Viualdo, *tit. de suspens. numero* 97. confirmantem, seu approbantem electionem indigni ætate, scientia, & moribus ad curam animarum, suspendi à fuctibus beneficij, & priuari potestate confirmandi primum illius electi successorem. Sed rectiùs Bonac. *t.* 3. *de censur. disc.* 3. *q.* 4. *p.* 4. existimat in *prædicto textu* non ferri suspensionem ipso iure, quia vtriusque verbis *caret*, & *suspendatur* quæ iudicis officium requirunt, iuxta benigniorem interpretationem, quæ in decretis pœnalibus amplectenda est.

4 Quarta suspensio continetur in *cap. si quorundam* 2. *de solutionib.* aduersus Clericos beneficium habentes, seu curam alicuius Ecclesiæ, qui Ecclesiam alienis debitis grauant, seu litteras, vel sigilla alicui concedunt, quibus Ecclesia possit obligari ab administratione spiritualium, & temporalium ipso iure suspenduntur, & insuper decernitur Ecclesiam ad solutionem talium debitorum nullatenus teneri, nisi quatenus in eius vtilitatem conuersum sit. Sicuti latiùs explicant Glossa, & Panormit *ibi*. Suar. *disp.* 31. *sect.* 3. *numero* 2. Filliuc. *tract.* 17. *capit.* 6. *q.* 5. Bonacina *tom.* 3. *de censur. disput.* 3. *q.* 4. *pun.* 14. & alij: Sed an hæc suspensio summo Pontifici referatur? Variant Doctores. Nam Panormit. *num.* 5. Suar. *num.* 2. Filliucius *num.* 107. affirmant, eo quòd hæc suspensio videatur lata per modum pœnæ, & non per modum censuræ. Sed rectiùs contrarium docuit Angel. *verbo suspensio*, 1. *casu* 10. Syluest. *eodem* §. 6. *vers.* 10. Bonac. *pun.* 14. *num.* 8. quia nullum est verbum ex quo colligatur hanc suspensionem in puram pœnam esse impositam, & casu quo in pœnam imposita esset, cùm non reseruetur Episcopo, venit concedenda iuxta ea quæ *pun.* 4. diximus.

5 Quinta fertur in *cap. statuimus.* §. *adiicientes de elect. lib.* 6. & *in cap. si compromissarius eodem tit. & lib.* aduersus Clericum beneficiatum, qui aliquid malitiosè opponit in personam electi ad dignitates, personatus, vel canonias, & in probatione deficit. Quæ suspensio est triennalis à beneficiis subintelligitur habitis in illa Ecclesia cuius electionem impugnare conatus est, vt pœna sit culpæ proportionata: & colligitur ex *dicto cap. si compromissarius*. & *ibi* Glossa *verbo illius beneficiis*. Suar. *disputat.* 31. *sect.* 3. *num.* 11. *in fine*. Filliuc. *tract.* 17. *cap.* 6. *q.* 8. Bonacina *tom.* 3. *de censur. disputat.* 3. *q.* 4. *pun.* 9. *num.* 8. Quod si non obstante hac suspensione administrationi beneficiorum temerè se ingesserit ipso iure beneficiis perpetuò priuatur, nullam super hoc de misericordia spem, aut fiduciam habiturus, nisi manifestissimis constiterit documentis, quod ipsum à calumniæ vitio causa probabilis, & suffi-

ciens excusaret. Vt autem hæc priuatio effectum habeat, necesse est accedat sententia saltem declaratoria criminis, quia nemo tenetur ius quæsitum à se abdicare, nisi per sententiam compulsus, vt aduertit Bonacina *dicta disput.* 3. *q.* 4. *pun.* 9. *numero* 9. Impugnans verò præfatam electionem non ob defectum electi, sed ob defectum electorum, vel ob omissam formam in electione seruandam, si plenè non probauerit ad expensas factas à parte aduersa condemnandus est; vt cauetur in *dicto cap. statuimus*: quod idem dicendum est si deficiat in probatione defectuum quos in personam electam obiecit. Est tamen differentia inter hunc casum, & præcedentem, quod impugnans electionem ob defectum formæ, plenè probare debet impugnationem, vt condemnationem expensarum euitet: at impugnans electionem ob defectum electi videtur satisfecisse suæ intentioni, si semiplenè defectum probauerit; quia stante semiplena probatione dici nequit calumniator. Et fortè ob hanc causam diuersimodè textus de his probationibus locutus est: si enim vellet obiicientem electo defectum suspendere à beneficiis, eo quòd in probatione plena defecerit, cur non addidit plena, sicuti expressit in casu præcedenti? Non igitur incurrit hanc suspensionem, esto in probatione plena defectus obiecti deficiat, si semiplenè illum probauerit. Vti tradunt Hostiens. & Archidiacon. relati à Glossa *in dicto cap. statuimus, verbo qui vero in probatione*. Suar. *disp.* 31. *sect.* 3. *num.* 11. Sed verius est quod indicat *ibi* Glossa, & docuit Geminian. *num.* 5. Anchatran. *num.* 6. Alterius, *t.* 2. *disputat.* 13. *cap.* 4. *col.* 2. Bonac. *disp.* 3. *q.* 4. *pun.* 9. *num.* 4. si deficiat in probatione plena suspensioni subiici, quia id videtur explicatum à Gregor. X. *in cap. vt circa de elect. lib.* 6. vbi referens, & confirmans decisionem Innocent. IV. in *capit. statuimus* inquit: *Illa sanè quæ felicis recordationis Innocent. Papa quartus, contra non plenè probantes ea quæ in formam, vel in personam obiecerunt, in suo volumus robore permanere*. Notandumque est verbum *plenè*, quod afficit vtrumque obiicientem scilicet in formam, & in personam, Præterquam quòd in probatione deficit qui plenè suam intentionem non probat; siquidem ob illius defectum obtinere non potest electionis cessationem, Vti notat Glossa *in Clemen. constitutionem. verbo fides de electione*. Illud certum excusari ab hac censura, si inculpabiliter in probatione deficiat, eo quòd testes de veritate deposituri renuant deponere, vel ipse electus à defectu obiecto liberatus occultè sit. Sicuti notarunt Suar. *dicta disputat.* 31. *sect.* 3. *num.* 12. Filliuc. *tractat.* 17. *cap.* 6. *q.* 8. Bonac. *tom.* 3. *de censur. disputat.* 3. *q.* 4. *pun.* 7. *num.* 7. Item si obiectis pluribus defectibus vnum tantùm plenè probes, qui sufficiens sit ad electionem cassandam, vt docet Glossa aliis relatis in *dicto cap. statuimus, verbo deficere*. quia ea probatione stante conuincitur nec dolosè egisse, nec temerè electionem impugnasse. Ad extremum aduerte nomine electi, intelligi debere quemlibet præsentatum, nominatum, postulatum, seu quolibet modo prouisum. Argum. *cap. si compromissarius de elect. lib.* 6. Deinde debere esse prouisum non ad quodcunque beneficium, sed ad dignitatem, personatum, seu Canonicatum, vt declaratur in *dicto cap. statuimus.* §. *sed etsi pars*. Et notauit *ibi* Glossa, Suar. *disp.* 31. *de censur. sect.* 3. *num.* 2. Filliucius *tractat.* 17. *cap.* 6. *q.* 8. Bonac. *disput.* 3. *de censur. in partic. q.* 4. *p.* 9. *n.* 3. Sub nomine dignitatis Episcopatus videtur comprehensus. Argum. *cap. si compromissarius de elect. in* 6. quia est suprema dignitas, & tradunt relati Doctores.

Sexta habetur in *cap. cupientes.* §. *cæterùm de elect. lib.* 6. ad- 6
uersus electores Episcoporum, qui electionem factam siue in concordia, siue in discordia culpabiliter omiserint præsentare electo infra octo dies, enumerandos non à puncto electionis, sed ab eo puncto quo electione factâ possint commodè electo eam præsentare. Hi igitur omnes, & singuli qui culpabiles in hac omissione extiterint ab omnibus beneficiis, quæ in illa Ecclesia de cuius electione agitur, obtinent, suspenduntur per triennium continuum, enumerandum ab eo puncto quo dicta suspensio contrahitur. Quod si illo triennio durante temerè se ingesserint in prædictorum beneficiorum administratione illis perpetuò priuantur. Sicuti hæc omnia tradit Glossa *ibi* & Doctores communiter. Paludan. *dist.* 18. *q.* 7. *casu* 1. Sylvest. *verbo suspensio, n.* 25. Henriq. *lib.* 13. *c.* 39. *num.* 2. Sayr. *lib.* 4 *thesauri, c.* 15. *n.* 12. Suar. *disput.* 31. *sect.* 3. *n.* 4. Bonac. *t.* 3. *de censur. disp.* 3. *q.* 4. *p.* 8. Eadem pœna extenditur in *dicto cap.* aduersus electores se electioni opponentes, qui infra tempus, & modum *ibi* præscriptum ad Sedem Apostolicam non accesserit per se, vel per procuratores, aut certas personas ad hoc destinatas ad reddendam totius negotij rationem. Et tandem idem decernitur cum aliquis postulatur. Hæ tamen electiones iam non sunt in vsu, vt benè aduertit Suar. *disp.* 31. *sect.* 3. *num.* 5.

Septima continetur in *cap. si compromissarius de elect. lib.* 6, 7
aduersus compromissarium qui scienter, seu vt aliis placet ex ignorantia crassa, & culpabili eligit indignum ad Episcopatum, vel superiorem dignitarem, non verò ad dignitatem inferiorem, suspenditur triennio à beneficiis Ecclesiasticis, si quæ habet in illa Ecclesia in quam deli-

quit. Compromittentes verò si scienter ratam indigni electionem habuerint pro ea vice eligendi sunt potestate priuati, suspensionem tamen prædictam non incurrunt, quia nec in *dicto cap. si compromissarius*, neque alibi habetur. Atque ita tradunt Glossa *ibi*: Suar. *disp.* 31. *sect.* 3. *num.* 9. Alterius *t.* 2. *disp.* 13. *c.* 2. Bonac. *t.* 3. *de censur. disp.* 3. *q.* 4. *p.* 3. Eadémque pœna suspensionis extenditur ad eum qui alicuius Episcopi, vel Superioris electionem, postulationem, aut prouisionem impugnans in probatione deficit eius quod obiicit in personam electi, iuxta ea quæ *superius* annotauimus.

8 Octaua refertur in *cap. quia sæpè de elect. lib.* 6. aduersus Capitula, Collegia, Conuentus, & singulares personas, quæ Sede vacante bona Ecclesiæ Cathedralis, regularis, vel collegiatæ à Prælatis ipsarum Ecclesiarum dimissa, vel vacationis tempore aliquo modo obuenientia, quæque in vtilitatem dictarum Ecclesiarum expendi deberent, vel futuris successoribus reseruari, occupant, inter se diuidunt, surripiunt, dilapidant, dissipant, & consumunt in earum graue dispendium, & iacturam. Qui ergo hoc facere præsumpserint ab officio, & beneficiis quibuscunque suspenduntur, donec plenè restituerint quidquid de bonis acceperint supradictis.

Sub hac constitutione solùm comprehenduntur personæ quæ sunt ex Ecclesiæ, Collegio, seu Conuentu, cuius bona vsurpantur, quia pro his tantùm est dispositio, vt constat ex illis verbis: *Capitula, Conuentus, Collegia, & singulares eorumdem personæ.* Et notauit Glossa *verbo eorumdem.* Secundò non comprehenduntur vsurpantes bona quæ ad alios præter Ecclesiam, vel successorem pertineant, quia de his tantùm bonis textus locutus est. Tertiò non extenditur ad vsurpantes bona, quæ ad inferiores beneficiatos, vel Ecclesias spectant, quia constitutio solùm agit de bonis Ecclesiæ Cathedralis, Regularibus, vel Collegiatæ: sicuti latiùs tradunt Suar. *disputat.* 31. *sect.* 3. *num.* 3. Bonac *t.* 3. *de censur. disp.* 3. *q.* 4. *p.* 15. *per totum.*

Hæc suspensio est ab officio tum Ordinis, tum iurisdictionis, & etiam à beneficiis non solùm illius Ecclesiæ in quam commissum est delictum, sed ab omnibus vbique possessis, quia id denotat pronomen illud *quibuscunque*, quod generale est, & omnia comprehendit. Argum. *l. g. à procuratore. Cod. mandati. & cap. solita de maiorit. & obedient.* & notauit Bonacina *disputat.* 3. *quæst.* 4. *punct.* 15. *num.* 9. aduersus Panormit. Alterium, & alios. Durat autem suspensio donec plenè restitutum fuerit quod sublatum, vel dissipatum est. Censebitur verò plenè esse restituturum, tametsi materia leuis quæ peccatum mortale non attingat, omittatur; vel si is cui restitutio facienda est, remittat, vt notauit Bonac. *suprà, numero* 12. & 13.

Huic suspensioni similis est quæ habetur in *cap. præsenti, de officio ordinarij in* 6. vbi suspenduntur ab officio, & beneficio, omnes Ecclesiasticæ personæ Episcopis inferiores, quæ vacantibus personatibus, dignitatibus, prioratibus, vel aliis Ecclesiis sibi subiectis, vel ad eorum collationem, ordinationem, præsentationem, vel custodiam pertinentibus bona in ipsis inuenta, seu vacationis tempore venientia occupant, aut in suos vsus quomodolibet conuertere præsumunt, nisi aliquo iusto titulo ad illos pertineant.

9 Nonò suspenduntur qui munus exercentes conseruatoris de aliis quàm de manifestis iniuriis, & violentiis scienter se intromiserint iudicaturi, seu ad alia quæ iudicialem indaginem exigunt, suam extenderint potestatem. Vti habetur in *capite hac constitutione de officio, & potest. iudicis delegati.* Et notandum est verbum *scienter*, nam si ex ignorantia etiam culpabili (modo affectata non sit) aliquid horum contingat, huic censuræ non est locus, vt tradit Suar. *disputat.* 31. *sect.* 3. *numero* 17. Filliucius *tractat.* 17. *capit.* 6. *numero* 118. Moneta *de conseruatorib. cap.* 7. *q.* 12. Bonacina *tom.* 3. *de censur. disputat.* 2. *quæst.* 2. *pun.* 3. *numero* 10. Episcopi etsi numerentur inter illas personas quæ officium conseruatoris exercere possunt, non tamen huic censuræ subiiciuntur, esto delinquentes sint, quia in prædicta suspensione non exprimuntur, quod necessarium erat iuxta Textum in *cap. quia periculosum, de sentent. excommunicat. in* 6. vt docuerunt Suar. Filliuc. Bonacina *loc. alleg.* aduersus Monetam. *d. q.* 12. suspensionem quam hi conseruatores incurrunt existimat Suar. *disputat.* 31. *sect.* 3. *num.* 17. Moneta *de conseruatorib. cap.* 7. *q.* 12. esse officio absolutè tum ordinis, tum iurisdictionis. Quæ opinio sustinenda esset spectato *prædicto cap. hac constitutione*, quia ibi nulla restrictio constituta est. At spectatâ constitutione Gregor. XV. edita 20. Septemb. anno 1621. quæ incipit: *Sanctissimus in Christo Pater*, solùm est suspensio ab officio consecratoris, vt in eo conseruator puniatur in quo deliquit. Neque hæc suspensio extenditur vltra annum enumerandum ab eo die, quo limites suæ potestatis excessit. A beneficio autem nullo modo manet suspensus, quia neque in *capit. hac constitutione*, neque in Bulla Gregorij mentio facta est, & pœnæ non sunt extendendæ vltra verborum proprietatem: vti aduertit Suar. *loco citato.* Bonacina *tom.* 3. *disputat.* 3. *quæst.* 5. *pun.* 2. *in fine.*

Decimò lata est suspensio ab Innocent. IV. in *capit. cum* 10
ætemi. 1. de sentent. & re iudic. lib. 6. aduersus Iudices Ecclesiasticos ordinarios, & delegatos, qui in iudicio contra conscientiam, & contra iustitiam in grauamen partis alterius quidquam fecerint per gratiam, vel per sordes. Et hi suspenduntur ipso facto per annum à die commissi criminis ab executione officij non solùm iurisdictionis, sed etiam ordinis, si quidem irregulares fiunt, si suspensione durante damnabiliter se ingesserint diuinis, vti notauit Geminian. *ibi*: Nauarr. *cap. 27. numero* 157. Sayrus, *lib. 4. thesauri, cap.* 13. *num.* 3. Suar. *disputat.* 31. *de censur. sect.* 3. *num.* 16. Bonac *tom.* 3. *de censur. disput.* 3. *q.* 5. *pun.* 3. *numero* 8. Sub nomine Iudicis ordinarij, vel delegati non comprehenditur arbiter, arbitrator compromissarius, quia ii non tam sunt Iudices, quàm compositores, & à fortiori non comprehenditur meius executor, quia hic non iudicat, sed iudicatum exequitur: sicuti tradit Glossa *ibi verbo in iudicio.* Nauarr. Suar. Sayrus. Bonacina *loc. alleg.* Episcopus verò etsi Iudex ordinarius sit, quia tamen in præfata suspensione non exprimitur, sub ea non comprehenditur, iuxta repetitum textum in *cap. quia periculosum. De sentent. excommunicat. in* 6. Ad incurrendam tamen hanc suspensionem requiritur vt iudex in iudicio non extra aliquid præsumat facere in grauamen alicuius partis contra conscientiam, & contra iustitiam. Potest enim procedere contra conscientiam, si ex odio sententiam proferat, & non contra iustitiam, quia sententia iusta est etsi iniquè prolata. & potest procedere contra iustitiam, & nō contra conscientiam, si per ignorantiam quod iniustum est pro iusto iudicauerit. Requiritur ergo vtrūque & quod grauamen iniustū sit, & quod dr contra conscientiam: vt docuit Glossa *in d. c. verbo & contra.* Nauarr. *c. 27. n.* 157. Suar. *disp.* 31. *sect.* 3. *n.* 16. Sayrus *lib.* 4. *c.* 13. *num.* 3. Bonac. *disp.* 3. *q.* 5. *pun.* 3. *num.* 2. Deinde necessum est, vt moueatur iudex ad præfatum grauamen inferendum per gratiam, vel per sordes, hoc est ex fauore alicuius, & in illius gratiam, vel ob munetis donationem, aut promissionem Sicuti ex Paleolo, *verbo gratia, & verbo sordes* aduertit Bonac. *dicto pun.* 3. *num.* 4.

Vndecimò in *cap. exigit de censibus lib.* 6. à Gregorio X. 11
lata est suspensio aduersus Clericos inferiores Episcopo, eorūmque familiares, qui occasione visitationis Ecclesiarum sibi subiectarum aliquam pecuniam seu munus etiam sponte oblatum moderatum victum sui, & suorum pro tempore visitationis insumendum acceperint, nisi infra mensem duplum Ecclesiæ grauatæ restituerint, vel vt melùs dicam, nisi infra duos menses prædictam restitutionem præstent, iuxta Extrauag. *vnic. inter communes*, vbi tempus restitutionis prolongatum fuit. Quòd si Episcopi in hac parte excesserint, ab ingressu Ecclesiæ interdicuntur, donec duplum illius quod acceperint restituat. Et licet in *prædicto cap. exigit. & in cap. Romana. §. procuratores, eodem titul. & lib.* prohibitum sit procurationes in pecunia exigi, vel oblatas recipi: attamen in *cap. Feliciis, eodem tit. & lib.* concessum est vt ij, quibus visitatio ex officio incumbit, recipere possint in pecunia procurationes, modo à visitatis sponte offeratur.

Personæ aduersus quas hæc pœna iniungitur, sunt visitatores Ecclesiarum ex officio, & iure ordinario, vt colligitur ex *dicto capite Romana.* ibi: *Ordinario iure suos subditos visitantibus.* Et *ex capite felicis*, ibi: *Episcopi, & alij quibus ex officio competit visitare. Hi igitur si fuerint Episcopi, vel Superiores munus aliquod occasione visitationis receperint, vel procurationem in pecunia exegerint, vel visitationis officio non impenso procurationem in victualibus receperint, duplumque illius quod sic receptum est infra duos menses Ecclesiæ non restituerint, ab ingressu Ecclesiæ interdicuntur, quousque restitutionem præstent: si verò inferiores Episcopis fuerint, suspensioni ab officio, & beneficio subiiciuntur, non obstante remissione facta ab eis quibus restitutio est facienda.* Quam constitutionem non est dubium extendi ad regulares visitantes Ecclesias parochiales sibi subiectas, eo quòd iure ordinario, & ex officio visitent. Quinimò extenditur ad Prouinciales, seu Generales per se, vel per subsitituros monasteria, conuentus, seu collegia suæ Religionis visitantes. Vti dicitur in *dicto capite Romana ad finem*, ibi: *Hanc autem visitandi formam ab vniuersis etiam Episcopis, aliisque Prælatis ordinario iure suos subditos visitantibus, plenè obseruari præcipimus. Saluis super hoc rationabilibus, & approbatis Religiosorum consuetudinibus, & regularibus institutis.* Quibus verbis omnes Prælati tam sæculares, quàm regulares iure ordinario visitantes comprehenduntur, & formam ibidem præscriptam obseruare obligantur, nisi fortè ex regulari instituto, & rationabili consuetudine permissum sit aliquid vltra victualia accipi, quia eo casu hac censura non ligantur; at si præter id quod ex rationabili consuetudine regularique instituto, eis competit, aliquod munus accipiant, huic censuræ subiiciuntur, vt bene notauit Paludan *in 4. d. 18. q. 7. art. 2. casu* 5. Sayr. *lib. 4. thesauri, cap.* 15. *num.* 27. Bonac. *t.* 3. *de censur. disp.* 3. *q.* 5. *p.* 4. *num.* 7. Notanter dixi *iure ordinario*, nam si ex iure extraordinario & delegatione Pontificis aliquis Ecclesias, monasteria, & loca

pia

pia visitet, & formam in *cap. Romana* præscriptam non observet, huic censuræ, & pœnæ non subijcitur, vt notauit Glossa in *dicto cap. exigit verbo visitationis*. Paludan. & Sayrus, & Bonac. *suprà*. Quinimo his delegatis, & nuntiis debentur non solùm victualia, sed etiam mercedes equorum, & viaticum, vt de loco ad locum transire commodè possint, vt tradit Glossa in *Clement. 2. verbo si voluerint, de censib.* Azor. 2. *p. instit. moral. lib.* 3. *cap.* 42. *quæst.* 8. Quod adeò verum est, vt nullo visitationis officio impenso sumptus, & viaticum his legatis Apostolicis debentur ab Ecclesiis, ad quas dum legationis officio funguntur, accesserint. Argum. *cap. procurationes. Cap. instantia.* Et ibi Abbas *de censibus*. Et notauit Azor. *dicto cap.* 42. *quæst. vltim.* insuper familiares Prælatorum iure ordinario visitantium, sit aliquid vltra victualia sibi, suisque Prælatis debita, recipiant, ab officio, & beneficio suspenduntur, sicut & visitatores, vt constat ex *dicto cap. Romana* ibi: *Nec ipse, nec quisquam suorum*. Et ex *dicto cap. exigit*, ibi: *Visitatoribus, eorumque familiaribus*. Et ex Conc. Trident. *sess.* 24. *c.* 3. *de reformat.* ibi: *Neue ipsi, aut quisquam suorum*. Et notauit Bonac. *disp.* 3. *q.* 5. *pun.* 4. *num.* 8.

Actio verò ob quam hæc suspensio, vel interdictum indicitur visitatoribus, eorumque familiaribus, ex receptio alicuius muneris vltra victualia occasione visitationis, vel victualium recepto non impenso visitationis officio. Verùm cuilibet ex officio visitanti debitus est victus necessarius tum in stipendium sui laboris, tum in subiectionis debitæ signum. Sicuti notauit Glossa ab omnibus recepta in *cap. Romana. verbo visitationis de censib. in* 6. Quod adeò verum est, vt nec præscriptione, nec consuetudine ab hac obligatione eximi possint iure antiquo spectato vt deciditur *cap. cum ex officij de præscriptionib.* Attamen iure nouo Conc. Trident. *sess.* 24. *capite* 3. *de reformat.* constat consuetudine præscribere aliqua loca posse, ne teneantur suis visitatoribus procurationem soluere, vt notauit Praxis Episcop. 2. *p. verbo visitatio.* 3. *cap. in fine*. Steph. Gratian. *disceptat. forens. cap.* 57. *num.* 19 Barbosa *de potest. episcop. alleg.* 73. *num.* 48. Ea autem præscriptio censenda est niti alicui summi Pontificis priuilegio; nam sicut nullus eximi præscriptione potest à visitatione, sic nec à procuratione soluenda, quæ visitationi est accessoria, vt rectè Felin *in d. c. ex officij de præscriptionib.* Azor. 2. *p. lib.* 3. *cap.* 42. *quæst.* 14. Præterquà quòd hæc præscriptio odiosa est, vtpote quæ in detrimentum Ecclesiasticæ disciplinæ cedit; siquidem ea posita retrahuntur Prælati à visitatione præstanda, sicuti alliciuntur procuratione concessa. Non igitur sola præscriptione haberi potest. Quod intelligendum est, quando loca ita exempta sunt à solutione procurationis, vt in nullum alium suum onus transtulerint, secùs si in alios onus transtatum sit: hæc enim exemptio optimè præscribi potest, vt latiùs tradit Azor. *tom.* 2. *instit. moral. lib.* 3. *cap.* 42. *quæst.* 11. diminuere autem procurationem retenta sufficiente quantitate ad commodum visitatoris præscriptione, consuetudine, pacto, & lege valet præscribi. Secùs verò quæ hanc diminueret quantitatem. Quapropter solo Pontificis priuilegio eximi aliquis potest à procuratione soluenda in nullum alium hoc onere transtato, in cuius priuilegij concessione attendi debet, vt visitationi aliunde necessaria prouideantur, ne visitatio negligatur.

Hanc procurationem soluere obligantur quælibet Ecclesiæ, Monasteria, & personæ quæ visitantur spectato iure communi, vt constat ex *cap.* 1. *& vlt. de censib. in* 6. & *ibi* Glossa communiter, recepta, solùm est dubium de laicis, an compelli possint hanc procurationem soluere; Et quidem quando Ecclesia, & Rector pauper est, compellendos esse affirmat tanquam certum Azor. 2. *p. instit. mor. lib.* 3. *cap.* 42. *q.* 3. quia tunc non ratione sui sed ratione sui Parochi, & in illius defectum compelluntur, ne suo labore visitator defraudetur, néue visitatio necessaria omittatur. At si Ecclesia, vel Rector visitandus potestatem habent soluendi procurationem, variant Doctores, an laici compelli debeant ad soluendam procurationem? Nam Glossa *vlt. in cap. placuit.* 10. *quæst.* 1. Ioann. Andreas, & Immola *in cap. Romana de censib. in* 6. Quibus adhærere videtur Azor. 2. *p. lib.* 3. *cap.* 42. *q.* 3. censent laicos compelli posse, siquidem visitationis beneficium recipiunt, neque possunt illud repellere, & consequenter neque valebunt repellere expensas visitationi annexas Sed rectius eadem Glossa *in d. cap. placuit*, & *in cap.* 1. *de censibus, lib.* 6. *verbo laicos*, negat obligari laicos posse ad prædictam expensarum solutionem, quod declarauit sacra Cardinalium congregatio teste Barbosa, *allegat.* 73. *num.* 45. & *in remissionib. Concij, dicto cap.* 3. Bonac. *disp.* 3. *q.* 5. *pun.* 4. *num.* 13. Nam cùm Prælati Ecclesiastici præcipuè ad visitandas Ecclesias, loca pia, & personas Ecclesiasticas procedant, ab his vult Ecclesia vt expensæ exigantur, non à laicis quos ex consequenti visitant, nisi voluntariè illas concedant. Quod adeò verum existimo, vt etiam quando Ecclesia, illiusque Rector pauperes sunt, neque facultatem habent procurationem soluendi, laici compelli non debeant, sed gratis visitatio facienda est, & suis expensis, visitatores alendi sunt. Quod à fortiori procedit, cùm hospitalia, aliáque loca infirmorum visitant, à quibus procurationes exigi nequeunt, vti tradunt, & decisum referunt Praxis noua Episcopalis 2. *part. cap.* 3. *num.* 65. Barbosa 3. *part. de potest. Episcop. alleg.* 73. *numero* 50. *& seqq.* Surd. *de alimentis. tit.* 4. *q.* 22. *num.* 6. *& seqq.* Bonac. *t.* 3. *disput.* 3. *quæst.* 5. *p.* 4. *num.* 10.

Sed an Ecclesiæ ciuitatis, vbi Episcopus Cathedram habet, vel illarum Rectores soluere debeant procurationes cùm visitantur? Negat Praxis noua Episcop. 2. *p. cap.* 3. *numero* 65. & Barbosa *alleg.* 73. *num.* 46. idque à sacra Congregatione sæpiùs esse decisum referunt. Quinimò Barbosa relato Marco Antonio Genuensi *in manuali pastorum, cap.* 35. *numero* 9 existima neque posse Episcopum procurationem recipere ab ea Ecclesia, ex qua posset ad domum propriam ad prandium redire, ductus illis verbis Concilij Trident. *sess.* 24. *cap.* 3. *de reformat.* ibi: *Exceptis tantùm victualibus quæ sibi, aut suis frugaliter, & moderatè pro temporis tantùm necessitate, & non vltra eum ministranda: at cùm potest ad domum propriam redire, non videntur victualia necessariò ministranda.* Ergo prædictæ Ecclesiæ compelli non possunt ad illarum solutionem. Caterùm verius existimo præfatas Ecclesias obligatas esse, quod docuit Abbas *in cap. venerabilis de censibus*. Gofredus *in sum. tit. de simonia.* §. *sunt autem* Henricus *cap. cùm Apostolus de censibus*. Quos refert, & sequitur Azor. 2. *p. instit. moral. lib.* 3. *cap.* 42. *q.* 4. quia nullo Textu à solutione procurationis eximuntur, quia esto ea victualia non sint necessaria Episcopo, cùm ex propriis se sustentare possit in propria domo, at sunt conuenientes, vt decentiùs sustentetur, alias Episcopus diues non posset ab vlla Ecclesia procurationes recipere. Præterea procurationes non solùm ob sustentandum Episcopum, sed in subiectionis debitæ signum, & recognitionem offeruntur.

Nomine victualium quæ visitatores exigere possunt, continetur ea quæ pertinent ad esum, & potum & stramenta sui, & suæ familiæ, & iumentorum quibus necessariò vtitur, & quæ ad hæc præparanda opus fuerint, quæque necessaria fuerint ad discumbendum, commorandum, spectata regionis consuetudine, visitantium conditione, & visitatorum facultate. Argum. *leg. verbo victus, & seqq. ff. de verborum significat*, & tradit aliis relatis Azor. 2. *p. instit. moral. lib.* 3. *cap.* 42. *quæst.* 7. Nullo autem modo mercedes equorum, eorumque iactura, & sumptus, aut viaticum nomine victualium veniunt: vt benè docuit Glossa *in d. cap. Romana*, §. *procurationes. verbo in victualibus de censib. lib.* 6. & *in cap. exigit eodem tit. & lib. verbo pecuniam*. Azor. *q.* 8. Franciscus Leo *in thesauro fori Ecclesiast. cap.* 16. *num.* 44. Barbosa *de potest. Episcop. alleg.* 73. *num.* 54. Bonacina *disput.* 3. *q.* 5. *pun.* 4. *num.* 2. & alij: Neque item veniunt medicinæ, nam esto sint necessariæ personæ, non tamen per modum victus. Sicuti esto vestes necessariæ sint, non tamen eas visitandi suppeditare debent. Præterquam quòd medicinæ non sunt necessariæ personæ vtcunque, sed infirmæ. Atque ita docet Zerola *in praxi Episcop. verbo visitatio.* §. 6. *dub.* 1. Excipi tamen debet, *nisi visitator his omnibus indigeret*, nam eo casu ne visitatio omittatur, hæc omnia donanda sunt, vti aduertit Glossa *dicto cap. exigit. verbo pecuniam, de censib. in* 6. Franciscus Leo *cap.* 16. *numero* 43. Bonac. *p.* 4. *n.* 2. Quod intelligendum est de Prælato proprio nomine visitante; non de substituto, hic enim esto soluere non possit vecturam equorum, & alia quæ in itinere insumit, & medicinas ad sui durationem, non obinde poterit hoc onus visitandis imponere, sed à Prælato eum in visitatorem designante prædicta omnia exigere debet. His positis supersunt aliquot difficultates examinandæ.

Prima An Episcopus discurrens per oppida, & villas suæ diœcesis gratia Sacramenti Confirmationis conferendi, vel Chrismatis conficiendi, vel Ecclesiæ recenter ædificatæ consecrandæ, vel pollutæ reconciliandæ, possit procurationem visitationis tempore designatam recipere? Affirmat Azor. 2. *p. instit. moral. lib.* 3. *c.* 42. *in fine*, quia ea munera præstans, suas Ecclesias, & suos subditos visitat. Sed contrarium videtur dicendum, quia illa non est propria visitatio; cùm non fit ad corrigendos, & emendandos subditorum defectus, sicuti docent, & decisum referunt August. Barbosa, 3. *p. de potest. Episc. alleg.* 73. *num.* 52. & *in remissionib. concilij, dicto cap.* 3. Bonac. *t.* 3. *cens. disp.* 3. *q.* 5. *p.* 4. *num.* 8.

Sed an huic pœnæ subiiciatur ob eam causam procurationem recipiens? Affirmat vt probabilius Bonac. *suprà*: quia Textus *in capite exigit de censib. in* 6. huic pœnæ subiicit visitatorem, qui aliquid vltra victualia pro temporis necessitate recipit, vel victualia non impenso visitationis officio: at prædictus Episcopus suscipiens præfatas procurationes, cùm pergit ad Sacramentum Confirmationis ministrandum, vel Ecclesiam reconciliandam, procurationes recipit officio visitationis non impenso, ergo. Nihilominus oppositum mihi verius videtur, quia posito quòd accessus ille ad Ecclesias consecrandas, vel Sacramentum Confirmationis ministrandum, dici nequeat visitatio, victualium receptio non causa visitationis fit, sed causa laboris impensi in

prædicto accessu, & muneris illius executione. At Textus in *capit. exigit*, & Conc. Trident. non subiicit Episcopum suæ pensioni prædictæ ob quamlibet victualium, aut muneris receptionem, sed ob illorum receptionem ratione visitationis officio visitationis non impenso. Cùm ergo Episcopus non visitationis occasione, sed occasione laboris in alio suo munere impensi recipiat, huic suspensioni non subiicitur.

Secunda difficultas, An recipiens esculenta, & poculenta domi suæ insumenda huic pœnæ subiiciantur? Ratio difficultatis est, quia hæc videntur esse levis materiæ, & insufficientia ad animum iudicis pervertendum. Nihilominus oppositum est tenendum cum Glossa *in dicto cap. Romana, verbo aliquod munus*, vbi aduertit discordare hanc constitutionem à decisione *cap. statutum. §. in nullo de Rescript. lib. 6.* vbi permittitur delegato esculenta accipere paucis diebus insumenda. Immola, & Ancharran. *in Clement. 2. de censibus.* Praxis noua *Episcop. 2. p. cap. 3. num. 65.* Marco Antonio Genuens. *manual. pastor. cap. 35. num. 6. & 7.* Barbos. *alleg. 73. numero 54* Bonac. *tom. 3. de censur. disp. 3. q. 5. p. 4. num. 2.* Quia Conc. Trident. expressè statuit, ne aliquid aliud vltra victualia pro temporis necessitate ministranda visitatores recipiant, alioquin pœnis in *Concilio Lugdunen.* statutis subiiciuntur. At recipiens esculenta, & poculenta in sua domo insumenda, victualia recipit vltra temporis necessitatem. Ergo si illa victualia in magna quantitate sint, quæque prudentis arbitrio grauem materiam contineant, huic suspensioni, & interdicto locus erit. Et confirmo prædicta esculenta muneris rationem habent vltra victualia pro temporis necessitate ministranda. At visitator occasione visitationis munus quodcunque recipiens vltra victualia tempore necessitatis ministranda suspensioni, vel interdicto subiicitur, ergo &c.

Hanc doctrinam restringit Glos. *in dicto c. exigit. de censib. lib. 6. verbo visitationis* Sayr. *lib. 4. c. 15. num. 26.* Franc. Leo *in praxi fori Eccles. c. 16. num. 45.* ne procedat stante consuetudine, pacto, fundatione seu institutione recipiendi aliquid vltra victualia pro temporis necessitate insumenda. Si enim stante fundatione, constitutione, pacto, vel consuetudine gratis visitationem præstandi, nihil recipi potest. Sic stante consuetudine, pacto, vel fundatione recipiendi aliquid vltra victualia necessaria, recipi absque vllo timore poterit; quia Concilium non videtur pactis, priuatis fundationibus, & consuetudinibus legitimè præscriptis voluisse derogare. Atque ita docet vltra superius relatos Azor. *2. p. instit. moral. lib. 4. c. 42. in fine.* Hanc limitationem approbandam censeo, si ex pacto, fundatione, institutione, aut consuetudine post Conc. Trident. præscripta hæc munera concedantur, quia Conc. Trident. non derogat pacta, fundationes, institutiones, & consuetudines immemorabiles antecedentes; siquidem stante consuetudine, vt procurationes in pecunia soluantur, sicuti in plurib. diœcesibus viget, possunt visitatores cogere visitatos vt procurationem in ea forma soluant, vt aduertit Ludouic. Molina *t. 1. de iustit. tr. 2. disp. 85. circa finem.*

Tertia difficultas, An Episcopus, seu eius substitutus plures Ecclesias eodem die visitans, possit, à singulis integras procurationes accipere, ac si vnã tantùm visitaret. Huic difficultati respondet Bonifac. VIII. *in capite felicis de cens. in 6.* dicens: *Non liceat visitanti nisi vnam procurationem recipere vna die, siue vnum locum solùm visitauerit, siue plura, etiamsi quilibet locus visitatus ab illo, sufficeret ad procurationem integram persoluendam, cùm eidem sufficere debeat, vt temporalia metat à locis personaliter visitatis pro diebus quibus eis spiritualia subministrat*, alioqui, vt inquit Glossa *ibi verbo persoluendam*, posset totam ciuitatem vna die visitare, & tot procurationes recipere quot ibi essent Ecclesiæ quod est absurdum. Atque ita tradit Zerola *2. part. præx. Episcop. verbo visitatio. §. 6. dub. 6.* Augustin. Barbosa *in remissionib. concilij, dicto cap. 3. in fine.* Bonacina *tom. 3. de censur. disp. 3. q. 5. punct. 4. num. 4.*

Cæterùm Glossa *in dicto cap. felicis in propositione casus, circa finem*, quam sequitur Molina *tract. 2. de iust. disput. 85. circa finem.* Alterius *de interdicto, t. 2. disput. 12. cap. 2. col. 2.* nec dissentit Bonac. *supra*, asserit hodiè Prælatos habere dispensationem à Papa visitandi plura loca in vna die, & à quolibet recipiendi integram procurationem. Quapropter vbi id consuetudine receptum est, permitti poterit: nam cùm prohibitio recipiendi vna die plures procurationes à iure positiuo inducta sit: potuit dispensatione Pontificis, & consuetudine tolli.

Quarta difficultas, An recipiens procurationem à locis priuilegio, vel consuetudine exemptis ab onere eam soluendi pœnis latis in *dicto cap. exigit*, subiiciatur; Affirmat Bonac. *d. disput. 3. q. 5. num. 4. num. 12.* ductus verbis Concilij Trident. dicentis. *Quod si quisquam (quod absit) aliquid amplius in supradictis omnibus casibus accipere præsumpserit, is præter dupli restitutionem infra mensem faciendam, aliis etiam pœnis iuxta constitutionem Concilij generalis Lugdunen. quæ incipit, Exigit, necnon & aliis pœnis in synodo prouinciali arbitrio synodi absque vlla spe venia mulctetur.* At vnus ex casibus à Concilio relatis in quo nihil procurationis recipi debet est, si viget consuetudo, & à fortiori priuilegium nihil recipiendi, sed gratis visitationem præstandi.

Cæterùm satis probabile videtur sic recipientem victualia à prædictis locis exemptis his pœnis non subiici. Nam ello grauiter peccet ea exigens, vtpotè qui iniustitiam committit, violans legitimum priuilegium, & exemptionem, vt tradit Rodrig. *qq. regular. t. 2. q. 63. art. 7.* Molina *tract. 2. de iustit. disp. 85. in fine.* Barbosa *alleg. 73. num. 47.* Bonac. *disp. 3. q. 5. pun. 4. num. 11.* attamen censura non videtur innodandus, quia non præstat actionem sub censura prohibitam. Nam in *c. exigit. & cap. Romana de censib. lib. 6.* solùm prohibetur receptio alicuius muneris vltra victualia, vel victualiũ receptio officio visitationis non impenso, non autem prohibetur receptio victualium à locis exemptis, vt consiberanti constare potest. In Conc. Trident. verò etsi præcipiatur obseruari consuetudinem illis in locis præscriptam, nec victualia, nec pecuniam, nec quicquam aliud recipiendi, attamen receptionem victualium præcisè ab his locis non videtur pœnis relatis in *dicto cap. exigit*, subiicere, quia non subiicit recipientem præcisè aliquid à locis exemptis, sed recipientem aliquid amplius quàm concessum est recipi. Cùm igitur concessum sit recipi victualia pro temporis necessitate insumenda, qui aliquid vltra ipsa siue à locis exemptis, siue à non exemptis reciperet, pœnis *dicti cap. exigit*, ligaretur; secùs verò si nihil amplius quàm victualia à locis exemptis reciperet.

Quinta difficultas, An Cancellarius, Auditor, Scriba, vel Notarius Episcopi recipientes vltra victualia mercedem, seu pretium pro decretis, informationibus in visitatione conscribendis his Pœnis subiiciantur? Certum est subiici, quia horum scriptura ad visitationem necessariò pertinet, ac proinde victualibus impensis ipsi est satisfactum. Sicuti sacra Cardinalium congregatio declarauit, vt docet Barbosa *in remissionib. Concilij, d. cap. 3. num. 13. & de potest. Episcop. alleg. 73. num. 41.* Bonac. *disp. 3. q. 5. pun. 4. num. 2.* Zerola *2. p. prax. Episc. verbo visitatio. §. 6. dub. 4.* At si à visitatis petatur copia visitationis pro ea exhibenda, poterit Secretarius mercedem exigere, quia hoc extra visitationem est. Vt aduertit Nauarr *cons. 1. de censib. in noua edit.* Barbosa & Bonac. *suprà*, Tametsi Zerola contrarium sentiat.

Sexta difficultas, An his censuris subiiciantur visitatores in euentu quo laici procurationem soluunt, & ab ipsis aliquod munus vltra victualia recipiunt; Ratio difficultatis est, quia his censuris non subiiciuntur visitatores ex eo præcisè quòd aliquid vltra victualia recipiunt, sed ex eo quòd duplum eius quod ab Ecclesia receptum est, non restituant infra mensem. Neque ab his pœnis liberari possunt, quousque de duplo huiusmodi grauatis Ecclesiis plenariam satisfactionem impendant. Vti habetur in *dicto cap. exigit, de censibus in 6.* Supponit ergo Pontifex Ecclesiam grauari debere, non populum, vt his pœnis esse à quocunque munera occasione visitationis recipiantur. Sicuti docuit Bonac. *tom. 3. de censur. disputat. 1. quæst. 5. punct. 4. num. 15.* quia in *cap. Romana. §. procurationes de censib. lib. 6.* & in Conc. Trident. *sess. 24. cap. 3. de reformat.* generaliter prohibetur receptio vltra victualia ab his qui visitantur, neque vlla restrictio apposita est, vt solùm ab Ecclesia debeat esse receptum. Præterquam quòd sub nomine Ecclesiæ Rectores Ecclesiarum, imo & populus intelligi potest, cùm hi nomine Ecclesiæ procurationem soluant. Adde in *cap. exactu, appositum.* esse nomen Ecclesiæ non ad restringendam dispositionem, sed gratia frequentioris vsus, eo quod frequentius ex bonis Ecclesiarum, quàm ex bonis Rectorum, & populi procurationes soluantur.

Ad extremum aduerte hoc interdictum ab ingressu Ecclesiæ, quod Episcopi incurrunt, & suspensionem ab officio, & beneficio quam inferiores contrahunt, durare quousque duplum illius quod vltra victualia debita acceptum est, plenè restituatur ei à quo fuit acceptum. Ea autem restitutione facta cessat suspensio, & interdictum, vtpote quæ solùm extendebatur vsque ad plenariam satisfactionem.

Duodecimò fertur suspensio aduersus Clericos beneficiatos qui veste sæculari absque rationabili causa vtuntur. Efficque suspensio à perceptione beneficiorum obtentorum per sex menses à commisso delicto, vel per annum iuxta qualitatem delicti, & personæ: vti habetur expressè *in Clement. 2. quoniam, De vita, & honest. clericor.* Clericis verò in sacris constitutis beneficio carentibus indicitur inhabilitas ad beneficia per idem tempus.

Vt autem huic suspensioni, vel inhabilitati locus fiat debet Clericus non in domo, sed extra, & publicè prædictis vestibus vti, & absque legitima, & rationabili causa, vt expressè ex Textu colligitur, & notauit Glossa in *dicta Clement. verbo publicè.* Suar. *disputat. 31. sect. 3. numero 1.* Bernard. Diaz *pract. cap. 75. numero 3.* Bonac. *tom. 3. de censur. disputat. 3. q. 6. p. 6. numero 2.* item debet non semel, aut iterum, sed frequenter dictis vestibus vti, quia vsus frequentiam denotat. Sicuti aduertit Cardinal. *in d. Clement. numero 4.* Nauarr. *capite 27. num.*

num.159. Suar. *disp.* 31. *sect.* 1. *num.* 1. Filliucius, *tract.* 17. *cap.* 6. *num.* 106.

Plura *in d. Clement.* statuuntur de vestibus, quæ vsu abrogata sunt, teste Suar. *suprà*. Quare ea tantùm credo vim habere, quę Clericum ignotum redderent, & sæcularem esse omnibus indicarent. Adde Sixtum V. in Bulla quæ incipit: *Cum sacro-sanctum*, statuisse Clericos etiam minorum Ordinum, & coniugatos præsertim si vti velint priuilegiis clericalibus, vt vestes talares deferant, alioquin priuantur omni officio, & beneficio, & pensionibus, sub quibus pœnis statuit, vt milites regulares beneficia, seu pensiones habentes, habitum ipsorum proprium deferant.

13 Decima tertia suspensio sumitur ex *Clement.* 2. *de Magistris.* Nam *ibi* Cancellarius Vniuersitatis gradum Doctoris, vel Magistri conferens in qualibet scientia, non exacto priùs iuramento à Doctorando, vel Magistrando, quod in ea solemnitate non insumat vltra tria millia Turonensium argenteorum suspenditur à collatione Magisterij, seu Doctoratus cuiuslibet per sex menses. Hæc igitur pœna non est propria suspensio, cùm non sit ab officio, vel beneficio, vel officio Ecclesiastico, sed à quodam temporali munere, neque illam violans irregularitatem incurrit, quæ solùm ob violationem suspensionis ab officio Ordinis indicta est: vt aduertit Glossa *in verbo sequentes*. Suspendit hæc constitutio à collatione Magisterij, seu Doctoratus non illius scientiæ tantùm cuius gradus receptus est, sed cuiuslibet alterius, vt explicat Glossa *ibi verbo cuiuslibet*, & Cardinalis *verbo si quis numero* 1. Bonac. *disputat.* 3. *qu.* 5. *punct.* 5. *numero* 5. tametsi contrarium sentiat Archidiacon. *ibi*. & Suar. *disputat.* 31. *sect.* 3. *numero* 4. & alij.

Personæ quas afficit hæc suspensio sunt omnes & singulæ etiamsi Pontificali dignitate præfulgeant, quibus gradum Magisterij, vel Doctoratus conferre competit.

Materia huius censuræ est omissio exigendi iuramentum à Doctorando, vel Magistrando, quod in sumptibus illius honoris recipiendi non excedet summam trium millium Turonensium argenteorum, hoc est vt placet Glossa, *verbo argenteorum*, ne excedat quingentas libras Bononeorum paruorum, vel vt placet Couarruu. *tract. de veterum numismat. collat. c.* 3. *§.* 2. *n.* 7. Suarez *disp.* 31. *sect.* 3. *num.* 4. ne excedat ducentos nummos aureos.

Ad Extremum aduerto hanc constitutionem pluribus in Vniuersitatibus receptam non esse, vti vsus comprobat & notauit Suarez. Bonac. & alij Doctores passim.

14 Decimoquartò lata lata est suspensio in Extrau. vnica, inter communes, *de excessib. prælator.* vbi postulantes ad Cathedralem Ecclesiam eum qui 27 annum nondum attingit, vel postulantes religiosos Mendiantes ad inferiores Ecclesias Cathedrali ea vice potestate postulandi, & eligendi priuantur, & à beneficiis, si quæ in illa Ecclesia obtinent, per triennium suspenduntur. Quæ suspensio aperta est, nec explicatione indiget.

15 Decimoquintò fertur suspensio, & interdictum ab Eugenio IV. *Extrauag. diuina 3. de priuilegiis*, aduersus Ordinarios quoscunque, eorúmque commissarios, & delegatos, qui in Romana curia pro suis negotiis commorantes, beneficiis priuant, aliisque conferunt, quorum collatarij eisdem pœnis subiiciuntur, & tam collatio, quam receptio irrita est, & nulla. Hæc igitur suspensio, & interdictum cùm absolutè fetatur, omnes suspensionis, & interdicti effectus comprehendit, quia nulla est ratio, ob quam potiùs ad hos, quàm ad illos extendatur. Actio verò ob quam incurritur, (vt latiùs explicui cum de excommunicationibus reseruatis in Extrauagantibus locutus fui) est priuatio alicuius beneficij curiali, facta iusto titulo curiam Romanam confluenti, & beneficij operibus satisfacienti: nam si illegitimè abest à beneficio, vel illius obligationibus non satisfacit, poterit Ordinarius vsque ad priuationem beneficiorum procedere, quia in his quæ ad beneficia spectant, subiiciuntur curiales Ordinariis locorum, in quibus beneficia obtinent, vt constat ex Conc. Trident. *sess.* 23. *cap.* 1. *circa finem* & *sess.* 24. *c.* 11. *sub. finem*. Et notauit aliis relatis Bonac. *t.* 8. *de censur. disp.* 3. *q.* 4. *pun.* 12.

16 Decima sexta sumitur ex bulla Pij. V. quæ incipit: *Quanta Ecclesiæ Dei*, edita Kalend. Aprilis anno 1568. aduersus Episcopos, aliósque Prælatos, & Ecclesiarum Capitula, facultatem habentes admittendi resignationes beneficiorum, si eas admittant contra formam *ibidem* præscriptam, de qua diximus tum *in tract. de benefic.* tum *de simonia*, tum cùm excommunicationes reseruatas explicuimus, ferúrque suspensio ab officio conferendi, instituendi, confirmandi, & præsentandi ad beneficia. Quod si suspensione durante prædictum munus exercuerint, excommunicatione reseruata innodantur.

§. IV.

De suspensionibus ipso iure latis aduersus Clericos ob peccata communia laïcis.

1 *Prima suspensio est aduersus recipientem aliquem in Religionem simoniacè, vel Ordinibus initiantem.*
2 *Secunda est aduersus eos, qui sponte iuramentum emittunt de tenendo schismate.*
3 *Tertia aduersus eos que defenderint, aut aliquo modo tractauerint Beatissimam Virginem in peccato originali conceptam fuisse.*
4 *Quarta refertur aduersus infamatum de crimine adulterij, periurij, & falsi testimonij.*
5 *Quinta aduersus Clericum publicum concubinarium, seu fornicarium.*
6 *Sexta aduersus sodomitam siue occultum siue publicum.*
7 *Septima refertur quæ est aduersus raptores mulierum.*

PRima sumitur ex *Extrauag.* 1. & 2. *de simonia*, vbi capitula, & Conuentus recipientes simoniacè aliquem in Religionem, manent suspensi ab officio capitulari quoad administrationem, & iurisdictionem Ecclesiasticam. Deinde ordinantes aliquem simoniacè, suspenduntur à collatione quorumcumque Ordinum & primæ tonsuræ, & ab executione omnium munerum Pontificalium, vt habetur in Bulla Sixti V. contra malè promotos quæ incipit: *Sanctum, & salutare*; quam Bullam in hac parte Clemens VIII. confirmauit. Quod si hanc suspensionem Episcopus violauerit, suspenditur à regimine, & administratione Ecclesiæ, & perceptione fructuum omnium suorum beneficiorum; ordinatus verò suspenditur ab executione Ordinis sic suscepti, & aliorum rite susceptorum, iuxta valdè probabilem sententiam ex *Extrauag.* 2. *de Simonia*. Ob simoniam autem commissam in beneficiis conferendis, & recipiendis non incurritur vlla suspensio ipso iure, sicuti ex probabiliori sententia docet Naurr. *cap.* 25. *numero* 111. *vers.* 3. Suar. *lib.* 4. *de simonia. cap.* 56. *numero* 16, & *de censuris.* 31. *sect.* 4. *num.* 42. Valent. *t.* 4. *disp.* 6. *quæst.* 16. *pun.* 6. Garcia *de benefic. cap.* 1. *numero* 70. Auila, 3. *part. disputat.* 3. *dub.* 9. *concluſ.* 5. Bonacina *tom.* 3. *de censuris, disputat.* 3. *quæst.* 7. *punct.* 5. Vide quæ dixi 2. *part. huius operis, tract.* 17. *disput. vltim. in fine*, vbi de pœnis simoniacorum. 1

Secunda habetur in *c.* 1. *de schismaticis*, aduersus eos qui sponte iuramentum emittunt de tenendo schismate; & hi suspenduntur ab Ordinibus, & dignitatibus. Requiritur autem præstari iuramentum absque timore, vel ignorantia, quia Textus vtitur verbo *sponte*, quod plenam libertatem denotat. *leg. si quis maior. Cod. de transactionib.* Et tradit ex communi Bonacina *tom.* 3. *de censuris, disput.* 3. *quæst.* 6. *p.* 3. 2

Tertia sumitur ex bulla Sixti IV. Pij V. Pauli V & maximè Vrbani VIII. statuentium ne in publicis, vel priuatis sermonibus defendatur, aut aliquo modo tractetur Beatissimam virginem in peccato originali conceptam fuisse, alioquin delinquens vltra pœnam excommunicationis, suspenditur à diuinis si est in sacris. & priuatur ipso iure omni gradu, & dignitate, & ad similem redditur inhabilis, quorum dispensatio Pontifici reseruatur. 3

Quartam colligunt aliqui Doctores ex *capit. fin. de temporib. ordinat.* vbi de crimine adulterij, periurij, falsi testimonij infamatus non repellitur à ministerio susceptorum Ordinum, neque à susceptione aliorum pœnitentia peracta, nisi forte talia crimina notoria fuerint. Ergo casu quo prædicta crimina fuerint manifesta, supponit textus prædictum delinquentem à susceptione Ordinum, illorúmque exercitio esse repulsum. Sed rectiùs contrarium docuerunt Couarruu. *in Clement. si furiosus, de homicidio* 1. *p.* §. 1. *num.* 5. Henriq. *lib.* 13. *cap.* 36. Tolet. *lib.* 1. *cap.* 47 Filliucius *tract.* 17. *c.* 7. *num.* 121. Suarez *disput.* 31 *sect.* 4. *num.* 2. Auila *de censur.* 3. *p. disputat.* 5. *dub.* 1. Bonac. *t.* 3 *de censur. disputat.* 3. *quæst.* 7. *punct.* 1. quia suspensio inducenda non est absque manifesto Textu: at ex *prædicto cap. fin.* ad summum colligitur stante notorietate delicti esse delinquentem repellendum, non autem esse ipso iure repulsum. Nullus autem alius Textus his peccatis suspensionem inducit. Quinimò Conc. Trident. *sess.* 22. *decreto de obseruandis in celebrat. miss.* solùm statuit peccatores publicos si Clerici sint, non esse permittendos altari ministrare, si verò sint laici sacris interesse, quod potiùs denotat suspensionem ferendam, quàm latam. 4

Quinta fertur secundum plurium Doctorum sententiam, aduersus Clericum publicum concubinarium, seu fornicarium in *capite nullius. Cap. prater* 32. *dist. Cap. si qui sunt.* & *capite ministri* 81. *dist.* Sed præcipuè *capite quæsitum vltim. de cohabitat. clericor. & mulier.* vbi dicitur Clericum concubinarium esse suspensum quoad se, non quoad alios, nisi peccatum huiusmodi sit notorium per sententiam, seu per confessionem factam in iudicio, aut per euidentiam 5

dentiam rei quæ tergiuersatione celari non possit. Ergo quando delictum incurritur aliquo ex his modis, suspensio contrahitur, cuius effectus est excludere ab officio, & beneficio, vt multis relatis comprobat Nicol. Garcia 7.*p. de benefic. cap.* 14. *num.* 15. Et tamen inter Doctores discrimen: nam S. Antonin. 3.*p. tit.* 27. *cap.* 3. Syluest. *verbo concubinarius.* §. 4. Nauarr. *c.* 25. *num.* 76. asserunt quemlibet Clericum etiam minoribus Ordinibus initiarum, hanc suspensionem incurrere. At Couarruu. *Clement. si furiosus, 2. p.* §. 1. *num.* 5. *de homicidio.* Ludouic. Lopez, 2. *p. instructor. cap.* 23. & 31. Rodrig. *sum.* 1. *cap.* 202. *numero* 3. Valent. *t.* 4. *disputat.* 7. *q.* 18. *punct.* 1. *circa finem.* censent solùm Clericum in sacris constitutum, huic suspensioni subiici.

Verùm esto iure antiquo lata esset suspensio aduersus concubinarium Clericum, quod difficultate non caret; at spectato iure nouo Conc. Trident. *sess.* 25. *capit.* 14. *de reformat.* nulla est suspensio ipso iure lata, præter eam quæ aduersus Episcopum concubinarium à Concilio prouinciali monitum, inducitur. Quod manifestè probatur ex dicto decreto Conc. Trid. vbi cauetur ne Clerici quicunque sint concubinas, aut alias mulieres de quibus possit haberi suspicio in domo vel extra detinere, aut cum iis vllam consuetudinē habere audeant, alioquin pœnis à sacris canonibus, vel statutis Ecclesiarum impositis puniantur. Expende verbum *puniantur*, quod futuri est temporis, & actionem Iudicis denotat. Quod si post monitionem quæ specialis, & nominatim facienda est, vti declarauit sacra Cardinalium congregatio, teste Barbos. *in dicto loco Concilij* in crimine perseuerauerint, tertia parte fructuum, obuentuum ac prouentuum omnium suorum beneficiorum, ac pensionum ipso facto priuantur. Si verò non paruerint secundæ monitioni omnibus fructibus suorum beneficiorum, & pensionum, ac tandem ab illorum administratione suspendendi sunt. Denique si post hanc monitionem pertinaces extiterint beneficiis perpetuò spoliati, & ad alia beneficia indigni reddi debent. De clericis verò non habentibus beneficia, neque pensiones statuitur, vt iuxta delicti qualitatem pœna carceris, suspensionis ab Ordine, & inhabilitatis ad beneficia obtinenda, aliisque modis ab Episcopo puniendi sunt. Infertur ergò ipso iure clericos Episcopo inferiores suspensioni non subiici. Sicuti docuit Soto *in* 4. *dist.* 1. *q.* 5. *art.* 6. *ad* 2. Gutierr. *lib.* 1. *canon. qq. capit.* 1. *num.* 43. Henriq. *lib.* 13. *cap.* 36. Garcia 7. *p. de benefic. cap.* 14. *numero* 33. Suar. *disp.* 31. *sect.* 4. *num.* 10. Auila *de censur.* 3. *p. disp.* 5. *dub.* 2. *conclus.* 1. Filiucius *tract.* 17. *c.* 7. *num.* 123. Bonac. *disp.* 3. *de censur. in partic. q.* 7. *p.* 4. Aloysius Riccius *in collect. decis.* 4 *p. collect.* 857. Episcopi verò si ab huiusmodi crimine non abstinuerint, & à Concilio prouinciali admoniti non se emendauerint, ipso iure suspenduntur. & cùm sit absoluta suspensio, intelligi debet ab officio, & beneficio.

6 Sexta. Sodomitam siue occultum, siue publicum suspensum esse ab officio & beneficio affirmant graues Doctores. Couarruu. *in Clement. si furiosus. 1. p.* §. 1. *num.* 6. Salcedo *in pract. cap.* 86. Iulius Clarus *pract. crimin.* §. *sodomia. vers. item clericus.* Azor. 3 *p. instit. moral. lib.* 3. *cap.* 19. Mafol. *de irregularit. lib.* 5. *cap.* 43. Lambertin. *de iure patronat. 1. p. lib.* 12. *q.* 9. *articul.* 18. *num.* 4. Et alij. Ducuntur præcipuè ex Bulla Pij V. quæ in Bullario est 70. in ordine, vbi Clericos tam dirum nefas exercentes omni priuilegio clericali, dignitate, & beneficio Ecclesiastico præsentis canonis authoritate priuat, ita vt per iudicem Ecclesiasticum degradati statim curiæ sæculari tradantur. Deinde hoc crimen infamiam inducit, at infames à beneficiis, executionēque suorum ordinum suspenduntur. *c. infames.* 3. *q.* 7. Ergo.

Nihilominus verius existimo nullam suspensionem ipso iure prædicto crimini siue publico, siue occulto annexam esse, quæ est sententia Nauarr. *in sum. cap.* 27. *num.* 249. Vgolin. *de irregularit. cap.* 23. §. 2. *num.* 4. Graffis, *lib.* 2. *cap.* 90 *numero* 2. Henriq. *lib.* 13. *cap.* 36. & *lib.* 14. *cap.* 5. *num* 1. Valen. 4. *t. disput.* 7. *q.* 19. *punct.* 3. *vers. de quinta specie irregularitatis.* Tolet. *lib.* 1. *cap.* 74. *num.* 3. Suar. *disputat.* 31. *sect.* 4. *numero* 19. Auila 3. *p. de censur. disp.* 5. *dub.* 3. & 7. *p. disputat.* 4. *dub.* 7. Bonacina *tom.* 3. *de censur. disputat.* 3. *quæst.* 7. *punct.* 2. Filiuc. *tractat.* 17. *cap.* 7. *numero* 127. & aliorum apud ipsos Moueor, quia nullus est Textus ex quo hæc suspensio colligi possit. Quinimo ex *cap. Clerici, de excessib. Prælator.* colligitur non esse ipso iure priuatos, sed priuandos, & deponendos. Neque est verum infames esse ipso iure suspensos, sed potius durante infamia irregulares sunt, & impediti ab ordinum executione, non ob suspensionem, sed ob irregularitatem infamiæ annexam. Pius verò denudans Clericos sodomitas priuilegio clericali, dignitatibus, aliisque beneficiis Ecclesiasticis non suspensionem, neque irregularitatem induxit, sed iuris quæsiti priuationem, ideòque sentent à Salcedo declaratoria criminis necessaria est. Add graues Doctores, Henriq. *lib.* 14. *c.* 5. *n.* 1. Auila 7. *p. disp.* 4. *dub.* 7. Prosper de Augustino *in addit. ad summam Bullarij.* Quaranti, *verbo sodomia, limit.* 5. Azor. 2. *p. lib.* 7. *c.* 18. *ad finem* existimare hanc constitutionem vsu receptam non esse.

Sed quidquid sit de hac sententia cuius veritas ex facto pendet, illud est certum prædictas pœnas à Pio V. in sua constitutione latas, non habere locum in perpetrantibus hoc crimen semel aut iterum. Sed in illud per vsum, & continuo exercentibus. Vti Nauarr. *cap.* 27. *num.* 249. testatur sibi Gregor. XIII. respondisse, & pluribus relatis comprobat Garcia 11. *p. de benefic. cap.* 10 §. 2. *num.* 198. Neque his obest quòd Pius V. in alia constitutione anteriori, quæ est eius 5. in ordine Bullarij, vbi Clericum sodomitam curiæ sæculari tradendum præcipiens, non est vsus verbo *exercentes*, sed *perpetrantes*, quod criminis reiterationem non exigit. Non inquam obstat; quia esto ad contrahendam pœnam impositam in prima constitutione Pij V. non exigatur huius criminis reiteratio: at ad contrahendas pœnas appositas in constitutione 70. necessarium est, vt aliis relatis aduertit Garcia *dicto cap.* 10. §. 2. *num.* 200. Præterquam quod prima constitutio censeri potest declarata per secundam constitutionem, atque adeò verbum *perpetrantes*, intelligendum esse de perpetratione continua, & reiterata, sicuti verbum *exercentes*. Vt docuit Man. Rodriq. *in sum. t. 1. cap.* 208. *num.* 2. Petr. de Ledesm. 2 *p. sum. tract.* 27. *cap.* 15. *concl.* 4. *difficult* 1.

Septima. Raptores mulierum esse ipso iure suspensos ab officio testatur Bernard. Diaz. *in pract. cap.* 78. Alterius 2. *disput.* 13. *cap.* 6. *ad finem.* eo quòd in Conc. Trident. *sess.* 22. *capit.* 6. *de reformat.* dictum sit. *Raptor ipse, ac omnes illi consilium, auxilium, vel fauorem prabentes, sint ipso iure excommunicati, ac perpetuo infames, omnibusque dignitatum incapaces; & si Clerici sint, de proprio gradu decidant.* Qui descensus ipso iure videtur inductus, nam particula *ipso iure* in principio posita, non solùm ad pœnas laicis iniunctas, sed etiam ad pœnas Clericis appositas referri videtur. Sed probabilius est particulam *ipso iure* ad solam excommunicationem, infamiam, & incapacitatem dignitatum referendam esse, non autem ad descensum, seu depositionem à proprio gradu Clericis appositam, quia hæc depositio quasi in clausula distincta apponitur, nec vnquam depositio ipso iure incurritur absque sententia declaratoria criminis. Præterquam quòd Concilium renouare intendit pœnam latam in *cap. eos. cap. de puella.* 36. *q.* 2. vbi depositio non ipso iure fertur, sed secunda indicitur. Atque ita docent Suar. *disp.* 31. *sect.* 4. *num.* 48. Filiuc. *tract.* 17. *c.* 7. *n.* 134. Bonac. *t.* 3. *de censur. disp.* 3. *q.* 7. *pun.* 3.

§. V.

De suspensionibus specialiter impositis Episcopis, & Capitulis Ecclesiarum.

1 *Ob præteritam Ordinis collationem multipliciter Episcopi suspenditur.*

2 *Item ob prauum vsum muneris Pontificalis.*

3 *Item suspenduntur Episcopi, si se intromittant in electionibus Episcoporum, in quibus ad Sedem Apostolicam appellatum est.*

4 *Item aduersus quoscunque Prælatos qui bona immobilia, & iura suarum Ecclesiarum laicis non ad modicum tempus subiicinnt absque consensu Capituli, & speciali licentia Sedis Apostolica.*

5 *Deinde aduersus Patriarchas, Archiepiscopos, & Episcopos, qui domos suas locant alienigenis vsurarijs.*

6 *Item aduersus Episcopos qui ex odio, vel amore contra iustitiam, & conscientiam propriam, in crimine hæresis procedunt, vel procedere omittunt.*

7 *Deinde aduersus Prælatos Ecclesiæ, procurantes ne Clerici capiantur à potestate sæculari ea intentione, vt beneficia habita resignent, aut citati à iure, vel ab homine ad Romanum curiam non possint ire.*

8 *Item aduersus Prælatos confirmationem recipientes à Sede Apostolica, si absque eiusdem Sedis litteris authenticis administrationem suarum Ecclesiarum suscipiunt.*

9 *Item aduersus non seruantes quæ in Extrauag. suscepti regiminis sub tit.* Ne Sede vacante, *præscribuntur, circa perceptionem fructuum primi, & secundi anni.*

10 *Item aduersus Episcopum concubinarium, & à synodo prouinciali monitum.*

11 *Item aduersus Episcopum veluxantem incendium pœnam contentam in cap. pessimam.* 23. *q.* 8.

12 *Item aduersus Episcopum necessariam correctionem omittentem contra simoniacos in Sacramentis, vel Ordinibus.*

13 *Item aduersus Episcopum qui ob quæstum, seu pecuniam acceptam publicat, vel concedit indulgentias, seu facultatem à casibus reseruatis absoluendi.*

14 *Item aduersus eos qui libros impij, Thalmud non comburunt.*

15 *Item aduersus Episcopos qui ad limina Apostolorum non accedunt tempore præscripto.*

16 Tan

16 *Tandem aduersus Episcopos, & Prælatos in monasteria monialium sibi subiectarum ingredientes absque necessitate.*

SÆpe dictum est Episcopos non comprehendi sub generali sententia suspensionis, eo quòd in *cap. quia periculosum de sententi excommunicat. in 6.* expressè cauetur necessarium esse illorum fieri expressam mentionem, vt comprehensi intelligantur. Videndum igitur est quæ suspensiones sint ipso iure latæ, in quibus Episcopi & eorum Superiores contineantur.

1 Ob prauam Ordinis collationem multipliciter Episcopus suspenditur. Primò si Ordinem simoniacè conferat ex *Extrauag. 1. & 2. de simonia*, & ex constitutione Pij V. vt *superius* declaratum est. Secundò si conferat primam tonsuram infami, illiterato, coniugato, & non subdito à collatione primæ tonsuræ per annum suspenditur ex expresso Textu in *cap. Nullus Episcopus de Temporib. ordinat.* Infans inquam dicitur qui septimum annum nondum expleuit. Huic ergo si Episcopus primam tonsuram conferat, in prædictam suspensionem incurrit, nisi forte Religionem infans intrauerit, saltem educandus ex consensu parentum, vel tutorum, vt cauetur in textu, & notat Glossa, *verbo intret.* Quod si vltra primam tonsuram Ordines maiores, vel minores infanti tribuat, non obinde suspensionem à collatione Ordinum contrahit, quia nullibi apposita est, & suspensio in *dicto cap. nullus* ad hunc casum extendi non debet, cùm expressè *ibi* dictum sit *à collatione clericalis tonsuræ duntaxat nouerit se suspensum.* Verbum illud *duntaxat* dispositionem restringit. Atque ita docent Suar. *disp. 31 sect. 5 num. 3.* Bonac. *disp. 3. q. 2. punct. 7. num. 3.* Illiteratus verò dicitur qui fidei rudimenta ignorat, & scribere, & legere nescit ex Concil. Trident. *sess. 23. cap. 4. de reformat.* vt aduertit Bernard. Diaz *pract. crimin. cap. 21.* Henriq. *lib. 13. cap. 38. num 2.* Sayrus *lib. 4. cap. 12. n. 8.* Tolet. *lib. 1. sum. cap. 48.* Coniugatus verò qui matrimonium per verba de præsenti contraxit. Huic si prima tonsura conferatur, confestim dictæ suspensioni subiicitur, nisi coniugatus velit Religionem intrare, aut ad sacros Ordines promoueri, prout est sacris Canonibus definitum, vt dicitur in prædicto Textu. Tandem interdicitur Episcopo in *dicto cap. nullus Episcopus de temporib. ordinat.* ne subdito alieno primam tonsuram conferat. Quod si Ordines maiores, vel minores conferat, suspenditur à collatione per annum omnium ordinum non ex *dicto cap. Nullus*, sed ex *cap. eos qui, de temporib. ordinat.* Quam suspensionem confirmauit Concil. Trident. *sess. 23. cap. 8. de reformat.* Et in *sess. 14. cap. 2. de reformat.* indicitur suspensio per annum à Pontificalibus Episcopo tituli, ordinanti aliquem absque litteris dimissoriis sui Prælati. Eidem suspensioni à Pontificalibus subiicitur ex Bulla Vrbani VIII. edita anno 1624. quæ incipit: *Secreta æternæ prouidentiæ*, ordinans vltramontanum absque litteris dimissoriis sui Prælati recognitis, & approbatis in Vrbe à vicario Pontificis, aliis in locis à Nuntiis, seu collectoribus illorum locorum; ordinati verò perpetuò suspenduntur. Ad idem reducitur suspensio à Pontificalibus absolutè lata aduersus Episcopum conferentem Ordines in aliena diœcesi absque licentia Ordinarij illius loci, vt in Concil. Trident. habetur *sess. 6. cap. 5. de reformat.* Conferens verò Ordines bigamo, & publico pœnitenti, prohibetur à celebratione Missæ per annum. *cap. Nullus pœnitentem dist. 55.* quæ prohibitio potiùs habet rationem præcepti, quàm suspensionis, vt constat ex illis verbis Textus: *Missas facere non præsumat.* Vti aduertit Bonac. *t. 3. de censur. disp. 3. q. 2. punct. 6.* sicuti eidem pœnæ, seu præcepto subiicitur qui inuitum, aut reclamantem præsumpserit ordinare. Vti dicitur in *cap. Episcopus 74. dist.* & notauit idem Bonac. *supra. pun. 2.* Ordinanti verò indignum, seu minus dignum in sacerdotem à collatione tantùm sacerdotalis Ordinis indicitur suspensio ipso iure, secundum Sayr. *lib. 4. c. 12. num. 17.* vel vt placet Suar. *disp. 40. sect. 8. n. 5.* Bonac. *tom. 3. de censur. disputat. 3 q. 2. punct. 3.* ferenda præcipitur. Deinde Episcopus promouens Religiosum antequam professionem, seu vota in Religione approbata emiserit, suspenditur à collatione per annum illius Ordinis quem contulit, ex Bulla Pij V. in ordine 75. quæ incipit: *Romanus Pontifex.* Notanter dixi *seu vota* ob Religiosos Societatis Iesu, quibus à Gregor. XIII. in Bulla edita anno 1582. concessum est, vt possint absque titulo omnibus Ordinibus insigniti, sicuti Religiosi professi tam Societatis, quam aliorum Ordinum. Vt notauit Sayrus *lib. 4. cap. 12. num. 21.* Henriq. *lib. 13. cap. 37. num. 1.* Filliucius *tract. 17. cap. 8. num. 141.* Bonac. *t. 3. disp. 3. q. 2. punct. 16.* Quòd si vero Religioso absque licentia sui Prælati Ordines conferat, à communione aliorum Episcoporum remouetur, quæ non est propria suspensio, sed pars quædam excommunicationis maioris. *Ex cap. si quis fin. dist.* & notauit Henriq. *lib. 13. cap. 38. num. 1.* Sayrus *lib. 4. cap. 12. num. 24.* Filliucius *tract. 17. cap. 8. num. 144.* Bonac. *tom. 3. de censur. disp. 3. q. 4. p. 7.* conferens item sacros Ordines promissione, vel iuramento ab ordinato accepto quod nihil ab eo exigat in defectum beneficij, aut patrimonij, suspensus est per triennium à collatione Ordinum, ex expresso Textu in *cap. si quis ordinauerit de simonia.* Tandem conferens duos sacros Ordines eodem die, aut duobus diebus continuato ieiunio in triennalem suspensionem à collatione vtriusque Ordinis incidit ex *cap. litteras de Temporib. ordinat.* quam censuram etsi non expressit Concil. Trident. *sess. 23. cap. 3.* prohibens eodem die duos sacros Ordines conferri; illam tamen non abrogauit.

Ob prauum autem vsum muneris Pontificalis subiiciuntur 2
Episcopi suspensionis sententiæ multipliciter. Primò referunt aliqui suspensionem latam in *cap. decernimus vlt. 18. dist.* vbi Episcopus non promulgans intra sex menses toti diœcesi statuta facta in Concilio prouinciali, excommunicatione per duos menses mulctatur. Similis pœna continetur in *cap. nouit. nostra 10. q. 3.* At cùm excommunicationis naturæ omnino repugnet temporis determinatio, efficitur hanc pœnam etsi sub nomine excommunicationis prolatam, non excommunicationem, sed suspensionem esse. Sed dicendum est hanc pœnam esse quandam excommunicationis partem, seu quandam priuationem, & præceptum, quo à communicatione aliorum Episcoporum segregatur Episcopus sic delinquens. Quæ pœna non est in vsu etiam in Hispania, vbi prædicti Canones statuti sunt, vt docet Suarez *disput. 31. de censur. sect. 5. n. 7.* Filliucius *tract. 17. cap. 8. n. 145.*

Secunda fertur in *cap. prouida, de elect. lib. 6* aduersus Epi- 3
scopos non seruantes constitutionem Concilij Lugdunensis relatam in *c. quamuis eodem tit. & lib.* per quam prohibentur de in electionibus Episcoporum in quibus ad Sedem Apostolicam appellatum est, se intromittant ad electionem confirmandam, electumve consecrandum (etiamsi partes voluntariè ab appellatione recesserint, sicuti recedere possunt appellatione Sedi Apostolicæ non præsentata) nisi prius facta inquisitione, an appellationi renunciatum fuerit absque simonia, & prauitate, & suspenduntur per annum à munere confirmationis, & consecrationis, vt in eo in quo deliquerint, puniantur. Et licèt prædictus Textus Episcopos non expresserit, dubium non est quin sub hac suspensione comprehendantur, quia satis censentur expressi ratione materiæ, siquidem confirmare electionem Episcoporum, & electos consecrare Episcopis tantùm competit, vt benè aduertit Suarez *disp. 31. sect. 5. num. 8.* Filliucius *tract. 17. cap. 8. n. 147.* Bonac. *t. 3. de censur. disp. 3. q. 4. p. 6. num. 6.* solúmque comprehendit eos Episcopos, ad quos iure ordinario spectat prædictam inquisitionem facere, & electum confirmare, vt colligitur ex *dicto cap. prouida*, & notauit Bonac. *num. 8.*

Actio autem ob quam hæc suspensio incurritur, est temerè procedere ad electi confirmationem, & consecrationem omissâ inquisitione, an absque simonia, vel prauitate appellationi renunciatum sit. Nam esto Episcopus contra sui muneris obligationem hanc inquisitionem omiserit, si tamen ad confirmandum electionem, vel consecrandum electum non processerit, huic suspensioni non subiicitur, quia hæc suspensio solùm apposita est ob confirmationem electi, illiúsve consecrationem, non præmissa inquisitione, an absque prauitate, hoc est absque simonia, fraude, dolo, vi, & metu appellationi fuerit renunciatum.

Sed an ob solam confirmationem electi, vel ob solam con- 4
secrationem hæc censura contrahatur, difficultate non caret. Nam Textus in *cap prouida* vtitur dictione *&*, quæ est copulatiua, ibi: *Ad confirmandas electiones, & consecrandos electos temerè procedendo.* Ergo vtraque actio necessaria est. Verùm etsi hæc pars probabilis sit, probabilior est ob quamlibet illarum actionum suspensionem proportionatam incurri, ita vt procedens ad confirmandam electionem suspendatur ab electionum confirmatione per annum; procedens verò ad consecrandum electum, suspendatur à munere consecrationis, vt pœna delicto proportionetur, sicuti in *dicto cap.* dicitur. Et notauit Glossa *ibi verb. in quo.* Geminian. *numero 6.* Francus *num. 2.* Suar. *disp. 31. sect. 5. num. 8.* Alterius *t. 2. disp. 16. cap. 2. vers. sed quæres.* Bonac. *tom. 3. de censuris disputat. 3. quæst. 4. p. 6. numero 3.* Neque obest Textum illum fuisse illa dictione copulatiua *&*, quia id factum est ad exprimendam integram actionem prohibitam, & pœnam eidem appositam.

Tertia habetur in *cap. hoc consultissimo, de rebus Ecclesiæ non* 4
alienand. lib. 6. aduersus quoscunque Prælatos qui bona immobilia, & iura suarum Ecclesiarum laicis non ad modicum tempus subiiciunt absque consensu capituli, & speciali licentia Sedis Apostolicæ, nisi modo, & casibus à iure expressis. Et licèt in prædicto Textu non videantur expressi Episcopi, satis exprimuntur nomine Prælatorum, quod ipsis per antonomasiam competit, vt benè aduertit Suarez *disp. 31. sect. 5. num. 10.* Alterius *t. 2. disput. 12. cap. 4. vers. 39* Filliucius *tract. 17. cap. 8. num. 147.* Bonac. *t. 3. de censur. disp. 3. quæst. 4. punct. 16 num. 2. & 3.* Hi igitur Prælati suspenduntur ab officio, & administratione Ecclesiæ; ab officia inquam Ordinis, & iurisdictionis; vt placet Suar. *disput. 31. sect. 5. num. 9.*

Bonac. *disput.3. quæst.5. punct.17. numero 7.* quia suspensio ab officio vtramque comprehendit, tametsi Geminian. *dicto cap.hoc consulti simo numero 5.* Francus *numero 4.* Alterius *tom.2. disput.12. cap.4. col.4.* censeat solùm ab officio Ordinis suspendere; alias non exprimeretur suspensio ab administratione Ecclesiæ, cùm in suspensione ab officio contineatur.

Verùm hæc ratio non vrget, quia exprimitur administratio Ecclesiæ, eo quòd hæc temporalis sit, & ad suspensionem à beneficio pertineat. An verò hæc suspensio ab administratione extendatur ad administrationem cuiusuis Ecclesiæ, an tantùm ad administrationem illius tantùm Ecclesiæ; dissentiunt Doctores. Nam aliqui censent extendi ad omnem administrationem, quia nullum verbum *ibi* apponitur ex quo restrictio colligatur. Sed rectiùs oppositum iudicauit Bonac. *d.punct.16. num.8.* Filliuc. *tract.17. cap.8. num.148.* Suarez *disp.31.sect.5.num.9.* quia esto in illa clausula non sit apposita restrictio, ex generali doctrina, qua pœna culpæ debet esse proportionata, & recisione punitur in eo in quod delinquit, sumitur. Cùm igitur solùm aduersus illam Ecclesiam in ea submissione Prælatus deliquerit, efficitur solum ab administratione temporalium quæ in illa Ecclesia obtinet, suspendi. Quinimo probabilissimum est non suspendi in perpetuum sed triennio. Nam verbum illud *triennio* in Textu appositum, pro suspensione clericis inferioribus imposita Glossa *ibi verbo triennio* refert ad Prælatorum suspensionem, quam sententiam approbat Bonac. *d.p.16.num.9* aduersus Suar. *dicta sect.5.n.9.* Filliuc *num.147.*

Porro inferiores Clerici scientes prædicta bona immobilia, & iura laicis submitti à Prælatis, neque superiori manifestauerint, triennio à beneficiis quæ in illa Ecclesia obtinent, suspenduntur. Quod intelligendum est quando sufficienter cognouerint delictum, illúdue probare potuerint, & sine graui incommodo, seu periculo grauis nocumenti illud denunciare potuerint, Vti tradit Suarez, & Bonac. *locis allegatis.*

Huic suspensioni reduci potest, quæ lata est in *Extrauag. vnica de rebus Eccl. siæ non alienand.* vbi Episcopus, vel Abbas alienans bona Ecclesiæ contra formam in ea constitutione præscriptam, suspenditur, vel potiùs interdicitur ab ingressu Ecclesiæ. Quod si in eo interdicto per semestre perseuerauerit, suspenditur ab administratione suæ Ecclesiæ in spiritualibus simpliciter, & absque vlla temporis determinatione. Alia similis suspensio in hac materia alienationis continetur in *Extrauag. Ambitiosa de rebus Ecc. non alienand.* & in *Extrauag. saluator. de Prabendis, & in constitutione Pauli II. quæ incipit: Cùmomnibus,* de quibus Filliucius *tract.17. cap.8.num.149.& seqq.* Bonac. *tom.3.de censur. disput.3.q.4. punct.17. & 18.*

5 Quarta continetur in *cap.1. de vsuris in 6.* aduersus Patriarchas, Archiepiscopos, & Episcopos, qui domus suas locant alienigenis, vel aliis non mundis de terris ipsorum publicè vsuras exercentibus, vel exercere volentibus voluntate publicè coniectata, aut si illos permittant in suis terris habitare. Quæ suspensio vniuersalis est, & absoluta, ac proinde ab officio, & beneficio: vti docuerunt Sayrus *lib.4.cap.17. num.48.* Suarez *disp.31.sect.5.num.15.* Filliuc. *tract.17. cap.8. num.152.* Bonac. *t.3.disp.3.q.1. punct.5.* tametsi non videatur improbabile solùm ab officio iurisdictionis suspendi, vt pœna culpæ commensuretur. Inferiores verò præfata permittentes seu facientes excommunicationi subiiciuntur. Communitas verò interdicitur, vt ex dicto Textu constat, & notant Doctores relati.

6 Quinta habetur in *Clem.1. §. verùm de Hæreticis,* vbi Episcopi qui ex odio, vel amore contra iustitiam, & conscientiam propriam in crimine hæresis procedunt, vel procedere omittunt triennio ab officio suspenduntur. Inferiores verò Episcopis non solùm in crimine hæresis, sed in qualiber alia causa adhærente hæresi, si contra iustitiam, & conscientiam procedant, vel procedere omiserint excommunicationi subiiciuntur, sicuti aduertit Suarez *disp.31. sect.5.num.16.* Filliuc. *tractat.17. cap.8. numero 153.* Bonac. *disputat. 3. quæst.5. p.10.*

7 Sexta fertur in *Clement.2. de Pœnis* aduersus Prælatos Ecclesiæ, qui procurant, vt clerici capiantur à potestate temporali ea intentione, vt beneficia habita resignent, aut citati à iure, vel ab homine ad comparendum in Romana curia non possint ire. Suspenduntúrque per triennium à perceptione fructuum suarum Ecclesiarum; inferiores verò Clerici suis beneficiis ipso facto priuantur. Alicui tamen non videbitur improbabile illam triennalem suspensionem non esse ipso iure latam, sed ferendam, quia Textus solùm dicit; Suspensi sint, quod posita sententia intelligi potest. Sed quia in præsenti communis sententia docet teste Suarez *disp.31. sect.5. num.17.* Bonac. *t.3.disp.3.q.4. punct.13.num.10.* ipso iure latam esse, id sustinendum est. Et licet hæc constitutio solùm Prælatos expresserit, satis sub illo nomine Episcopi comprehenduntur, quia Episcopi sunt Prælati per antonomasiam, vt aduertit in præsenti Filliuc. *tract.17. cap.8. num.153.* Suarez *disp.31. sect.5. num.19.* Bonac. *t.3.disp.3.quæst.4.punct.13. numero 9.* Alios verò Prælatos iurisdictionem quasi Episcopalem, habentes, certum est comprehendi. Hi igitur Prælati, vel Prælatis inferiores huic pœnæ subiiciuntur, non ex eo quòd capiant, detineántve personam Ecclesiasticam, vt beneficium resignet, vel citatus ad comparendum coram Sede Apostolica non compareat; sed quia id procurant media temporali potestate. Quod si ipsi Prælati Ecclesiastici potestatem temporalem habeant, & ratione illius procurent à suis ministris Ecclesiasticam personam detineri, huic censuræ subiiciuntur. Secùs verò si ipsi per propriam personam detineant, quia non detentio, sed detentionis efficax procuratio hac constitutione punitur, vt constat ex illo verbo Textus *procurantes* quod strictè, & propriè intelligendum est. Sicuti aduertit Suarez *disp.31. sect.5. num.19.* Bonac. *t.3.disp.3.q.4. punct.13. num.6.* Alterius *t.2.disput.16.cap.3. vers. oppositum.* Opus autem est, vt ea procuratio effectum sortiatur, hoc est beneficium resignetur, vel detentus designato tempore non compareat, quia Textus inquit; *Donec beneficia sua resignent, aut ad Sedem Apostolicam citati venire non valeant,* vt tradit Cardinal. *in præsenti num.13.* Bernard. Diaz *pract.cap. 104.* Suarez *disp.31. sect.5. num.20.* Filliuc. *tract.17. cap.8. num. 155.* Bonac. *d.p.13. num.5.*

Septima fertur in *Extrauag.2. de electione,* vbi Prælati Religionum, & Episcopi confirmationem recipientes à Sede 8
Apostolica, aut ab ea promoti, si absque litteris authenticis eiusdem Sedis administrationem suarum Ecclesiarum recipiant ab administratione fructuum suarum Ecclesiarum suspenduntur, irritantúrque omnia gesta in huiusmodi regimine per supradictos Prælatos, & beneficiorum prouentibus priuantur. Capitulum verò, seu Conuentus harum Ecclesiarum qui huiusmodi Prælatos absque his litteris receperit, à beneficiis suspenditur, donec gratiam à Sede Apostolica meruerit impetrare. Vide Suar. *disp.31. sect.5. num.28.* Filliucium *tract.17. cap.8. num.157.*

Octaua continetur in *Extrauag. suscepti regiminis.* quæ est 9
Ioann. XXII. sub tit. *Ne Sede vacante,* aduersus eos qui non seruant ea quæ in prædicta constitutione habentur, circa perceptionem fructuum primi, & secundi anni. Nam Episcopi, & eorum superiores à Pontificalibus, & ingressu Ecclesiæ suspenduntur. Capitulum verò, Collegium, seu Vniuersitas interdicitur, singulares personæ excommunicationi innodantur, si aliquid vltra ibi contenta perceperint, & infra mensem non restituerint cum effectu, à qua censura nequeunt ab alio, quàm à Pontifice absolui, donec præfata plenè restituerint. Facta verò restitutione suspensio, & interdictum cessat. Sicuti hæc notat Suarez *disput.31. sect.5. num.22.* Filliucius, *tract.17. c.8. num.158.* Bonac. *tom.3. de censur. disp.3. q.4. punct.11.*

Nona fertur in Conc. Trident. *sess.25. cap.14. de reformat.* 10
aduersus Episcopum si (quod absit) concubinarius sit, & à Synodo prouinciali monitus non se emendauerit, suspenditur namque ab officio, & beneficio, quia totum hoc continet suspensio absolutè prolata, & tradit in præsenti Henriquez *lib.13. cap.36.* Auila 3 *part. de censur. disputat.5. dub.2.* Suar. *disput.31 sect.5. num.2.* Bonac. *tom.3. disputat.3. quæst.7. p.4. num.4.* Filliuc. *tract.17. cap.8. num.159.* Huic annecti potest suspensio ab ordine lata in *cap. habuisse, 33. dist.* aduersus Episcopum carnaliter cognoscentem eam cum qua ante consecrationem concubinatum habuit. Sed hæc non est suspensio ipso iure lata sed ferenda, vt aduertit Filliucius *tract.17. cap.3. num.159.*

Decima continetur in *cap. pessimam 23.q.8.* ibi enim sus- 11
penditur ab officio Episcopali per annum Episcopus relaxans incendiarios pœnam contentam in *dicto cap. pessimam.* Quæ est vt incendiarij excommunicentur, neque ab excommunicatione absoluantur, quousque damni illati restitutionem præstent, & iuramentum faciant præfati criminis amplius non committendi, & per annum Hierosolymis pœnitentiam agant, vel in seruitio Dei in Hispania commorentur, aut alio in loco arbitrio Episcopi; illa enim loca designata videntur non taxatiuè, sed exemplariter, siquidem nulla est specialis ratio, ob quam potiùs in Hispania, quàm alibi pœnitentia agenda sit. Quinimo hæc pœnitentia non videtur vsu recepta; sicuti hæc notauit Bonac. *t.3. de censur. disp.3.q.5. pun.9.*

Vndecima videtur ferri in *cap. quidquid 1.q.1.* vbi Epis- 12
copus necessariam correctionem omittens contra simoniacos in Sacramentis vel Ordinibus per duos menses excommunicationis sententia innodatur. Nomine autem excommunicationis suspensionem ab officio intelligit Glossa *ibi verbo excommunicationis.* Sayrus *lib.4. c.12. n.48.* Filliuc. *tract.17. cap.8. num.159.* Henrriq. *lib.13. cap.38. num.3.* eo quòd excommunicatio ad tempus ferri non soleat. At Bonac. *disp.3. q.5. p.6. & 11.* propriam excommunicationem intelligit, quia non implicat Pontificem pro determinato tempore excommunicationem iniungere. Cæterùm cum communis sententia

rentia doceat excommunicationem esse censuram in correctionem delinquentis ordinatam, & in hoc à suspensione, & interdicto differre, quòd suspensio, & interdictum in puram pœnam, & pro peccato præterito iniungi possunt, non autem excommunicatio quæ semper iniungenda est, ad comprimendam contumaciam, qua cessante tolli debet, efficitur, pœnam illam non esse propriam excommunicationem sed suspensionem ab officio, vel vt, meliùs dicam, quamdam prohibitionem, seu priuationem impositam cum aliis Episcopis non communicandi, sicuti eadem pœna excommunicationis per duos menses imposita est in *cap. decernimus* 38. *dist.* aduersus Episcopos qui Concilio prouinciali celebrato non conuocant Abbates, Presbyteros, & Clericos, & vniuersam suæ Diœcesis plebem, vt illis in Concilio prouinciali gesta referant.

13 Duodecima continetur in Bulla 99. Pij V. quæ incipit: *Quam plenum*, aduersus Episcopum, qui ob quæstum, seu pecuniam acceptam publicat, seu concedit indulgentias, seu facultatem à casibus reseruatis absoluendi. Hic ergo interdicitur ab ingressu Ecclesiæ, & à perceptione fructuum suspenditur, à qua absolui non potest nisi præstitâ satisfactione. Neque opus est ad hanc pœnam incurrendam, vt Episcopus indulgentias per se ipsum publicet, sufficit si per alium, vt constat ex illis verbis *Appendi iusserunt*, ad quæ censura quæ inferiùs subiungitur referenda est, vt benè aduertit Bonac. *disp. 2. q. 3. p. 30. num. 6.* Neque item est opus, vt facultas concessa sit pro casibus sibi reseruatis, nam esto concessa fuerit pro casibus reseruatis Pontifici, huic censuræ locus est. Sicuti notauit Bonac. *suprà, num. 3.*

14 Decimatertia suspensio fertur in Bulla Iulij III. incipiente: *Cùm sicut*. Et in Bulla Clement. VIII. *Cùm Hebræorum malitia*, estque suspensio, vel potiùs interdictum ab Ecclesiæ ingressu, si libros impij Thalmud non comburant, sed potius permittant. Singulares personæ ob eorum retentionem, vel lectionem excommunicatione innodantur, vt *suo loco* dixi.

15 Decimaquarta lata est à Sixto V. in Bulla quæ incipit: *Romanus Pontifex*, & est 15 in ordine aduersus Episcopos & his superiores, qui ad limina Apostolorum temporibus in prædicta Bulla statutis non accesserint per se, vel per alios si impediti sint, vt suæ diœcesis statum referant. Tempus verò statutum Italis est tertio quoque anno, Germanis, Gallis, Hispanis, & cæteris Europeis quarto, Remotioribus tam in Europa, quàm Africa, & occidentali regione existentibus, quinto. Denique Asiaticis, & Orientalibus decimo quoque anno, qui computandus est ab anno quo prædecessor Apostolorum limina visitauit. Quod si Episcopus, & illo superior hanc exequi obligationem contempserit, ingressus Ecclesiæ ei interdicitur, & ab administratione Ecclesiæ tam in temporalibus, quàm in spiritualibus, & à beneficiis suspenduntur, quousque à Pontifice absolutionem meruerint obtinere, vt latius in *dicta bulla* exprimitur.

16 Decimaquinta sumitur ex Bulla Gregorij XIII. qua cauetur ne Episcopi, aliique Prælati in Monasteria Monialium sibi subiectarum ingrediantur absque necessitate, alia prima vice ab ingressu Ecclesiæ interdicuntur. Secunda suspenduntur à diuinis. Tertia excommunicantur. Sicuti latius explicui *tract. 16. de statu religioso*, vbi de Monialium clausura.

§. VI.

De suspensionibus specialiter contra Religiosos, latis.

1 *Prima suspensio fertur aduersus Religiosos apostatas, Ordinem sacrum in apostasia recipientes.*

2 *Secunda aduersus Religiosos mendicantes, aliquem ad professionem suæ Religionis admittentes, non completo nouitiatus anno.*

3 *Tertia aduersus Religiosos Prælatos præsidentes Monasteriis, Prioratibus, Ecclesiis, siue ea, redditus, aut professiones prædictorum locorum ad longum tempus alicui concedunt, &c.*

4 *Quarta aduersus quoscunque Religiosos qui absque iusto titulo, & priuilegio decimas rectoribus Ecclesiarum debitas usurpauerint.*

5 *Quinta aduersus Religiosos qui cùm sint requisiti à Rectoribus Ecclesiarum, vt suis pœnitentibus conscientiam faciant de decimarum solutione, scienter id omittunt.*

6 *Sexta aduersus Prælatos Religiosorum qui accepta ex aliquibus excessibus enumeratis in* Clement. 1. de Priuilegiis *infra mensem, postquam fuerint requisiti, non restituerint parti læsæ.*

7 *Septima aduersus Religiosos S. Benedicti non vtentes formatibus præscripta in* Clement. 1. de statu Monachorum.

8 *Octaua aduersus eosdem Religiosos qui venationi, aut aucupationi clamorosæ astiterint.*

9 *Nona aduersus Religiosos præsumentes introducere mulieres in Monasteria virorum.*

10 *Decima refertur aduersus Fratres Ordinis Prædicatorum, perturbantes officium Inquisitionis exercitum à Fratribus Minoribus. Vel econtrà.*

11 *Tandem refertur suspensio aduersus Religiosos Ordinis Prædicatorum qui promoti ad Episcopatum, vel aliam prælaturam, non restituunt Ordini ante promotionem libros, & alia à se possessa.*

PRima suspensio aduersus Religiosos continetur in *cap. consultationi, vit. de Apostatis*, ibi enim apostatæ Ordinem sacrum in apostasia suscipientes, ab illius executione suspenduntur, quousque à Romano Pontifice dispensationem obtineant. Stante hac suspensione tametsi ab apostasia recesserint, nequeunt ad superiorem Ordinem ascendere; quia interdicta executione inferioris Ordinis, censetur superioris recessio interdicta. Argum. *cap. cum illorum de sentent. excommunicat. & leg. qui indignus ff. de Senatorib.* Et tradit Suarez *t. 5. de censur. disp. 31. sect. 6. num. 3.* Sanch. pluribus relatis *lib. 6. in decalog. cap. 8. num. 22.* Filliucius *tract. 17. cap. 9. num. 166. & sequentib.* Bonac. *tom. 3. de censur. disputat. 3. qu. 7. punct. 9.* Quapropter obtentâ dispensatione huius suspensionis optimè poterit qui fuit apostata, ad Ordines superiores promoueri, quia solùm accessoriè ab illorum receptione impediebatur, vti benè notauit Sanch. *d. cap. 8. numero 23.* 1

Notanter dixi *Ordinem sacrum in apostasia suscipientes*, quia textus in *cap. consultationi de Apostatis* solùm Ordinem sacrum recipientes expressit. Verùm non desunt plures Doctores, quos refert Sanchez *lib. 6. decalogi cap. 8. num. 24.* & sequitur Bonac. *t. 3. de censur. disp. 3. q. 7. punct. 11. num. 1. & seqq.* asserentes apostatam irregularem esse. Ducuntur ex *cap. penult. & vlt. 50 dist.* vbi apostatæ prohibentur ad clericatum admitti. Præterea ex *dicto cap. consultationi.* Si enim apostatæ prohibentur exequi ordinem in apostasia susceptum, ideo est quia illum recipere prohibentur.

Cæterùm verissima sententia est ob receptionem minorum Ordinum in apostasia nullam irregularitatem, neque aliam pœnam impositam esse ipso iure. Nam vt rectè aduertit Sanchez *dicto cap. 8. numero 26.* Textus in *cap. penultim. 50. dist.* non de apostatis, sed de agentibus publicam pœnitentiam loquitur; Textus verò in *cap. fin.* non pœnam ipso iure latam continet, sed ferendam, cùm non ipsis Apostatis, sed Prælatis præcipiatur, ne ad Clericale officium apostatas admittant, ibi: *Quos ad clericale officium non admitti iubemus.* Præterquam quòd est Text. Concilij prouincialis Arelatens. cuius Canones extra prouinciam vim non habent. Ex Textu in *cap. consultationi* solùm infertur præceptum esse apostatis durante apostasia sacrum Ordinem non suscipere, non autem impositam esse irregularitatem, aliàs quælibet prohibitio Ordinis suscipiendi irregularitas censenda esset. Atque ita docet Suarez *disputat. 31. sect. 6. numero 2.* Sanchez *lib. 6. in decalog. cap. 8. numero 26.* Filliucius *tractat. 17. cap. 9. numero 166.* Et latiùs dixi *tractat. 16. de statu religioso, disputat. 4. punct. 16.*

Secunda fertur in *cap. non solùm. Cap. constitutionem, de Regularib. in 6.* aduersus Religiosos Mendicantes aliquem ad professionem suæ Religionis admittentes non completo nouitiatus anno. Et hi quidem suspenduntur à receptione quorumlibet ad professionem, & pœnis quæ pro grauibus culpis apponi in ea Religione consueuerunt, subiiciuntur. Et licèt in *cap. non solùm*, sermo sit tantùm de Religiosis ordinum Prædicatorum, & Minorum, at in *c. constitutionem* ad omnes Mendicantes prohibitio extensa fuit, ita vt non solùm comprehendantur Mendicantes tempore Alexandri IV. & Bonifac. VIII. vigentes, sed qui postea creati sunt Vti ex communi docet Suarez *disputat. 31. section. 6 numero 7.* Henriquez *lib. 13. cap. 40. num. 3.* Sayrus *lib. 4. cap. 13. num. 14.* Sanchez *lib. 5. cap. 4. num. 8.* Filliucius *tract. 17. cap. 9 num. 166.* Bonac. *tom. 3. disputat. 3. q. 8. punct. 5. num. 12.* Sed an huic suspensioni subiiciantur Moniales. Alij affirmant, alij negant, vt videre est apud Syluest. *verbo religio 3. q. 5.* Probabilius censeo non comprehendi? quia esto masculinum sub se fœmininum soleat continere, id plerùmque est in fauorabilibus, sed non in pœnalibus. Præterquam quòd Moniales capaces non sunt suspensionis; tametsi illis receptio Monialium interdici possit, ob immaturam, & indebitam alicuius receptionem. 2

Ex Religiosis viris ordinum Mendicantium grauis est difficultas, an huic pœnæ singulares personæ subiiciantur, an Conuentus; Et ratio difficultatis est, quia Religiosorum ad professionem admissio, non Religiosis singularibus competit, sed Conuentui. Sed longè probabilius est omnes, & singulos

gulos suffragium concedentes, vt professio ante completum nouitiarus annum concedatur, in hanc suspensionem incidere, quia Textus non Conuentui quatenus tali, sed singularibus personis hanc pœnam suspensionis iniungit. Quod satis manifestè ostendunt in verba Textus: *In virtute obedientiæ, & sub pœna excommunicationis districtius inhibemus, ne ante annum probationis elapsum quemquam ad professionem vestri Ordinis, seu renunciationem in sæculo faciendam recipere præsumatis. Quod si aliquam contra hanc nostram prohibitionem recipere præsumpseritis, decernimus vestro Ordini alligatum non esse, vósque à receptione quorumlibet ad professionem eiusdem Ordinis fore ipso facto suspensos, & insuper pœnæ subijciendos, quæ fratribus ipsius Ordinis pro culpis infligi grauibus consueuerunt.* Ex his enim constat pœnam suspensionis iniungi in eos in quos excommunicatio comminata est, & quos pœnæ pro culpis grauibus statutæ afficiunt: at hi singuli sunt de Conuentu. Ergo. Sic docuit Suarez *disp.* 31. *sect.* 6. *num.* 6. Alter. *tom.* 2. *disp.* 17. *c.* 1. *vers. De qua.* Bonac. *tom.* 3. *de censur. disp.* 3. *q.* 8. *p.* 5. *num.* 15.

Grauior dubitatio est, An hæc pœna suspensionis locum habeat post Conc. Trident. decretum, *sess.* 25. *cap.* 15. *de Regularib.* professionem irritans ante annum probationis expletum? Affirmat Bonac. *tom.* 3. *disput.* 3. *qu.* 8. *punct.* 5. *num.* 19. ductus ex eo quod in *dicto cap. non solum*, spectatur factum, non actûs valor, & quia grauiùs Religiosi delinquunt admittentes nunc ad professionem, vtpotè inualidam, & quia factum contra legem pro infecto habetur in vtilitatem facientis, non verò quoad damnum, & pœnam impositam iuxta doctrinam Bartoli *in leg. non dubium. Cod. de legib.* Sed rectiùs contrarium docuit Sanch. *lib.* 5. *in decalog. cap.* 4. *num.* 10. colligitúrque ex his quæ *tract. præcedenti de matr. disput.* 2. *punct. vlt.* §. 1. diximus. Etenim pœna suspensionis in *cap. non solum. & cap. constitutionem de Regularib. in* 6. inducta erat, ne ad professionem, quæ obligationem Religioni saltem in genere inducebat, admitterentur, qui nondum annum probationis expleuerant, quia hoc fragilitati humanæ in cuius fauorem annus probationis statutus est, contradicebat. At hæc ratio cessat, posito quòd illa professio nullam vim obligandi habeat, siquidem ex ea fragilitas humana non lædatur, & reputatur ac si facta non esset. Ex qua ratione fundamentum Bonacinæ dissoluitur. Respondeo enim Textum in *cap. non solum* spectasse factum scilicet admittere ad professionem ante expletum probationis annum, sed non quodcunque factum, sed tactum quod obligationem in professo induceret, quam obligationem impedire Pontifex hac pœna imposita intendebat. Cùm ergo decreto Conc. Trident. hæc obligatio penitùs impedita sit, cessat pœna in *dicto cap. non solum*, apposita. Neque obest grauiùs nunc delinquere admittentem ad professionem inualidam, quàm qui ad validam admittebant, quia non ex grauitate delicti pœna desumitur, si canonibus statuta non est.

3 Tertia suspensio ab officio fertur in *Clement.* 1. *de Rebus Ecclesiæ non alienand.* aduersus Religiosos, Prælatos, Præsidentes Monasteriis, Prioratibus, Ecclesiis, vel administrationibus, si iura, redditus, aut possessiones dictorum monasteriorum, Prioratuum, Ecclesiarum, seu locorum quorum administrationem habent, ad longum tempus alicui concedant absque sufficienti necessitate, & Ecclesiæ, seu Monasterij vtilitate, & Conuentus assensu, vel superioris licentia sit conuentum non habeat. Hæc igitur suspensio est absoluta ab officio, ac proinde comprehendit tam officium Ordinis quàm iurisdictionis. Vti notauit Suar. *disp.* 31. *sect.* 6. *num.* 8. Bonac. *t.* 3. *de censur. disp.* 3. *q.* 8. *p.* 7. *in fine.* Personæ verò aduersus quas dicta suspensio fertur, sunt Prælati Religiosi monasteriis regularibus, Ecclesiis, seu administrationibus præsidentes. Actio autem ob quam dictæ suspensioni subiiciuntur, est alienare ad longum tempus iura, redditus, aut possessiones dictarum Ecclesiarum, & monasteriorum. Vti tradunt Glossa *dicta Clement.* Nauarr. *cap.* 27. *n.* 157. Henriq. *lib.* 13. *cap.* 40 *n.* 1. Sayrus *lib.* 4. *c.* 12. Filliuc. *tract.* 17. *c.* 9. *n.* 169. Suar. *disp.* 31. *sect.* 6. *n.* 8. Bonac. *d. pun.* 7. & alij.

4 Quarta habetur in *Clement.* 1. *de Decimis aduersus* quoscunque Religiosos qui absque, iusto titulo, & priuilegio decimas rectoribus Ecclesiarum debitas vsurpare, retinere, appropriare seu suis familiaribus, vel pastoribus prohibere, vel impedire ne eas soluant, præsumpserint. Hi igitur Religiosi si à Rectoribus Ecclesiarum moniti, infra duos menses vsurpata non restituerint, vel intra mensem à prohibitione, & impedimento appositio non desiterint, suspensioni ab officiis, administrationibus, & beneficiis subiiciuntur, si officia, administrationem, vel beneficium habeant. Quòd si his omnibus careant, excommunicatione ligantur, à qua absolui nequeunt quousque plenam satisfactionem exhibuerint, vt *suo loco* dixi, & tradit *in præsenti* Sayrus aliis relatis, *lib.* 4. *cap.* 13. *num.* 10. Suar. *disp.* 31. *sect.* 6. *numero* 9. Filliuc. *tract.* 17. *cap.* 9. *num.* 169. Bonac. *tom.* 3. *de censur. disput.* 3. *q.* 8. *p.* 8.

5 Quinta lata est *in Clement. cupientes de Pœnis*, aduersus Religiosos qui cùm sint requisiti à Rectoribus Ecclesiarum, vt suis pœnitentibus confessientiam faciant decimarum solutione, scienter id omittunt. Hi igitur Religiosi modo rectores Ecclesiarum non sint, nec ius habeant decimas exigendi, si sic delinquant, ab officio prædicandi ipso facto suspenduntur, quousq; ipsis pœnitentibus (si commodè potuerint) conscientiam fecerint. Qua monitione pœnitentibus facta, cessat suspensio. Quod si suspensione durante officio prædicationis se ingesserint, excommunicationi subiiciuntur. Quæ omnia constant ex *dicta Clement.* & tradit in præsenti Sayrus aliis relatis, *lib.* 4. *cap.* 13. *num.* 18. Henriq. *lib.* 13. *cap.* 40. *num.* 3. Suar. *disputat.* 31. *sect.* 6. *num.* 12. Bonac. *disput.* 3. *q.* 8. *punct.* 9. & alij.

Sexta fertur in *Clement.* 1. §. *quibus, de Priuilegiis* aduersus 6
Prælatos Religiosorum, qui accepta ex aliquibus excessibus *ibi* enumeratis infra mensem postquam fuerint requisiti, non restituerint parti læsæ. Et hæc suspensio lata est absolutè vsque ad satisfactionem debitam, vnde comprehendit suspensionem ab officio, & beneficio. Requiritur tamen ad hanc suspensionem incurrendam duplex conditio. Prima, vt Prælati pro se, vel pro monasterio, aut alia quauis persona aliquid recipiant occasione excessuum qui in *ea Clement.* referuntur, quique fuerint à suis Religiosis commissi. Secunda, vt postquàm à personis grauatis, requisiti fuerint, omittant intra mensem restitutionem facere. Excessus occasione quorum acceptum esse debet, sunt; *Primò*, si in sermonibus suis Ecclesiarum Prælatis detrahant. *Secundò* si retrahant laicos ab Ecclesiarum suarum præsentia, vel accessu. *Tertiò* si indulgentias pronuncient indiscretas. *Quartò* si assistentes testamentis condendis retrahant testatores à restitutionibus, debitis, aut legatis matrici Ecclesiæ faciendis. *Quintò* si legata, vel debita, aut malè ablata incerta sibi, aut aliis singularibus sui Ordinis fratribus, vel conuentibus in aliorum præiudicium fieri, seu erogari procurent. *Sextò* si in casibus Sedi Apostolicæ vel Ordinario reseruatis, quemquam absoluant. *Septimò* si personas Ecclesiasticas præsertim coram iudicibus delegatis à nobis suam apud eos iustitiam prosequentes, vexare indebitè, aut ad loca plura, & præsertim multum remota conuenire præsumant. Quidquid ergo receptum fuerit ratione horum excessuum, si intra mensem postquam fuerit Prælatus regularis recipiens requisitus satisfactionem plenariam Ecclesiis, seu personis Ecclesiasticis grauatis non exhibuerit, ipso facto suspenditur. Religiosi verò priuati subiiciuntur pœnis illis, quæ secundum eorum regulam, vel statutum pro grauibus criminibus, seu culpis consueuerunt iungi.

Septima continetur in *Clement.* 1. §. *si quis autem de Statu* 7
Monachor. aduersus Religiosos nigros, id est Ordinis S. S Benedicti, alij non comprehenduntur, teste Suar. Sayro. Bonac. & aliis statim referendis) non vtentes forma vestium ibidem præscripta. Si enim Abbas vel Prior fuerit alteri Abbati, vel Priori non subiectus à beneficiorum collatione per annum ipso facto suspenditur: si inferior fuerit ab administratione si quam habet, suspensus est. Quod si nullam habeat, inhabilis fit ad illam, & ad beneficium Ecclesiasticum obtinendum. Requiritur tamen ad prædictam pœnam incurrendam, vt frequenter, seu ordinariè habitus contrarius formæ præscriptæ portetur, quia singularis, vel bina portatio non sufficit. Et insuper opus est, vt ex malitia, & non bona fide, aut ignorantia portetur, vt indicant illa verba Textus: *Portare præsumpserint*, quæ frequentem vsum significant, & dolum important. Sicuti colligitur ex Glossa *ibi*, Sayro, *lib.* 4. *cap.* 13. *à numero* 6. Suar. *disput.* 31. *sect.* 6. *numero* 10. Henriq. *lib.* 13. *c.* 38. *n.* 3. Bonac. *disp.* 3. *q.* 8. *p.* 14.

Octaua continetur in *eadem Clement. & in eodem* §. ad- 8
uersus eosdem Religiosos nigros, qui venationi, aut aucupationi clamorosæ, id est venationi cum canibus, aut aucupationi cum auibus ex proposito astiterint, quia ea assistentia dedecet eorum statum. Secùs verò si casu aliquantulum interfint, vel venatio absque canibus, vel aucupatio absque auibus, hominúmque tumultu fiat. Religiosi ergo huic venationi, aut aucupationi prohibitæ assistentes si Abbates, vel Priores fuerint, aliis Abbatibus, vel Prioribus non subiecti, à collatione beneficiorum per biennium suspenduntur; si inferiores fuerint, ab administratione temporalium si quam habent remouent; si verò illa careant inhabiles per dictum biennium redduntur ad quamlibet administrationem, beneficiúmque Ecclesiasticum suscipiendum. Sicuti hæc notant Sayrus *lib.* 4. *thesauri, cap.* 15. *à num.* 7. *& seqq.* Suar. *disp.* 31. *sect.* 6. *n.* 10. Filliucius *tract.* 17. *cap.* 9. *n.* 169. Bonac. *t.* 3. *de censur. d.* 3. *q.* 8. *p.* 15. & alij apud ipsos.

Nona refertur in Bulla Pij V. quæ incipit: *Regularium*, 9
aduersus Religiosos præsumentes introducere mulieres in Monasteria virorum; suspenduntur inquam à diuinis, & beneficiis priuantur, & ad illa, & reliqua omnia beneficia inhabiles redduntur. Vti *tract.* 16. *disp.* 4. vbi de clausura latiùs explicui, & *superiùs de excommunicationib. reseruatis extra corpus iuris contentis.*

Decì

10 Decima refert S. Antonin. *3.p.tit.28.cap.4.* de suspensione ex quodam priuilegio Clementis IV. incipiente *Paupertatis altissimæ*, vbi fratres Ordinis Prædicatorum perturbantes officium Inquisitoris exercitum à Fratribus, Minoribus, vel è contra Minores idem officium à Prædicatoribus exercitum perturbantes suspenduntur ab exercitio sacrorum ordinum, donec absolutionem à Sede Apostolica, vel ab illo cuius officium perturbarunt, obtineant. Sicuti notauit Henriq. *lib.13.cap.40.num.3.* Sayrus plures referens, *lib.4.c.13.n.13.* Bonac. *t.3. disp.3.q.8.p.16.*

11 Tandem idem S. Antonin. *3.p.tit.27. cap.4. de suspens.* refert Clementem IV. in fauorem Ordinis Prædicatorum statuisse, ne ex illo Ordine promoti ad Episcopatum, vel aliam Prælaturam regimen seu consecrationem suscipiant, quin prius libros, & alia omnia quæ ante promotionem habebant, Ordini restituant.

Aliæ sunt suspensiones communes Episcopis, Clericis, & Religiosis, de quibus *superius* actum est, simulque expiicata sunt, quæ Capitula, Conuentus, seu Communitates afficiunt.

PVNCTVM vlt.

De depositione, & degradatione.

1 *Quæ sit depositio?*
2 *Depositio simplex, & absoluta Clericum priuilegio fori, & canonis non denudat, nisi expresè in sententia exprimatur?*
3 *Temperatur hæc doctrina, si incorrigibilis declaretur.*
4 *Enumerantur crimina, ob quæ Clericus deponi in perpetuum potest.*
5 *Pœna degradationis priuat Clericum statu clericali.*
6 *Degradatio alia est verbalis, alia realis.*
7 *Quis possit Clericos degradare?*
8 *Quæ requirantur ad degradationem authenticam?*
9 *Actualis degradatio, & realis fit ab Episcopo.*
10 *Forma actualis degradationis.*
11 *Hæc degradatio frequenter fit præsente Iudice sæculari.*
12 *Referuntur crimina, ob quæ Clericus in sacris venit actualiter degradandus.*
13 *An ob alia crimina possit Clericus degradari, examinatur.*
14 *Quis possit depositum, & degradatum in suum pristinum statum restituere?*
15 *Solus Episcopus absque consensu Capituli, hanc dispensationem præstare potest.*

1 DEpositio prout in præsenti sumitur, est pœna Ecclesiastica priuans Clericum officio, vel beneficio in perpetuum, & ex iure ordinario irremissibiliter. Conuenit cum suspensione perpetua, & ferè ab illa non differt, nisi in maiori difficultate obtinendi dispensationem. Per depositionem enim sicut & per dispensationem perpetuam, priuatus depositus fructibus beneficij, non tamen beneficij titulo quia nullibi est cautum; quinimo contrarium videtur colligi ex *c.2. de Pœnis in 6.* vbi degradationi solemni tribuitur priuatio ordinis, beneficij, & priuilegij clericalis, non verò depositioni, venit tamen depositus priuandus beneficio, & ferè semper priuatur; siquidem priuatur in perpetuum officio, ratione cuius beneficium conceditur. Sicuti aduertit Panormitan. in *cap. veritatis numero 3. de dolo, & contumacia.* Sylvest. *verbo degradatio in princip.* Suarez *de censur. disp.30 sect.1.a num.4.* Layman. *1.lib.1.sum.tract.5. part.3.cap.5.num.2. & 3.* Dum autem beneficio non spoliatur, debent deposito alimenta ex fructibus beneficij assignari, ne cum opprobrio Clerici mendicare cogantur, vt dixit Felin. *in cap. ex parte de accusat. num 4.* Suar. *disp.30. sect.1. num.3. & 4.* Sayrus, *lib.4. thesauri conscient. cap.22. in fine.* Stephan. Dauila, *4.p.disp. vn.dub.1. conclus.3.* Paul. Layman. *loco citato.* Quinimò Sayrus, & Auila censent hæc alimenta subministranda esse etiam post beneficij spoliationem. Sed rectiùs contrarium docuit Couarruu. *3.var.cap.13.numero 8.* Bonac. *de censur.t.1. disp.4.punct.vn.num.8.* quia sibi imputare debet depositus eam quam patitur necessitatem, neque in Clerici opprobrium cedit, quòd sic depositus hac alimentorum priuatione puniatur, maximè cùm post depositionem incorrigibilis existit, vti aduertit Layman. *lib.1. sum. tract.5. par.3.cap.5. num.3.*

2 Hæc depositio simplex, & absoluta Clericum priuilegio fori, & canonis non denudat, nisi expresè in sententia exprimatur, vti colligitur ex *cap. cum non ab homine de Iudiciis*, vbi post degradationem verbalem, non traditur deliquens curiæ sæculari, nisi crescat contumacia, & incorrigibilis existat. Et *in c.2. de pœnis, in 6.* degradationi actuali, & reali, sed non verbali annectitur priuatio clericalis priuilegij. Atque ita docent Abbas *in cap. at si clerici. §. de adulteriis num.2. de Iudicijs.* Nauarr. *cap.27. num.81.* Bernard. Diaz *pract. cap.119.* Suar. *disp.30. sect.1. num.8.* Stephan. Dauila, *4.p.disp.vn.dub.1. § tertiò sequitur.* Bonac. *t.1. disp.4. de censur. punct.vn. num.3.* Barbosa plures referens. *3.p. de potest. episcop. allegat.110. numero 3.*

3 Restringitur autem prædicta doctrina, nisi post depositionem Clericus in eodem crimine, vel simili perseueret, cuius correctionem Ecclesia sub excommunicatione præcepit; nam eo ipso videtur priuilegio clericali denudatus, & sæculari potestati puniendus tradi, vt potè incorrigibilis ex doctrina Abbatis in *dicto cap. cum non ab homine. num.28. de iudiciis*, quem sequitur Sylvest. *verbo degradatio, q.6. num.8.* Auila *4.p. disp.vn.dub.1.* Bonac. *disp.4. punct.vn. numero 3.* Sed hæc restrictio ad summum veritatem habet post incorrigibilitatis declarationem; quinimo satis probabile est opus esse non solùm sententia declaratoria incorrigibilitatis, sed etiam priuatiua dicti priuilegij: eo quòd nullibi videatur cautum clericale priuilegium ob incorrigibilitatem amitti. Sicuti indicat Glossa *in dicto cap. cum non ab homine, vers. postmodum.* Et tradit Tolet. *lib.1.cap. 50. §. aduerte.* Suarez *disp.30. sect.1. numero 7. & 8.* Paul. Layman. *lib.1. sum. tract.6. part.5. cap.5. num.3.*

4 Crimina autem ob quæ Clericus deponi in perpetuum potest, enumerant Doctores in *dicto cap. cum non ab homine de iudiciis.* Sylvest. *verb. crimen, & verbo degradatio, q.4.* Nauarr. *cap.27. num.148.* Henriq. *lib.13. cap.5. num.3.* Steph. Dauila *4.p. disp.vn. dub 3.* Sa, *verbo depositio, n.m.2.* Bonac. *t.1. de cens. disp.4. pun.vn.n.6.* adulterium, stuprum, furtum, homicidium, & iis maiora. Sed quamuis ob hæc crimina antiquitùs depositio imponenda esset: quia Ecclesiastica disciplina ampliùs vigebat: at præsenti tempore existimo ob hæc crimina simpliciter depositionem imponi non debere, nisi ex obiecto, aut ex circumstantiis scandalosa, & atrocia, sint vti esset homicidium voluntariè patratum, cùm pœna irregularitatis plerunque indispensabilis ei annexa sit; furtum Ecclesiæ in graui quantitate, adulterium, & stuprum quibus iure ciuili pœna mortis indicta est. Sicuti colligitur ex Abbate in *dicto cap. at si clerici. num.33. & sequentib.* Paul. Laym. *lib.1. sum.tract.5.part.3.cap.5.num.2.* Auila, Sa, Bonac. *loc. allegatis.* Notorius concubinatus si post monitiones, & priuationem fructuum, & prouentuum, imò & beneficiorum perseueret, sufficientem causam depositioni perpetuæ præbet. Vti colligitur ex *cap. si autem clerici de cohabitat. clericor. & mulier.* Et apertius ex Conc. Trident. *sess.22. decreto de obseruandis, & sess.25. c.14. de reformat.* Et tradit Abbas *dicto c. at si Clerici 2. num.33.* Bonac. *disp.4. pun.vn. num.6.* Paul. Layman. *dicto cap.5. num.2.*

5 Si verò de pœna degradationis loquamur, degradatio Clericum de gradu, & statu Clericorum deiicit. Est enim quædam authentica & solemnis priuatio officij, beneficij, & cuiusuis Ecclesiastici priuilegij. Vnde degradatus in potestatem sæcularem transit, à qua capi, incarcerari, & puniri ob crimina potest, sicut quilibet alius laicus, in quo à simplici depositione differt. Sicuti notauit Glossa *in cap.2. verbo priuilegio clericali de Pœnis in 6.* Abbas *cap. cùm non ab homine, num.5. de Iudiciis.* Sylvest. *verbo degradatio, q.6.* Iulius Clarus *cum additionib. pract. crimin. q.74. n.4.* Paul. laym. *l.1. sum. tract.5. par.3. cap.5. num.3.*

6 Degradatio quæ à depositione simplici distinguitur duplex est; alia *verbalis*, alia *realis*, & *actualis*. Verbalis est quæ fit per sententiam authenticam & solemnem; realis quæ hanc sententiam aliquibus cæremoniis, & ritibus exequitur, vti colligitur *ex d.cap.2 de Pœnis in 6.* & Conc. Trident. *sess.13.c.4. de reformat.*

7 Hanc degradationem conparatione Episcoporum solus summus Pontifex præstare potest, vti probat Textus in *c. accusatus. Cap. quamuis. 3.q.6.* Et notauit Panormit. *cap. graue nimis de Prabendis, n.4. Cap. non potest, num.5 de sentent. & re iudic.* Cognitio causæ debet fieri per Metropolitanum conuenientibus Episcopis totius prouinciæ, qui ad minus debent esse duodecim, vltra Metropolitanum, vt aduertit idem Panormit. *in dicto cap. non potest.* Henriq. *lib.13. cap.5. num.2.* Auila *4 p. disp. vnica, dub.4. conclus.2.* Item in Religiosos exemptos nullus alius præter Pontificem sententiam degradationis ferre potest, nisi fortè ex consuetudine, vel priuilegio eorum Prælato regulari ea potestas competat, vt tradit Nauarr. *lib.5. consil. cons.58. de Regularib. num.3.* Sed Auila *4.p. de censur. disp.vn. dub.2. conclus.2.* affirmat nullum tale priuilegium in compendio Minorum inuenisse. At in *compendio priuilegiorum Societatis Iesu verbo Prælatus §.3.* est priuilegium quod ad hunc casum extendi potest. Comparatione autem aliorum clericorum, Episcopus proprius est qui potest sententiam degradationis ferre, etiamsi consecratus non existat. Quinimò ex eius delegatione à simplici Sacerdote fieri potest, quia non est actus ordinis, sed iurisdictionis; vti colligitur ex Conc. Trid. *sess.13. c.4. de reformat.* Et tradit Suarez *disp.30. sect.1. n.18.* Auila *4.p. disp.vn. dub.2. concl.4.*

Bonac.

Bonac. *t.1.disp.4.de censur.pun.vn.n.10.& 11.*Paul.Layman. *lib.1.tract.5.part.3.cap.5.num.3.* Coninch. *disp.16.num.6.* Ex quo fit Capitulum Sede vacante per suum Vicarium electum hanc sententiam degradationis ferre posse, quia succedit Episcopo in his quæ ad iurisdictionem pertinent;& notauit .... *tract.de officio, & potest. Capit.Sede vacante, in princ.* Et latiùs agens de hæreticis Stephan. Dauila *d.4.p.disp.vn.dub.2. §.secundo sequitur*, tametsi contra sentiant Panormit.*in cap.at si clerici §.de adulteriis,verbo sed circa hæc de iudiciis.* Et *cap. transmissam de elect.circa finem*, & fauent omnes illi qui censent sententiam degradationis ad solum Episcopum conseeratum pertinere,ex quibus sunt Immola *in suprad.cap.transmissam.* Sarmiento, *lib.1.select.cap.14.num.9. vers.verum est.* Didacus Perez, *libro 8. ordinam. tit. 4. lege 3. col. 17. in fine.*

8 Ad hanc degradationem authenticam, & verbalem quam actualis plerunque subsequitur, plura requiruntur. Si enim hæc degradatio facienda est alicuius Clerici in minoribus Ordinibus constituti, sufficit proprius Episcopus, vt deciditur *cap.2.de Pœnis in 6.* Debet tamen fieri præsentibus aliquibus de clero, Capitulum repræsentantibus,alioquin sententia erit irrita,*cap. penult.15.q.7. & cap.1.de excessib. prælator.* nisi forte aliud consuetudine fuerit introductum: vti notat Glossa communiter recepta *in d.cap.2.de Pœnis in 6.verbo præsentia.* Suar. *disp.30.sect.1.num.19.*Paul. Layman.*tract.5.par.1.cap.5.num.4.* Quòd si sententia degradationis ferenda sit aduersus Clericum in sacris,requiruntur ex *cap.felix.& cap.si quis,15.quæst.7.* plures Episcopi; nam pro degradatione Episcopi duodecim requiruntur:sex pro Presbyteri degradatione, tres pro degradatione Diaconi, & Subdiaconi. Sicuti notauit Iulius Clar. *pract. crimin.lib.5.q.74.* Coninch. *disp.16.num.8.* Bonac.*t.1. disp.4.de censur.p.vn.num.12.* Hæc tamen moderata sunt pro crimine hæresis in *cap. 1. de haret. in 6.* vbi in degradatione hæretici proferenda non est opus Episcoporum assistentia, sed conuocatis Abbatibus, seu Prælatis, aliisque viris doctis ex eorum consilio potest Episcopus, seu Inquisitor ad degradationis sententiam procedere, & generaliter pro omni crimine. *Sess.23.cap.4. de reformat. Concil. Trident.* vbi dicitur loco Episcoporum sufficere totidem Abbates vsum mitræ, & baculi habentes cum proprio Episcopo,eiúsue prouisore, vel si commodè reperiri Abbates non possint, totidem personas graues iuris scientia commendabiles, & in dignitate Ecclesiastica constitutas. Hæc autem intelligenda sunt pro degradatione inferiorum Episcopo; nam pro degradatione Episcoporum nihil Concil. Trident. ex his quæ iure antiquo statuta sunt, mutauit.Sicuti aduertit Coninch.*disputatio.16.numero 9.*

Hi autem assistentes etiam post Concilium habent votum decisiuum,& non tantùm consultiuum, vti tradit aliis relatis Augustinus Barbosa *3.p.de potest.Episcopi alleg.110.num.25.* Suar. *disp.30.de censur.sect.1 num.20.*Auila *4.p. disp.vnica. dub.5.in fine.* Henriq.*lib.13.cap.55.num.2.* Coninch.*disp.16.numero 8.* Ratio est, quia ex iure antiquo Episcopi assistentes erant Iudices,vt colligitur ex *cap.3.de sentent.& re iudic.* Et notat *ibi* Glossa.& indicatur in *cap.fin.15.q.7.*Et in *cap.si quis.Cap.felix eadem causa,& q.* Sed in Concilio solùm immutatum est, vt loco Episcoporum succedant Abbates, vel aliæ personæ doctæ,& in dignitate constitutæ,non autem est immutatus modus assistendi qui prædictis erat concessus. Ergo si ante Concilium Iudices erant in causæ cognitione,& sententiæ prolatione, etiam post Concilium esse debent. Quinimo videtur requiri, vt omnes hi assistentes simul cum Episcopo conueniant: siquidem *cap.non potest.de sentent.& re iudic.*dicitur non posse ad Sacerdotis degradationem procedi, & idem est de Diacono, nisi fuerit concors assistentium sententia. Atque ita tradit Abbas *d.cap.non potest.num.16.*Felin.*ibi,num.16.* Bonac. aliis relatis *disp.4. pun.vn.num.14.* In crimine autem hæresis,seruanda est praxis statuta in *cap.2. de Hæretic. in 6.* vt dictum est.

9 Huic degradationi authenticæ succedit actualis degradatio, quæ est solemnis executio præfatæ sententiæ degradationis, fitque necessariò ab Episcopo consecrato, quia est actus non solùm intisdictionis, sed ordinis ex Ecclesiæ institutione consecrationi Episcopali annexus. Sicuti tradit Glossa communiter recepta in *cap. transmissam, verbo de talibus.* Abbas *num.4.de elect.* Toler.*lib.1.cap.50.*Suar.*disp.30.sect.1.num.18.* Sayrus *lib.5.cap.22. num.12.* Bonac.*disp.4.part.vn.numero 11.* Coninch. *disp.16.num.9. & in fine.* Paul.Layman.*lib.1.summa tract.5.par.3. cap.5. num.5.* Et licèt Bonac. *t.1. disp.4. pun.vn. num.11.* probabilius existimet huius degradationis ministrum Episcopum proprium esse debere, neque posse alteri Episcopo consecrato vices suas committere,ductus illis verbis Concilij. Et per seipsum etiam ad actualem, & solemnem degradationem &c. verius censeo alieno Episcopo committi hoc munus posse, quia verba Concilij, *Per seipsum*, denotant non posse per Vicarium non consecratum fieri,non tamen excludunt quin per alium Episcopum consecratum fieri possit, vt benè notauit Suar.*d.sect.1.n.18.*Paul.Laym. *d.c.5.n.5.*

Forma actualis degradationis præscribitur in *capite 2. de* 10
Pœnis. in 6. & in *Pontificali Romano.* Quippe Episcopus degradaturus debet esse Pontificali indutus, degradandus verò ornatus similiter debet esse vestibus, aliisque omnibus quæ requisita fuerunt pro susceptione, & vsu illius Ordinis, quo degradatur, quæ Episcopus publicè singula aufert vsque ad vestem qua prima tonsura suscipitur, & tunc tondetur, & caput raditur, ne vestigium clericalis status videatur relinqui, & interim aliqua verba sunt proferenda quæ effectum declarent, & quibus terror astantibus incutiatur, vt in *supradicto cap.2.* cauetur. Ad hanc actualem degradationem præsentia Episcoporum, vel Abbatum non est necessaria, quia nullibi cautum est. Sed Episcopus per seipsum exequi potest. Sicuti notauit Syluest. *verbo degradatio.num.1.in fine.* Sayrus, *lib.5.thesauri,cap.22.n.7.* Suar. *disp.30.sect.2.num.6.*Layman *lib.1.sum.tract.5.part.3.cap.5.n.4.* tametsi contrarium censeat. Bonac. *disp.4.p.vn.n.16.*

Hæc degradatio frequenter fit præsente Iudice sæculari, 11
cui degradatus priuilegiis clericalibus exutus puniendus traditur; apud quem Iudex Ecclesiasticus post degradationem efficaciter, hoc est seriò, & ex animo interpellat, vt citra mortis periculum sententiam circa eum moderari velit,quam intercessionem præstat, ne videatur Ecclesia necem delinquentis expetere, vti dicitur *c. nouimus de verbor.significat.* & notauit Laym. *lib.1.sum.tract. 5.par.3.cap.5.num.5.* Item debet fieri in Ecclesia, seu oratorio,vt colligitur ex *cap. Episcopus.11,q.3.* vt sic spoliatio clericalis status susceptioni illius correspondeat,& res per quascunque causas nascitur per eadem dissoluatur, & tradit Geminian. *in c. degradatio, num.7. de Pœnis.* Archidiac. & Ancharran. *ibidem.* Bonac. *disp.4.p. vn.n.16.*

Crimina ob quæ Clericus in sacris degradandus actualiter 12
venit. Sunt primò hæresis si in ea contumax sit, *Cap. ad abolendum. Cap.ex communicamus de hæretic.* & *cap.1. eodem tit. in 6.* Vel si in eam relapsus sit, tametsi velit se corrigere ex *dicto cap.1.ad abolendam.* & *cap.super eo de hæreticis in 6.* Sicuti tradit Glossa *ibi.* Mol. *tract.3.disp.49.num.15.* Augustinus Barbosa *3.p.de potest.Episc.alleg.110.num.111.* Sayrus *lib.5.cap. 22.num.16.* Bonac.*disp.4.p.vn.n.6.*Layman.*lib.1.sum.tract.5. part.3.cap.5.num.6.* Secundus falsificatio litterarum Apostolicarum. *Cap.ad falsariorum de crimine falsi*, nisi forte Pontifex pœnam mortis in perpetuum carcerem commutet, iuxta *Textum in cap.nouimus.§.pro illo de verbor.significat.* Et tradit Panormit. *cap.at si clerici,num.37.de iudiciis.*Sayr. *num.17.* Bonac. Laym. Barbosa *locis allegatis.* Hunc casum extendit *lex regia 60.tit.6. part.1.* ad falsarios litterarum, vel sigilli Regij. Sed Gregor. Lopez *ibi* aduertit hunc non esse degradandum actualiter,sed solùm in perpetuum deponendum.cuius sententia sustineri potest, cùm falsificatio non cedit in alicuius graue præiudicium ex doctrina Menochij *de arbitr. casu 306.à num.10.* Tertiò sodomia non semel, sed aliquoties commissa ex *constitutione 70.* Pij V. *contra sodomitas*, in qua omnes Clerici sæculares, & Regulares cuiuscunque gradus, & dignitatis { etiamsi Episcopi, ac Cardinales sint} tam dirum nefas exercentes, omni priuilegio clericali, omnique officio, dignitate, & beneficio Ecclesiastico eiusdem Canonis authoritate priuantur: & tradit Nauarr. *cap.27.num.219.* Bernard. Diaz *pract. cap.80.* Iacob. de Graffis *lib.2. decis. cap. 90.* Sayrus *lib.5.cap.22.num.21.* Barbosa *allegat.110.num.19.* Et alij. Quartò calumnia, seu conspiratio in proprium Episcopum. *Cap.si quis sacerdotum.11.q.1.* Sed hoc intelligendum est, si incorrigibilitas accedat ex Glossa communiter recepta *ibi, verbo mox.* & in *cap. si qui sunt, verbo recuperatores 2.q.7.* Et *in cap.nouimus,verbo tradatur de verbor.significat.* Et tradit Panormit. *in d.cap.at si clerici.num.37.de iudiciis.* Sylvest.*verbo degradatio,q.2.*Sayr.*lib.5.c.22.n.18.*Tolet.*lib.1.cap.50.*Auila *4.p.disp.vn.dub.1.3.* Laym. *lib.1.tract.5.par.3.cap.5. circa finem.* Barbosa, *allegat. 110. num.12.* Si enim ob homicidium simplex non traditur Clericus sæculari potestati puniendus *cap. cum non ab homine de Iudiciis*, nec etiam ob contumeliam,seu conuitium Episcopo irrogatum tradi debet.

Sed an ob alia crimina possit Clericus maximè si Sacerdos 13
sit, vel Religiosus degradari, & curiæ sæculari committi,ésto incorrigibilis non sit; dissentiunt Doctores. Nam Bernard. Diaz *pract.cap.90.& cap.132.* alios referens Iulius Clarus *lib.5.quæst.36.num.31.* Lelius Zechus *tract.de priuileg. Ecclesiast.priuil.79.numero 7.* Bossius *tract. crimin. titul. de fori compet.num.135.& 136.* Scatia *de iudic.1.p.cap.11.num.60.& 61.* Sayrus *lib.5.cap.22. num.20.* & alij, negant posse Clericum maximè Sacerdotem, vel Religiosum ob alia crimina præter quatuor supradicta in iure expressa, tradi curiæ sæculari,quin incorrigibilitas præcedat. Argum. *cap. cùm non ab homine de Iudiciis.* At Abbas *in dicto cap. cùm non ab homine,* & *cap.at si clerici.num.39.*Sylvest. *verbo degradatio.q.2.* Tolet. *lib.1. cap.50. vers.tertia.* Perez, *lib.8. ordinam. tit.4.l.3.colum.* Paul.Laym. *lib.1.sum.tract.5.par.3.c.5.in fine.* Molina *tract.3. disput.49.num.19.*Bonac. *disp.4.de cen sur.pun.vn.n.6.*Barbosa *de potest.Episc.3.p.alleg.110.num.13.* & alij relati à Gouarruu,

lib.2. var.cap.20. numero 7. asserunt & merito pro quolibet crimine enormi,& notabiliter scandaloso Clericum etiam in sacris degradari actualiter posse, & curiæ sæculari tradi; quod experientia teste sæpè comprobatum est. Neque huic consuetudini obstat Textus in *cap. cùm non ab homine de Iudiciis*,exigens incorrigibilitatem, vt curiæ sæculari tradatur Clericus puniendus,quia textus loquitur de quolibet delicto graui, ob cuius causam plerumque loquendo non est tradendus Clericus curiæ sæculari, nisi adsit incorrigibilitas. Non tamen in eo Textu prohibetur quin Ecclesia possit ob enorme delictum nulla expectata incorrigibilitate, reum curiæ sæculari puniendum committere, quandoquidem ipsa Ecclesia non habet pœnam quam imponere possit delicto dignam. Quòd si roges quod censeatur delictum enorme? Respondeo Iudicis arbitrio hoc remitti, vt dixit Iulius Clarus *lib.5.§.fin.q.36.n.36.* Censerem autem esse delictum enorme homicidium qualificatum, scilicet homicidium Prælati, vel Sacerdotis, fratris, & patris, Item assassinum, furtum, sacrilegium, deprædatio communium bonorum, & similia. Et generaliter omnia illa delicta ob quæ pœna mortis iure ciuili statuta est, si pluries repetita fuerint enormitatem continent, vt benè Paul. Laym. *d.cap.5.in fine.*

14 Factâ depositione, vel degradatione regulariter solus Pontifex depositum,& degradatum in suum pristinum statum restituit. Verùm si crimina ob quæ quis depositus est adulterio minora fuerint, poterit Episcopus dispensationem concedere post peractam pœnitentiam. Vt deciditur in *cap. at si Clerici de iudicijs.* Et tradit aliis relatis Bonac. *disput.4. p.vn.n.11.* Neque obest infamia orta tum ex delicto, ratione cuius depositio facta est, tum ex sententia depositionis, quia infamia orta ex delicto pœnitentia purgatur, quæ verò ex sententia condemnatoria nascitur, dispensatione tollitur.

15 Sed an ad hanc dispensationem faciendam indigeat Episcopus consensu Capituli? Difficultate non caret. Nam Panormit. *dicto cap.at si clerici num.16. de iudiciis* alios referens, existimat Capituli consensum necessarium esse. Ducitur ex supradicto Textu vbi Pontifex inquit: *Potest Episcopus cum Clericis post peractam pœnitentiam dispensare.* Nam particula *cum clericis*, denotat Clericos ad dispensationem concurrere,illiusque causam efficientem esse. Sed contrarium omnino dicendum est,spectata consuetudine quæ soli Episcopo hanc potestatem concedit, teste Glossa *in cap.cum ex eo,verbo Episc. de elect.in 6.* Decio *in cap.at si clerici, vers.de adulteriis, num.20. de iudic.* Romano *cons.325.in fine.* Alterio *t.2. disp.2.q.9. vers.quamuis*, quos refert, & sequitur Bonac. *t.1.disp.4.de censur. p. vnico circa finem.* Quinimo etiam spectato iuris rigore,existimo Clericorum consensum necessarium non esse, vt docuit Glossa *suprà*; quia nullus est Textus ex quo hic consensus colligatur: nam *cap.at si clerici*, dicens posse Episcopum cum Clericis post peractam pœnitentiam dispensare: ly *cum clericis* non actiuè, sed passiuè sumendum est, præstátque hunc sensum potest Episcopus cum Clericis ob minora crimina adultetio depositis post peractam pœnitentiam, dispensare.

16 Degradatum verò iustè nullus alius præter Pontificem restituit. Tum quia degradatio semper fit ob grauiora crimina adulterio: tum quia à gradu & statu clericali omnino, & irremissibiliter iure ordinario deiicitur degradatus. Atque ita colligitur ex *c.si lapsis.& c.qui semel.50 dist.* & notauit Bonac.ex communi sent. *d.4.p.vn.n.1.* Dixi *iustè*, nam si iniustè quis degradatus fuerit, ipsi qui prædictam sententiam tulit, competit emendare,cùm autem non solus Episcopus,sed alij Episcopi, seu Abbates, vel personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, sententiam degradationis tulerint, per ipsos emendatio facienda est: colligitur ex *cap.Episcopus presbyter 11.q.3.* vt per quas causas degradatio nata est, per easdem dissoluatur. Non tamen caret probabilitate quod docuit Speculator *in tit.de accus.* Alter. *t.2.disp.2.cap.9. sub fin.* solum Episcopum sententiam degradationis iniquè factam, reuocare,& emendare posse, quia eius muneris est,subditum iniustè grauatum defendere, & iniuriam ei irrogatam depellere.

DISPVTATIO V.

De censura Interdicti.

PVNCTVM I.

Quid,& quotuplex sit Interdictum?

1 *Nomen Interdicti à quo sumatur?*
2 *Definitur Interdictum.*
3 *Interdictum aliud est locale,aliud personale.*
4 *Interdictum locale, & personale diuiditur in Interdictum generale,& speciale.*
5 *Item Interdictum personale aliud est totale, aliud partiale.*

NOmen Interdicti plerunq; in iure sumitur pro dicto, seu ordinatione iudicis inter reum,& actorem: Etenim cùm hi cõtendunt de possessione aliqua obtinenda, vel retinenda, & iudex quid sit faciendum statuit,statutum illud quia est inter duos dictum,Interdictum appellatur, vti constat *inst.de interd.in princ.& ff.eod.tit.* & Gl. *Clem.1. de foro compet.* secundùm quàm acceptionem quæ latissima est, triplex est in iure ciuili interdictum: *exhibitorium,restitutorium,& prohibitorium,quo prætor rem alicui exhibet, restituit,vel prohibet.* 1

At Interdictum sumptum à verbo interdico, solùm significat decretum Iudicis prohibitorium, quo Iudex aliquid faciendum prohibet. *Instit.de interdictis. §.exhibitoria.vers.sunt tamen. & leg.relegatorum.Leg. moris. & leg. fin.ff.de Pœnis.* Et in iure Canonico hæc acceptio Interdicti frequentissima est, vti constat ex *cap. minor.17.quæst.4. & cap. significasti de officio Archidiac. & cap. cùm illarum de sentent. excommunic. & cap.2.& 3.de matrim.contracto contra interdictum Ecclesiæ.* Et constat ex his quæ tradit Glossa *in Clement. vn. de foro compet. & Clement.1.de sepulturis.* Panormit. *in cap.pastoralis. n.14.de causa possess. de propriet.* Couarruu. *cap. alma mater 2. p.§.2.n.1 de sentent.excommun.in 6.* & alij passim.

Strictius tamen in præsenti nomen interdicti sumitur, nempe pro bonorum spirituali prohibitione in pœnam vel medicinam alicuius delicti imposita, & secundùm hanc acceptionem interdictum vna est ex censuris Ecclesiasticis, quarum mentio fit in *cap.quærenti de verbor.significat.* vt constat ex Glossa *ibi*, & Doctoribus statim referendis.

Varias Interdicti sic accepti definitiones Doctores assignarunt, ea mihi aptior videtur quæ sumitur ex *cap. non est si vobis de sponsalib.& cap.quod in te,de pœnit. & remissionib.* Et quam tradunt Nauarr. *cap.27.numero 164.* Couarruu. *in cap. alma mater de sentent. excommunicat. in 6. p.2. §.1. numero 2.* Vgolin. *de censur.lib.5.cap.24. num.2.* Sayrus *lib.5.cap.1.numero 7.* Suar. *disput.32. sect.1.* Auila *5.p. disput.1. in princip.* Layman. *lib.1.sum.tract.5. par.4. cap.1.* Bonac. *t.1. de censur. disp.5.p.1.in princ.* Gaspar Hurtado *tract. de interdicto difficult.1.* Coninch. *disp.17.dub.1.* & alij passim, nempe Interdictum est censura Ecclesiastica, prohibens vsum diuinorum quatenus à fidelibus haberi possunt. Nomine censuræ conuenit Interdictum cum Suspensione, & Excommunicatione, quia omnes hæ sunt censuræ Ecclesiasticæ. *Cap. quærenti de verb.significic.* Differt verò à suspensione, quia suspensio priuat per se vsu actiuo non passiuo diuinorum, & quatenus est vsus potestatis spiritualis: at Interdictum diuinis tam actiuè quàm passiuè priuat, non quatenus à potestate spirituali procedunt,sed quatenus sunt quædam bona spiritualia,& diuina à fidelibus participanda. Præterea suspensio solos Clericos afficit, Interdictum verò Clericis, & laicis commune est. Ab Excommunicatione differt Interdictum,quia non ita latè patet ac Excommunicatio, & sub diuerso modo diuina prohibet: etenim excommunicatio fideles remouet à sacramentis, officiisque diuinis,suffragiis Ecclesiæ,& communione aliorum fidelium,cùm tamen Interdictum à Sacramentis, officiisque diuinis tantùm remoueat. Et præterea excommunicatio illis omnibus priuat quatenus sunt quædam cum aliis fidelibus communicatio; at Interdictum ea prohibet secundùm se, & quatenus sunt quædam bona à fidelibus habenda. Vti latiùs tradunt Suarez, Sayr. Coninch. Vgolin. & alij *loc. alleg.* 2

Interdictum aliud est locale,aliud personale, quæ diuisio sumitur ex *c.præsenti.Cap.si sententia. Cap.si ciuitas de sentent. excommunic.l.6.* Locale interdictum directè, & immediatè afficit locum; & indirectè & mediate personas,quia in eo loco interdicuntur diuina celebrari ob alicuius culpam. Neque est inconueniens rem inanimatam capacem esse huius inhabilitatis sicut & violationis. Personale immediatè, & directè afficit personam cui interdicta est diuinorum participatio. Alij adddunt mixtum quod ex locali, & personali coalescit, quódque deambulatorium nuncupatur, eo quòd afficit non solùm personam, sed quemcunque locum, quo illa persona fuerit ingressa, vt habetur, *cap.non est vobis, de sponsalib.cap. dilectis filijs de appellat.* Sic tradunt ex communi sententia Nauarr. *cap.27.n.166.* Henriq. *lib.13. cap.41. n.2.* Sayr. *lib.5. cap.1.n.10.* Coninch. *disp.17.dub.1.conclus.2.* Auila *5.p.disp.1. dub.1.* Bonac. *tom.1.disp.5.pun.1.n.2.* Laym. Suar. Hurtado, & alij *loc.alleg.* 3

Interdictum verò tam locale quàm personale diuiditur in Interdictum generale, & speciale. Generale locale est, quod plura loca sub se continet; speciale quod specialem locum spectat. Explico exemplis, Interdictum locale generale est, quod fertur in regnum, prouinciam, diœcesim, vel ciuitatem, quinimo quod fertur in parochiam, seu castrum, 4

quia illa parochia plures sub se Ecclesias continere potest, vt colligitur ex *cap. cum in partibus de verbor. significat.* Et pluribus relatis docet Suar. *t. 5. de censur. disp. 32. sect. 2. num. 7.* Henriq. *lib. 13. cap. 41. num. 3.* Coninch. *disputat. 17. dub. 1. n. 3.* Bonac. *t. 1. de censur. d. 5. pun. 1. n. 5. & 6.* Layman. *lib. 1. sum. tract. 5. par. 4. c. 1. n. 2.* Speciale Interdictum locale est, quod in locum determinatum fertur. Vti si vna, vel plures Ecclesiæ alicuius ciuitatis supponantur Interdicto, siquidem ex vi illius non interdicuntur officia diuina in oratoriis priuatis celebrari, neque ex vi illius censetur interdictum regnum, prouincia, diœcesis, ciuitas, villa, vel castrum. Quod ad Interdictum generale locale requisitum erat. Arg. *d. cap. cum in partibus de verb. significat.* & Extrauag. *prouide de sentent. excommunicat.* Et tradit Nauarr. *cap. 27. num. 166.* Sayrus *lib. 5. cap. 1. num. 13. & 14.* Henriq. *lib. 13. cap. 41. numero 3.* Bonac. *d. p. 1. num. 7.* Paul. Layman. *cap. 1. num. 2.* Coninch. *disp. 17. num. 2.* & alij.

Interdictum verò personale generale est, quod fertur in aliquod corpus politicum, quod propriis legibus gubernari potest. V. g. si incolæ huius prouinciæ, ciuitatis, parochiæ, collegij, seu alterius communitatis interdicantur. Speciale verò est quod in personas particulares fertur, vt in Petrum, Franciscum &c. Neque opus est vt hæ personæ proprijs nominibus designentur. Satis namque est si sub aliqua ratione communi exprimantur, vt si in personas tale delictum committentes feratur; sufficienter exprimuntur singulares personæ, esto ignotæ sint. Interdictum latum in familiam plures censent esse speciale, eo quòd familia non constituat communitatem propriis legibus gubernandam. Sic Paludan. *4. dist. 18. q. 8. art. 1. principali. §. quantum ad primum conclus.* . Sayrus *lib. 5. cap. 4. n. 10.* Henriq. *lib. 13. cap. 42. numero 3.* Auila *5. p. disp. 1. dub. 4. conclus. 8.* Bonac. *disp. 5. p. 1. numero 16.* Gaspar Hurtado *difficult. 2.* Sed rectius oppositum docuit Coninch. *disp. 17. dub. 1. num. 11.* quia illud Interdictum videtur ferri non in personas quatenus aliqua qualitate sibi propria afficiuntur, sed quatenus afficiuntur qualitate communi, scilicet quatenus sunt ex tali familia; & vnum corpus politicum componunt.

5 Porrò interdictum personale aliud est totale, aliud partiale, cuius diuisionis meminerunt ferè omnes Doctores, vt videre est in Sayro *lib. 5. thesauri, cap. 4. in fine.* Paul. Layman. *lib. 1. sum. tract. 5. par. 4. cap. 1. circa finem.* Totale est quod omnes effectus Interdicti personalis comprehendit. Partiale verò quòd aliquibus, vel vno tantùm priuat, vt si interdicaris à celebratione, à receptione Sacramentorum, ab ingressu Ecclesiæ, &c.

Punctum II.

Quæ loca, & quæ personæ sub interdicto locali, & personali comprehenduntur?

§. I.

De interdicto locali.

1 *Sub interdicto locali generali comprehenduntur suburbia, & ædifixia continentia.*
2 *Quid per suburbia intelligatur?*
3 *Cathedralis Ecclesia sub Interdicto ciuitatis, vel diœcesis comprehenditur.*
4 *Interdicta diœcesi, ciuitas censetur interdicta.*
5 *Interdicta aliqua Ecclesia, illius capella, & cœmeterium contiguum interdictum censetur.*
6 *Quæ veniant intelligenda, cùm terræ alicuius domini Interdicto generali locali supponuntur?*
7 *Hoc Interdictum locale omnes tam seculares quàm regulares, tam incolæ, quàm exteri obseruare tenentur.*
8 *Interdictum locale semper secum fert personale Interdictum.*

1 Sub Interdicto locali generali ciuitatis comprehenditur non tantùm locus directè interdictus, sed illius suburbia, & ædificia continentia, vt habetur expressè *cap. si ciuitas de sentent. excommunicat. in 6.* Etenim si ad hæc loca prædictum Interdictum non extenderetur, nullius ferè considerationis esset Interdictum appositum, cùm facilè possent interdicti ad hæc loca confugere, vt diuina celebrare possent. Quod adeò verum est, vt etiamsi suburbia alterius sint dominij, & potestatis, vti solent esse Ecclesiæ Regularium, & Equitum Sancti Ioannis, & similium ad omnia illa Interdictum locale generale extendatur, vt definitum est à Conc. Trident. *sess. 25. cap. 12. & c. 21. de regularib.* Et colligitur ex *dicto cap. si ciuitas,* & tradunt omnes. Nam esto Iudex apponens Interdictum generale, in ea loca exempta iurisdictionem non habeat, ne eius sententia eludatur à iure facta est comparatione illorum locorum extensio.

Notanter dixi *generale ciuitatis*, nam si Interdictum sit regni vel prouinciæ, probabile est ad suburbia, & continentia non extendi, quia ex eo quòd aliqui illius prouinciæ accedere possint ad suburbia pro diuinis audiendis; non tamen omnes illius regni incolæ id eò que non redditur Interdictum frustratorium, vt benè aduertit Sayr. *lib. 5. thes. cap. 3. num. 5.*

2 Per suburbia intelliguntur ædificia extra muros ciuitati interdictæ contigua, vel propè illam existentia, quæ Hispanè *arrabales* dicuntur, ad quæ incolæ ciuitatis commodè pro diuinis audiendis, & celebrandis se conferre possunt. Per ædificia continentia intelliguntur, quæ esto sint extra ciuitatem à muris separata, & non contigua ipsis, at illi sunt propinqua, sed quantam propinquitatem habere debeant, vt censeantur ædificia continentia? Vnica regula definiri non potest. Nam aliqui è quorum numero est Sylues. *verbo Interdictum 2. §. 4.* affirmant ædificia quæ à ciuitate interdicta spatium milliarij excedunt non censeri ædificia continentia quod sanè probabile est, vt inquit Sayrus, *lib. 5. cap. 3. num. 3.* Sed rectius Suar. *disp. 32. sect. 2. num. 23.* Auila, *5. p. disp. 1. dub. 3.* Coninch. *disp. 17. dub. 1. numero 18.* Filliuc. *tract. 18. cap. 1. num. 8. & 9.* Bonac. *t. 1. de censur. disp. 5. p. 1. num. 15.* Layman. *lib. 1. sum. tract. 5. par. 4. cap. 1. num. 2.* Gaspar Hurtado *tract. de interdicto difficult. 5.* censent arbitrio Iudicis hoc esse definiendum ex regula tradita in *d. cap. si ciuitas.* Etenim loca illa, ad quæ populus absque graui difficultate confugere potest ad audienda diuina, sub interdicto ciuitatis comprehendi debent, alias interdictum ciuitati appositum parui fieret, & eluderetur.

3 Sed an interdicta ciuitate, vel diœcesi Ecclesia cathedralis censeatur interdicta? Doctores dissentiunt. Negant Conarm. *cap. alma mater. 2. part. §. 1. num. 4.* cum Staphileo *de literis gratia fol. 1169.* Henriq. aliis relatis, *lib. 13. cap. 42. numero 2.* Ducuntur argum. Textus in *cap. quamuis de prabend. in 6.* vbi nomine Ecclesiarum non comprehenditur Cathedralis in casu odioso, qualis erat in eo textu relatus. Sed omnino tenendum est sub Interdicto ciuitatis, vel diœcesis Cathedralem comprehendi, aliàs eneraretur vis Interdicti generalis contra Textum *in d. cap. si ciuitas*, vt benè notauit Sayrus *lib. 5. thesauri, cap. 3. num. 10.* Suar. *de cens. disp. 32 sect. 2. n 22.* Bonac. *t. 1. de censur. disp. 5. pun. 1. num. 7.* & alij apud ipsos Neque obest Textus *in cap. quamuis*, quia non dixit sub nomine ciuitatis, vel diœcesis non comprehendi Ecclesiam Cathedralem, sed sub nomine Ecclesiarum ciuitatis, vel diœcesis. Quocirca si Interdictum esset omnium Ecclesiarum illius ciuitatis, vel diœcesis, probabile est Cathedralem non comprehendi, ex prædicto Textu: & docuit Henriq. *lib. 13. cap. 42. num. 3.* Sayrus *d. lib. 5. cap. 3. num. 10.* Et inclinat Bonac. *suprà*, quia Ecclesia Cathedralis ob eius dignitatem censetur speciali nota digna, nec venire sub dictione vniuersali omnium Ecclesiarum, sicuti non veniunt Canonici Ecclesiæ Cathedralis sub Interdicto generali Clericorum. Sed contrarium fortè alicui probabilius videbitur, eo quòd exceptio facta Ecclesiæ Cathedralis in *cap. quamuis* vltra illum casum non videatur extendi, vt colligitur ex illis verbis: *Propter illius honorem nolumus hoc casu includi: & cùm esset gratia facta alicui, vt posset in aliqua Ecclesiarum illius diœcesis prouideri.* Notanda igitur sunt illa verba *hoc casu* quæ denotant in aliis casibus sub nomine Ecclesiarum Cathedralem comprehendi.

4 Grauior difficultas est, an interdictâ diœcesi, censeatur ciuitas interdicta? Negat Bonac. *t. 1. de censur. disp. 5. p. 1. numero 11.* eo quòd diœcesis accipi debet secundùm suam propriam speciem, secundùm quàm à ciuitate differt. Sed verius censeo ciuitatem, & omnia loca diœcesis comprehendi, quia diœcesis ex ciuitatibus, villis, & pagis coalescit. Ergo interdictâ diœcesi censentur interdictæ omnes illius partes, sicuti interdicta ciuitate censentur interdictæ omnes Ecclesiæ in illa ciuitate contentæ.

5 Porrò interdicta aliqua Ecclesia illius capella, & cœmeterium contiguum, censentur interdicta; quia illi accedunt, & illius partes esse censentur, vti definitur in *dicto cap. si ciuitas de sentent. excommunicat. lib. 6.* secùs dicendum esset de alia Ecclesia etiam interdictæ contigua, dummodò illi accessoria non sit, sicuti est capella, vel cœmeterium, vti ex communi tradunt Sayrus *lib. 5. cap. 2. num. 15.* Suar. *disp. 32. sect. 1. num. 25 & 27.* Auila *5. p. de censur. disput. 1. dub. 3. conclus. 4.* Coninch. *disp. 17. dub. 1. num. 17.* Bonac. *t. 1. disp. 5. p. 1. num. 26.* & alij ab eisdem relati. Quòd si duo sint cœmeteria alicuius Ecclesiæ medio quodam pariete diuisa, affirmat Tabiena *interdictum 1. §. 8.* & probabile reputat Sayrus *dicto cap. 1. in fine.* cœmeterium illud pariete intermedio diuisum, Interdicto Ecclesiæ non subijci, quia non videtur illius pars, nec accessorium; cùm sit pariete intermedio ab Ecclesia seiunctum. Quod certissimum esset, si cœmeterium disiunctum ad alteram Ecclesiam non interdictam pertineret. Econtra interdicto cœmeterio, vel capella per speciale interdictum, nullatenus Ecclesia interdicta censetur, vt à contrario sensu manifestè colligitur.

colligitur ex *d.cap.si ciuitas*, & notant Doctores *superius* relati.

6 Quæ veniant intelligenda, cùm terræ alicuius domini Interdicto generali locali supponuntur; Non est constans Doctorum sententia. Nam esto omnes conueniant comprehendi illas terras, in quas dominus absolutum, & plenum dominium habet; at dissentiunt, an comprehendantur eæ in quas diuisum, seu partiale dominium retinet, vel est vsufructuarius, vel feudatarius, vel depositarius &c.

Qua in re tenendum est Interdicto non subiici terram quæ pro indiuiso alterius est innocentis, ne absque culpa innocens puniatur. Argum. *c.sin.q.4.* Et tradit S. Anton. *3.p.tit.27. de interdicto c.3.* Sylvest. *verbo interdictum.2.vers. secundum.* Sayrus aliis relatis *lib.5. thesaur.cap.3. num.23.* Quod si terra illa diuisim sit nocentis, & innocentis, ita vt pars illius nocenti competat, & pars distincta innocenti, existimat Sayrus *dicto cap.3. num.23.* eam partem quæ ad dominum nocentem pertinet, Interdicto subiici, non autem illam quæ innocenti competit. Quod certè verum est, si de Interdicto directo, & immediato loquamur; at si de Interdicto accessorio, & quasi per consequentiam sermo sit, verius credo partem illam innocenti competentem Interdicto subiici, ne Interdictum generale latum in terram domini nocentis eludatur, contra Textum in *cap. si ciuitas, de sentent. excommunic.in 6.* Eluderetur autem, si populus habitans in terra directè interdicta, posset ad diuina audienda, & celebranda ad partem terræ contiguam accedere. Neque satisfacit solutio Sayri *dicto cap.3. num.23.* Interdictum illud non esse quoad dominum terræ frustratorium, siquidem in eius terris diuina prohibentur, tametsi quoad populum frustratorium sit, quia Textus *in d.cap.si ciuitas*, extendens Interdictum generale ad suburbia, & continentia, non attendit an comparatione illius, ob cuius causam Interdictum apponitur vim & efficaciam retineat, quia id semper verificaretur, tametsi in suburbiis, & ædificiis continentibus diuina peragi possent, sed attendit ne populus facilè posset Interdicti vim eneruare, seu eludere.

Quod si de terris ad dominum pleno iure pertinentibus loquamur, si Interdictum feratur sub hac forma: Interdicimus omnes terras illius domini in quas ipse dominium habet, omnes terræ sub illius dominio existentes interdicuntur, quia nulla est ratio ob quam vna potius quàm alia sit interdicta, & dictio *omnes* nullam excludit. At ex prædicta forma Interdicto non subiiciuntur terræ, in quas solùm dominus iurisdictionem habet, & administrationem, vel vsumfructum, quia harum propriè dominium non habet. Neque item credo subiici terras in quas solùm dominium directum dominus habet. Vti sunt datæ in pignus, vel hypothecam, vel feudum, quia illud Interdictum in damnum potius feudatarij, & hypothecarij cederet, vt benè aduertit Coninch. statim referendus. Verùm si interdictum feratur sub hac forma: Interdicimus omnes terras, quas dominus habet, vel possidet, etsi probabile sit, solùm comprehendi eas quæ pleno iure à domino possidentur, at verius videtur comprehendi eas quarum habet vsumfructum, vt sunt terræ in feudum, vel pignus acceptæ, quia verè ab ipso habentur, & possidentur. Argum. *cap.1. de postulat. Prælator.* Et docuit pluribus relatis Sayrus *lib.5.thesauri,cap.3 à num 17.* Henriq. *lib.13.cap.42.n.2.* Auila *5.p.disp.1.dub.3.* Coninch. *disp.17.dub.1. num.21.*

Ad terras autem de nouo post Interdictum latum ab illo domino acquisitas, nequaquam Interdictum extenditur, nisi in sententia Interdicti id expressum fuerit. Quia sententia ex se non respicit futura. Argum. *cap. quia nonnullis.* Et *ibi* Glossa *verbo ad futura de Rescrip.* Si enim gratia ad futura non extenditur, *Clement. litteras de Rescriptis*, à fortiori nec pœnæ extendendæ sunt. Vt benè colligitur ex *leg.non potest. ff.de Iudiciis.* & *leg. damnum. ff. de damno infecto.* Atque ita docent Geminian. *cap. si sententia. §. cæterum num.6.* Et *ibi* Ancharran. *vers. sexto.* Francus, *vers. sexto. tangit. de sentent. excomm.lib.6.* Paludan. *in 4.d.18.q.3.art.1.principali §. quantum ad primum. concl.5.* Sylu. *verbo interdictum.2.vers. secundum.* Sayrus aliis relatis *lib.5.cap.3.num.25.* Bonac. *t.1. de cens.disp.5.p.1.n.27.*

At si terras Interdicto suppositas dominus vendat, aut alio modo alienet, censet Coninch. *disp.17.dub.1.à num.22.* Gaspar Hurtado *tract.de interdicto, difficult.5. in fine.* cessare Interdictum, si ob culpam solius domini, & non incolatum fuerint interdictæ, quia integra ratio finalis ob quam illæ terræ sunt interdictæ, est, quia sunt domini delinquentis, vt eo interdicto appositio puniatur, & corrigatur; quæ ratio omnino cessat alienatione facta.

Sed rectius contrarium docuerunt Doctores communiter. Geminian. Ancharran. Francus, Sylvest. Paludan. Sayr. Bonac. *loc.alleg.* Suar. *disp.32. sect.2.num.30.* Vgolin. *tab.5.cap.12.num.3.* Quia esto ratio finalis, ob quam illa terra Interdicto fuerit supposita, cesset, non tamen inde probatur cessare Interdictum ipso iure, sed auferendum esse, quia illud Interdictum non fuit latum sub conditione restrictiua, quousque terra illa domini delinquentis esset, sed absolutè latum est, ac proinde ad quemcunque transit, secum defert onus interdicti ei annexum.

Deinde interdicta terra alicuius domini, interdicta censentur non solùm templa, & Ecclesiæ oratoria ibidem existentia tempore Interdicti, sed quæ postmodum fuerint erecti, non quia sententia Interdicti futura respiciat, sed quia respicit solùm, cui Ecclesia denuò constructa inhæret. Sicuti aduertit Vgolin. *tab.5.de censur.cap.21.§.6.* Sayrus *lib.5. cap.3.num.13.* Coninch. *disp.17.dub.1.num.16.*

Idem existimo, si Ecclesiæ interdictæ pars aliqua adderetur, eo ipso illa pars debet censeri interdicta. Tum quia cum aliis partibus præexistentibus eandem Ecclesiam constituit: tum quia saltem Ecclesiæ interdictæ accessoria est, & accessorium naturam sequitur principalis, vt benè notauit Sayrus *lib.5. thesauri, cap.3.num.22.* Alter. *de interdicto disp.10. cap.6.colum.4.&* 5. Bonac. *tom.1.de censur.disp.5.p.1. n.19.* Secùs censerem si Ecclesia interdicta funditùs periret, & in eo loco alia de nouo reædificaretur, quia denuò ædificata neque est Ecclesia quæ Interdicto fuit supposita, neque illius pars.

Hoc Interdictum locale omnes tam sæculares, quàm regulares, tam incolæ, quàm exteri, tam exempti, quàm non exempti obseruare tenentur, quia hæc non tam est prohibitio personis facta, quàm inhabilitas, & priuatio diuinorum loco impositæ. Argum. *capitis licet. vers. ad eatamen.* Et *capite. authoritate de Priuileg.lib.6.* Et pluribus exornat Sayrus *lib.5. thesauri, cap.3.à num.28.* Quod adeò verum est, vt etiam ipse qui Interdictum locale apposuit, eo durante teneatur illud obseruare, quia ea obligatio nascitur ex iure communi, cui ipse derogare nequit. Sicuti tradit Sylvest. *verb. interdictum 2. vers.vigesimo.* Nauarr. *cap.27.num.161.* Vgolin. *tab.5.de censur. cap.6.§.1.* Sayrus *lib.5.thesauri, cap.3.num.28.* Auila *5.p.disp.1. dub.5.conclus.2.* Coninch. *disp.17.n.25.* Bonac. *t.1.disp.5.punct. 1.in fine.* 7

Ad exeremum: communiter monent Doctores Interdictum locale semper secum ferre personale Interdictum, illorum inquam, qui causam Interdicto locali dederunt; nam hi specialiter sunt interdicti, ita vt neque in illo loco interdicto, nec alibi diuina participare possint, vti colligitur ex *cap. sicut de sentent.excommunic.in 6.* Ad alias autem personas Interdictum locale generale, vel speciale nullatenus extenditur, sed extra locum interdictum possunt diuinis interesse, quia interdictum locale, & personale distincta sunt, & locale solùm afficit locum, & personas in ordine ad locum interdictum. Sicuti ex communi notarunt Nauarr. *cap.27.n.167.* Sotus *in 4.d.22.q.3.art.1. concl.1.* Couarruu. *cap.alma 2.p.§.1. n.6.* Henriq. *lib.13.cap.42. §.4.* Sayr. *lib.5. cap.2. n.4.& seqq.* Suar. *disp.32. sect.2.num.32.&* 33. Bonac. *t.1.de censur.disp.5. pun.1.n.2.* Coninch. *disp.17 dub.1.n.5.* Et deciditur *cap. si sententia de sentent.excommun.lib.6.* 8

§. II.

De Interdicto personali.

1 *Interdicto populo, collegio, omnia illius populi, & collegij membra censentur interdicta.*
2 *Extenditur doctrina ad habitantes in suburbiis, & locis continentibus.*
3 *Ab hoc Interdicto personali generali eximuntur Episcopi.*
4 *Deinde infantes nondum doli capaces, & amentes.*
5 *Item à populo recedentes alibi domicilium suscepturi.*
6 *Item secundum probabilem sententiam, exteri.*
7 *Qui duplex domicilium habent interdicti censentur, cùm in loco interdicto habitant. Secus in loco non interdicto.*
8 *Interdicto populo Clerus non censetur interdictus, neque contra.*
9 *Interdicto Clero, R eligiosi non veniunt.*
10 *Interdictis Doctoribus alicuius Vniuersitatis, tam laici quàm Clerici interdicuntur.*
11 *Interdicto populo loca illius populi non sunt interdicta, etsi alij contrarium censeant.*
12 *Qui censeantur affici interdicto personali speciali?*

INterdicto populo, collegio, Vniuersitate, omnes qui illius populi, collegij, & vniuersitatis sunt membra censentur interdicti, vti decidit tur *capite si sententia.de sent.excomm. lib.6.* Quod intelligendum est etiamsi absentes sint, quando Interdictum apponitur, quia absentia non impedit eos esse membra communitatis interdictæ, vt notauit Ioannes Andreas *in dicto cap. si sententia* Sylvest. *verb. interdictum 2. §.2.* Henriq. *lib.12. capitulo 42. numero 2.* Sayrus *libro 5. capitulo 4. num 13.* Bonac. *tom.1.disp.5.pun.1.n.19* Quinimo etiamsi fuerint innocentes, non excusantur ab Interdicto, 1

quia non interdicuntur quatenus innocentes sunt, sed quatenus sunt partes communitatis nocentis. Neque est vllum inconueniens hoc Interdicto innocentes ligari, quia ex hoc ligamine non priuantur bono aliquo obtento, sed impediuntur ab eo obtinendo, quatenus Ecclesia non vult sua bona illis communicare in punitionem illius qui delictum commisit. Sicuti colligitur ex *dicto cap. si sententia.* Et tradit *ibi* Ioann. Andr. Sylvest. Henriq. *loc. alleg.* Sayrus *n.* 12. optimè Coninch. *disp.* 17. *dub.* 1. *n.* 6. & 7. Gaspar Hurtado *tract. de interdicto difficult.* 4. Adde prædicto Interdicto communitatis subiici qui post latum Interdictum partes illius fiunt, quia verè ad communitatem interdictam pertinent. Vti docuit Glossa *in dicto cap. si sententia verbo non competant.* Panormit. *in cap. quoniam de officio ordinar. in princ.* Et *c. cum in partibus, de verbor. signific. in princ.* Sylu. *verb. interdictum* 2. *num.* 6. Henriq. *lib.* 13. *cap.* 42. *num.* 2. Suar. *disp.* 36. *sect.* 2. *num.* 9. & 10. Auila 5. *p. disp.* 1. *dub.* 4. Sayrus *lib.* 5. *cap.* 4. *n.* 8. Communitas autem sæpè coalescit ex laicis, Clericis, & religiosis, quo casu omnes interdicta Vniuersitate comprehenduntur, quia illius sunt partes, & notant relati Doctores, specialiter Coninch. *disp.* 17. *dub.* 1. *n.* 10. & 11.

2 Extenditur hæc Doctrina ad conciues habitantes in suburbiis, & locis continentibus, quia reputantur conciues illius populi interdicti, sicuti dictum est de Interdicto locali. Quod intelligendum est, cùm æquè ac alij de populo honores, & onera populi interdicti subeunt, quia eo ipso censentur esse de populo illo. Secùs verò si sint sui iuris, suáque onera, & honores distinctos habeant. Sicuti tradit Sylvest. *verbo interdictum* 2. *numero.* 15. Tabiena 1. *numero.* 9. Vgolin. *tab.* 5. *cap.* 20. §. 2. Sayrus *lib.* 5. *thesauri, cap.* 4. *numero.* 23. Auila 5. *p. de censur. disp.* 1. *dub.* 4. *conclus.* 3. Bonac. *t.* 1. *disp.* 5. *pun.* 1. *n.* 18. Secundò extenditur ad Magnates, Marchiones, Duces, nisi consuetudine, vel priuilegio eximantur ab hac obligatione, à qua nō censentur exempti ex eo quòd eximantur ab honoribus, & oneribus temporalibus, cùm ea exemptio conuincat eos esse de populo, vt rectè aduertit Sayrus *lib.* 5. *cap.* 4. *num.* 14. Si verò sic sui iuris existerent, vt nihil de honoribus, vel oneribus populi participarent, neque à populo penderent, huic Interdicto non essent subiecti, quia non censentur esse de populo, vt notat Sylvest. *verb. interdictum* 2. *n.* 14. Henriq. *lib.* 13. *c.* 42. *n.* 2. Vgolin. *tab.* 5. *c.* 20. §. 2. Sayrus *d. cap.* 4. *n.* 14.

3 Ab hoc Interdicto personali generali excipiuntur primò Episcopi, nisi de ipsis fiat expressa mentio, ex textu *in cap. quia periculosum de sentent. excommunic. in* 6. & tradunt omnes.

4 Secundò excipiuntur infantes nondum doli capaces, & amentes, quia ob defectum vsus rationis capaces non sunt prohibitionis per censuram Interdicti appositæ, benè tamen prohibentur tradi Ecclesiasticæ sepulturæ, quia hæc non tam ipsos, quàm Clericos sepulturos afficit, vti tradit Sylvest. *verb. interdictum* 2. *n.* 18. Couarruu. *cap. alma* 2. *p.* §. 4. *n.* 5. Henriq. *lib.* 13. *cap.* 42. *num.* 3. Valent. *t.* 4. *disp* 7. *q.* 18. *p.* 2 Sayrus aliis relatis, *lib.* 5. *cap.* 4. *n.* 21. Auila 5. *p. disp.* 1. *dub.* 4. *concl.* 5. Bonac. *t.* 1. *disp.* 5. *pun.* 1. *n.* 22. Gaspar Hurtado *tract. de interd. diffic.* 4. *num.* 9.

5 Tertiò excipiuntur qui à populo recedunt alibi domicilium susceputi, nam eo ipso desinunt esse illius populi ob cuius rationem Interdicto subiiciebantur, vt benè aduertit Sayrus *lib.* 5. *cap.* 4. *num.* 5. & 6. Suar. *disp.* 32. *sect.* 2. *num.* 34. Auila 3. *p. disp.* 1. *dub.* 2. *concl.* 1. & alij communiter.

6 Quartò secundùm probabilem satis sententiam, exteri etsi diu in populo habitent, vti scholastici, & mercatores ab Interdicto populi eximuntur, quia esto plerunque legibus populi astringantur, non tamen illis quæ singulares personas quatenus sunt partes illius populi afficiunt, vti est hæc lex Interdicti, quia exteri ad populum non pertinent, neque partes illius sunt. Sicuti tradit Nauarr. *cap.* 27. *n.* 167. Henriq. *lib.* 13. *cap.* 42. *num.* 3. Sayrus *lib.* 5. *cap.* 4. *num.* 19. Auila 5. *p. disp.* 1. *dub.* 4. *conclus.* 10. Coninch. *disp.* 17. *dub.* 1. *num.* 12. Vgol. *tab.* 5. *cap.* 20. §. 3. *num.* 2. Bonac. *t.* 1. *de censur. disp.* 5. *pun.* 2. *num.* 20. & alij.

7 Quintò variant Doctores, an duplex domicilium habentes, aliud in loco Interdicto, aliud in loco non interdicto, sint interdicti? Nam Calderin. *tract. de interdicto, memb.* 2. *num.* 39. Angel. *verb. interdictum* 1. *n.* 4. Tabiena *eodem* §. 10. Rosella *num.* 8. affirmant interdictos esse, quia verè sunt de populo interdicto, & illius honoribus fruuntur, debent ergo onera illius subire. Econtrà verò Sylvest. *verbo interdictum, num.* 13. Henriq. *lib.* 13. *cap.* 42. *numero* 2. & probabile reputat Sayrus *lib.* 5. *cap.* 4 *numero* 18. negant interdictos esse, quia cùm æquè partes sint populi interdicti, & non interdicti, nulla est ratio ob quam populi interdicti onus subire debeant, potiùs quàm libertate frui populi non interdicti. Sed inter has duas extremas sententias media via tenenda est, scilicet supradictos subiici Interdicto, cùm in loco interdicto habitant, secùs si in loco non interdicto quia æquum est vt durante habitatione aliis de populo cuius ipsi sunt partes, conformentur. Vti docet Suar. *disp.* 32. *sect.* 2. *num.* 16. Filliuc. *tract.* 18. *cap.* 1. *q.* 5. *num.* 14. Bonac. *tom.* 1. *disp.* 5. *de censur. punct.* 1. *num.* 20.

Sextò interdicto populo, Clerus non censetur interdictus, neque econtrà interdicto Clero populus, quia nomine populi sæculares tantùm veniunt intelligendi, & nomine Cleri solùm Ecclesiastici, non laici. Colligitur ex *cap. si sententia de sentent. excommunicat. in* 6. Et tradit aliis relatis Sayrus *lib.* 5. *cap.* 4. *num.* 25. Suar. *disput.* 32. *sect.* 2. *num.* 14. & 15. Auila *disp.* 1. *dub.* 4. *conclus.* 6. Coninc. *disp.* 17. *dub.* 1. *num.* 3. Bonac. *disput.* 5. *punct.* 1. *num.* 15. Sub Interdicto Cleri omnes illi Clerici qui priuilegio canonis, & fori gaudent, intelliguntur, non autem illi quibus solùm priuilegium canonis competit, quia hi sæculares reputantur, & iurisdictioni sæculari subiiciuntur. Vti notat Sayrus *lib.* 5. *cap.* 4. *num.* 27. Coninch. *disp.* 17. *dub.* 1. *num.* 10. Gasp. Hurtado *tract. de interd. diffic.* 4. *circa finem.*

Sed an interdicto Clero Religiosi comprehendantur, cum Interdictum fertur à summo Pontifice, seu ab eo qui in sæculares, & regulares iurisdictionem, habet? dissentiunt Doctores. Nam Geminian. *in c. si sententia, de sentent. excommunicat. in* 6. Couarruu. *c. alma.* 2. *p.* §. 1. *n.* 8. Nauarr. *c.* 27. *n.* 167. Suar. *disp.* 32. *sect.* 2. *n.* 13. Philiarc. *de officio Sacerdotis, par.* 1. *lib.* 4. *cap.* 3. Viuald. *de interdicto. num.* 159. Thomas Zerola *prax. Episcop.* 2. *p. verbo interdictum in fine.* Sebastian. Medices. 2. *p. sum. tit.* 9. *q.* 5. Tolet. *lib.* 1. *sum. cap.* 18. & aliis, censent comprehendi quia communitas diuiditur in populum, & clerum. Argum. *c. si sententia de sentent. excommunicat.* At Religiosi etiam laici siue mares siue fœminæ non sunt de populo, vt dictum est, ergo sunt de Clero. Ergo interdicto Clero censendi sunt interdicti. Sed rectiùs docuerunt contrarium Sylvest. *verb. interdictum,* 2. *num.* 19. Angel. *eodem* 2. *num.* 9. Tabiena *num.* 9. *addatio.* Maiol. *lib.* 3 *de irregul. cap.* 20. *num.* 6. Henriq. *lib.* 13. *cap.* 42. *num.* 3. Vgolin. *tab.* 5. §. 5. *num.* 3. Sayrus *lib.* 5. *cap.* 4. *num.* 29. Auila 5. *p. disput.* 1. *dub.* 4. *conclus.* 7. Coninch. *disput.* 17. *dub.* 1. *numero* 8. Filliuc. *tract.* 18. *cap.* 1. *numero* 14. Bonac. *disput.* 5. *p.* 1. *num.* 14. Paul. Layman. *tract.* 5. *par.* 4. *cap.* 1. *numero* 3 & *cap.* 4. *num.* 3. Gaspar Hurtado *tract. de interdicto, difficult.* 4. *in fine,* quia esto sub nomine Cleri in fauorabiliori Religiosi intelligantur non tamen pœnalibus, & odiosis vtpotè qui diuersis legibus, & constitutionibus reguntur. Si enim interdictis Religiosis non censentur Clerici sæculares interdicti, neque etiam interdicto Clero, Religiosi censendi sunt. Benè tamen intelliguntur Religiosi sub Interdicto Cleri qui beneficium sæculare possident, quia vnum cum clericis sæcularibus corpus constituunt. Vti aduertunt Sayrus, Coninch. Hurtado *locis alleg.* Verùm si Interdictum latum esset non sub nomine Cleri, sed sub nomine personarum Ecclesiasticarum, censerem Religiosos tam clericos quàm laicos comprehendi, quia verè sunt personæ Ecclesiasticæ ad Ecclesiam, illi usque iurisdictionem directè pertinentes, vti aduertit Sayrus *dicto cap.* 4. *num.* 29. Ad fundamentum oppositum, respondeo, Pontificem noluisse definire omnia membra communitatis, sed declarare sub populi nomine, Clericos non comprehendi.

Septimò: interdictis Doctoribus alicuius Vniuersitatis, negant Angel. *verbo interdictum* 1. *num.* 9. Rosella *num.* 15. Sylvest. 2. *num.* 18. Vgolin. *tab.* 5. §. 5. *num.* 3. Sayrus *lib.* 5. *Thesauri, cap.* 4. *num* 30. Doctores Clericos comprehendi, sed solùm laicos, eo quòd solùm laicis comperere videatur communitatem, seu Vniuersitatem constituere. Sed tam Doctores laicos, quàm Clericos comprehendi docuerunt Tabiena *verb. interdictum* 1. *num.* 9. Armilla *num.* 11. Viuald. *num.* 169. Simon Maiol. *de irregularit. lib.* 3. *cap.* 20. *num.* 1. Henriquez *lib.* 13. *cap.* 42. *num.* 1. Auila 5. *p. disp.* 1. *dub.* 4. *conclus.* 9. Bonac. *disp.* 5. *pun.* 1. *n.* 17. quia nomen Doctoris æquè Clericis, ac laicis commune est, & ex omnibus illis communitas, & vniuersitas coalescit, vt experientia comprobatur.

Octauò interdicto populo, loca illius populi esse interdicta docuerunt Couarruu. *cap. alma.* 2. *p.* §. 1. *num.* 7. Henriq. *lib.* 13. *cap.* 42. *circa finem,* ne Interdictum populi frustraneum esset, si clerici possent apertis ianuis, & campanis pulsatis in Ecclesiis illius populi diuina peragere. Sed meritò negant loca illius populi esse interdicta Nauarr. *cap.* 27. *num.* 167. Sayr. *lib.* 5. *cap.* 4. *num.* 16. Coninch. *disput.* 17. *num.* 20. Auila 5. *p. disputat.* 1. *dub.* 2. Gaspar Hurtado *tract. de interd. difficult.* 3. quia Interdictum personale à locali distinguitur, neque vnum aliud infert. Neque est inconueniens interdicto populo, posse clericos diuina in Ecclesiis illius populi peragere, cùm Ecclesiæ non sint interdictæ. Neque inde fit Interdictum populi eludi, cùm populus abstinere debeat ab illis officiis diuinis audiendis. Quod si populus interdictus illis assistere velit, neque expelli possit, cessare debent clerici ab illorum celebratione non ex lege Interdicti, sed ob vitandum scandalum, & cooperationem ad peccatum.

Denique si de Interdicto personali speciali loquamur, illi censentur specialiter interdicti, qui in propria persona interdicti fuerint. Deinde qui causam dederint locali Interdicto &

& à fortiori generali personali ex Textu in *cap. si sententia de sententia excommunicat. in 6.* Et tradit plures referens Sayrus *lib. 5. thesauri, cap. 4. à num. 11.* Nominatim verò interdicti censebuntur qui sic post incursionem interdicti declarati, & publicati fuerint nomine proprio, seu talibus circunstantiis, quæ personam demonstrent. Argum. *cap. licèt ex quadam.* Et *ibi* Glossa, *verbo demonstratione de Testibus, & attestationib.* Et *cap. tua nos, & ibi* Glossa, *verbo aquipollentibus de consang. & affinit.*

Punctum III.

De causis Interdicti.

QVatuor causæ concurrere possunt ad Interdictum constituendum. *Efficiens* est qui Interdictum profert? *materialis* qui Interdicto subiicitur; *formalis* est modus, & forma seruanda in illius prolatione: *finalis* est causa ob quam interdictum latum est.

§. I.

Explicatur Interdicti minister, illiusque subiectum.

1 *Interdictum ferens iurisdictionem in foro contentioso habere debet.*
2 *Episcopus absque consensu capituli, sententiam Interdicti ferre potest, consuetudine spectata.*
3 *Capitulum Sede vacante interdicere potest medio Vicario à se electo.*
4 *Prælati religiosorum spectata consuetudine Interdictum saltem locale ferre non possunt.*
5 *Prædicti si excommunicati, suspensi denunciati sint, nequeunt sententiam Interdicti validè ferre, secus si non sint denunciati.*
6 *Interdici possunt personaliter omnes etiam quatenus communitatem componunt.*
7 *Interdictum locale si directè feratur, semper locus interdictus subiectus esse debet interdicenti.*

1 REgula est ab omnibus Doctoribus recepta, ministrũ seu causam efficientem Interdicti esse qui iurisdictionem in foro contentioso habet, & regulariter qui sententiam excommunicationis, & suspensionis ferre potest, poterit interdicere. Vti sunt Pontifex. Legatus, Nuntius, delegatus, subdelegatus, Episcopus non consecratus, & Capitulum Sede vacante, & quicunque alij qui iurisdictionem quasi Episcopalem in subditos, & loca exercent, poterunt sibi subditos interdicto supponere. Argum. *cap. cum inter. de consuetud. Cap. cum ab Ecclesiarum de officio delegati.* Et tradunt communiter Doctores, vt videre est in Paludan. *in 4. d. 18. q. 8. in art. 4. princip.* Sylu. *verb. interdictum 3.* Nauarr. *c. 27. n. 264.* Henriq. *lib. 13. c. 51.* Sayr. *lib. 5. cap. 10. à n. 13.* Suar. *de censur. disp. 36. sect. 1. & seqq.*

2 De quadruplici Prælato est difficultas qualiter interdicere possint. Primò de Episcopo, & à fortiori de quolibet alio Prælato sub se capitulum habente, an absque illius consensu sententiam Interdicti ferre possit? Ratio dubitandi desumitur ex *cap. 1. de excessib. prælator.* vbi Pontifex prohibet, ne Clericos sine iudicio Capituli Episcopus suspendat, aut eorum Ecclesias Interdicto subiiciat: fauet *cap. nouit. Cap. quanto. de his quæ fiunt à Prælato sine consensu Capit.* Et *cap. cum in cunctis, de his quæ fiunt à maiori parte Capit.* Quos Textus variè explicant Doctores. Nam alij intelligunt de Interdicto in perpetuum, seu ad longum tempus ferendo. Alij de Interdicto pro clericorum correctione lato. Alij de Interdicto lato ex officio, & ad nullius instantiam, vt refert Sayrus *lib. 5. thesauri, cap. 10. à num. 19.* sed dicendum est spectato iuris rigore, neq; Episcopum, neque Prælatum alium Capitulum habentem interdicere clericos posse absque Capituli consensu, bene tamen laicos; at spectata consuetudine & laicos, & Clericos interdicere posse: sic tradit Calderin. *tract. de Interdicto memb. 3 num. 54.* Glossa *in dicto cap. 1. verbo capituli de excessib. prælator.* & *ibi* Panormit. Vgolin. *de cens. tab. 5. cap. 1. §. 1.* Sayr. *lib. 5. cap. 10 num. 20.* Suar. *disp. 36. sect. 1. n. 6.*

3 Secundò de capitulo & quidem vacante Sede conueniunt ferè omnes Doctores interdicere posse medio Vicario à se electo, iuxta Conc. Trident. *sess. 24. cap. 16. de reformat.* At Sede non vacante, nequaquam iure ordinario potest iuxta Textum in *cap. quæsiuit, de his quæ fiunt à maiore parte Capit.* Ex priuilegio Sedis Apostolicæ aliquando Capitulum independenter ab Episcopo sententiam interdicti ferre poterit: sicuti notauit Sayrus *lib. 5. thesaur. cap. 10. n. 23.* Deinde ex consuetudine, & præscriptione hanc potestatem Capitulum aliquando obtinet, iuxta *cap. cum inter de consuetud.* Et tradit Couarruu. *cap. alma mater 2. p. §. 2. num. 6.* Henriq. *lib. 13. c. 51. num. 2.* Sayrus *dicto lib. 5. cap. 10. n. 23.* Auila *5. p. disp. 2. dub. 1. concl. 1.* Suar. *disp. 36. sect. 1. num. 5.*

Tertiò, de Prælatis Religiosorum, an inquam Interdicti sententiam tum in Religiosos sibi subditos, tum in loca suæ iurisdictioni subiecta, ferre possint? Qua in re etsi spectato iuris rigore dicendum esset, Interdictum tam in personas, quàm in loca sibi subiecta ferre posse, at consuetudine præscriptum est hanc sibi ademptam esse potestatem, saltem quoad Interdictum locale, nisi fortè in plebem iurisdictionem habeant. Sicuti tradit Henriq. *lib. 13. cap. 24. num. 3. & cap. 51. num. 1.* Sayrus *lib. 5. cap. 10. num. 22.* Suar. *disp. 36. sect. 1. n. 2.* Filliuc. *tract. 18. cap. 1. quæst. 7.* Bonac. *disp. 5. pun. 1. num. 2.* Layman. *lib. 1. sum. tract. 5. par. 4. cap. 4. num. 1.* Gaspar Hurtado *de interdicto difficult. 14. initio.* Quinimo Sayrus, & Henriq. *locis allegatis* censent hos Prælatos religiosorum iurisdictionem tantùm in Religiosos habentes, etsi possint sibi subditos partiali Interdicto ligare, nempe Interdicto ab audiendis diuinis, vel confessionibus excipiendis, non tamen posse eos absoluto Interdicto ligare, quod tamen non censeo verum, neque alij Doctores admittunt, qui negata potestate apponendi Interdictum locale, personale concedunt. 4

Quattò de supradictis si excommunicati, suspensi, vel interdicti existant. Et quidem si sint excommunicati, & suspensi denunciati, communis est omnium sententia nec licitè, nec validè sententiam Interdicti ferre posse, quia priuantur iurisdictione ad illud munus obeundem requisita. At si denunciati non sint, etsi aliqui satis probabiliter existiment inualidè iurisdictionem coactiuam exercere, probabilius oppositum docui *hoc præsenti tract. disp. 2. de excommunicat. punct. 12. n. 6.* Interdicti verò siue denunciati sint siue non, impediuntur à sententia Interdicti ferenda, quia Interdictum non iurisdictione, sed participatione diuinorum priuat. Vti tradit Auila *5. p. disp. 2. dub. 3. concl. 1. & 2.* Gaspar Hurtado *tract. de interd. diff. 14. num. 43.* 5

Quoad causam materialem, seu subiectiuam Interdicti, hoc est quoad eos qui interdici possunt, certum est personale Interdictum non solùm in singulares personas qua tales sunt, sed in ipsas quatenus communitatem aliquam componunt, ferri posse; in quo maximè Interdictum ab excõmunicatione differt, quæ nunquam in communitatem fertur. Vti habetur *cap. Romana. §. in vniuersitatem, & cap. sententia de sentent. excommunicat. in 6.* Et notauit Paludan. *in 4. d. 18. q. 2. principal. in quæstiunc. 2. art. 3.* Henriq. *lib. 13. cap. 25. num. 4. & cap. 50. num. 1.* Sayr. *lib. 5. thesauri, cap. 10. n. 7.* Oportet autem vt persona interdicenda subiecta interdicenti sit, aliàs eius præceptis, & sententiis ligari non posset. Item debet esse rationis compos; aliàs incapax est præcepti, & pœnæ præcepto annexæ; vt bene tradit Syluest. *verbo interdictum 2. n. 17.* Couarruu. *cap. alma mater. 2. p. §. 4. n. 5.* Henriq. *lib. 13. cap. 42. n. 3.* Sayr. *lib. 5. thes. cap. 10. num. 6.* 6

Interdictum verò locale si directè feratur, semper locus interdictus subiectus esse debet interdicenti, & sub illius iurisdictione. At sæpè contingit locum à iurisdictione interdicentis exemptum indirectè interdici, ne Interdictum à iudice positum eneruetur, quòd verum est in generali Interdicto locali. Argum. *cap. si ciuitas. Cap. si sententia de sentent. excomm.* Et diximus *supra.* 7

§. II.

De causa formali & finali Interdicti, seu de forma ferendi Interdictum, & fine ob quem ferri potest.

1 *Interdictum fertur in punitionem, & emendationem culpæ commissæ.*
2 *Culpa ob quam Interdictum generale ferendum est, mortalis esse debet.*
3 *Interdictum generale personale, & locale etiam speciale nunquam ferri potest ob culpam alicuius priuati.*
4 *Pro delicto à communitate commisso in retinendo are alieno, Interdictum locale generale ferri non potest.*
5 *Interdictum verò locale speciale ferri potest.*
6 *Interdictum personale generale veritus censeo ob retentionem æris alieni imponi non posse.*
7 *Interdictum personale speciale nunquam ob culpam alienam ferri potest.*
8 *Aliquibus placet ob culpam venialem speciale personale Interdictum ferri posse.*
9 *Verius est oppositum, nisi Interdictum partiale, & ad breue tempus imponatur.*
10 *Nulla est forma præscripta interdicti imponendi.*

CAusa finalis, seu propter quam Interdictum fertur, est culpæ commissæ emendatio, seu punitio. Etenim Interdictum tum ad emendandum delictum, tum ad illud puniendum solet iniungi. Nunquam tamen generale Interdictum siue personale, siue locale iniungitur ob punitionem tantùm peccati præteriti, imò neque Interdictum 1

locale speciale, ne innocentes diuinis priuentur. Solùm autem Interdictum personale speciale ferri aliquando potest non tantùm in emendationem delicti, sed in illius punitionem, vt sic delinquens cautior in futurum reddatur, & aliis sit in exemplum. Argum. *cap. De viro nefando* 12. *q.* 2. & *cap. latorem.* 93. *quæst.* 2. Et tradit Suar. *disp.* 36. *sect.* 3. *n.* 13.

2 Culpa autem ob quam Interdictum generale ferendum est, mortalis esse debet, quia Interdictum generale siue locale siue personale pœna grauissima est, & ex parte maior quàm excommunicatio, cùm ex hoc Interdicto innocentes puniantur, quorum punitio iniqua esset, nisi grauis alicuius culpa, & contumacia intercederet. Atque ita ex communi sententia docet Sotus *in* 4. *d.* 22. *q.* 3. *ar.* 1. *concluſ.* 3. Henriq. *lib.* 13. *cap.* 50. *num.* 1. Tolet. *lib.* 1. *ſum. cap.* 19. Sayrus, *lib.* 5. *theſauri, cap.* 11. *num.* 1. & 16. Suar. *diſput.* 36. *ſect.* 3 *numero* 2. Layman. *lib.* 1. *ſum. tract.* 5. *part.* 4. *cap.* 4. *num.* 3. Et colligitur ex *cap. cum medicinalis de ſententia excommunicat. in* 6. & *ex cap. quæſuit, de his quæ fiunt à maiore parte Capit.* Et ex Conc. Trid. *ſeſſ.* 25. *de reformat. cap.* 3.

3 Quinimo prædictum Interdictum generale personale, & locale etiam speciale cùm vltra personas delinquentes afficiat innocentes, nullo modo in iure fertur, nec ferri ab alio quàm à Pontifice potest, ob culpam quantumuis grauem alicuius priuatæ personæ, misi ea culpa sit culpa capitis, vel communitatis. Argum. *cap. non eſt vobis de ſponſalib.* & deciditur in Concilio Basileensi *ſeſſ.* 20. Quia pœna debet proportionari culpæ, & cùm hæc sit pœna communis culpam communem requirit. Vti pro certo tradunt Sylueſt. *verb. interdictum* 3. *q.* 5. Angel. *num.* 5. Nauar. *c.* 27. *num.* 168. Sotus 3. *d.* 22. *q.* 3. *art.* 1. Couarruu. *cap. alma.* 2. *p.* §. 1. *n.* 4. & 5. Sayr. *lib.* 5. *cap.* 11. *à n.* 7. Henriq. *lib.* 13. *cap.* 50. *num.* 1. Suar. *diſp.* 36. *ſect.* 3. *n.* 5 6. & 9. Auila 5. *p. diſp.* 3. *dub.* 1. *concl.* 5. Coninch. *diſp.* 17. *dub.* 1. *in fine.* Paul. Layman. *lib.* 1. *ſum. tract.* 5. *par.* 4. *cap.* 4. *n.* 4. Gaspar Hurtado *tract. de interd. diffic.* 1 3. *n.* 38.

Aliqui, nempe Cardinalis *in cap. ſanè el* 2. *de officio delegati.* Panormit. *ibi. numero* 7. Henriq. *lib.* 13. *cap.* 50. *num.* 1. vltra culpam capitis, vel communitatis ad prædictum Interdictum ferendum requirunt vt delinquens iurisdictionem temporalem habeat in locum, vel communitatem interdictam, quia non videtur rationi consonum spiritualis pastoris contumaciam cum tam graui iactura populi coërcere. Sed rectius docuerunt contrarium Felin. *in dicto cap. ſanè num.* 2. Decio *notab.* 7. Archidiacon. *in cap. ſi ſentent. de ſent. excomm. in* 6. Et *ibi* Dominic. & Geminian. Couarruu. *cap. alma.* 2. *p.* §. 1. *num.* 4. & §. 2. *n.* 5. Vgolin. *tab.* 5. *cap.* 20. §. 1. *num.* 2. Sayrus *lib.* 5. *theſauri, cap.* 11. *numero* 9. Suar. *diſp.* 36 *ſect.* 3. *num* 7. Auila 5. *p. diſp.* 3. *dub.* 1. *concluſ.* 2. Quippe contumacia spiritualis pastoris grauius delictum est contumacia domini temporalis. Ergo si hæc sufficit ad Interdictum generale personale, & locale generale, vel speciale constituendum, etiam contumacia spiritualis pastoris sufficere debet. Quod non leuiter colligitur *dict. cap. ſanè*, vbi deciditur posse delegatum Pontificis subiicere Interdicto terram iurisdictioni Episcopi subiectam, absque vlla distinctione iurisdictionis temporalis, vel spiritualis.

4 Grauior dubitatio est, an pro delicto à capite, vel communitate commisso in retinendo ære alieno, possit prædictum Interdictum ferri? Et certa sententia est Interdictum locale generale ferri nequaquam posse absque speciali summi Pontificis licentia, quia ita expresè cautum est à Bonifac. VIII. in Extrauag. *Prouidè attendentes de ſententiæ excommunication.* inter communnes, quam Clemens VII. anno 1530. nono Kalend. Iunij quæ incipit: *Licèt ea quæ*, & est 35. eiusdem in bullario confirmauit: ibi enim statutum est pro contumacia domini, vel Episcopi loci in detinendo ære alieno, & debito pecuniario non soluendo, nullatenus posse aliquam prouinciam, ciuitatem, castrum, locum, territorium sine speciali Sedis Apostolicæ licentia, interdici. Quod si contra factum fuerit, irritum esse decernit. Hanc licentiam testatur Henriq. *lib.* 13. *cap.* 50. *num.* 4. & consentit Sayrus *lib.* 5. *cap.* 11. *num.* 18. concessam esse collectori subsidij, & commissario Cruciatæ in Hispania. Ex qua Extrauaganti rescriptus videtur Textus *in cap. expræſcripto de iureiurando.*

5 Interdictum verò locale speciale, V.g. vnius vel alterius Ecclesiæ, etsi non conueniat pro debito pecuniario imponi; absolutè tamen licitè, & validè imponi posse docent ex communi sententia Nauarr. *c.* 27. *n.* 168. Sayrus affirmans esse omnium excepto Couarruu. *lib.* 5. *cap.* 11. *num.* 19. Suar. *diſp.* 36. *ſect.* 3. *num.* 8. Quia prædicta constitutio solum de Interdicto locali generali loquitur, vti aduertit *ibi* Glossa & Panormit. *in cap. cùm in partibus de verbor. ſignificat.* Et tradunt relati Doctores. Ergo cùm Interdictum locale speciale nullibi inueniatur prohibitum ferri posse pro debito pecuniario asserendum est validè, & licitè ferri. Præterquàm quòd prohibitio facta ob causam pecuniariam de Interdicto locali generali tantùm indicat alia interdicta ob eam causam proferri posse. Cæterum Couarruu. *cap. alma* 2. *p.* §. 1. *num.* 5. Mexica *de interd. diffic.* 3. *concluſ.* 2. Auila 5. *p. diſp.* 3. *dub.* 3. *concl.* 2. Et inclinat Paul. Layman *lib.* 1. *ſum. tractat.* 5. *part.* 4. *cap.* 4. *in fine*, negant Interdictum locale speciale ferri ob debitum pecuniarium posse, quia *in prædicta Extrauag.* prohibetur, ne supponatur Interdicto prouincia, ciuitas, castrum, locus, territorium: at locus tam de interdicto locali generali, quàm speciali intelligitur. Item solutio debiti pecuniarij facilè aliis viis obtineri potest, absque innocentum periculo. Præterea, locale generale Interdictum ideò ob causam pecuniarij debiti prohibitum est apponi à potestate ordinaria, ne ob temporalem causam, & quæ alia via emendari potest, innocentes detrimentum patiantur; at hæc ratio etiam procedit in Interdicto locali speciali. Ergo interdictum locale speciale ob debitum pecuniarium imponi nequit, absque licentia summi Pontificis. Et hæc sententia mihi videtur probabilior.

Sed an interdictum personale generale, hoc est Interdictum 6
communitatis ob æris alieni retentionem à capite communitatis factam, imponi possit? Difficultate non caret, eo quòd dicta constitutio solùm de Interdicto locali loquatur, vt manifestum est. Ex quo non leuiter colligitur Interdictum personale concedi, & ita affirmandum est verbis ipsius Extrauag. spectatis. At si mentem, & intentionem ipsius Extrauag. spectemus, verius censeo cum Caldermo *tr. de interdict. memb.* 1. *n.* 22. personale Interdictum generale prohiberi sicut & locale, ne innocentes grauentur ob hanc temporalem causam, quæ fuit ratio prohibendi appositionem interdicti localis. Illud est certum, in quo ferè omnes conueniunt, vt videre est apud Henriq. *lib.* 13. *c.* 50. *n.* 3. Auilam 5. *p. diſp.* 3. *dub.* 3. *concluſ.* 4. Sayr. *lib.* 5. *c.* 11. *à num.* 19. Interdictum personale speciale pro debito pecuniario imponi posse authoritate ordinaria, quia nullibi contrarium est cautum, neque verba dictæ Extrauag. neque eius intentio aduersantur.

Quod si de speciali personali Interdicto loquamur, 7
Henriq. *lib.* 13. *cap.* 50. *num.* 2. Auila 5. *p. de cenſur. diſp.* 3. *dub.* 2. censent ob culpam alienam ferri posse; quia si ob culpam capitis innocentes communitatis grauantur in Interdicto populi, cur non poterit innocens interdici ob culpam, alterius qui ipsi coniunctus est?

Cæterùm communis est sententia, teste Sayro *lib.* 5. *theſauri cap.* 11. *num.* 5. Suar. *diſp.* 36. *ſect.* 3. *à num.* 2. Gaspar Hurtado *de interd. difficult.* 13. *num.* 19. Interdictum personale speciale nunquam ob culpam alienam ferri posse, sed necessario propriam supponere, eo quòd speciale personale Interdictū cùm propriam personam vbique afficiat, pœna est culpam in ipsa supponens. Argum. *leg. ſancimus, Cod. de Pœnis.*

Grauior tamen est dubitatio, an ob culpam venialem pro- 8
priam speciale personale interdictum ferri possit; Affirmant Henriq. & Auila *loc. alleg.* Eman. Saa, *verbo interdictum. n.* 7. Gaspar Hurtado *c. de interdicto, difficult.* 13. eo quòd hoc Interdictum non priuet maioribus bonis quàm excommunicatio minor, & ex alia parte cùm est à iure, vel ab homine generaliter latum æ què facile ac excommunicatio minor auferri potest. Ergo sicut excommunicatio minor ob solam culpam venialem contrahi potest, etiam contrahi poterit Interdictum. Notanter dixi *à iure, vel ab homine generaliter latum*, nam si specialiter ab homine latum esset, cùm à solo ipso tolli possit, culpam grauem necessariò requirit, vt benè aduertit Gasp. Hurtado *d. difficult.* 13.

Cæterùm verius est interdictum particulare personale 9
purum integrum etiam latum à iure vel generaliter ab homine contrahi, absque culpa graui non posse. Vti docuerunt Suar. *diſp.* 36. *ſect.* 3. *num.* 2. Coninch. *diſp.* 17. *dub.* 1. *in fine.* Vasq. *tom.* 2. *diſp.* 58. *n.* 50. Paul. Layman. *lib.* 1. *ſum. tract.* 5. *par.* 4. *cap.* 4. *num.* 4. Sayrus *lib.* 5. *cap.* 11. *num.* 1. & præcipuè *n.* 16. quia priuat grauissimis bonis, & pluribus quàm excommunicatio minor & passim contingentibus, siquidem priuat administratione sacramentorum, receptione plurium, assistentia diuinorum officiorum, & Ecclesiastica sepultura, & difficiliùs tollitur quàm excommunicatio minor, quæ à quolibet simplici sacerdote auferri potest, cùm tamen Interdictum saltem proprium Sacerdotem requirat.

Præterea ob transgressionem Interdicti sæpè irregularitas 10
incurritur, quæ tamen non incurritur ob violationem minoris excommunicationis. Signum igitur est grauiorem esse pœnam Interdictum quàm excommunicatio minor, ac proinde non nisi ob culpam grauem contrahi posse. Verùm si Interdictum non absolutum, & integrum imponatur, sed partiale, & ad breue tempus docent optimè Caietan. *verbo ſuſpenſio*, & *verbo interdictum.* Nauarr. *cap.* 27. *num.* 167. Suarez *diſp.* 36. *ſect.* 3. *num.* 2. Auila 5. *part. diſput.* 3. *dub.* 2. *concluſ.* 2. Henriq. *lib.* 13. *cap.* 50. *num.* 2. Layman. *lib.* 1. *ſum. tract.* 5. *p.* 4. *cap.* 4. *num.* 4. Gasp. Hurtado *tract. de interd. difficult.* 13. & alij ob peccatum veniale iniungi posse, quia est leuis pœna, & facilè amouibilis.

Si de causa formali, seu de forma seruanda in impositione 11
Interdicti loquamur; certum est nullam esse à iure præscriptam, sed eam esse sufficientem quæ voluntatem imponentis exprimat, vt colligitur ex *cap. ſi ſententia, & cap. ſi ciuitas de*

de sententia excommunicat. in 6. Et notauit plures referens Sayrus *lib. 5. thesaur. cap. 11. à num. 23.* Vt verò licitè feratur, debet ferri in scriptis, & ibi exprimi causa ob quam fertur, & exemplar tradi parti intra mensem si petierit, alioquin interdicens ab ingressu Ecclesiæ per mensem erit ipso iure suspensus. Quæ autem monitio requiratur, & quando appellatio suspendat executionem censuræ, sufficienter dictum est *disp. 1. & 2. huius tract.*

PVNCTVM IV.

De effectibus Interdicti.

CEnsuræ Interdicti quatuor effectus enumerant Doctores 1. Priuatio actiua, & passiua sacramentorum. 2. Priuatio actiua diuinorum officiorum. 3. Priuatio actiua, & passiua Ecclesiasticæ sepulturæ. 4. Priuatio ab ingressu Ecclesiæ. Hi effectus non sunt annexi cuilibet Interdicto, sed pro voluntate imponentis plures, vel pauciores effectus comprehendere Interdictum potest. Equidem si Interdictum absolutè feratur, omnes præfatos effectus comprehendit, quia ex se omnes illos habet, & non est aliqua ratio cur potius vnum quàm alium respiciat effectum. At si ex voluntate imponentis Interdictum restrictionem accipiat, eum tantùm effectum comprehendet, quem interdicens voluerit. Argum. *cap. non est vobis de sponsalib.* Et tradit Syluest. *verbo interdictum 3. q. 7.* Nauarr. *cap. 27. num. 183.* Henriq. *lib. 13. cap. 2. num. 3. & cap. 43. numero 2. & capite 51. num. 4.* Sayrus *lib. 1. thesauri, cap. 11. num. 28.* Auila *5. par. disp. 4. in princ.* Bonac. *tom. 1. disp. 5. part. 3. initio.*

§. I.

De primo effectu Interdicti, qui est priuatio actiua, & passiua Sacramentorum.

1 *Ex vi interdicti administratio, & receptio Sacramentorum prohibita est.*
2 *Excipitur baptismus paruulorum.*
3 *Hæc administratio potest, & debet esse solemnis.*
4 *Nec refert an Interdictum sit locale generale, an speciale.*
5 *Persona generaliter interdicta hoc sacramentum ministrare potest, specialiter verò in casu necessitatis.*
6 *Quod dictum est de Baptismo, dicendum est de Sacramento Confirmationis.*
7 *Persona generaliter interdicta hoc Sacramentum recipere, & ministrare potest, secùs specialiter.*
8 *Sacramentum Pœnitentiæ omnibus conceditur duplici conditione apposita.*
9 *Eucharistia Sacramentum tempore Interdicti localis, & personalis generalis potest & debet ministrari iis qui sunt constituti in probabili mortis periculo.*
10 *Qualiter hoc viaticum ministrandum sit.*
11 *Extra periculum mortis nec licitum est ministrare Eucharistiam, nec illam recipere in loco interdicto, nec à personis generaliter interdictis.*
12 *Negat communis sententia in quatuor festiuitatibus contentis in cap alma mater de sentent. excommunicat. lib. 6. posse Eucharistiam recipi, & ministrari.*
13 *Verius est oppositum.*
14 *Quibus ex priuilegio competit Missa sacrificio assistere tempore Interdicti, negat communis sententia posse Eucharistiam recipere.*
15 *Satis probabile est oppositum.*
16 *Sacramentum extremæ Vnctionis in nullo Interdicto locali, vel personali ministrari laicis potest.*
17 *Item nec clericis tempore Interdicti concessum est Sacramentum ministrare, vel recipere.*
18 *In illis festiuitatibus in quibus conceditur fidelibus diuinorum participatio, non censetur concessa extremæ Vnctio.*
19 *Religiosi mendicantes, & qui horum priuilegiis communicant, ministrare, & recipere hoc Sacramentum tempore Interdicti possunt.*
20 *Si infirmus nullum aliud sacramentum recipere posset, poterit illi extremæ Vnctio ministrari.*
21 *Sacramentum Ordinis in loco interdicto, vel personis specialiter interdictis nullo modo conferri potest. Bene tamen generaliter interdictis in loco non interdicto.*
22 *Sabbatho sancto in loco interdicto conferri Ordines non possunt.*
23 *In casu necessitatis alicuius prouinciæ benè posset Sacramentum Ordinis ministrari.*
24 *Sacramentum Matrimonij negant plures in loco interdicto, vel personis generaliter interdictis administrari, vel recipi posse.*
25 *Oppositum verius censeo.*
26 *Satisfit fundamento contrario.*
27 *Specialiter interdicti à Matrimonio contrahendo remouentur.*
28 *Tempore Interdicti benedictiones nuptiales conferri non possunt.*
29 *In illis quatuor festiuitatibus licita est nuptiarum solemnis, & publica benedictio.*
30 *Qualiter hæc benedictio præstari possit, si coniuges interdicti existant.*

CONstat administrationem, & receptionem Sacramentorum prohibitam esse, exceptis casibus in iure expressis. Vti deciditur *cap. responso, de sentent. excommunicat. & cap. si sententia eodem tit. in 6.* Et tradunt Doctores referendi. Videndum ergo est quæ Sacramenta ab hac prohibitione excipiantur. 1

Primò excipitur Baptismus paruulorum, qui tempore cuiuscunque Interdicti concedendus est ob eius necessitatem. Vt habetur *cap. non est vobis, de sponsalib. Cap. quod in te de pœnitent. & remissionib.* Et *ibi* Glossa, & Doctores. Postmodum hæc concessio extensa fuit ad Baptismum cuiuscunque adulti siue sani, siue infirmi ex Textu expresso in *cap. quoniam de sentent. excommunicat. in 6.* Nam esto sola contritione quæ votum Baptismi non recepti includit, saluari adultus posset, cùm per ipsum non stat illius receptio; at quia difficile hæc contritio haberi potest, noluit Ecclesia quæ pia mater est, hoc beneficium hominibus denegare. 2

Hæc administratio potest, & debet esse solemnis in Ecclesia interueniente catechismo, patrinis, aliisque Ecclesiæ ritibus consuetis, quia hæc accessoria sunt Baptismo, quod est permissum. Neque enim censendus est permitti Baptismus aliter fieri, quàm de iure faciendus præscribitur: sicuti ex communi notant Nauarr. *c. 27. num. 177.* Henriq. *lib. 13. c. 45. n. 1. & c. 53. n. 4.* Sayr. *lib. 5. thesauri c. 7. n. 3.* Suar. *disp. 33. sect. 1. à n. 2.* Auila *5. p. disp. 4. sect. 1. dub. 4. concl. 1.* Bonac. *t. 1. disp. 5. pun. 3. n. 2.* Paul. Layman. *lib. 1. sum. tract. 5. par. 4. cap. 2. num. 1.* & alij passim. Quod adeò verum est, vt si foris non sit benedictus, poterit benedici; nam esto ad solemnitatem Baptismi requiratur aquam tantùm esse benedictam; quia tamen consuetum est fontis benedictionem pro baptismo ministrando præmitti; ea de causa hæc benedictio licet, vt cum debita solemnitate hoc sacramentum ministretur. Sicuti aduertit Suar. *disp. 33. sect. 1. n. 2.* Alter. *de interdicto, disp. 4. cap. 1. &* 2. Bonac. *disp. 5. p. 3. § 1. num. 2.* 3

Neque refert an sit Interdictum locale generale, an speciale. Quocunque enim Interdicto existente siue generali siue speciali, Baptismus apertis ianuis, & consueta solemnitate ministrandus est, ac si Ecclesia illa interdicta non esset. Nam esto in *cap. responso de sentent. excommunicat. & cap. non est vobis, de sponsalib.* sermo sit de Interdicto generali. At in *cap. quoniam de sentent. excommunicat. in 6.* absolutè dicitur tempore Interdicti licitam esse huius sacramenti administrationem, neque ibi distinguitur de Interdicto locali generali, vel speciali, neque distinguendum est: vti ex communi docet Henriq *capit. 45. numero 3.* Suar. *disputat. 33. sect. 1. numero 3.* Coninch. *disputat 17. dub. 2. num. 40.* Sayrus *lib. 5. cap. 7. num. 4.* Bonacina *disputat. 5. pun. 3. §. 3. numero 3.* & alij plures apud ipsos. 4

Sed an persona interdicta possit hoc Sacramentum solemniter ministrare; Constans est sententia posse si generaliter interdicta sit, quia generale personale Interdictum arctius non ligat quàm generale loci, quo non obstante permittitur Baptismi ministratio. Atque ita pro certo supponunt Filliuc. *tract. 18. cap. 2. num. 33.* Bonac. *disp. 5. p. 3. §. 1. num. 5.* Personam verò specialiter interdictam in casu necessitatis, atque adeò priuatim baptizare posse omnes Doctores docent. Sed an secluså necessitate solemniter id fieri possit? difficultate non caret, eo quòd sicut non obstante Interdicto speciali locali, potest in eo loco ministrari hoc Sacramentum, sic videtur ministrari posse à persona specialiter interdicta eius Interdicto non obstante, quia hæc concessio non ob ministrum, sed ob baptizandum facta est. 5

Cæterùm longè verius est id permittendum non esse, quia his personis sicut & excommunicatis nullus est fauor concessus, qui necessariò foret, si secluså necessitate Baptizandi Sacramentum ministrare possent. Sicuti tradit Sayrus *lib. 5. thesauri, cap. 7. n. 6.* Suar. *disp. 33. sect. 1. n. 8.* Filliuc. *tr. 18. c. 2. n. 33.* Alter. *de interdicto disp. 4. c. 1. circa finem. & c. 2. sub finem.* Bonac. *t. 1. disp. 5. p. 3. §. 1. n. 5.*

Quod dictum est de Baptismo, dicendum est de Sacramento Confirmationis, nam esto non sit Sacramentum necessitatis, est tamen Baptismo accessorium, & illius quasi complementum, ideóque concesso Baptismo hoc censetur concessum non vtcunque, sed cum omni sua solemnitate, apertis ianuis sicut si Interdictum non esset. Argum. *leg. si quando. Cod. de inofficioso testam.* quia vno concesso conceduntur ea cum quibus præstari solet. Et sumitur ex *capit. quoniam de sentent.* 6

excommunicat. in 6. vti notarunt Sylvest. *verb. interdictum*, 5. q. 7. Nauarr. *cap.* 27. *num.* 178. Couarru. 2. *p.* §. 2. *num.* 7. Henriq. *lib.* 13 *cap.* 45. Suar. *disp.* 33. *sect.* 1. *num.* 7. Auila 5. *p. de censur. disp.* 5. *sect.* 1. *dub.* 4. *concluſ.* 3. Sayrus *lib.* 5. *c.* 7. *num.* 6. Bonac. *disp.* 5. *p.* 3. §. 1. *n.* 4. Barbos. *alleg.* 31. *num.* 23. Additur præterea *in supradicto cap. quoniam*, posse chrisma confici in loco etiam specialiter interdicto, quia est necessarium Confirmationi, & concessa Confirmatione concedi debent quæ ad illam conficiendam necessaria sunt. *leg. ad rem. & leg. ad legatum ff. de procurator. & defensorib.* Et licèt communis sententia quàm docuit Couarruu. Henriq. Bonac. & alij, doceat hoc chrisma conficiendum esse seruata moderatione *cap. alma mater.* At August. Barbosa 2. *p. de potest. Episcop. alleg.* 31. Paul. Layman, *lib.* 1. *sum. tract.* 5. *par.* 4. *cap.* 2. *num.* 1. non improbabiliter censent id necessarium non esse, tametsi expediens sit, quia textus *in capit. alma* non fuit expeditus ad ampliandam Interdicti prohibitionem, & abrogandos casus, in quibus Interdicti prohibitio locum iure antiquo non habebat, sed expeditus fuit ad temperandum rigorem illis in casibus in quibus prohibitio Interdicti vim habebat. Cùm autem iure antiquo ministratio Confirmationis, & confectio chrismatis absque vlla moderatione *cap. alma mater* permissa fuerit, nullatenus censeri id debet sublatum ex textu *in cap. alma mater.* Præterquam quòd huiusmodi textus moderationem apponit in sacrificio Missæ, & sacrificiis diuinis quæ singulis diebus dicuntur: at confectio chrismatis sub his officiis diumis quotidie dicendis non continentur; partim quia non dicitur, sed conficitur, partim quia non singulis diebus, sed singulis annis peragitur.

7 Quoad personam interdictam si generaliter dicta sit, nec prohibetur hoc Sacramentum Confirmationis recipere, nec ministrare, quia non est in culpa. At si sit specialiter interdicta, sicuti est qui causam interdicto dedit, nequaquam hoc Sacramentum recipere licitè potest, nisi priùs satisfactionem exhibuerit, aut si eam præstare non possit cautionem pignoratitiam, fideiussoriam, vel saltem iuratoriam præstiterit. Argum. *cap. alma mater*, vbi à sacramento Pœnitentiæ hi interdicti excluduntur, ea conditione non apposita. Ergo à fortiori excludi debent à Sacramento Confirmationis, vt notarunt Suar. *disp.* 33. *sect.* 1. *num.* 9. Alterius *de interdicto, disp.* 4. *cap.* 2. *dub.* 2. Filliuc. *tract.* 18. *cap.* 2. *nu.* 35. Bonac. *t.* 1. *disp.* 5. *p.* 3. §. 1. *num.* 4. Quinimo hic specialiter interdictus nec licitè potest hoc sacramentum ministrare, sed habendus est ac si esset excommunicatus. Nam in *cap. si sententia de sentent. excommunicat. lib.* 6. & *cap. Clerici. & cap. latores de Clerico excommunic. ministrante*, tam excommunicati quàm interdicti prohibentur administrare diuina: à qua generali prohibitione non excipiuntur specialiter interdicti. Sicuti docuerunt Suar. *num.* 12. Filliuc *n.* 35. Bonac. *num.* 6.

8 De sacramento Pœnitentiæ dicendum est, etsi iure antiquo solis moribundis & peregrinis concessum fuerit, *Cap. quod in te pœnitent. & remiss.* at iure nouo omnibus conceditur duplici conditione appoſita in *cap. alma mater de sentent. excommunicat. lib.* 6. Prima conditio est, ne recipiens sacramentum Pœnitentiæ excommunicatus sit non qualibet excommunicatione; sed excommunicatione incursa, eo quòd pertinaciter Interdicto causam dederit, vti placet Sylvestro *verb. interdictum* 5. *num.* 9. Armillæ *eodem, num.* 45. quia cùm Pontifex in *d. cap. alma*, statuat modum in Interdicto seruandum, verisimile est non de alio excommunicato, quàm ob causam Interdicti locutum esse. Quod si de quolibet excommunicato censeatur locutus, intelligi debet exceptio, ne possit excommunicatus Pœnitentiæ Sacramentum recipere absolutione solemni ab excommunicatione accepta, bene tamen absolutione priuatim suscepta, quàm quilibet Sacerdos non impeditus præstare poterit extra mortis articulum, si reseruata non sit; secùs si fuerit reseruata, aut imposita ob eandem causam Interdicti. Vt docuerunt Suar. *disp.* 33. *sect.* 1. *num.* 15. Auila 5. *p. disp.* 4. *sect.* 1. *dub.* 3. *concluſ.* 4. Bonac. *disp.* 5. *p.* 3. §. 3. *numero* 1. Filliuc. *tract.* 18. *cap.* 2. *num.* 37. Secunda conditio, ne absoluendus causam culpabilem Interdicto dederit: nam eo casu priùs satisfactionem condignam exhibere, vel de satisfaciendo idoneam cautionem scilicet pignoratitiam vel fideiussoriam præstare quo d si neutram possit, iurare debet se cùm primum possit satisfacturum. Vti cauetur in *dicto cap. alma mater*, & notarunt Suar. Auila, Filliuc. Coninch. Bonac. *loc. alleg.* Quod dictum est de receptione huius Sacramenti, dicendum est de eius administratione: posse inquam administrari in loco interdicto, & à persona generaliter interdicta. Secus verò à persona quæ specialiter interdicta sit, quia huic quælibet Sacramentorum ministratio extra casum necessitatis prohibetur. Sicuti docuit Suar. *dicta sect.* 1. *num.* 20. Coninch. *dub.* 2. *n.* 46. Filliuc. *tract.* 18. *c.* 2. *num.* 38. Bonac. *disp.* 5. *p.* 3. §. 3. *num.* 2. An verò administratio Pœnitentiæ ab interdicto denunciato facta, valida sit; meritò dubitat Suar. eo quòd Interdictum non iurisdictione, sed diumorum vsu priuet, ideóque probabilius censeo ex vi huius censuræ non reddi dictam administrationem inualidam. Sicuti indicauit Filliucius *dicto numero* 38. & tradit expressè Bonacina 1. *disputat.* 5. *punct.* 3. §. 3. *num.* 2.

Quoad sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum attinet, 9
dicendum est tempore Interdicti localis, & personalis generalis posse, & debere administrari his qui sunt constituti in probabili mortis periculo, vel ob infirmitatem vel ob aliam causam extrinsecam, qualis est nauigatio diuturna, præliatio, partus difficilis, condemnatio ad mortem, dummodò causam Interdicto non dederint, nec fuerint aliunde specialiter interdicti: colligitur ex *cap. quod in te, de pœnitent. & remiss. sion. & cap. permittimus de sentent. excommunicat.* Interdicto autem specialiter ministrari poterit, si priùs satisfactionem condignam exhibuerit, aut de satisfaciendo cautionem pignoratitiam vel fideiussoriam præstiterit, vel si neutrum possit, iuret se cùm primùm possit satisfacturum iuxta textum in *cap. alma mater, de sentent. excommunicat. lib.* 6. vti ex communi omnium sententia docet Sayrus *lib.* 5. *c.* 7. *n.* 20. Suar. *disp.* 33. *sect.* 1. *num.* 24. Coninch. *disp.* 7. *dub.* 2. *n.* 41. Filliuc. *tract.* 18. *cap.* 2. *num.* 39. Alterius *de interdicto, disput.* 4. *cap.* 4. Bonac. *t.* 1. *disp.* 5. *p.* 3. §. 2. *num.* 11. Layman. *lib.* 1. *sum. tract.* 5. *par.* 4. *cap.* 2. *num.* 2.

Debet autem hoc viaticum solita solemnitate, & honore 10
deferri clericis aliisque sæcularibus comitantibus, candelis accensis, & cymbalis pulsatis: sicuti colligitur ex *cap. sanè de celebrat. missar.* Et aduertunt Nauarr. *cap.* 27. *n.* 179. Couarru. *c. alma mater.* 2. *p.* §. 2. *n.* 7. Sayrus *lib.* 5. *cap.* 7. *num.* 26. & *seqq.* Bonac. *disp.* 5. *p.* 3. §. 2. *num.* 1. Suar. Coninch. Laym. Auila, Alterius *locis allegatis*; quia quoties in iure aliquid permittitur, censendum est permitti prout consuetudine fieri, receptum est. Nequit tamen sacerdos Eucharistiam deferens horas Canonicas, aliudue officium diuinum recitare, benè tamen aliquos psalmos, & orationes non per modum officij diuini, sed per modum diuinæ laudis in tanti Sacramenti honorem, & comitantium deuotionem, vt bene aduertunt Sayrus, & Bonac. *suprà.* Delato Sacramento, licitum est sacerdoti populo ostendere adorandum, illiq; cum ipso benedicere; quia per Interdictum non prohibetur Eucharistiæ visus, ostensio, & adoratio nisi in Missæ sacrificio, vt benè Suar. *disput.* 33. *sect.* 1. *num.* 27. Sayrus *c.* 7. *n.* 28. Item poterit concedere solitas indulgentias, quia illarum concessio præter quam quod ex consuetudine delationi viatici accessoria sit, non est officium diuinum, sed actus iurisdictionis, qui per Interdictum non prohibetur. Sicuti notarunt Henriq. *lib.* 13. *cap.* 45. *num.* 2. Vgolin. *tab.* 5. *c.* 7. § 5. Sayrus *lib.* 5. *c.* 7. *n.* 26. Bonac. *d. disp.* 5. *p.* 3. §. 2. *n.* 1. & alij. Adde hæc omnia fieri posse coram interdictis, vt docuit Nauarr. *cap.* 27. *numero* 179. Henriq. *cap.* 45. *n.* 2. Auila 5. *p. de censur. disputat.* 4. *sect.* 1. *dub.* 5. *concluſ.* 4. Sayr. *capit.* 7. *numero* 28. *in fine.*

Extra periculum mortis conueniunt omnes neque licitum 11
esse administrare sanctissimam Eucharistiam, neque illam recipere in loco interdicto, neque à personis generaliter interdictis, etiamsi innocentes sint, quia iure antiquo hæc administratio, & receptio prohibita est. *Cap. quod in te de pœnitent. & remissionib.* & iure nouo concessa non est præter Missæ sacrificij celebrationem. *Cap. alma mater de sentent. excommun. lib.* 6.

Hinc oritur ratio dubitandi pro quatuor festiui tatibus an- 12
ni, Natalis Domini, Paschæ, Pentecostes, & Assumptionis B. Virginis, quibus in *cap. alma* concessum est omnibus fidelibus, vt tempore Interdicti localis, vel personalis diuina participare possint, dummodò causam Interdicti non dederint, aut aliàs sint personaliter interdicti, an inquam illis temporibus sumère Eucharistiam, illisque ministrari permissum sit; Negat communis sententia in *dicto cap. alma mater*, vbi Couarruu. 2. *p.* §. 5. *num.* 5. Nauarr. *cap.* 27. *num.* 179. Henriq. *lib.* 13. *cap.* 45. *num.* 2. Sayrus *lib.* 5. *cap.* 7. *num.* 25. Gasp. Hurtado *difficult.* 7. *num.* 26. Auila 5. *p. disp.* 4. *sect.* 1. *dub.* 5. *concl.* 3. Bonac. *disput.* 5. *punct.* 3. §. 2. *num.* 12. & alij apud ipsos. Ducuntur quia in prædictis festiuitatibus solùm permittuntur celebrari diuina officia, & à fidelibus participari, ac si nullum esset Interdictum. At Sacramentorum receptio, & administratio diuersa est à diuinis officiis, vt constat ex *cap. si sententia excommunicent. in* 6. & *cap. Episcoporum de Priuileg. eodem lib.* Ergo ex concessione diuinorum officiorum illa receptio, & administratio non censetur concessa, quia à diuersis, & separatis non est facienda illatio. Argum. *leg. Papinianus exuli. ff. de Minoribus.* Præterea Pontifex in *prædicto cap. alma mater* solùm agit de Missæ celebratione, & qualiter officia diuina tempore Interdicti celebrari possint, nihilque agit de Sacramentorum receptione, vel administratione. Ergo prohibitio tempore Interdicti iure antiquo statuta, ne Sacramenta recipiantur nullum mutationem accepit ex *d. alma mater.*

Cæterùm etsi hæc sententia sit valde probabilis, veriorem 13
reputo illis festiuitatibus licitum esse Sacerdotibus Eucharistiam administrare, & laïcis recipere, prout inclinat Paludan. *in* 4. *d.* 18. *q.* 8. *in art.* 2. *princip. concl.* 7. Federic. *cons.* 111. *num.* 7. Suar. *disp.* 33. *sect.* 1. *num.* 37. Coninch. *disp.* 17. *dub.* 2. *num.* 36. Filliucius *tr.* 18. *cap.* 2. *num.* 32. Moueor quia in omnium sen-

tentia

tentia illis festiuitatibus conceditur omnibus Christi fidelibus non solùm assistere diuinis officiis, sed Missæ sacrificio; at iure antiquo omnibus assistentibus Missæ sacrificio concessum erat de ipso sacrificio communicando participare. Ergo modò etiam id debet censeri concessum. Et fortè ob hanc causam Textus non fuit vsus verbo assistere, sed participare, vt ex eo colligeretur non solùm ex sacrificio Missæ, & diuinis officiis fideles assistendo, sed sacratissimũ Christi corpus communicando participare posse. Deinde specialiter interdictis, seu illis qui causam Interdicto dederunt prohibetur in *dicto cap. alma* Eucharistiam accipere, ergo tacitè aliis conceditur, quia exceptio vnius firmat regulam in casibus non exceptis; aliàs frustra esset hæc exceptio, si omnes tam interdicti, quàm non interdicti, & tam interdicti specialiter quàm generaliter exclusi à communione essent. Et ex his soluitur apposita ratio dubitandi.

14 Huic quæstioni affinis est quam mouent Doctores de Sacerdotibus, aliisque clericis quibus concessum est celebrare sacrificium Missæ, & diuina officia. Et eadem quæstio est de his quibus ex priuilegio competit diuinis assistere an inquam omnes hi Eucharistiam more laicorum recipere possint; Negant in *dicto c. alma mater* grauissimi Doctores, Ancharr. *n.* 8. Philippus Francus *ibidem in fine*. Couarruu. 2. *p.* §. 3. *numero* 1. & §. 5. *num.* 6. Nauarr. *c.* 27. *n.* 178. Henriq. *lib.* 13. *c.* 45. *num.* 2. Vgolin. *tab.* 5. *cap.* 7. §. 6. *num.* 5. Sayrus *lib.* 5. *c.* 7. *num.* 21. Bonac. *t.* 1. *disp.* 5. *p.* 3. §. 2. *n.* 8. Auila 3. *p. disp.* 4. *sect.* 1. *dub.* 5. *concluſ.* 3. Paul. Layman. *lib.* 1. *ſum. tr.* 5 *par.* 4. *c.* 2. *num.* 1. Gaspar. Hurtado *tr. de interdicto, difficult.* 8. *num.* 22. & alij. Mouentur, quia iure antiquo prohibita erat Eucharistiæ receptio nisi morituris. *Cap. quod in te de pœnitent. & remiſſionib.* à qua prohibitione recedi nequit nisi quatenus iure nouo inueniatur permissum. Argum. *Clem.* 1. §. *porrò de verbor. ſignificat.* At iure nouo sola receptio Eucharistiæ in celebratione Missæ permittitur sacerdotibus, ne sacrificium imperfectum esset. *Cap. alma mater, de ſentent. excommun. lib.* 6. Ergo extra hunc casum nequaquam supradicti recipere Eucharistiam possunt.

15 Nihilominus valde probabilem existimo sententiam Syluestri, *verbo interdictum*, 5. *q.* 7. Suar. *disp.* 33. *ſect.* 1. *num.* 35 & 36. Fillinci *tract.* 18. *cap.* 2. *num.* 22. & aliorum recentiorum, asserentem omnibus illis, quibus ex priuilegio competit Missæ sacrificio assistere posse, concessum consequenter esse, posse communicare; quia ea assistentia à tempore nascentis Ecclesiæ secum annexam habet sacram communionem, ideóque concesso primo, accessorium censendum est esse concessum.

Ex his constat Religiosos siue viros siue fœminas & nouitios, quibus datum est sacrificio, aliisque officiis diuinis assistere, posse sacram Eucharistiam recipere. Præterquam quòd directè hoc priuilegium suscipiendi Eucharistiam omnes ferè Religiosi habent, vt constat ex his quæ referuntur *in Compend. priuileg. Societ. Ieſu, verbo interdictum, & verbo communicare*. Et à Nauarr. *cap.* 27. *num.* 179 Henriq. *lib.* 13. *cap.* 45. *n.* 2. Sayro *lib.* 5. *c.* 7. *n.* 23. Paulo Laym. *lib.* 1. *ſum. tr.* 5. *par.* 4. *capit.* 2. *num.* 2.

16 Porrò si de sacramento extremæ Vnctionis loquamur, constans est omnium sententia in nullo Interdicto locali, vel personali ministrari posse laicis ex decisione Textus *cap. non est vobis de Sponſal. lib. Cap. quod in te de pœnit. & remiſſionib.* Nam esto hoc Sacramentum sit valdè morientibus proficuum quia tamen per se necessarium non est; ea de causa suis fidelibus ad maiorem terrorem censuræ, & obseruationem Ecclesiasticæ disciplinæ Ecclesia tempore Interdicti denegauit, ita vt neque in loco Interdicto, neque à personis interdictis administrari, vel recipi permiserit.

Quod si roges qua de causa Ecclesia permiserit Eucharistiam infirmis deferri, non verò extremam Vnctionem, esto Eucharistia non sit simpliciter morientibus & Sacramentum Pœnitentiæ recipientibus absolutè necessaria? Respondeo cum Panormit. *in cap. quod in te num.* 9. *de pœnitent. & remiſſionib.* in administratione Eucharistiæ non confici sacramentum, sed confectum concedi, secùs in ministratione extremæ Vnctionis. Deinde recipere Eucharistiam in articulo mortis iure diuino obligamur, quam obligationem de extrema Vnctione Doctores non agnoscunt. Item Eucharistia est omnium sacramentorum nobilissimum, & pignus æternæ gloriæ, præstabat ergo hoc concedi morituris, tametsi extrema Vnctio denegaretur.

17 Solùm est dubium, an Clericis quibus concessum est tempore Interdicti sacrificium & diuina officia celebrare, concessum etiam sit hoc Sacramentum ministrare, vel recipere? Ratio difficultatis desumitur ex regula: Cui maiora conceduntur & minora intelligi debent concessa. Cùm igitur celebratio sacrificij, & Eucharistiæ receptio tempore Interdicti clericis concedatur, censeri debet extrema Vnctio, vtpotè inferior, concessa. Sed oppositum omnino tenendum est, vt pro certo tradunt Panormit. *in dicto cap. quod in te num.* 9. Syluest. *verb. interdictum* 5. *num.* 8. Couarruu. *c. alma* 2. *p.* §. 5. *num.* 6. Sayrus *lib.* 5. *c.* 7. *num.* 30. Bonac. *disp.* 5. *p.* 3. §. 3. *num.* 4. & colligitur ex *dicto cap. quod in te de pœnitent. & remiſſionib.* vbi postquam Pontifex dixerat omnibus tempore Interdicti prohibitam esse extremam Vnctionem, & Ecclesiasticam sepulturam; subdit sepulturam Ecclesiasticam clericis seruantibus Interdictum concedendam esse, tacitè ergo prohibitionem extremæ Vnctionis in suo vigore reliquit. Argum. *cap. Nonne de præſumpt.*

Hinc deciditur, an in illis festiuitatibus in quibus in *cap.* 18
alma mater, conceditur fidelibus diuinorum participatio, censeatur concessa extrema Vnctio? Affirmat Federic. de Senis; *conſ.* 111. Sylu. *verb. interdictum* 5. *n.* 3. Moueri possunt, quia sacra Vnctio inter diuina reputari debet, & quia priuilegium Principis quale est concessum in *dicto cap. alma mater*. latè est interpretandum, vt de quolibet officio diuino, & cuiuslibet sacri participatione intelligatur. Hæc doctrina nullatenus sustinenda est, ideóque eam reprobant communiter Doctores, Couarruu. *dicto cap. alma* 2. *part.* §. 5. *num.* 6. Vgolin. *tab.* 5. *cap.* 8. §. 11. Sayr. *lib.* 5. *cap.* 7. *num.* 33. Bonac *t.* 1. *de cenſur. disp.* 5 *p.* 3. §. 3. *num.* 4. & alij passim. Etenim cùm extremæ Vnctionis prohibitio tempore Interdicti absoluta sit, & in *cap. alma*, non inueniatur temperata pro dictis festiuitatibus, nam ibi non quorumlibet diuinorum participatio conceditur, sed sacrificij, & officiorum diuinorum sub quibus extrema Vnctio non comprehenditur; asserendum est non esse licitum eo tempore ministrare, vel recipere extremam Vnctionem. Neque priuilegium Principis vltra proprietatem verborum extendendum est.

Religiosi verò mendicantes, & qui eorum priuilegiis com- 19
municant ministrare, & recipere hoc Sacramentum tempore Interdicti possunt ex priuilegio relato in *compend. Minor. verbo Vnctio extrema*. Et in *compend. priuilegior. Societ. Ieſu, verbo extrema Vnctio*, & aliis quorum meminit Henriquez *libro* 13. *cap.* 45. *num.* 1. Say. *lib.* 13. *cap.* 7. *n.* 32.

Ad extremum placet referre quod benè aduertit Chapea- 20
uilla *de modo administrandi ſacramentum tempore peſtis, cap.* 4. *q.* 3. Layman. *lib.* 1. *ſum. tract.* 5. *par.* 4. *cap.* 2. *num.* 1. *vers. de ſacramento*, si infirmus nullum aliud Sacramentum recipere possit, posse illi extremam Vnctionem ministrare ex præsumpta Ecclesiæ voluntate, quia non est credendum Ecclesiam suis fidelibus, & maximè morituris subsidium Sacramẽtorum denegare velle, maximè cùm salus æterna infirmi sacramento non recepto non leuiter periclitetur, cuius periculum maxima ex parte temperatur Sacramento extremæ Vnctionis recepto. Quinimo vt rectè aduertit Sayrus *lib.* 5. *cap.* 7. *num* 33. præstaret sanè, vt summus Pontifex omnibus morituris hoc Sacramentum sicut & Eucharistiam permitteret, tum ob eius vtilitatem, tum ob necessitatem, quæ aliquando euenire potest, vt omisso hõe Sacramento infirmus in æternum pereat, qui si illud susciperet salutem æternam obtineret. vti latè prosequitur Card. n. Bellarmin. nostræ Societatis Iesu decus, & ornamentum. *tract. de extrema Vnctione. cap.* 8.

Rursus de Sacramento Ordinis certa sententia est in loco 21
interdicto, vel personis specialiter interdictis nullo modo conferri posse, bene tamen generaliter interdictis in loco non interdicto: quia quælibet Sacramentorum receptio, & administratio in loco interdicto, vel personis specialiter interdictis prohibita est. Secùs verò his qui generaliter tantùm interdicti sunt in loco non interdicto: colligitur ex *capite reſponſa de ſentent. excommunicat.* At nullibi inuenitur Ordinis Sacramentum exceptum, ergo intelligendum est prohibitum iuxta textum in *cap. ſi ſententia de ſentent. excommunicat. in* 6. & traduntur ferè omnes Doctores teste Couarruu. *cap. alma.* 2. *p.* §. 3. *num.* 4. Nauarr *cap.* 27. *num.* 179. Henriq. *lib.* 13. *cap.* 45. *num.* 2. Sayro *lib.* 5. *theſauri, cap.* 7. *num.* 35. Suar. *disp.* 33. *ſect.* 1. *num.* 45. Filliucius *tract.* 18. *cap.* 2. *num.* 47. Bonacina *disp.* 5. *punct.* 3. §. 3. *numero* 3. Paul. Layman. *lib.* 1. *ſummo tract.* 5. *par.* 4. *cap.* 2. *num.* 1.

Duplex tamen est difficultas: Prima an Sabbatho sancto 22
in loco interdicto conferri Ordines possint? Ratio difficultatis est, quia festiuitas paschalis à Missa incipit, at Ordinum collatio ex præscripto Ecclesiæ Missæ, diuinisque officiis eo die peragendis est accessoria. Ergo concessa Missa, & diuinis officiis, censeri debet concessa Ordinum collatio. Nihilominus oppositum pro certo tenendum est cum Paludano *in* 4. *dist.* 18. *q.* 8 *in art.* 2. *princip. concluſ.* 6. Couarruu. *in cap. alma.* 2. *p.* §. 3. *num.* 4. Sayro *lib.* 5. *theſauri, cap.* 7 *num.* 39. Bonac *d. p.* 3. §. 3. *num.* 3. quia Ordinum collatio non est ita accessoria celebrationi, & officiis diuinis Sabbathi sancti, quin absque illa peragi possint. Non enim accedit necessariò, sed voluntariè, quia Ecclesia non præcipit Ordines conferre, sed permittit. Ergo ex concessione celebrationis, & officiorum diuinorum hæc Ordinum collatio non intelligitur concessa, aliàs in diebus quatuor temporum seruata moderatione *cap. alma mater* possent Ordines saltem iis qui in clericalem statum sunt ascripti conferri. quod est falsum.

Secunda difficultas est de casu necessitatis, an si continge- 23
ret in aliqua prouincia esse tantam Sacerdotum penuriam, vt Sacramentum Pœnitentiæ, & Eucharistiæ commodè infirmis

ministrari non posset, licita eo casu esset ordinatio in loco interdicto? Negant Sylvest. *verbo interdictum 5. q. 7.* Couarruu. *cap. alma. 2. p. §. 3. num. 4.* Vgolin. *tab. 5. capit. 7. §. 2. num. 2.* eo quòd ob hanc necessitatem nullibi inueniatur concessa huius sacramenti ministratio. Sed rectiùs docuerunt contrarium Panormitan. *in cap. Non est vobis num. 8. de Sponsalib.* Henriq. *lib. 13. cap. 45. num. 4.* Sayr. *lib. 5. thesauri, cap. 7. num. 38.* Villadiego *tractat. de irregularit. cap. 5. de interdicto, num. 3.* Bonac. *disputat. 5. punct. 3. §. 3. numero 3.* Paul. Layman. *lib. 1. sum. tract. 5. par. 4. cap. 2. num. 1.* & alij. Nam in *c. alma mater* permittuntur aliqua Sacramenta administrari, & confici tempore Interdicti, consequenter ergo permittenda est ordinatio ministrorum qui ad id fuerint necessarij, aliàs inutilis esset talis concessio. Et confirmari à simili potest: ex eo namque quòd tempore Interdicti conceditur Baptismi, & Confirmationis receptio, & ministratio, concessa censetur confectio Chrismatis sine quo nec ministrari, nec recipi possunt. *Cap. quoniam de sentent. excommunicat. in 6.* Cùm ergo sacramenta absque ministris ordinatis non possint confici, efficitur ex concessione Sacramentorum concessam esse ministrorum ordinationem. Hæc procedunt casu quo necessarium sit in loco interdicto ministros initiare, vt prædictæ necessitati consulatur. Quod rarò vel nunquam contingere potest, nam vt benè aduertit Sayrus *d. c. 7. num. 38.* debet Episcopus ad locum non interdictum accedere, vel ordinandos mittere ad Episcopos viciniores. At si hæc commodè fieri non possunt, & tanta sit Sacerdotum penuria, vt fidelium necessitati consuli nequeat, poterit Episcopus in loco interdicto initiare eos tantùm ministros qui arbitrio prudentis iudicentur necessarij.

24 Denique quoad Sacramentum Matrimonij attinet, controuersia est inter Doctores, an in loco interdicto, vel personis generaliter interdictis administrari, vel recipi possit? Negant Vgolin. *tab. 5. c. 7. §. 3. num. 1.* & *cap. 10. §. 1. num. 1.* Suar *disp. 33. sect. 1. num. 51.* Sayrus *lib. 5. thesauri, cap. 7. num. 43.* Filliucius *tr. 18. cap. 2. num. 51 & seqq.* Bonac. *disp. 5. p. 3. §. 3. num. 8.* & alij apud ipsos. Ducuntur ex illo principio; Quoties aliquid generaliter est prohibitum si non inueniatur exceptum prohibitum esse censetur. Ex Textu *in Clement. 1. §. porro, de Verbor. significat.* At generaliter sacramentorum receptio, & administratio tempore Interdicti prohibita est, nisi in casibus à iure exceptis. *Cap. si sententia de sentent. excommunicat. in 6.* Ergo cùm Sacramentum Matrimonij exceptum non inueniatur, denegatum censeri debet. Et confirmari potest, si à generali prohibitione recipiendi sacramenta Interdicti tempore Matrimonium excepta esset, cur in *cap. alma mater. de sentent. excommunic. in 6.* & *cap. non est vobis, de sponsal.* & *cap. quod in te de pœnitent. & remissionib.* non excipitur, sicuti excipiuntur Baptismus, & Confirmatio, Pœnitentia, & Eucharistia; Ergo ex horum exceptione colligitur Matrimonium sub generali prohibitione comprehensum esse. Secundò confirmo: excommunicatis etiam minori excommunicatione, cuiuslibet sacramenti etiã Matrimonij receptio prohibita est. Ergo etiam interdictis prohibita censeri debet, cùm Interdictum grauior censura sit quàm excommunicatio minor.

25 Cæterùm verius censeo licere in loco interdicto, & à personis generaliter interdictis matrimonium recipi, quod docuit Panormit. *in cap. non est vobis num. 8. de sponsalib.* Sylvest. *verb. interdictum. 5. num. 9.* Nauarr. *cap. 27. num. 179.* Henriq. *lib. 13. cap. 45. num. 3.* Tolet. *lib. 1. cap. 20. num. 9.* Auila *5. p. de censur. disput. 4. sect. 1. dub. 6.* Coninch. *disp. 17. dub. 2. num. 48.* Sanch. *lib. 7. de matr. disput. 8. num. 2.* vbi plures refert. Layman. *lib. 1. sum. tract. 5. par. 4. cap. 2. num. 1.* Gasp. Hurtado *tract. de interdicto difficult. 8.* Mouetor, quia Matrimonium præcipuè est contractus humanus, & politicus, cui ratio sacramenti ex Christi institutione annexa est: at contractus humani tempore Interdicti non prohibentur, ergo neque hic contractus ob Sacramenti rationem adiunctam censeri debet prohibitus, cùm accessorium naturam sequatur principalis.

26 Neque fundamentum contrarium obest, quia generalis illa prohibitio intelligenda est de sacramentis purè spiritualibus, quæque Ecclesiæ ministris dispensanda committuntur, quale Matrimonium non est, cùm contractui humano, & politico ñitatur, & ab ipsis contrahentibus administretur, & recipiatur; eáque de causa non fuit necesse prohibitione generali excipi, quia sub ipsa non comprehendebatur Ad secundam confirmationem, admitto excommunicato prohiberi receptionem Matrimonij, quia est quædam cum fidelibus communicatio, at interdictis generaliter non prohibetur.

27 Specialiter verò interdicti à Matrimonio contrahendo remouentur, si contumaces existant, quia obicem ponunt gratiæ per sacramentum matrimonij recipiendæ. At si contriti sint & pœnitentes nullatenus à recipiendo Matrimonio excluduntur, quia ex vi censuræ interdicti non est prohibita Matrimonij receptio, sicuti notarunt Sylvest. Nauar. Henriq. Tolet. & alij quos refert, & sequitur Sanch. *lib. 7. de matr. disp. 8. num. 5.*

28 Ex hac doctrina inferunt Rosella *interdictum 2. num. 7.* Angel. *verb. interdictum 6. num. 3.* Gaeta repetit *cap. ad limina 30. q. 1. §. 1. num. 547.* & sub dubio Abbas *cap. non est num. 8.* & Præpositi. *num. 7. de Sponsalib.* benedictiones nuptiales vulgò *velaciones* in loco interdicto, & personis interdictis licere, quia hæc sunt Matrimonio accessoria. Ergo illo concesso hæ censendæ sunt concedi *ex reg. accessorium 24. de Regul. Iuris in 6.* & fauet Textus *in cap. quoniam de sententia excommunicat.* vbi conceditur confectio Chrismatis, eo quòd sit accessoria Baptismo, & Confirmationi, quæ tempore Interdicti conceduntur. Sed omnino tenendum est tempore Interdicti has benedictiones conferri non posse. Vti docuit Nauarr. *cap. 27. n. 178.* Henriq. *lib. 13. c. 44. n. 1.* Sanch. innumeros referens *d. disp. 8. num. 10.* Sayrus *lib. 5. cap. 7. num. 41.* Bonac. *disp. 5. p. 3. §. 3. num. 9.* & alij passim. Et ratio est manifesta, quia hæ benedictiones à sacerdote, & tempore Missæ adhibitis quibusdam orationibus conceduntur; ac proinde sub officio diuino continentur: at officium diuinum nullatenus licet tempore Interdicti à clericis peragi præsentibus laicis, ergo hæ benedictiones coniugatis vtpotè laicis nequeunt in loco interdicto conferri. Quòd si ipsi coniugati priuilegium haberent assistendi officiis diuinis tempore Interdicti, possent eorũ nuptiæ benedici seruata moderatione *cap. alma mater*: vti tradit Henriq. Sayrus, Bonac. Sanch. Suar. *loc. alleg.* Neque rationes oppositæ vrgent, nam accessorium naturam principalis sequitur, quando est eadem ratio in accessorio, ac in principali, eadémque dispositio. Quæ in præsenti non contingunt, nam nuptialis benedictio pertinet ad diuina officia, Matrimonium non pertinet, & nuptialis benedictio tempore Interdicti specialiter prohibetur, cum tamen Matrimonij nulla adsit prohibitio. Ad textum in *cap. quoniam* respondeo esse disparem rationem, quia Chrisma est de necessitate sacramenti Confirmationis, & de præcepto in Baptismo. Benedictiones verò nec de essentia, nec de præcepto sunt in Matrimonij contractu, cùm absque nuptiarum benedictione peragi possit.

In illis verò quatuor festiuitatibus Natalis Domini, Pas- 29
chatis, Pentecostes, & Assumptionis B. Virginis, quibus festum Eucharistiæ per totam octauam additum est; ex vi Interdicti localis generalis licita est nuptiarum solemnis, & publica benedictio, quia pro illis temporibus interdicti obligatio quoad officiorum diuinorum celebrationem suspensa est, retenta prohibitione quoad sacramenta; at nuptiarum benedictio non sub sacramentis, sed sub officiis diuinis continetur. Ergo. Atque ita tradit Sylvest. *verb. interdictum 5. q. 2. dicto 3.* Couarruu. *cap. alma 2. p. §. 5. num. 6.* Henriq. *lib. 13. cap. 44. numero 1.* Sanch. *disp. 8 num. 15.* Sayrus *cap. 7. in fine.* Bonac. *p. 3. §. 4. numero 8.* Notanter dixi *Ex vi interdicti*, quia aliunde nuptiarum benedictio prohiberi potest, vti tempore Paschatis, & Natalis Domini prohibetur etiam, iure nouo Trident. *sess. 24. de matrim. cap. 10.*

Sed quid si coniuges interdicti existant, poteruntne in loco 30
non interdicto benedici? Breuiter sub distinctione respondeo, si vterque, vel alter sit specialiter interdictus, nullatenus benedictio concedi potest quin prius ab Interdicto absoluatur, quia hæc censura cùm personam afficiat, quocunque sit ab officiorum diuinorum assistentia eam remouet idem est si vterque coniux, vel saltem vir fuerit generaliter interdictus, neque per domicilij mutationem, aut alia via ab Interdicto non liberetur, quia eo durante priuatus est quolibet diuino officio; at si mulier generaliter interdicta sit, non autem vir, optimè benedici poterunt Matrimonio contracto, quia per ipsum mulier sortitur forum, munera, & honores sui viri. *leg. fœminæ ff. de Senatorib. leg. fin. Cod. de incolis*, ac proinde sicut vir benedici potest, sic ipsa, quia iam in ea Interdictum cessauit, vtpote quæ iam non pertinet ad communitatem interdictam, sed ad sui viri communitatem quæ vt supponitur, interdicta non est. Sic aliis relatis docuerunt Sanch. *lib. 7. de matrim. disput. 8. n. 19.* Sayr. *lib. 5. thesaur. c. 7. n. 46.* Bonac. *t. 1. disp. 5. de censur. p. 3. §. 3. in fine.*

§. II.

De secundo effectu Interdicti qui est priuatio diuinorum officiorum.

1 *Quid sub nomine officij veniat intelligendum.*
2 *Ab hac prohibitione eximitur celebratio Missæ semel in hebdomada iure antiquo: nouo verò relato in* cap. alma mater *concessum est Missas, & officia diuina celebrari quatuor conditionibus appositis.*
3 *Hoc priuilegium concessum est non laïcis, sed clericis, & qui sub nomine clericorum veniunt.*
4 *Quicunque clerici etiam exteri admitti possunt.*
5 *Concessum est hoc priuilegium pro Ecclesiis, & Monasteriis.*
6 *Ad priuata oratoria, aliaque loca hoc priuilegium plures censent extendi.*
7 *Probabilius est oppositum.*
8 *Satisfit contrariis fundamentis.*
9 *In locis in quibus celebrari possunt Missæ & diuina officia, quibus*

qualibet Missa siue propria illius diei, siue alterius celebrari poterit.

10 *Hæc concessio* dicti cap. alma *intelligenda est de interdicto locali generali, non speciali.*

11 *Ex interdicto generali personali populi concessio relata in* dict. capitib. permittimus. *Et* alma *non restringitur.*

12 *Conditiones seruandæ sunt quatuor. Prima, vt submissa voce Missa, aliáque diuina officia celebrentur.*

13 *Secunda vt ianuæ omnes per quas ad Ecclesiam patet aditus, sint clausæ.*

14 *Tertia ne pulsentur campana.*

15 *Quarta vt excommunicati, & interdicti exeludantur.*

16 *Refertur casus in quibus Laici ad diuina officia, & sacrificium in loco interdicto admittantur.*

17 *Suspenditur Interdictum in quatuor præcipuis festiuitatibus anni, & ex particularibus priuilegiis in aliis festiuitatibus.*

18 *Hæc priuilegia non censentur reuocata à* Trident. *etsi plures contrarium censeant.*

19 *Explicatur, an sub festo Natalis Domini, Paschæ & Pentecostes plures vel vnus tantùm dies comprehendatur.*

20 *Item à quo tempore incipiant hæ festiuitates, & quando finiantur.*

1 COnstat in loco interdicto, & à personis interdictis siue specialiter, siue generaliter officia diuina prohibita esse. *Cap. permittimus de sententi. excommunicat.* Ea autem sub nomine officij diuini veniunt quæ primò, & per se annexa sunt alicui Ordini sacro, quæque à solis clericis ex institutione Christi, vel Ecclesiæ fieri permittuntur, vti sunt Sacrificium Missæ, benedictio olei, chrismatis, fontis pro sacramento conficiendo requisita. Item benedictio templi, vestium sacrarum, aquæ, benedictæ, altaris consecratio. Horas canonicas, & officium B. Virginis cum Psalmis, & litaniis si in communi dicantur, & in loco ad id specialiter deputato, & cum ordinaria solemnitate non est dubium sub prohibitione officiorum diuinorum comprehendi cùm institutæ sint, vt nomine Ecclesiæ à clericis eo modo recitentur. Secùs verò si in priuata domo recitatio fiat, quia ea non est publica oratio, sed priuata, & ordini clericali minimè annexa. Vti tradit Suar. *disp. 34. sect. 3. num. 13.* Quod à fortiori est si in aperto campo horæ Canonicæ absque vlla solemnitate Ecclesiastica recitarentur, quia recitatio non vt à ministris Ecclesiæ, sed tanquam à priuatis fidelibus peragitur. Vti aliis relatis docuit Sayr. *lib. 5. thesauri. cap. 5. num. 12.* Quapropter illud solùm est censendum officium diuinum tempore Interdicti prohibitum, quod de se Ordinem sacrum requirit. Vt benè cum aliis adnectunt Suar. *disp. 34. sect. 3. num. 7.* Sayr. *lib. 5. cap. 5. numero 4.* Aula *5. p. disp. 4. sect. 1. dub. 1.* Coninch. *disp. 17. dub. 2. num. 26.* Bonac. *disput. 5. p. 4. à num. 1.* Vnde sub officiis diuinis non comprehenditur concio, quia non ad Deum, sed ad populum instruendum ordinatur, neque benedictio mensæ, neque recitatio orationum Ecclesiæ pro itinerantibus constitutarum, neque aliorum Psalmorum absque ordine officij, neque litaniarum, neque laudum B. Virginis aliorúmque sanctorum absque ea solemnitate quæ moris est à clericis peragi, neque adoratio Crucis in die veneris sancti absque illius precibus, & orationibus, quia hæc omnia non sunt instituta, vt à solis ministris Ecclesiæ præstentur. Vti latiùs comprobat Nauar. *c. 27. num. 76.* Henriq. *lib. 13. cap. 44. num. 2.* Sayrus *lib. 5. cap. 5. à num. 38.* De sola recitatione publica, & solemni horarum canonicarum à Monialibus præstita, dubitare quis poterit, an sub officio diuino per Interdictum prohibito, comprehendatur; dicendum est comprehendi, nam esto illa recitatio vt à Monialibus fit, non sit ordini sacro annexa; quia tamen per se ex sua institutione solemnis horarum Canonicarum recitatio à ministris consecratis peragitur, & in ordine ad prædictum munus peragendum ministri consecrantur; ea de causa Monialibus quibus hæc solemnis recitatio indulgetur, censenda est tempore Interdicti prohibita. Vti aduertit Suar. *dicta sect. 3. num. 8.* Paul. Layman. *lib. 1. sum. tract. 5. part. 4. c. 2. num. 2.*

2 Ab hac tamen generali prohibitione exceptio facta est in *cap. permittimus de sententia excommunicat.* vbi à Gregorio IX. concessum est non solùm in Interdicto generali loci, sed speciali Missam semel in hebdomada celebrari ad conficiendam Eucharistiam pro infirmis, seruatis tamen conditionibus in *cap. alma mater* præscriptis, nempe vt submissa voce, ianuis clausis, non pulsatis campanis, & excommunicatis, & interdictis exclusis. Deinde in *cap. quod in te de pœnitent. & remissionib.* permissum officium diuinum à clericis binis, vel ternis peragi non cantando, sed legendo sub eisdem prædictis conditionibus. Hæ autem concessiones extensiæ sunt in *cap. alma mater* (quod est finale) *de sentent. excommunicat. in 6.* ibi enim Pontifex non semel in hebdomada, sed singulis diebus facultatem fecit clericis Missas celebrandi, & officia diuina peragendi in quibuscunque Ecclesiis, & Monasteriis, seruatis prædictis quatuor conditionibus, nempe ianuis clausis, voce submissa, non pulsatis campanis, & excommunicatis, & interdictis exclusis.

Hoc priuilegium concessum est non laicis, sed clericis. 3
Sub quorum nomine veniunt omnes Ecclesiasticæ personæ, quæ priuilegio Canonis, & fori gaudent, siue sæculares, siue regulares, siue viri, siue fœminæ, quia verè hi ad clerum pertinent & traduntur omnes Doctores referendi. Excipiunt tamen clericos coniugatos, etiamsi priuilegio canonis, & fori gaudeant. Nauarr. *cap. 27. num. 174.* Couarruu. *cap. alma 2. p. §. 4. num. 4.* Vgolin. *tab. 5. cap. 8. §. 5. num. 5.* Tolet. *lib. 1. cap. 20.* Sayr. *lib. 5. cap. 5. num. 34.* Gaspar Hurtado *difficult. 7. num. 20.* quia hoc priuilegium distinctum est. Sed rectiùs contrarium docuerunt Sotus *in 4. d. 2. q. 3. art. 1. post. 4. conclus.* Aula *5. p. disp. 4. sect. 2. dub. 4. conclus. 4.* Coninch. *17. dub. 1. num. 30* Bonacina *t. 1. disp. 5. p. 4. num. 20.* Paulus Layman *lib. 1. sum. tract. 5. part. 4. cap. 2 num. 2. vers. 4.* uar. *5. de censur. disp. 34. sect. 4. num. 1. & 2.* eo quòd coniugati priuilegio canonis, & fori gaudentes necessariò adscripti sunt ex mandato Episcopi alicuius Ecclesiæ obsequia, iuxta Conc. Trident. *sess 23. cap. 6. de reformat.* Sunt igitur iam ministri altaris constituti. Ergo non debent ab officiis diuinis excludi, sed potiùs admitti. Sicut ante Interdictum admittebantur, siquidem finis concessionis Pontificis in *d. cap. alma* fuit, vt officia diuina in Ecclesiis tempore Interdicti peragerentur sicut ante Interdictum cui intentioni manifestè obstaret exclusio coniugatorum qui ante Interdictum in officiis diuinis ministrabant.

Hanc doctrinam restringit Archidiac. *in dicto capit. alma* 4
ne procedat in clericis exteris seu alienigenis. Hi enim (inquit) nequeunt admitti. Ducitur illis verbis Textus: *Canonicos, & Clericos Ecclesiarum admittendos esse*, quasi diceret qui non sunt illarum Ecclesiarum non debent admitti. Sed contrarium docuerunt Nauarr. *cap. 27. num. 174.* Couarruu. *cap. alma 2. p. §. 4. num. 4.* Vgolin. *tab. 5. cap. 8. §. 5. num. 5.* Sayr. *lib. 5. capit. 5. num. 35.* Henriq. *lib. 13. cap. 44. num. 4.* Auila *5. p. disp. 4. sect. 2. dub. 4. concl. 3.* Paul. Layman *lib. 1. sum. tract. 5. p. 4. cap. 2. num. 2. vers. 4.* eo quòd hi exteri ante Interdictum ad officia diuina vt ministri Ecclesiæ admittebantur. At Bonifac. VIII. *in dicto cap. alma*, concedit vt diuina officia peragantur sicut priùs, ergo hi necessariò admittendi sunt. Neque obstant supradicta verba textus, quia hæc referuntur ad consecutionem distributionum, non autem ad diuinorum celebrationem, vt benè notauit Sayrus *lib. 5. cap. 5. num. 35. in fine.*

Secundò concessum est hoc priuilegium pro Ecclesiis, & 5
Monasteriis, ibi: *Adijcimus præterea quòd singulis diebus in Ecclesiis, & Monasteriis Missa celebrentur, & alia diuina officia sicut priùs.* Nomine *Ecclesiæ* veniunt hospitalia authoritate Episcopi erecta, & nomine Monasterij tam virorum, quàm fœminarum conuentus, quia cùm hoc sit priuilegium, & in iure insertum, latè est interpretandum. Sicuti docet Couarruu. *cap. alma. 2. p. §. 4. num. 2.* Sanch. *lib. 7. de matr. disp. 8. numero 13. in fine.* Vgolin. *tab. 5. cap. 8. §. 5. n. 2.* Sayrus *lib. 5. capite 5. numero 21.*

Sed an in priuatis oratoriis, aliisque locis qui communi- 6
ter nomine Ecclesiæ, vel Monasterij non veniunt diuina celebrari possint seruatis quatuor conditionibus sicut celebrantur in Ecclesiis, & Monasteriis? Non est constans sententia. Affirmat Nauarr. *cap. 27. num. 175.* Vgolin. *tab. 5. c. p. 8. §. 5. n. 2.* Henriq. *cap. 46. n. 1.* Sayr. *lib. ... cap. 5. n. 21.* Suar. *disp. 34. sect. 1. n. 8.* Aula *5. p. de censur. disp. 4. sect. 2. dub. 3. concl. 3.* Paul. Laym. *lib. 1. sum. tract. 5. p. 4. cap. 2. num. 2. vers. 2.* Ducuntur, quia Bonifac. VIII. in *dicto cap. alma*, concedit celebrari diuina sicut priùs. Ergo vbicunque ante interdictum diuina celebrabantur, posito Interdicto celebrari poterunt, seruatis illis quatuor conditionibus. Secundò diuina officia ex vi Interdicti arctius prohibita sunt celebrari in Ecclesiis, & Monasteriis quàm extra. Ergo concessa celebratione in Ecclesiis, & Monasteriis, censetur concessa vbilibet. Textus namque meminit Ecclesiarum, & Monasteriorũ, quia frequentius ibi diuina celebrantur, non vt priuilegium restringeret, sed potiùs ampliaret, quasi diceret, *Concedimus diuina celebrari in quolibet loco ad id specialiter deputato, etiam in Ecclesiis, & Monasteriis*, verba namque posita in lege gratiæ frequentioris vsus, dispositionem non restringunt. Argum. *l. vn. Cod. de Raptu virginum.*

Nihilominus etsi hæc sententia sit valde probabilis, proba- 7
biliorem existimo extra Ecclesias, & Monasteria non posse diuina officia celebrari. Sicuti docuit Calderin. *tract. de interdicto, memb. 6.* Francus *d. cap. alma. 8. aditimus. num. 1.* Couarruu. *2. p. §. 4. num. 1.* Sanch. *lib. 7. de matr. disput. 8. numero 13.* Bonac. *t. 1. disp. 5. punct. 4 num. 10.* Ducor quia seruandæ est prohibitio diuinorum officiorum vi Interdicti facta, nisi in casibus à iure exceptis. *Cap. si sententia de sentent. excommunicat. lib. 6.* At solùm inuenitur excepta celebratio in Ecclesiis, & Monasteriis adhibitis illis quatuor præfatis conditionibus. Ergo extra Ecclesias, & Monasteria prohibitio seruanda est. Maximè cùm finis ob quem hæc concessio fit, non procedat in

oratoriis

oratoriis priuatis, aliisve locis. Non enim ex eo quòd in illis diuina non peragantur, adest periculum, vt populi deuotio tepescat, pullulent hæreses, & Ecclesiæ debitis obsequiis priuentur, qui sunt fines, ob quos Pontifex permittit in *dicto cap. alma* celebrari Missas, & officia diuina in Ecclesiis, & Monasteriis tempore Interdicti.

8 Neque obstant fundamenta contraria. Dico enim Pontificem concedere celebrare diuina sicut priùs, in Ecclesiis tamen, & Monasteriis non alibi, falsúmque est Interdictum arctius obligare in his locis à celebratione abstinere, quàm alibi, cùm Ecclesiæ, & Monasteria diuinis officiis deputentur, secùs verò alia loca. Præterquam quòd rationes ob quas Pontifex hoc priuilegium concessit in Ecclesiis, & Monasteriis procedunt, non extra. Indéque fit illa verba: *in Ecclesiis, & Monasteriis* non gratia frequentioris vsus, sed ad restringendam dispositionem apposita esse.

9 Illud est certum his in locis in quibus iuxta textum *in cap. alma* celebrari possunt Missæ, & diuina officia quælibet Missa siue propria illius diei, siue alterius celebrari potest. Vti aduertit Couarruu. *cap. alma, 2. p. §. 4. num. 3.* Sayrus aliis relatis, *lib. 5. cap. 5 num. 36.* Bonac. *t. 1. disp. 5. pun. 4. num. 19.* quia concessio est absoluta, & absque vllo fundamento restringeretur.

10 Tertiò hæc concessio *cap. alma* intelligenda est de interdicto locali generali, non speciali, quia textus in principio fecit sermonem de locis Interdicto suppositis, ac proinde de Interdicto generali. Ergo subiecta concessio de hoc Interdicto intelligenda est, cùm legis dispositio ex illius principio sumat interpretationem. *leg. 2. ff. de Iuris, & facti ignor. leg. 2. Cod. de imponenda lucratiuor. descript. lib. 10.* Præterea hoc priuilegium *d. cap. alma* concessum est eisdem ferè verbis quod fuit concessum Episcopo tempore Interdicti celebrandi *cap. quod nonnullis de priuilegiis*, quia Bonifac. VIII. voluit priuilegium illud Episcopis concessum ad omnes clericos extendere. At priuilegium Episcoporum expressè loquitur de interdicto generali loci, neque ad speciale extenditur, vt constat ex illis verbis: Cùm commune terræ interdictum fuerit. Et notat ex communi sententia Couarruu. *2. p. §. 2. num. 7.* ergo priuilegium *d. cap. alma* de solo generali locali Interdicto intelligendum est, maximè cùm rationes quæ mouerunt Pontificem ad illius concessionem non in Interdicto speciali locali, sed generali procedant. Atque ita tradit Glossa communiter recepta in *cap. alma verbo Ecclesiis, & ibi* Couarruu. *2 p. §. 4. numero 1. & §. 5. num. 2.* Nauarr. *capit. 27. num. 175.* Tolet. *lib. 1. c. 20.* Sanch. *lib. 7. de matr. disp. 8. n. 12.* Suar. *disp. 34. sect. 2. n. 1. & sect. 3. n. 33.* Henriq. *lib. 13. c. 47. n. 2.* Sayrus *lib. 5. c. 5. n. 20.* Auila *5. p. disp. 4. sect. 2. dub. 3. & 9.* Paul. Layman. *lib. 1. sum. tract. 5. par. 4. c. 2. n. 2. vers. porro.* Coninch. *disp. 17. dub. 2. num. 19.* Bonac. *t. 1. de censur. disp. 5. p. 4. n. 7. vers. secundo*, & alij apud ipsos maximè apud Sanch. & Sayr.

Vnde in Interdicto locali speciali seruandæ sunt regulæ traditæ in *cap. permittimus de sentent. excommunicat.* & *c. quod in te de pœnitent. & remiss.* Quapropter sicut ex vi *d. cap. permittimus* licitum erat etiã in Ecclesia specialiter interdicta semel in hebdomada celebrari ad renouandam Eucharistiam pro infirmis, etiam modò licet; quia concessio *d. cap. alma* non ad restringenda priuilegia tempore Interdicti facta est, sed potiùs ad illa amplianda, vt optimè notauit Sayrus *lib. 5. c. 5. numero 7.* aduersus Glossam *in d. c. permittimus, initio*, asserentem decisionem illius *cap. permittimus* hodie locum non habere. Quinimò si necessitas infirmorum vrgeat, neque sufficiant formulæ in illa Missa consecratæ, licitum erit alias Missas celebrare, prout necessitas expostulauerit. Sicuti testatur Nauarr. *c. 27. n. 173.* Sayrus *lib. 5. c. 5. n. 6.* Suar. *disp. 34. sect. 3. circa finem.* Auila *5. p. disp. 4. sect. 2. dub. 1. §. secundo notandum.* Bonac. *d. 5. p. 4. n. 7. vers. secundo.*

11 Ex Interdicto generali personali populi certum est concessionem *d. cap. permittimus*, & dispositionem *cap. alma mater* non restringi, quia ex vi huius interdicti Ecclesiæ interdictæ non sunt, neque etiam clerici qui officiis diuinis peragendis admittuntur. Sicuti notauit Sayrus *dicto cap. 5. numero 37.*

12 Conditiones autem seruandæ in huius priuilegij vsu quatuor sunt; vt sæpè dictum est. Prima vt submissa voce Missa, aliaque diuina officia celebrentur, hoc est absque solemni cantu, & taliter vt ab iis qui extra Ecclesiam fuerint, audiri non possint, bene tamen ab iis qui sunt intra Ecclesiam percipi, in qua conditione omnes Doctores conueniunt.

13 Secunda conditio, vt ianuæ omnes per quas ad Ecclesiam patet aditus sint clausæ, quod verum habet etiamsi Ecclesia sit in aliquo loco remoto, in quo nullum morale periculum adsit, quod ab aliquibus laicis audiri, aut videri sacrificium possit, quia id est per accidens, & ex casibus singularibus, & per accidens contingentibus lex generalis immutari non debet, vt benè aduertit Suar. *disp. 34. sect. 1. num. 14.* Debentque portæ ita esse clausæ, vt ab existentibus extra Ecclesiam videri non possint diuina, ideóque perforatæ esse non debent, seu in ipsis foramina facta, per quæ videri possint quæ intra Ecclesiam aguntur. Argum. *Clem 1. de sentent. excommunicat.* vbi Religiosi arguuntur, eo quòd in portis Ecclesiarum tempore Interdicti foramina facerent. Vti aduertit Suar. *loco allegato.* Sayrus *cap. 5. n. 27.* Si verò aliqui curiosi per parietes, vel alias iuncturas auscultarent diuina, excusantur celebrantes, cùm id fiat præter illorum intentionem. Sicuti notat Auila *5. p. disp. 4. sect. 2. dub. 3. vers. circa duas.* Non tamen est opus portas ita clausas esse, vt à volentibus egredi aperiri non possint, satis enim est si iunctæ sint: ex hoc enim sufficienter indicatur non posse alios nisi priuilegiatos ingredi, esto conueniens esset (inquit Suar. *disp. 34. sect. 1. n. 2.*) ostiarium apponi, qui ingressuros moneret de Interdicto, & non priuilegiatos repelleret. Non tamen est hæc diligentia in præcepto. Hæc procedunt, cùm officia diuina solemniter dicuntur, nam si in particulari dicerentur. V. g. si bini, vel terni Horas canonicas recitarent, iuxta Textum *in cap. quod in te, de pœnitent. & remiss.* tunc non est opus ostia claudere, sed satis est curare ne audiantur à non priuilegiatis. Sicuti docuit Nauarr. *sum. c. 27. n. 175.* Medina *in sum. lib. 1. c. 18. §. 13.* Sayrus *lib. 5. thesauri, c. 5. n. 11.* Auila *5. p. disp. 4. sect. 2. dub. 3. §. circa duas.*

Tertia conditio est, ne pulsentur campanæ ad Missam, & 14
diuina officia, nam cùm populus conuocandus non sit, sed potiùs à diuinis excludendus, non erat expediens signo vsitato ad illius conuocationem vti. Quod adeò verum est, vt nec vsus illius tintinnabuli parui ad *Sanctus*, & in eleuatione Hostiæ, liceat: vt plerique Doctores aduertunt. Sylueſt *verb. interdictum 5. q. 5. p. 6.* Nauarr. *cap. 27. n. 177.* Couarruu. *c. alma 2. p. §. 4. n. 5.* Suarez *disp. 34 sect. 1. num. 9.* Coninch. *disp. 17. dub. 2. n. 33.* Auila *dub. 8.* Bonac. *disp. 5. pun. 4. num. 8.* & colligitur ex *d. c. alma*, vbi pulsatio campanarum in sacrificio, officiisque diuinis recitandis, interdicitur. Sub nomine verò campanarum, quælibet siue maior, siue minor venit. Præterquam quod pulsatio huius tintinnabuli facilè extra Ecclesiam audiri, & ad solemnitatem pertinet, ideóque censenda est prohibita, sicuti organa, & alia signa solemnitatis prohibentur. *Cap. quod in te de pœnitent. & remissionib.* Verùm ad ea quæ non sunt officia diuinum licitum est pulsare campanas. V. g. ad conuocandum populum ad concionem, ad salutationem Angelicam, ad ostensionem reliquiarum, ad delationem Eucharistiæ, illiusque comitatum. Vti tradunt Suar. Auila, Bonac. & alij *locis allegatis.* Ex qua doctrina infert Bonacina, pulsari posse illas campanas, quæ in Ecclesiis de more pulsantur ad designandas Horas, Primam, Tertiam, Nonam, Vesperas &c. sed hoc mihi non probatur, eo quòd ea pulsatio non solùm destinata est ad designandum tempus Horarum, sed etiam ad conuocandos clericos ad eas Horas recitandas, & populum ad illarum auditionem, ideóque tempore interdicti silent. Quapropter Suar. *disp. 34. sect. 1. n. 18.* concedens hanc campanarum pulsationem ad designandas Horas, illam concedit, dummodo Horæ non recitentur, idque omnibus notum sit, quia tunc cessat ratio, quod pro conuocando populo pulsentur, & in Horarum solemnitatem: etenim pulsatio campanarum per se prohibita non est, sed in ordine ad diuina officia. At quia clerici conuocandi sunt ad officia recitanda, ideò ad illorum conuocationem vti Ecclesia solet signo tabulæ, vel tubæ, vt notat Sayr. *lib. 5. c. 9. n. 3.* Suar. *sect. 1. num. 16.* Henriq. *lib. 13. c. 46. n. 1.* Bonac. *pun. 4. num. 9.* Auila *5. p. disp. 4. sect. 2. dub. 8.*

Quarta conditio est, vt excommunicati, & interdicti ex- 15
clu dantur. Excommunicati, inquam, & interdicti denunciati, quia hos tantùm tenemur vitare post Extrauag. *ad euitanda scandala.* Quod si interdictus nollet exire post monitionem, debemus nos gerere ac si excommunicatus esset. Vti ex communi sententia docent Suar. *disp. 34. sect. 2. num. 9.* Auila *5. p. de censur. disp. 1. dub. 1. concl. 3.* Paul. Layman. *lib. 1. sum. tract. 5. par. 4. cap. 2. num. 2.* Et colligitur ex *cap. alma* vbi æquè excommunicatos & interdictos præcipit excludi. Quod omnino tenendum est, si celebratio fiat in loco interdicto, quia eo casu non conceditur facultas celebrandi nisi exclusis interdictis, ac proinde cessandum est à celebratione, si interdicti expelli nequeunt, & canon Missæ inceptus non sit, aliàs incurret celebrans irregularitatem, vtpotè violans Interdictum, vt notant Doctores nuper relati. Verùm si celebratio fiat in loco habili, & ingrediatur persona interdicta denunciata, censet vt probabile Suar. *dicta disp. 34. sect. 2. num. 10.* & Layman. *dicto cap. 2. num. 2. vers. 7.* non esse obligatum sacerdotem omittere Missam, si interdictus nolit exire, quia iura prohibentia celebrationem coram interdicto loquuntur de loco interdicto, in quo non permittunt celebrare diuina nisi interdictis, & excommunicatis exclusis: ex alia parte non pohibetur per Interdictum communicatio cum interdictis, sicuti prohibetur cum excommunicatis. Nulla ergo ratio est cogens Sacerdotem omittere sacramentum, eo quòd adsit interdictus.

Ex hac conditione alicui videbitur non solùm clericos, sed etiam laicos (modo excommunicati, & interdicti non sint) ad diuina admitti tempore Interdicti posse. Nam cùm tegnus

solos excommunicatos, & interdictos excludat, tacitè videtur omnes alios admittere. Sed certissimum est laicos nisi privilegium habeant excludendos esse, vt colligitur ex conditionibus superiùs enumeratis, & præcipuè ex *cap. licet. & cap. quoniam Episcopi, de Priuilegiis, lib. 6.* vbi ex priuilegio permittuntur layci diuinis tempore Interdicti assistere. Quod frustraneum esset, si seclusò priuilegio assistere possent. Argum. *leg. 1.* Et *ibi* Glossa, *ff. ad Municipalem.* Neque obest quòd textus in *d. cap. alma*, solùm excommunicatorum, & interdictorum meminerit, quia id factum est, ne excommunicati, & interdicti siue clerici sint, siue laici, admitterentur, nam de laicis iam supponebat textus non debere admitti, siquidem solis clericis priuilegium concedebat, & in eius vsu præscribebat, ne pulsarentur campanæ, néue ostia essent aperta, néue alta voce officia dicerentur, quæ omnia indicant manifestè populum ab illis officiis exclusum esse. Sicuti tradit Glossa *in dicto cap. alma, verbo interdictis.* Et *ibi* Ancharran. Geminian. & Franc. Couarruu. §. 4 *num.* 4. Nauarr. *cap. 27. n.* 174. Henriq. *lib. 13. cap. 46. num. 3.* Vgolin. *tab. 5. cap. 8. §. 4. num. 1.* Sayrus *lib. 5. thesauri, cap. 5. n. 24.* Suar. *disp. 34. sect. 1. num. 17.* Auila *5. p. disp. 4. sect. 2. dub. 4. concluſ. 1.* Paul. Layman. & Bonac. *loc. alleg.*

16 Verùm aliquibus casibus contingit laicos ad diuina officia, & sacrificium in loco interdicto admitti. Primò si defectum rationis habeant, sicuti sunt infantes, & amentes, quia eorum præsentia non est moralis, & humana, ideóque sub prohibitione Interdicti non continetur. Sicuti docet Couarruu. *in dicto cap. alma, 2. p. §. 4. num. 5.* Suar. *disp. 34. sect. 1 num. 34.* Auila *5. p. disp. 4. sect. 2. dub. 5.* Eman. Rodrig. *in explicat. bullæ, §. 5. dub. 2. num. 14.* Layman. *lib 1. sum. tract. 5. p. 4. cap. 2. num. 2. vers. sequuntur.* Secundo admittuntur layci ad actionem per quam Ecclesiastici constituuntur, nempe viri ad susceptionem primæ tonsuræ, & fœminæ ad consecrationem in monasterio. Hæ enim actiones, esto incipiant in persona layca, finiuntur tamen in Ecclesiastica; ob quam causam in loco interdicto, seruatis dictis conditionibus, licent. Vt notauit Suar. *de censur. disp. 34 sect. 3. num. 17.* Tertio ex necessitate sacrificij admitti laici possunt, si enim sacerdos sacrificaturus nullum haberet ministrum clericum, posset conuocare layeum non interdictum denunciatum, vt sibi ministraret, ne priuilegium quod habet reddatur inutile. Concesso namque priuilegio, concessa censentur quæ ad eius vsum necessaria sunt. Argum. *cap. licet. de Priuilegiis in 6.* Et tradit ex communi sententia Couarruu. *dicto cap. alma 2. p. §. 4. numero 5.* Nauarr. *cap. 27. num. 181.* Suar. *disp. 34. sect. 2. num. 31.* Auila *5. p. de censur. disp. 4. sect. 2. dub. 7. concluſ. 3. §. ex dictis.* Henriq. *cap. 48. num. 3.* Saa, *verbo interdictum, num. 22.* Layman. *lib. 1. sum. tract. 5. p. ar. 4. cap. 2. num. 2. vers. altera exceptio.* Et alij. Quartò ex priuilegio sæpè laici diuinis tempore Interdicti assistunt, sicuti omnes Doctores aduertunt. Quinimo ex priuilegio concesso singulari personæ, omnes illius domestici qui de more eum comitari solent, possunt cum eo diuinis assistere, ex Textu in *dicto cap. licet de Priuilegiis in 6.* aliàs inutile esset priuilegium, si suum ordinarium ferre non posset. Quod verum est etiamsi famuli recepti sint tempore interdicti, modò non sint in fraudem illius recepti. Ipsi verò famuli si semel cum domino diuinis non assistunt, nequeunt per se assistere, quia solùm ratione comitatus hæc illis assistentia permissa est. Vti ex communi sententia hæc tradunt Nauarr. *cap. 27. num. 180.* Sayrus, plures referens, *lib. 5. cap. 5. à numero 29. & sequent.* Suar. *disput. 34. sect. 1. numero 32.* Auila *5. p. disputat. 4. sect. 2. dub. 7. §. secundo notandum.* Bonac. *tom. 1. disputat. 5. p. 4. à numero 20.* sub nomine familiarium hi comprehenduntur qui dominum de more comitantur, quiue ei obsequuntur. Auila autem *dicta disp. 4. sect. 2. dub. 7. concl. 2.* quem approbare videtur Bonac. extendit ad vxorem, filios, nepotes, seruos, & alios qui ratione potestatis paternæ, vel dominij cum priuilegiato degunt, sed nimia videtur extensio. Notanter dixi *ex priuilegio singulari personæ concesso*, nam ob priuilegium communitati verbi gratia collegio, conuentui assistendi diuinis nequeunt eius familiares assistere. Sicuti colligitur ex *dicto cap. licet de Priuilegiis in 6.* Et aduertit Sayrus *d. lib. 5. thesauri, cap. 5. numero 20.* Coninch. *disput. 17. dub. 2. num. 38.* Nam in priuilegio communitati concesso, non vrget ratio extensionis ad familiares, quæ adest in priuilegio singulari personæ concesso. Etenim priuilegium singularis personæ frequenter redderetur inutile, si eius familiares admitti non possent, quod in priuilegio communitatis non procedit.

17 Tandem in *dicto cap. alma*, suspenditur Interdictum in quatuor præcipuis festiuitatibus anni, scilicet Natiuitatis Domini, Paschæ, Pentecostes, & Assumptionis Beatæ Mariæ. Quam suspensionem Interdicti postmodum Martin. V. *in constitut. vlt.* quæ incipit: *Ineffabile sacramentum.* Et Eugenius IV. *in constitutione 4.* incipiente: *Excellentissimum*, extendit ad festum Corporis Christi non solùm pro die, sed per totam octauam. Deinde Leo X. priuilegium hoc extendit pro festo purissimæ conceptionis B. Virginis in tota Hispania. Et licèt Nauarr. *cap. 27. num.* 181. & Couarruu. *cap. alma. 2. p. §. 5. num. 2.* dicant concessionem hanc non fuisse absolutam, sed pro illis tantùm Ecclesiis, in quibus recitatur officium purissimæ Conceptionis ordinatum per quemdam Protonotarium, cuius Missa incipit: *Egredimini.* Consuetudine tamen factum est, vt extensio habeat locum, quamuis non dicatur prædictum officium: sicuti tradit Henriq. *lib. 13. cap. 47. num. 4.* Auila *5. p. disp. 4. sect. 2. dub. 9. §. secundo est notandum.* Suar. *disp. 34. sect. 1. num. 41.* vbi testatur ex Concilio. Trident. hæc priuilegia reuocata non esse, quia non sunt concessa singularibus personis, vel conuentibus; sed prouinciæ, vel regno. Aliæ sunt extensiones aliquibus Religionibus factæ, de quibus latè Henriq. *lib. 13. de excommunicat. cap. 48.* Auila *dicto dub. 9.* Manuel Rodrig. *in explicat. bullæ Cruciatæ in additionibus ad §. 5. n. 38. & seqq.* vbi asserit Religiosis medicantibus concessum esse priuilegium suspendendi Interdictum in festiuitatibus suorum Sanctorum, & in festo Circumcisionis, Epiphaniæ, & in quatuor festiuitatibus B. Mariæ Virginis, & in festis Apostolorum, ac denique in dedicationis Festo suarum Ecclesiarum. Item ex concessione facta Ordini S. Hieronymi, testatur posse mendicantes Interdictum suspendere in festiuitatibus Apostolorum, sanctissimæ Trinitatis, S. Ioannis Baptistæ, & in festiuitatibus S. Marci, & S. Lucæ Euangelistæ, & in festo omnium Sanctorum, & in commemoratione omnium fidelium Defunctorum, quatenus dicitur Missa maior, & fit processio.

Sed an hæc priuilegia reuocata sint à Concil. Trident. 18
sess. 25. cap. 12. de Regularib. non est constans sententia. Nam Nauarr. *cap. 27. num. 190.* & *consil. 7. de priuileg. in noua edit.* Nicol. Garcia *de benefic. 3. p. cap. 2. num 278.* & *5. p. cap. 8. num. 87.* referens pro se Cardinalium decisionem. Bonac. *tom. 1. de censur. disp. 5. pun. 1. num. 2 c.* asserunt reuocata esse. Sed rectius sustinuerunt contrarium Henriq. *lib. 13. cap. 48. num. 1.* Rodrig. *qq. regular. t. 2. q. 112. art. 2.* & *in explicat. bullæ Cruciatæ, §. 5.* & *in illius additionibus. numero 35.* Alterius *de interdicto, disp. 1. cap. 4. post medium.* Sayrus *lib. 5. cap. 13. num. 24.* quia in Concil. Trident. solùm reuocantur priuilegia concessa aliquibus Religionibus, quæ omnino eximebantur ab obsercatione Interdicti in Ecclesia marrice positi, vt ex *Collectore priuilegiorum Ordinis mendicantium, verbo interdictum 1. §. 26. & 27.* refert Sayrus *dicto cap. 13. num. 24.* At ex vi prædictorum priuilegiorum non eximuntur omnino Mendicantes ab obseruatione Interdicti, sed pro aliquibus tantùm diebus, & in ordine ad aliquem effectum. His enim diebus in quibus ex *cap. alma mater*, & ex Bulla Martini V. & Leonis X. & ex priuilegiis Religiosorum Interdictum generale loci suspenditur; diuina officia permittuntur celebrati solemniter, campanis pulsatis, ianuis apertis, alta voce excommunicatis prorsus exclusis, sed interdictis admissis, ita tamen vt illi ob quorum excessum est interdictum prolatum altari nullatenus appropinquent, hoc est nullo modo communicent, neque ab illis oblationes in Missa accipiantur. Sicuti explicat Suar. *disp. 34. sect. 1. num. 37.* Coninch. *disp. 17. dub. 2. num. 35.* Argum. *cap. quia in omnibus 33. de Vsuris?* vbi infamibus, & rebellibus hæc prohibentur. Nam de propinquitate secundùm locum non videtur commodè textus intelligi posse, cùm vir definiri posset quæ propinquitas sit prohibita.

Duplex in hoc priuilegio est difficultas. Prima, an sub fe- 19
sto Natalis Domini, Paschæ, & Pentecostes plures, vel vnus tantum dies comprehendatur; Communis sententia, quam tuetur Glossa *ibi, verbo assumptio.* Sylvest. *verb. Interdictum 5. q. 2. num. 3.* Nauarr. *cap. 27. num. 182.* Henriq. *lib. 13. cap. 47. num. 2.* Sayrus *lib. 5. cap. 13. num. 4.* Suar. *disp. 34. sect. 1. num. 38.* Filliuc. *tract. 18. cap. 3. num. 109.* & alij affirmant vnicum tantùm diem comprehendi, qui de solo illo fit officium Natiuitatis, Paschatis, & Pentecostes, aliis diebus de S. Stephano, & S. Ioanne, vel de Paschatis octaua: aliàs si ob officium octauæ illis diebus celebratum, priuilegium extendendum esset ad totam octauam extenderetur, quod est absurdum. Nihilominus probabilitate non caret, quod docent Sotus *in 4. d. 22. q. 3. art. 1. concluſ. 4.* Alfonſ. Viuald. *tit. de interdicto, num. 237. & 238.* Auila *5. p. de censur. disp. 4. sect. 2. dub. 9.* Coninch. *disp. 17. dub. 2. num. 37.* Bonac. *t. 1. disput. 5. p. 4. num. 15.* Gasp. Hurtado *de interdicto difficult. 7. num. 24.* omnes dies festiuos Natalis Domini, Paschæ, & Pentecostes comprehendi, quia secundùm communem modum loquendi qui in his maximè spectandus est, illi dies qui vt festiui obseruantur, in Natalitio Domini, Resurrectione, & Spiritus S. aduentu in honorem illarum festiuitatum obseruantur, quod non tollit quominus in honorem aliorum Sanctorum simul obseruari possint, ergo ad illas festiuitates pertinent. Ergo priuilegium concedens suspendi Interdictum in illis festiuitatibus dies festiuos comprehendit, & sic praxis obtinuit.

Secunda difficultas est, à quo tempore incipiant hæ festiui- 20
tates & quando finiantur? Et quidem omnes conueniunt à primis vesperis vigiliæ incipere. At de tribus festiuitatibus Paschalibus, affirmat Sotus *in 4. d. 22. q. 3. art. 1. post 4. concluſ.*

Paludan. *in 4.d.18.quæst.8.art.2.princip.concl.7. num.11.* Et videtur esse Armillæ, *verbo interdictum, num.43.* Tabiena *eodem 5.num.2.§.1.* Viuald. *tit.de interdicto, num.242.* Et valdè probabile reputat Sayrus *lib.5.cap.13.num.7.* incipere à Missa vigiliæ antecedentis. Et quidem de festo Paschatis id certum existimo, quia omnes Doctores conueniunt à primis vesperis incipere solemnitatem festi, at vesperæ in ipsa Missa vigiliæ continentur, & simul cum ipsa dicuntur. Ergo à Missa incipit Paschalis solemnitas, & tradit Henriq. *lib.13. cap.47. num.3.* Polancus *de interdicto, circa finem pag.150.* Suar. *disp. 34.sect.1.num.42.* Sayrus *loc.alleg.* De festo Pentecostes, & simul de prædicto festo Paschatis hac ratione probatur, quia Missa quæ in vigilia illius diei celebratur, est propria diei sequentis; nam in Pascha Missa quæ erat dicenda nocte illa anticipatur, ideóque in otatione dicitur: *Deus qui hanc sacratissimam noctem.* In vigilia vero Pentecostes, præfatio dicitur de Spiritu sancto, & legitur communicanda. Ergo illæ Missæ ad festiuitatem diei sequentis pertinent, ac proinde ab illo tempore incipit festiuitas. De festo Natalis Domini probat Paludan. quia à Laudibus vigiliæ fit officium duplex, quasi iam inchoetur Natalis solemnitas. Sed quamuis hoc sic probabile, (vt censet Sayrus) probabilius existimo initium huius solemnitatis à primis vesperis, & non à Missa computandum esse. Nam si ex eo quòd Laudes in officio vigiliæ sub officio duplici recitentur, sumatur initium Natalis solemnitatis quoad Interdicti suspensionem, affirmandum est ab eo tempore, quo Laudes recitari possunt, suspendi Interdictum, ac proinde à prima nocte diei antecedentis vigiliam suspensum esse, quod est omnino falsum. Præterea introitus Missæ in vigilia præscriptus, manifestè indicat non ab eo tempore incipere Natalem solemnitatem. Inquit enim Ecclesia. *Hodie scietis quia venit Dominus, & manè videbitis gloriam eius.* Officium verò duplex quòd in Laudibus, & in Missa vigiliæ fit, præstatur non quia sit initium solemnitatis, sed quia est dispositio ad tantam solemnitatem. Sic tradit Suar. *dicta sect.1.num.40.* Polancus *in director.confessor. pag.150.* Auila *5.p.disput.4. sect.2.dub.10.concl.2.*

Finiuntur autem hæ festiuitates secundùm Authores *num. præced.* relatos in Completorio festi inclusiuè, quia completorium pertinet ad officium solemnitatis inclusiuè, & ex alia parte sub vespertino officio comprehenditur, vt notauit Glossa *in cap.vlt.dist.92.* Quod intelligendum est cum Medina *in sum.lib.1.cap.11.§.13.* Henriq. *lib.13.cap.47.num.3.* Alfonso Viualdo *tit.de interdicto num.246.* Sayro *lib.5. cap.13. num.8.* Suar. *disput.34.sect.3.num.22.* Auila *dicto dub.10.conclus.3.* secundùm diuersum modum recitandi diuersarum Ecclesiarum. Nam etiamsi in Ecclesia Cathedrali dictum sit completorium, & pulsatum ad Interdictum, poterit completorium in Monasteriis, aliisque Ecclesiis hora consueta dici cum solemnitate, dummodò in fraudem Interdicti non fiat. Non tamen licet vltra completorium prorogare suspensionem Interdicti pro toto illo die vsque ad mediam noctem, quia est contra communem sententiam vsu receptam: aliàs liceret matutinas preces, quæ prima nocte solent in Ecclesiis Cathedralibus dici, solemniter recitari, quod nullo modo est admittendum.

§. III.

De tertio effectu Interdicti, qui est priuatio Ecclesiasticæ sepulturæ.

1 *Priuat interdictum siue locale, siue personale Ecclesiastica sepultura.*
2 *Ab hac priuatione eximuntur Clerici.*
3 *Vt hoc priuilegio gaudeant quatuor conditiones seruanda sunt.*
4 *Plures docent in festiuitatibus concessis in* cap. alma *licitum esse corpora defunctorum publicè, & solemni ritu sepelire.*
5 *Probabiliorem existimo sententiam negantem.*
6 *Satisfit oppositis fundamentis.*
7 *Laicus habens priuilegium assistendi officiis diuinis, nequit ex vi illius in loco sacro interdicto sepeliri.*
8 *Priuilegium concessum Clericis extenditur ad interdictum locale speciale, modò Clerici sint illius Ecclesiæ, siue Clerici sint illius Ecclesiæ, siue alienæ.*
9 *Clerici in Ecclesia specialiter interdicta sepeliendi sunt absque cantu.*
10 *Interdictus personaliter modò denunciatus sit, priuatus est Ecclesiastica sepultura. Et idem est si generaliter fuerit interdictus.*
11 *Nominatim denunciatus interdictus si decedat absque absolutione, & nullum contritionis signum dedisse constiterit, extra locum sacrum sepeliendus est. Secus si constiterit signa contritionis exhibuisse, vel saltem sit suspicio probabilis.*
12 *Si interdictum sit solùm ab ingressu Ecclesiæ, & ante mortem pœnituerit nulla præstita absolutione, poteris Ecclesiastica sepultura tradi.*

INterdictum absolutè siue locale, siue personale priuat Ecclesiastica sepultura, quia is est vnus ex illius effectibus, vt tradunt omnes Doctores. Quare si locale sit interdictum priuat ne in illo loco sacro sepultura concedatur, si personale, ne ea persona Ecclesiasticæ tradatur sepulturæ. Sepulturam Ecclesiasticam appellamus locum sacrum per Episcopum benedictum in sepulturam fidelium destinatum. Sepeliri autem fideles in hoc loco, si interdictum est generale loci, constat esse prohibitum ex *cap. quod in te de pœnitent. & remissionib.* & sumitur ex *cap. cùm & plantare. §. quod si.* & *cap.vt priuilegia. Cap. Episcoporum de priuilegiis in 6.* Quod non solum habet verum in adultis, sed etiam in infantibus, vt superiùs diximus, quia hæc prohibitio viuentes respicit, quos obligat, ne fidelibus sepulturam Ecclesiasticam in loco interdicto concedant. Sicuti docet Nauarr. *cap.27. numero 168.* Sayrus *cap.8. num.5.* Henriq. *lib.13. cap.42.num.3.* & *cap.49.numero 2.* Paul. Layman. *lib.1.sum.tract.5.p.4. cap.2.num.3.* Bonac. *lib.1.sum.tract.5.p.4.cap.2.num.3.* Bonac. *t.1. de censur. disp.1.punct.5.num.9.* Dixi *in loco sacro*: nam extra locum sacrum etiamsi interdictus sit, vel in loco sacro non interdicto, non prohibentur corpora fidelium sepeliri, vt benè notauit Nauarr. *c.27.n.176.* Henriq. *lib.13.c.44.n.4.* Suar. *disp.35. sect.1.num.1.* Auila *5.p.disp.4.sect.2.dub.2.* Sublato interdicto qui extra locum sacrum sepultus est, debet exhumari, & in loco sacro sepeliri, vt præfati Doctores aduertunt. 1

Ab hac prohibitione eximuntur clerici, quibus decedentibus conceditur Ecclesiastica sepultura. *Cap.quod in te de pœnitent.& remissionib.* dummodò personali speciali interdicto ligati non sint, vel dederint causam culpabilem interdicto, quod perinde est, vel nisi Ecclesiasticum interdictum violauerint, actione inquam quæ clericorum sit propria, neque laicis communi, vt placuit Suar. *disp.35.sect.1.num.4.* Nomine *Clerici* intelliguntur in præsenti (vt *superiùs* dixi) omnes personæ Ecclesiasticæ siue regulares, siue viri siue fœminæ etiam Religionum nouitij. Quinimo coniugati si habitum, & tonsuram deferant, & ab Episcopo designati sunt alicui Ecclesiæ in illius Ecclesiasticum obsequium. 2

In huius priuilegij vsu præscribuntur quatuor conditiones, in *dicto cap. quod in te de pœnitent. & remissionibus.* Prima vt sepultura detur his clericis in cæmeterio Ecclesiæ; per quam conditionem videtur excludi Ecclesia, quæ nomine cæmeterij non venit, siquidem concessio accessorio non concessitur principale, imò tacitè denegatur. Verùm iam vsus obtinuit, teste communi sententia, nomine *cæmeterij* ibi comprehendi quemlibet locum sacrum sepulturæ fidelium destinatum. Vsurpauit enim Pontifex nomen cæmeterij potiùs quàm Ecclesiæ, quia frequentiùs ibi sepeliebantur fideles, & vix vllus nisi esset Princeps in Ecclesia sepeliebatur. Argum. *cap.Nullus, 13.quæst.2.* Et docet Couarruu. *cap.alma 2.part.§.1. num.7.vers. clericis.* Henriq. *lib.13. cap.44. num.4.* Auila *5.p. disp.4.sect.3.dub.2.vers.circa quam conclusionem.* Suar. *disp.35. sect.1.numero 7.* Secunda conditio est, vt fiat siue pulsatione campanarum, quæ explicanda est iuxta ea quæ *§. præced.* diximus de officiis diuinis. Tertia, ne fiat sepultura cum solemnitate, Ecclesiastica inquam; nam quæ pertinet ad humanum honorem, non prohibetur; vt notauit Suar. *dicta sect.1.n.8.* Quarta vt fiat cum silentio, hoc est absque officiis diuinis more Ecclesiastico dicendis. Potest tamen iuxta concessionem *cap.alma* celebrari Missa, & officium diuinum, seruata moderatione *ibi* præscripta. Vnde si extra Ecclesiam sepeliendum est corpus, nequit ibi vllum officium diuinum celebrari, vt aduertit Auila *supra dub.2. & 3.* Alios referens Suar. *disp.35.sect.1.n.9.* 3

Sed dubium est, an in festiuitatibus concessis in *cap. alma,* & aliis Apostolicis constitutionibus, de quibus *supra*, liceat corpora defunctorum quorumlibet sepelire publicè, & solemni ritu. Dixi *quorumlibet.* Nam corpora Clericorum non videtur dubium solemniter sepeliri posse; siquidem ipsis Ecclesiastica sepultura conceditur in *dicto cap.quod in te,* & solemnitas permittitur in *dicto cap. alma.* Quare de aliis fidelibus est quæstio, an concedi illis diebus possit Ecclesiastica sepultura? Affirmant S. Antonin. *3.p.tit.29.cap.4.ante medium.* Angelus *verb.interdictum 6.n.25.* Syluest. *verb.interdictum 5. q.2.vers.quartum.* Tabiena *eodem 5.num.12.* Nauarr. *cap.27.n. 181.in fine.* Henriq. *lib.13.cap.44.num.5.* & *cap.47.num.4.* Alfons. Viualdo *de interdicto, num.250.* Sayr. *lib.5.thesauri, c.8.n.1.* Bonac. *t.1.disp.5. de interdicto, p.5. n.7.* Ducuntur quia quibus communicamus viuis, defunctis communicare possumus. *Cap. sanè. 1.24. quæst.2.* Sed in his festiuitatibus licitè clerici cum omnibus fidelibus in diuinis officiis communicant. Ergo etiam cum illis iam defunctis communicare poterunt. Secundò sepultura sacra non tam ratione sui, quam ob diuina officia ei adiuncta prohibetur. Ergo concessis diuinis officiis 4

sepultura

sepultura concedi censetur. Tertiò hoc priuilegium *cap. alma mater*, est fauorabile fidelibus, & nemini nocuum, & est in iure insertum, ergo amplè est interpretandum, vt comprehendat non solùm officium diuinum quod pro viuis peragitur, sed quod peragitur pro defunctis. Neque his obstat Textus *in cap. cùm & plantare. §. quod si Templarij de Priuilegiis.* & *cap. vt priuilegia. §. illud eodem tit.* quibus contraria sententia præcipuè nititur: vbi sæculares ad sepulturam Ecclesiasticam non admittuntur, tametsi admittantur ad diuina officia, quia non in eorum fauorem, sed in fauorem Templariorum priuilegium illud concessum est. Secùs est de priuilegio *dicto cap. alma*, quod in fauorem totius populi Christiani expeditum fuit. Præterquam quòd ad sepulturam Ecclesiasticam admitti possunt omnes in *dicto cap. cum & plantare*, nisi expressè excepti fuissent. Cum ergo in *dicto cap. alma* nulla sit talis exceptio, asserendum est omnes admitti posse.

5 Cæterùm etsi hæc sententia valdè probabilis sit, probabiliorem existimo negantem his festiuitatibus posse solemniter quodlibet corpus defunctum sepulturæ concedi, quam docuit Glossa *in Clement. 1. verbo à iure de Sepultur.* Couarruu. plures referens, *dicto cap. alma* 2. *p.* §. 5. *num.* 6. Vgolin. *tab.* 5. *cap.* 9. §. 1. Maiol. *lib.* 3. *de irregularit. cap.* 23 *num.* 8. Suar. *disp.* 35. *sect.* 1. *num.* 13. Coninch. *disp.* 17. *dub.* 2. *n.* 55. Auila *disp.* 4. *sect.* 3. *dub.* 3. Filiuc. *tract.* 18. *num.* 99. Gaspar Hurtado *de interdicto difficult.* 9. Moueor, quia priuatio sepulturæ Ecclesiasticæ est vnus ex effectibus interdicti, & distinctus à priuatione diuinorum officiorum ex Textu *in cap. si ciuitas de sentent. excommunicat. in* 6. & *cap. episcoporum. de Priuileg. eodem lib.* At laicis tempore generalis localis interdicti, denegatur Ecclesiastica sepultura, quæ solis Clericis est concessa in *cap. quod in te de pœnitent. & remission.* Neque in *dicto cap. alma*, hæc denegatio reuocatur, cùm ibi nulla sit facta mentio sepulturæ Ecclesiasticæ. Ergo nullatenus possunt Ecclesiasticæ sepulturæ tradi. Secundò probo ex *cap. cùm & plantare.* §. *quod si Templarij de Priuilegiis?* vbi dicitur accedentibus Templariis, & Hospitalariis ad Ecclesiam interdictam semel in anno celebrari posse diuina officia publicè apertis ianuis, propter eorum iucundum aduentum, vt explicatur *cap. vt priuilegia. §. illud de Priuilegiis*, & tamen Ecclesiastica sepultura laicis denegatur. Ergo signum est ex concessione diuinorum officiorum sepulturam non esse concessam. Neque obstat non in fauorem laicorum, sed Templariorum hoc priuilegium concedi, siquidem ex solo fauore Templariis facto laici ad diuina admittuntur, cur ergo non admittuntur ad sepulturam? Neque valet dicere admittendos fore, nisi ibi expressè excipertur, quia illa exceptio non est noua dispositio, sed iuris declaratio. Et confirmo, quia in *dicto cap. quod in te*, conceditur clericis Ecclesiastica sepultura, non autem conceduntur diuina officia, sed potius ex vi *illius cap.* denegantur. Ergo Ecclesiastica sepultura quid distinctum est ab officiis diuinis; ac proinde ex concessione, vel negatione diuinorum officiorum, non est censenda concessa, vel negata sepultura.

6 Neque obstant argumenta contrariæ sententiæ. Ad primum concedo quibus communicamus viuis posse communicare defunctis in eadem re, secùs in diuersa. Vnde cùm non communicemus viuis in sepultura Ecclesiastica, sed solùm in diuinis officiis, infertur cum ipsis defunctis solùm in officiis communicare posse. Ad secundùm nego Ecclesiasticam sepulturam prohiberi ratione diuinorum officiorum tantùm; siquidem verè ratione sui prohiberur. Ad tertium concedo priuilegium *d. cap. alma* latè interpretandum esse, sed non vltra verborum proprietatem, cùm autem ibi illud priuilegium solùm sit de officiis diuinis, non verò de Sacramentis, & Ecclesiastica sepultura, efficitur sola officia diuina, non Sacramenta, neque Ecclesiasticam sepulturam permitti.

7 Ex his efficitur laïcum habentem priuilegium assistendi efficiis diuinis tempore interdicti, recipiendiue sacramenta, ex vi huius priuilegij tantùm non posse in loco sacro interdicto sepeliri. Sicuti Suar. Coninch. Vgolin. Hurtado, & alij *locis allegatis* docent, tametsi contrarium satis inconsequenter docuit Auila *suprà*, *dub.* 4. Concedo tamen, si priuilegium alicui concederetur sub hac generalitate, vt ad diuina admitteretur, posse ex vi illius Ecclesiasticæ sepulturæ tradi, quia ex illa generali concessione videntur omnes effectus interdicti suspendi. Argum. *cap. si sentent. excommunicat. in* 6. Vt benè aduertit Suar. *disp.* 31. *sect.* 1. *num.* 16.

8 Hucusque de interdicto generali locali sermonem fecimus. Etsi de interdicto locali speciali loquamur, nemini est dubium Ecclesiasticam sepulturam ibi prohiberi. Solùm est dubium, An exceptio, & priuilegium prædictum clericis concessum extendatur ad interdictum hoc locale speciale? Qua in re Innocent. in *cap. fin. de excessib. prælator.* & Ioan. Andreas *cap. quod in te de pœnitent. & remissionib.* & Summa Astens. 2. *p. lib.* 7. *tit.* 16. *art.* 3. initio negatiuam partem tuentur, ductí ex eo quòd in *dicto cap. quod in te*, vbi sepultura Ecclesiasticis decedentibus conceditur, sermo sit de interdicto locali generali. Non igitur extendi debet hæc concessio ad locale speciale interdictum.

Communior tamen sententia affirmat clericum in ea Ecclesia sepeliri posse, si illiusmet Ecclesiæ sit, nam esto expediens sit, vt in Ecclesia non interdicta si commodè fieri possit, sepeliatur, nulla tamen est obligatio, cum nullibi inueniatur clericus à sepultura loci specialiter interdicti exclusus. Nam Textus in *d. cap. quod in te*, mentionem faciens interdicti generalis, speciale non excluſit, & illa mentio facta est, quia interdictum generale est frequentius, non vt dispositionem restringeret. Sicuti tradit Panormit. in *dicto cap. quod in te, num.* 10. Syluest. *verbo interdictum* 5. *num.* 10. Couarr. *cap. alma.* 2. *p.* §. 2. *num.* 7. Henriq. *lib.* 13. *cap.* 44 *num.* 4. Sayrus *lib.* 5. *cap.* 8. *à n.* 12.

Si verò Clerici alieni sint grauior est dubitatio, an in loco specialiter interdicto sepeliri possint? Negant Panormit. Sylueſt. Couarrua, Henriq. *locis allegatis*, nam cùm habeant Ecclesias non interdictas, quibus sepeliri possint, non debet Ecclesia interdicta illis concedi. Hæc tamen ratio solùm probat conuenientiam non obligationem, ideóque probabilius existimo sepeliri in ea Ecclesia posse, quod docuit Hostiens. *in cap. fin. de excessib. prælator.* Paludan. *in* 4. *d.* 18. *q.* 8. *in art.* 2. *princip. conclus.* 10. Sayrus *lib.* 5. *cap.* 8. *num.* 13. Suar. *disp.* 35. *sect.* 2. *num.* 4. Auila 5. *p. de censur. disp.* 4. *sect.* 3. *dub.* 2. *vers. secundò notandum.* Moueor, quia nullus textus concessam clericis sepulturam tempore interdicti localis restringit ad propriam Ecclesiam. Item ex eo quòd clericis in *dicto cap. alma* concessum sit diuina celebrare *supernori* §. statuimus tàm Clericos illius Ecclesiæ, quàm alienos admitti posse. Ergo eadem ratione ex concessione sepulturæ clericis facta, omnes indifferenter admitti poterunt, quia ratio concessionis eadem in omnibus est, scilicet clericalis ordo. Præterquam quod plures essent clerici ab Ecclesiastica sepultura excludendi, cùm plures adsint nulli speciali Ecclesiæ ascripti.

9 *Illud* verò est certum Clericos in Ecclesia specialiter interdicta sepeliendos esse absque officio Missæ, & absque cantu, & pulsatione campanarum, quia ita præscribitur in *d. cap. quod in te.* Neque per concessionem *cap. alma mater* est aliquid mutatum, cùm concessio *cap. alma* non de interdicto speciali loci, sed generali loquatur. Sicuti notarunt Paludan. *dict. concl.* 10. Couarruu. §. 2. *num.* 2. *vers. clericis.* Henriq. *cap.* 44. *num.* 4. Sayr. *lib.* 5. *cap.* 8. *num.* 14.

10 Porrò si loquamur de Interdicto personali, si hoc speciale sit constat interdictum priuatum esse Ecclesiastica sepultura. *Cap. Episcopus de Priuilegiis in* 6. & *Clement. 1. de sepulturis.* Et idem est, si causam culpabilem Interdicto dederit, quia (vt sæpè dixi) hic habetur vt personaliter interdictus, neque in hac parte alicui etiam clerico fauor vllus conceditur, Debet tamen esse denunciatus, nam post Extrauag. *ad euitanda scandala*, nemini est neganda sepultura Ecclesiastica ex vi alicuius censuræ, vel sententiæ, nisi priùs fuerit ea censura, vel sententia denunciata. Vti colligitur ex ipsa Extrauag. & *ex cap. vt priuilegia de Priuilegiis.* & *cap. Episcoporum eodem tit. in* 6. Et tradit Suar. *disp.* 33. *sect.* 4. *à num.* 2. & *disp.* 37. *sect.* 2. *num.* 3. Coninch. *disput.* 17. *dub.* 2. *num.* 62. Paul. Layman. *lib.* 1. *sum. tract.* 5. *par.* 4. *cap.* 2. *in fine. num.* 4. Si verò generale interdictum sit, eadem ratione priuantur interdicti Ecclesiastica sepultura, quia hic est effectus proprius interdicti absolutè lati. Neque opus est, vt singuli communitatis interdictæ denuncientur, quia hoc ferè est impossibile. Satis namque est, vt ipsa communitas quæ interdicitur denunciata sit, ex eo enim reliqui qui partes sunt illius communitatis denunciati censentur, vt benè notarunt Suar. *disp.* 47. *sect.* 2. *num.* 3. Coninch. *disp.* 17. *dub.* 2. *num.* 56. Auila 5. *par. disp.* 5. *dub.* 2. §. *sed est aduertendum.* Paul. Layman. *lib.* 1. *sum. tract.* 5. *p.* 4. *cap.* 2. *in fine.* Tametsi non improbabiliter contrarium sentiat Saa, *verbo interdictum, num.* 3. Nauarr. *crp.* 27. *n.* 187.

11 Nominatim denunciatus interdictus si decedat absque absolutione, & nullum contritionis signum dedisse constiterit, neque illius vlla sit probabilis opinio, extra locum sacrum sepeliendus est. At si constat signa contritionis exhibuisse, vel saltem attenta conditione personæ, probabilis suspicio sit quod non esset decessurus absque pœnitentia, poterit præstita indirecta absolutione ab interdicto Ecclesiasticæ sepulturæ tradi. Sicuti tradunt aliis relatis Sayrus *lib.* 5. *capite* 8. *num.* 22. Eman. Rodrig. *in explicat. Bullæ.* §. 5. *num.* 11. Auila 5. *p. disp.* 4. *sect.* 3. *dub.* 1. *in fine.*

12 Tandem si interdictum sit solùm ab ingressu Ecclesiæ, & ante mortem pœnituerit etiamsi absolutus non sit, probabilius existimo nulla præstita absolutione posse Ecclesiasticæ sepulturæ tradi; quia hoc interdictum videtur appositum, quousque pœnitentia exhibeatur. Argum. *cap. is cui de sentent. excommunicat. in* 6. ibi *is cui est Ecclesiæ interdictus ingressus si durante interdicto decedat, non debet in Ecclesia, vel cæmeterio Ecclesiastico nisi pœnituerit sepeliri.* Ergo pœnitentia posita, vt pote conditione impleta sepeliri debet, neque absolutio ibi expostulatur. Sicuti notauit Sayrus *lib.* 4. *cap.* 9. *num.* 18. *in fine.*

§. IV.

De quarto effectu interdicti, qui est ab ingressu Ecclesiæ exclusio.

1 *Interdictum priuat Ecclesiæ ingressu sententia hominis supposita.*
2 *Quæ contineantur sub hoc effectu.*
3 *In cæmeterio potest hic interdictus diuina celebrare, & audire, tametsi aliqui contrarium censeant.*
4 *Non potest Diaconus, cui est Ecclesiæ ingressus interdictus, extra Ecclesiam positus Euangelium cantare, vel Missam audire.*
5 *Potest hic interdictus Ecclesiam ingredi, & ibi preces fundere, cùm non celebrantur diuina.*
6 *Plures censent ex vi huius interdicti te prohibitum esse Sacramenta in Ecclesia recipere.*
7 *Probabilius est oppositum.*
8 *Satisfit fundamento contrario.*
9 *Priuilegium concessum pro illis quatuor festiuitatibus, extenditur ad hoc interdictum.*

1 HVnc esse interdicti effectum decidit textus in *cap. sæpe de sentent. excommunicat.* & *in cap. is cui eodem tit. in 6.* aliquando tamen hic effectus suspensioni tribuitur, vt in *dicto cap. is cui.* & *cap. cum medicinalis eodem tit & lib.* Sicuti notauit Sayr. *lib. 4. thesauri, cap. 7. num. 11.* Requirit tamen hic effectus specialem sententiam, quia non est annexus interdicto absolutè, sed est quasi nouum interdictum.

2 Effectus huius interdicti sunt priuatio, & exclusio ab exercitio Ordinis sacri in Ecclesia, & à sepultura in ipsa, eiúsque cæmeterio. Vt haberur expressè in *dicto cap. is cui, de sentent. excommunicat. in 6.* Item ab auditione diuinorum officiorum in eadem Ecclesia ex *cap. præsentis 5. q. 2.* & *ex d. cap. is cui.* Nomine *Ecclesiæ* venit quodlibet templum authoritate Episcopi deputatum ad sacra peragenda. *Cap. penult. de immunit. Ecclesiar.* Priuatus ergo ab ingressu Ecclesiæ non potest Ordinem sacrum in Ecclesia exercere, neque ibi diuina officia audire: extra Ecclesiam tamen in oratorio priuato, aut in agro optime potest prædicta munia exercere; quia illa non est priuatio absoluta, sed limitata, scilicet in loco illo, vt ex communi tradunt Sylvest. *verbo interdictum 6. q. 5.* & *verbo suspensio num. 5.* Nauarr. *cap. 27. num. 175.* Couarruu. *cap. alma 2. p. §. 1. num. 3.* Suar. *disp. 35. sect. 4. num. 6.* Auila *5. p. disp. 4. sect. 3. dub. 5. concl. 4.* Sayr. *lib. 4. cap. 7. à num. 16.* & *lib. 5. cap. 9. à num. 22.* Bonac. *disp. 5. p. 5. num. 11.* Paul. Layman. *lib. 1. sum. tract. 5. par. 4. cap. 1. circa finem.*

3 Quæstio tamen nonnulla est an in cæmeterio possit hic interdictus diuina celebrare, & audire; Negat Paludan. *in 4. d. 18. quæst. 7. art. 3. concl. 2.* fauet Glossa *in dicto c. is cui. verbo cæmeterio de sentent. excommunicat. in 6.* Et probari potest, quia sepultura in cœmeterio huic interdicto prohibetur. Ergo etiam censenda est prohibita celebratio, & auditio diuinorum. Deinde si cæmeterium contiguum Ecclesiæ sit sub Ecclesia videtur comprehensum. Argum. *cap. si ciuitas de sentent. excommunicat. in 6.* vbi interdicta Ecclesia cæmeterium illi contiguum censetur interdictum. Tum quia accessorium sequitur naturam principalis. Tum quia vilipenderetur interdictum Ecclesiæ si cæmeterium liberum esset.

Dicendum tamen est hunc interdictum posse in cæmeterio diuina celebrare, & audire, non tamen sepeliri. Vti colligitur ex Glossa *d. cap. is cui. verbo in ea.* Ancharran. *num. 1.* Geminiano *n. 4.* Nauarr. *cap. 27. num. 170.* Couarruu. *cap. alma 2. p. §. 1. num. 3.* Vgolino *tab. 5. cap. 16. §. 3. num. 2.* Sayro *lib. 4. cap. 7. num. 16.* & *lib. 5. cap. 9. num. 22.* & *23.* Suar. *disp. 35. sect. 4. à num. 12.* Filliuc. *tract. 18. num. 103.* Bonac. *t. 1. disp. 5. punct. 5. n. 11.* Et probatur ex *sup. cap. is cui*, vbi Pontifex loquens de sepultura dixit huic interdicto prohibitam esse tam in Ecclesia, quàm in cæmeterio: at cum de diuinis officiis loqueretur solùm Ecclesiam expressit subdens ibi celebrantem fieri irregularem. Ergo satis indicauit officia diuina in cæmeterio non esse huic interdicto prohibita.

Neque obstat ratio in contrarium adducta, accessorium enim sequitur naturam principalis in fauorabilibus, sed non in odiosis. Quod si in *cap. si ciuitas*, sub interdicto Ecclesiæ cæmeterium contiguum comprehendatur, nō est quia cæmeterium Ecclesiæ sit accessorium, sed ne Ecclesiæ interdictum illudatur, quod in præsenti non procedit, quia hoc interdictum non afficit Ecclesiam, sed personam in ordine ad Ecclesiam, ideoque etsi cæmeterium accessorium sit Ecclesiæ, quia tamen non est accessorium personæ in ordine ad Ecclesiam interdictæ, ex interdicto ab ingressu Ecclesiæ non infertur à cæmeterio esse interdictum.

4 Sed an Sacerdote in Ecclesia celebrante possit diaconus cui Ecclesiæ ingressus est interdictus extra Ecclesiam Euangelium canere, vel Missam audire? Affirmant Henriq. *lib. 13. cap. 43. num. 4.* Auila *disp. 4. dub. 5. ante sextam conclusionem,* quia hic non in Ecclesia, sed extra diuina audit, & ministrat. Sed contrarium est commune, & quantum attinet ad cantum Euangelij omnino tenendum, eo quòd illa ministratio vnicam cum sacrificante in Ecclesia actionem constituit. & moraliter censetur in Ecclesia fieri. Præterea huic interdicto non prohibetur (vt dicemus) materialis ingressus in Ecclesiam, sed formalis scilicet ne diuinorum quæ in Ecclesia fiunt particeps sit. Atque ita docent Geminian. *in dicto cap. is cui, n. 7.* Antonin. *3. p. tit. 26. cap. 2. §. 2.* Sylvest. *verb. interdictum 6. q. 6.* Vgolin. *tab. 3. cap. 16. §. 2. num. 2.* Sayrus *lib. 5. cap. 9. num. 20.* Suar. *disp. 35. sect. 4. num. 7.* & *8.* Filliuc. *tract. 18. n. 104.* Bonac. *disp. 5. punct. 5. num. 11. in fine,* & alij.

Sed an tempore quo non celebrantur diuina possit hic interdictus Ecclesiam ingredi, ibique preces fundere? Non satis constat: nam Calderin. *tract. de interdicto, membr. 2. vers. sed quæritur.* Panormit. *in cap. cùm Ecclesia num. 3. de immunit. Ecclesiar.* Paul. Tuscus *de visitat. & regimine Eccles. cap. 32. n. 7.* Vgolin. *tab. 5. cap. 16. §. 1.* Suar. *disp. 35. sect. 4. num. 23.* Filliuc. *tract. 18. num. 105.* Alterius *de interdicto, disp. 7. cap. 2. sect. 4.* asserunt simplicem Ecclesiæ ingressum prohiberi directè ex vi huius interdicti, diuinorum vero celebratio, & auditio in consequentiam. Ducuntur ex *cap. latorem. 33. q. 2.* vbi cuidam matricidæ prohibetur Ecclesiæ ingressus per annum integrum, & subditur, vt ante fores Ecclesiæ, stans, orans, & deprecans Deum perseueret. Ergo nequit intra Ecclesiam orare, & Deum deprecari. 5

Cæterum etsi hæc sententia spectato verborum rigore vera esse videatur; at attenta intentione Ecclesiæ, veriorem existimo quæ affirmat interdicto ab Ecclesiæ ingressu non prohiberi Ecclesiam ingredi cum diuina non peraguntur. Quod docuit Innocent. *in cap. sacro verbo ingressum De sentent. excommunicat.* Nauarr. *cap. 27. num. 170.* Couarruu. *cap. alma 2. p. §. 1. n. 3. vers. poterit.* Costa *cap. is cui, num. 7. de sentent. excommunicat. in 6.* Sayrus *lib. 4. cap. 7. num. 15.* & *lib. 5. cap. 9. num. 22.* Auila *5. p. disp. 4. dub. 5. concl. 7.* Paul. Layman. *lib. 1. tract. 5. par. 4. cap. 1. circa finem.* Bonac. *disp. 5. de interdicto. 5. num. 11.* Ducor, quia templa deputata sunt eo fine præcipuo, vt ibi sacra solemniter peragantur, & populus ad ea audienda congregetur, ergo ingrediens templum quando nec sacra peraguntur, neque ea audire potest, non videtur ingredi templum formaliter, & quatenus institutum est. ac proinde neque violare præceptum impositum, ne Ecclesiam ingrediatur, quia intelligi debet de ingressu templi formalis & secundùm suam institutionem, seu de ingressu templi publico, & dum diuina aguntur, vt sic rubore perfusus videns se à communi oratione exclusum delicti pœniteat.

Neque obstat Textus *in cap. latorem.* Nam respondere possumus priuari ibi matricidam, orare, & deprecari Deum in Ecclesia cum aliis fidelibus quando diuina celebrantur; secùs extra Ecclesiam, vel in Ecclesia cum nulla celebrantur diuina. Quod apertè constat ex eo quòd post primum annum duobus sequentibus præcipitur huic matricidæ stare, vel orare in Ecclesia inter audientes. Signum igitur est loqui textum de tempore quo diuina fiunt. Præterea in illo textu non fertur interdictum de quo in præsenti, sed præceptum prohibitum in pœnam delicti commissi. Adde huic interdicto non esse prohibitum saltem sub graui culpa transire per Ecclesiam, cum ibi diuina celebrantur, ibique orationem breuem fundere, quia ex illo transitu dici non potest diuina audire, cum non per se, & ex proposito ea audiat. Sic docuit Nauarr. *cap. 27. num. 170.* Auila *5. p. disp. 4. dub. 5. concluſ. 7.* Bonac. *de interdicto disp. 5. p. 5. n. 11.*

6 Grauior dubitatio est. An ex vi huius interdicti ab ingressu Ecclesiæ prohibeantis à recipiendis in Ecclesia sacramentis? Affirmat Glossa *in cap. præsenti 5. q. 2.* & *cap. de viro mittendo 12. quæst. 2.* & *cap. latorem 33. q. 2.* vbi prohibitio Ecclesiæ ingressu simul prohibetur communio. Angel. *verbo suspensio 3. num. 4.* Sylvest. *eodem q. 5. circa finem.* Sayrus *lib. 5. cap. 9. num. 21.* Suar. *t. 5. de censur. disp. 35. sect. 4. num. 5. circa finem.* Coninch. *disp. 17. dub. 2. num. 59.* Paul. Layman. *lib. 1. sum. tract. 5. par. 4. cap. 1. circa finem.* Et probari potest, quia ideo diximus *numero præcedenti* hunc interdictum priuatum esse Ecclesiam ingredi, cum diuina celebrantur; quia Ecclesia ad id præcipuè deputata est, at etiam deputata est ad receptionem sacramentorum, ergo receptio sacramentorum prohibita censeri debet. Deinde receptio Sacramentorum quid nobilius est, quam diuinorum officiorum assistentia, sed interdictus ab ingressu Ecclesiæ excluditur ab officiorum diuinorum assistentia. Ergo à fortiori excludendus est à sacramentorum receptione.

7 Nihilominus etsi hæc sententia sit satis probabilis, probabiliorem credo spectato iuris rigore quæ asserit interdicto ab Ecclesiæ ingressu non esse prohibitum sacramenta in Ecclesia recipere. Sicuti docuit Henriq. *lib. 13. cap. 32. num. 1.* Auila *5. p. de censur. disp. 4. dub. 5. concluſ. 6.* Bonac. *disp. 5. de interd. pun. 5. n. 12.* Ducor, quia pœnæ extendendæ non sunt, absq; manifesto textu, vel ratione, at nullus est textus, ex quo colligatur huic interdicto prohibitam esse Sacramentorum

receptionem; quin potius ex *cap. sacro de sentent. excommunic.* & *cap. is cui eodem tit. in 6.* & aliis non leuiter infertur concessum esse, siquidem solum ibi enumeratur prohibitam huic interdicto esse diuinorum celebrationem, & auditionem, & sepulturam. Ergo cum nulla de Sacramentorum receptione mentio facta sit, intelligi debet permissa. Præterea id ipsum colligitur ex *dicto cap. De viro nefando.* & *cap. latorem*, vbi post interdictum latum communio specialiter prohibetur.

8 Neque obstat fundamentum oppositum, fateor enim Ecclesiam deputatam esse ad Sacramenta ministranda, & recipienda; ex interdicto autem ab ingressu Ecclesiæ non prohiberis omnibus, ad quæ Ecclesia deputatur, sed illis tantum, quæ ex aliquo textu colliguntur, cùm verò ex nullo colligatur Sacramentorum receptionem prohiberi, asserendum non est. Neque refert hanc receptionem grauiorem, & excellentiorem esse diuinorum officiorum assistentia, quia inde non probatur prohibitam esse, sed ad summum prohiberi debuisse. Præterquam quod illa receptio etsi excellentior sit non est ita frequens, ac ministratio diuinorum, illorumque assistentia.

9 Porrò priuilegium concessum pro illis quatuor festiuitatibus, in quibus in *cap. alma mater*, permittitur interdictis interesse diuinis, ad interdictos ab Ecclesiæ ingressu extenditur. Sicuti notauit Suar. *disp. 35. sect. 4. num. 5. in fine*, siquidem interdicti ab Ecclesiæ ingressu non efficacius excluduntur à diuinis officiis, quàm absolutè interdicti.

§. V.

De aliis effectibus qui solent interdicto attribui.

1 *Non priuat iurisdictione.*
2 *Neque indulgentiarum consecutione.*
3 *Neque suffragiis Ecclesiæ.*

1 PRimus enumerari solet priuatio iurisdictionis. Circa quem effectum distinguendum est de iurisdictione spirituali, & temporali, & de iurisdictione fori interioris, & contentiosi. Item de interdicto absolutè lato, vel lato ab ingressu Ecclesiæ. Si loquamur de interdicto absolutè lato, nullatenus priuat iurisdictione siue tèporali, siue spirituali, siue fori interioris, siue exterioris excepta iurisdictione, quæ in administratione aliquorum sacramentorum, & in officiis diuinis exercetur, quia ex nullo textu hæc pœna interdicto annectitur. Sicuti tradit Nauarr. *cap. 27. num. 176.* Couarruu. 2. *p. cap. alma. §. 1. num. 3.* Vgolin. *tab. 5. cap. 3. §. 2.* Henriq. *cap. 43. num. 4.* Suar. *disp. 35. sect. 4. num. 14.* Auila *disp. 4. dub. 5. concluf. 5.* Sayrus *lib. 5. cap. 6. num. 12.* Bonac. *de interdicto, disp. 5. punct. 6. num. 1.* Vnde interdictus absolutè excommunicare, suspendere, & ab his censuris absoluere potest, quia hæc ad iurisdictionem, & non ad ordinis officium pertinent, & ob eandem rationem potest indulgentias concedere, conferre beneficia, proferre sententias, testamentum condere, & similia, quia nullibi absolutè hæc interdicto prohibentur. Sicuti notant prædicti Doctores.

Idem dicendum est de interdicto ab Ecclesiæ ingressu, solum est differentia, quod hic interdictus priuatur omni vsu iurisdictionis in Ecclesia exercendo, qui ad Sacramentorum administrationem, officiorumque diuinorum pertinet, quia ab his omnibus remouetur, vt constat *ex §. præcedenti dictus.* At absolutè interdictus potest ibi aliqua Sacramenta ministrare, potest enim in foro interiori pœnitentes absoluere, quod tamen interdictus ab Ecclesiæ ingressu nequit. Argum. *cap. sacro de sentent. excommunicat.* & *ibi* Glossa, & *cap. vs cui, eodem. tit. lib. 6.* docent Doctores relati.

2 Secundus effectus est indulgentiarum consecutio. De quo effectu breuiter dicendum est ex vi nullius interdicti exclusum esse interdictum ab hac indulgentiarum consecutione, quia nullibi id cauetur. Per accidens tamen impediri potest. Nam si interdictus sit personalis specialis, & causæ interdicti non pœnituit, impeditur ab indulgentiis consequendis non ex vi interdicti, sed ex peccato mortali in quo perseuerat.

Deinde si opera iniuncta ad indulgentias consequendas nequit præstare, quia ex vi interdicti ab eorum executione remouetur, impeditur etiam ab indulgentiarum consecutione, sed hoc impedimentum formaliter non prouenit ex interdicto, sed ex eo quod non apponitur conditio operum, sub qua indulgentiæ sunt concessæ. Sicuti cum Vgolino tradit Sayrus *l. 5. th. cap. 9. in fine. n. 27.* Bon. *de int. disp. 1. 6. p. 6. in fine. n. 4.*

3 Tertius effectus esse potest priuatio suffragiorum, & bonorum Ecclesiæ. Sed dicendum est hanc priuationem nulli interdicto annecti, quia ex nullo textu colligitur. Quare si ex culpa, & peccato non impediantur interdicti horum bonorum participatione, nequaquam ex vi interdicti ab ea excluſi sunt, sed pro ipsis, sicuti pro aliis fidelibus Ecclesia preces fundere potest, vt aduertit Sayr. *lib. 3. thes. cap. 9. n. 26.*

PVNCTVM V.

Quod peccatum sit violatio interdicti?

1 *Clericus violans interdictum siue personale, siue locale ministrando Sacramentum, peccat mortaliter. Idem est ex se quoad officia diuina.*
2 *Ex leuitate materia peccatum veniale in officiis diuinis esse potest.*
3 *Ex exercitio Ordinum minorum vix Clericus committeret peccatum mortale potest.*
4 *Laici recipientes Sacramentum, mortale peccatum committunt.*
5 *Enumerantur casus, in quibus ob assistentiam diuinis officiis peccatum mortale laici committunt.*
6 *Aliqui censent secuſo Ecclesiæ contemptu, violentia, & fraude nullum committere peccatum laicos, diuinis in loco interdicto assistentes.*
7 *Certum est peccatum aliquod esse, & probabilius esse mortale.*
8 *Duplex conditio necessaria est pro obligatione cuiuslibet interdicti.*

1 LOqui possumus de Clericis, & de laicis. Clericus violians interdictum siue personale, siue locale ministrando Sacramentum, vel illud recipiendo, peccat mortaliter, quia contra prohibitionem Ecclesiasticam in re graui delinquit, neque huic conclusioni aliquis est qui contradicat. Quoad officia verò diuina in loco interdicto dubius est Caietan. *verbo interdicti violatio.* Sed reliqui omnes Doctores constanter affirmant ex se & ex suo genere, peccatum mortale esse violationem interdicti cuiuscunque siue localis, siue personalis. Quare Clericus interdictus diuinis assistens, vel in loco interdicto officia diuina celebrans aliter quàm permissum est, peccatum mortale committit, nisi ex paruitate materiæ, vel ignorantia excuſetur. Vti docuit ex communi sententia Tolet. *lib. 1. cap. 20.* Sayr. *lib. 5. thesauri, cap. 14. num. 5.* Suar. *disp. 34. sect. 4. à num. 10.* Coninch. *disp. 17 dub. 3. à num. 64.* Bonac. *de interdicto, disp. 5. pun. 7. num. 3.* Paul. Layman. *lib. 1. sum. tract. 5 par. 4. cap. 3. num. 1.* Gaspar Hurtado *de interd. diff. 10. num 32.*

Dixi *ex se, & ex suo genere*, nam ex leuitate materiæ sæpè 2
veniale peccatum esse potest. Si enim parti officij diuini arbitrio prudentis non notabili clericus interdictus assistat, vel illam recitet in loco interdicto absque moderatione præscripta in *cap. alma mater*, non mortale, sed veniale peccatum committet, vti relati Doctores aduertunt. Quare inquit Suar. *dicta sect. 4. num. 13.* si Sacerdos celebrans in loco interdicto ostium apertum esse permittat, dum cantatur Euangelium, vel fit offertorium, vel post communionem orationes recitantur, nō mortaliter, sed venialiter tantùm peccare. Quia animo addit, si casu contingat ostium ab ingredientibus apertum relinqui, non teneri Sacerdotem celebrantem illicò sistere, donec claudatur, quia non licet ita facile sacrum misterium intermittere, tametsi interim dum ostium clauditur Epistola, aut Euangelium dicatur: satis est cauere ne nimia sit dilatio. Quod si oportuerit signo aliquo admonere loci & temporis opportunitas, & decentia seruetur.

Ex exercitio autem minorum ordinum vix vnquam cleri- 3
cus committere mortale potest, quia horum ordinum ministeria, & officia exercentur à clericis tanquam propria ordinis, sed qualiter ab aliis laicis exerceri possunt. Sicuti tradit Suar. *dicta disputat. 34. sect. 4. num. 9.* Auila 5. p. *disputat. 5. dub. 2. §. notandum.* Bonac. *de interdicto, disput. 5. p. 7. numero 4. vers. dixi.*

Quoad laicos attinet dubium esse non potest peccatum 4
graue committere, si interdicti aliquod Sactamentum sibi prohibitum recipiant, quia directè ab eorum receptione vi personalis interdicti excluduntur, & cùm materia grauis sit non est vnde à peccato mortali excuſentur. Idem est si in loco interdicto illud recipiant. Quia eo ipso quo Sacerdotibus prohibita est illius Sacramenti ministratio, consequenter laicis prohibetur eius receptio. Præterquam quòd nullus recipere Sacramentum potest, quin illius ministrationem virtualiter petat, & ad ipsum cooperetur. Ergo ex hac parte excusari illa actio à mortali nequit. Sicut tradit Suar. *disput. 34. sect. 2. numero 6.* & *disput. 34. sect. 5. num. 9.* Coninch. *disp. 17. dub. 3. in fine num. 69.* Paul. Layman. *lib. 2. sum. tract. 5. par. 4. cap. 3. num. 2. concluſ. 2.* Gaspar Hurtado, *de interd. difficult. 10. initio num. 32.*

Si verò de assistentia diuinis loquamur, sunt aliquot casus, 5
in quibus omnes ferè Doctores damnant laicum peccati mortalis. *Primò*, si compellant clericum in loco interdicto publicè, & solemniter celebrare. *Secundò* si pulsatis campanis, vel publico præconio præsumant conuocare populum ad audienda diuina in loco interdicto. *Tertiò* si præsumant impedire, ne excommunicati, vel interdicti nomi-

natim exeant è loco sacro, quando sunt à clero admoniti. Quartò si ipsimet moniti à clero, renuant exire. Hi casus habentur in *Clement. grauis de sentenc. excommunicat.*

His addi potest quintus, si violenter se diuinis ingerant, quia grauem iniuriam irrogant Ecclesiæ, illiúsque ministris, & colligitur ex quarto casu appositio in *d. Clement.* Deinde Textus si dolo, & fraude fingentes se Clericos esse, vel priuilegium habere diuinis assistant, quia decipiunt ministros Ecclesiæ in re graui, scilicet in celebratione diuinorum laïcis præsentibus. Sicuti si persuaderes clericum in loco interdicto publicè celebrare, fingens non esse interdictum. Atque ita tradit Coninch. *disp. 17. dub. 2. num. 68.* Paul. Layman. *dicto cap. 3. num. 2.* Saytus *lib. 5. thesauri cap. 14. num. 2.* Tametsi in hoc vltimo casu contrarium sentiat Henriquez *libro 13. cap. 46. numero 3.* Item septimus, si more Ecclesiasticorum officia diuina solemniter peragant, quia ordinis vsum vsurpant, & grauem iniuriam Ordini clericali irrogant, vti aduertunt Saytus, Coninch. & Layman, *suprà*, quamuis Henriquez dubius sit. Tandem si personaliter interdicti sint peccatum mortale committent diuinis assistentes, siquidem ex vi interdicti per se & directè ab eorum assistentia excludantur. Vti aduersus Caiet. *verbo interdicti violatio* docent reliqui Doctores, vt videre est in Nauarr. *cap. 27. num. 187.* Henriq. *lib. 13. cap. 46. num. 3.* Sayro *lib. 5. thesauri, cap. 14. num. 3.* Coninch. *disp. 17. dub. 3. n. 68* Bonac. *de interdicto disp. 5. pun. 7. num. 1. & 2.* Gasp. Hurtado *diffic. 10. n. 32.*

6 Vnde quod in quæstionem verti potest, an secluso Ecclesiæ contemptu, violentia, fraude, aliisque circùnstantiis extrinsecis peccatum mortale laïci committant? In hac re nimis latè locuti fuerunt Caiet. *verbo interdicti violatio §. penult.* & Nauarr. *capite 27. numero 187.* nullum per se peccatum agnoscentes, eo quòd nulla adsit lex prohibens laïcis diuinorum officiorum assistentiam in loco interdicto, sed solùm ipsis clericis, ne officia diuina peragant laïcis præsentibus. Alij nempe Syluest. *verb. interdictum 6. num. 7.* Sotus *in 4. dist. 22. q. 3. art. 1. conclus. 6.* Henriq. *lib. 13. cap. 46. num. 3.* Maiol. *lib. 3. de irregular. cap. 20. num. 9.* Gregor. de Valen. *t. 4. disp. 7. q. 18. pun. 2. notab. 4.* Auila *5. disp. 5. dub. 2.* Et probabile aliis relatis reputant Sayrus *lib. 5. cap. 14. num. 1.* Paul. Layman. *libro 1. summ. tract. 5. par. 4. capite 3. num. 3. conclus. 3.* Suar. ex parte *disp. 34. sect. 5. num. 9.* censent solùm peccatum veniale committi, quia comparatione laicorum hæc assistentia non videtur grauis materia, maximè si ea fuerit in aliis officiis diuinis præter Missæ sacrificium, vt inquit Suar.

7 Cæterùm omnino dicendum est peccatum aliquod esse, assistere laïcos officiis diuinis in loco interdicto, quod docent reliqui omnes Doctores, Caiet. & Nauarro exceptis. Et colligitur ex *cap. si sententia, de sententia excommunicat. in 6.* vbi asseritur tempore interdicti laïcos diuina extra ciuitatem interdictam audire posse, quod frustra aduerteretur, si possent in ciuitate interdicta diuina audire. Præterea sic assistentes Ecclesiæ intentioni aduersantur, quæ est laïcos ob officiis diuinis in loco interdicto celebratis remouere, aliàs non prohiberet in *capite alma de sentent. excommunicat. in 6.* ne campanis pulsatis, néue alta voce, & apertis ianuis officia celebrentur. Hoc tamen peccatum etsi probabile sit, solùm esse veniale, probabilius reputo ex suo genere mortale esse. Vti docuit Innocent. *in cap. sancta, num. 2. de excess. lib. Prælator.* S. Antonin. *3. part. tit. 27. cap. 4. sub finem.* Suar. *disp. 34. sect. 5. num. 4.* Filliuc *tract. 18. num. 54. & 81.* Coninch. *disp. 17. dub. 3. num. 64. & 67.* Bonac. *de interdicto, disp. 5. pun. 7. num. 1.* Gasp. Hurtado *de interdicto difficult. 10. à numero 32.* Ratio est, quia assistentia diuinis officiis grauis materia est, ad quam si ex voto quis obligaretur non est dubium mortaliter in illius transgressione peccaturum.

Cùm ergo ex vi interdicti hæc assistentia prohibita sit laïcis, efficitur laïcos transgredientes hanc legem mortaliter peccaturos. Neque obest huic grauitati quòd indirectè laïcis hæc prohibitio facta sit, dummodò verè sit facta, sicuti non obest, vt fideles excommunicatum denunciatum vitare teneantur, quòd illorum communicatio indirectè illis sit interdicta, directè tamen excommunicato.

8 Ad extremum ex communi sententia moneo duplicem conditionem necessariam esse pro cuiuslibet interdicti obligatione. Prima, vt interdictum denunciatum sit; aliàs post Extrauag. *Ad euitanda scandala*, nec interdictum locale obseruare, neque personaliter interdictum vitare tenemur, esto ipse interdictus personaliter abstinere à diuinis debeat cùm primum censura ligatur, quia ipsi sicut excommunitatis nullus fauor in *dicta Extraung.* factus est. Secunda conditio est, vt passim obseruetur interdictum locale ab iis in quorum gratiam appositum est; aliàs si ipsi interdictum non obseruent, censetur Ecclesia illud remittere, vt habetur in *capite petistis, de Priuileg.* Et *ibi* Panormit. Et notauit Sayrus *lib. 5. cap. 12. num. 25.*

PVNCTVM VI.

De pœnis violantium interdictum.

1 *Clerici violantes interdictum per actum ordini sacro annexum, irregularitatem incurrunt.*

2 *Extra præfictum casum nulla est Clericis irregularitas apposita.*

3 *Clericus, vel Religiosus violans interdictum locale, redditur inhabilis ad electionem tam actiuam, quàm passiuam.*

4 *Violatores interdicti localis non incurrunt suspensionem, etsi aliquibus contrarium placeat.*

5 *Religiosi interdictum generale loci, quod ab Ecclesia matrice obseruatur violantes in suis Ecclesiis, excommunicationem incurrunt.*

6 *Laïcis violantibus interdictum nulla est pœna ipso iure posita, præter illos casus relatos in* Clement. grauis de sentent. excommunic.

7 *Pœna ferendæ arbitrio iudicis relinquuntur.*

8 *Violantes interdictum quoad sepulturam Ecclesiasticam, excommunicatio maior imponitur.*

9 *Quæ communicatio cum interdictis prohibeatur.*

1 CLerici personaliter, vel generaliter interdicti, vel in loco interdicto celebrantes, aliúmue actum ordini sacro annexum exercentes, irregularitatem ipso facto incurrunt, vt colligitur ex *cap. 1. de sentent. & re iudic. lib. 6.* & *cap. cum medicinalis. Cap. is qui §. is verò.* Et *cap. is cui de sentent. excommunicat. libro 6.* Quod adeò verum est, vt si clericus in loco generaliter interdicto celebret, non seruata moderatione *cap. alma mater*, irregularis erit, quia illa est celebratio facta in loco interdicto, in quo nullatenus permittitur celebratio, nisi sub conditionibus in *d. c. alma* præscriptis: Sicuti tradit Sylvest. *verb. interdictum 5. q. 5.* Couarru. *c. alma 2. p. §. 4. num. 6.* Henriq. *lib. 14. c. 7. n. 3.* Sayr. *lib. 5. thesauri c. 14. n. 30.* Bonac. *disp. 5. pun. 7. num. 4 & seqq.*

Ex eo autem quòd Clericus non interdictus, & in loco 4
non interdicto admittant interdictos ad celebrationem, illisue sacramenta ministret, sepulturámue Ecclesiasticam concedat irregularis non est, quia nullibi constat hanc pœnam ob hoc delictum appositam esse, & irregularitas solùm in casibus à iure expressis incurritur: est tamen illi Ecclesiæ ingressus interdictus, quousque ad arbitrium eius cuius sententiam contempsit, satisfaciat competenter. *Capite Episcoporum, de Priuilegiis in 6.* Sicuti plures referens tradit Sayrus *dicto cap. 14. num. 34.* Suar. *disp. 33. sect. 3. num. 8.* Bonac. *de interdicto disp. 5. punct. 7. numero 18.* Ad incurrendam tamen hanc pœnam, plures Doctores Nauarr. *cap. 25. num. 94.* Henriq. *cap. 43. num. 3.* Suar. *disp. 34. sect. 4. in fine.* Auila *5. p. disp. 1. dub. 4. conclus. 4.* censent opus esse, vt clerici à iurisdictione ordinaria Episcoporum exempti sint, quod probabile est, quamuis Saytus *lib. 5. thesauri, cap. 14. num. 8.* repugnet, ductus illa verbis: Clerici seculares, vel regulares, quantumcunque exempti. Ly *quantumcunque* non ad restringendam, sed potiùs ampliandam dispositionem appositum est.

Deinde Clericus, vel Religiosus etiam monialis violans 3
interdictum locale, redditur inhabilis ad electionem tam actiuam, quàm passiuam. *Cap. is qui §. is verò de sentent. excommunicat. lib. 6.* & *cap. 1. de postulat. Prælator.* vbi postulatio personæ quæ interdictum violauerat repellitur vt indigna. Sic tradit Sylvest. *verbo interdictum 6. q. 2.* Sotus *in 4. d. 22. q. 3. art. 1. conclus. 5.* Henriq. *lib. 13. cap. 46. num. 3.* Suar. *disp. 34. sect. 4. n. 27.* Saitus plures referens *dicto cap. 14. n. 6.* Coninch. *dub. 4.* Layman. *cap. 3. num. 3.* Pluréque ex his Doctoribus hanc pœnam extendunt ad violatores interdicti personalis.

Præterea placet pluribus Doctoribus, Glossæ *in cap. fin. de* 4
excess. prælator. verbo irritas. Couarru. *capit. alma. 2. par. §. 2. numero 2.* Auila *disputat. 5. dub. 4.* Suar. *disput. 34. sect. 4. numero 16.* Layman. *cap. 3. num. 3.* violatores interdicti localis suspensos esse ab officio, & beneficio, & consequenter à iurisdictione. At vt benè aduertit Sayrus aliis relatis, *cap. 14. n. 12.* Coninch. *disp. 17. dub. 4. num. 71.* Bonac. *disp. 5. p. 7. n. 4.* ex prædicto Textu hæc pœna non colligitur, siquidem sententiæ ibi annullantur non ob interdicti violationem, sed quia inquè latæ sunt.

Religiosi verò qui interdictum generale loci quod ab Ec- 5
clesia matrice obseruatur, in suis Ecclesiis non obseruauerint vel celebrando, vel admittendo alios ad diuina officia, vltra prædictas pœnas, excommunicationem incurrunt. Sicuti aduertit Nauarr. *cap. 27. num. 146. §. 6.* Auila *5. p. disp. 5. dub. 3. conclus. 3.* Sayrus *lib. 5. cap. 14. nu. 13.* Suar. *disp. 34. sect. 4. n. 19.* & *sect. 5. num. 9.*

Laïcis verò violãtibus interdictũ nulla est pœna ipso iure 6
posita præter illos quatuor casus qui referũtur in Clemẽt. *grauis 2. de sentent. excommunic.* quorum meminimus *§. præced. pun.*

Quod

Quod si de pœnis ferendis ob violationem interdicti loquamur arbitrio iudicis spectata delicti qualitate, relinquuntur. *Cap. authoritate de Priuileg. in 6.* Clerici interdictum locale violantes, beneficiis priuandi sunt. *Cap. postulastis. §. quasiustis de cleric. excommunicat. ministrante.* Sicuti tradit Panormitan. *ibi num. 5.* Couarruu. *cap. alma. 2. part. §. 2. numero 2.* Sayrus *lib. 5. cap. 14. num. 7.* Verùm vt rectè aduertit Suar. *disp. 34. sect. 4. num. 27.* Sayrus *num. 8.* hæc pœna priuationis beneficiorum, non debet executioni mandari, nisi ipsi violatores interdicti post monitionem sub excommunicatione, rebelles extiterint. Vt colligitur ex *cap. clerici*, iuncta Glossa *ibi, verbo moniti, de clerico excommunic. ministr.* Religiosi verò, & moniales ob huiusmodi delictum in actiora monasteria sunt detrudendi, ex *dicto cap. postulastis, de cleric. excommunic. ministrante.*

8 Tandem violantibus interdictum quoad sepulturam Ecclesiasticam, eo quòd in loco interdicto aliquem sepeliant in casibus non permissis, vel interdictum in loco non interdicto Ecclesiasticæ tradant sepulturæ, excommunicatio maior imponitur in *Clement. 1. de Sepulturis.* Et est eadem excommunicatio quæ lata est aduersus sepelientes excommunicatos in loco sacro. Requiritur tamen (vt sæpè dixi) interdictum denunciatum esse. Semel tamen sepultus interdictus vel non interdictus in loco sacro exhumandus non est, nisi fortè impœnitentem constiterit decessisse. Sicuti tradit Suar. *disputat. 35. sect. 1. numero 20.* Sayrus *lib. 5. capit. 8. numero 22.* vbi plures refert.

9 Ex supradictis infertur qualis communicatio cum interdictis prohibeatur. Solùm enim prohibita est communicatio in sepultura, ne scilicet interdictos denunciatos Ecclesiasticæ tradant sepulturæ, vel non interdictos in loco interdicto sepeliant; à nulla alia communicatione in diuinis cum interdictis laici prohibentur. Clericis verò interdicitur, ne coram interdictis diuina celebrent, nec coram non interdictis in loco interdicto. Quòd si regimen Ecclesiæ habeant, debent tam interdictos à loco non interdicto, quàm non interdictos à loco interdicto expellere, cùm diuina celebrantur. Argum. *c. Non est vobis, de Sponsalibus.*

Punctum VII.

De relaxatione Interdicti.

§. I.

Qualiter Interdictum suspendi ad tempus, vel quoad aliquem effectum possit?

1 *Potest interdictum suspendi ad tempus ab eo qui interdictum tulit.*
2 *Quoad aliquos effectus manente interdicto, suspendi interdictum posse testantur plures.*
3 *Probabilius est oppositum.*
4 *Satisfit contrariis.*

1 SVspendi interdictum ad tempus ab eo qui interdictum tulit non est dubium fieri posse; nam cùm potestatem habuerit apponendi, & tollendi absolutè interdictum, à fortiori poterit illud pro aliquo tempore suspendere, nam illa suspensio est interdicti sublatio, & tacita illius impositio. Sicuti ex communi docet Henriq. *lib. 13. cap. 51. num. 4.* Auila *5. p. disp. 6. dub. 1.* Paul. Layman. *lib. 1. sum. tract. 5. par. 4. cap. 5. n. 3. vers. 4.* Gasp. Hurtado *de interdicto difficult. 16. n. 50.* Coninch. *disp. 17. dub. 6. n. 78.* & alij.

2 Quoad aliquos verò effectus suspendi posse manente interdicto testantur plures Doctores in *c. ad hæc de appellat.* quos sequitur Couarru. *in c. alma. 2. p. §. 2. num. 4.* Nauarr. *c. 27. n. 165.* Syluest. *interdictum 3. q. 8.* Angel. *eodem 8. num. 3.* Suar. *disp. 38. sect. 3. num. 5.* Henriq. *lib. 13. cap. 51. num. 4.* indicant. Coninch. & Layman. *suprà*, & probabile reputat Auila *5. p. disp. 6. dub. 4. conclus. 1. 2. & 3.* Probant ex *cap. dilectis filiis de appellation.* vbi Decanus quidam sententiam interdicti ferens, eius effectum ad tempus decreuerat suspendendum. Ergo non solùm à Pontifice, sed ab eo qui sententiam interdicti tulit, potest interdictum suspendi quoad aliquos effectus, manente interdicto quoad alios.

3 Cæterum etsi supradicta sententia communis sit, probabiliorem existimo quæ affirmat neminem alium à Pontifice effectus interdicti, manente interdicto suspendere posse. Sicuti docuit Panormit. in *capit. ad hæc de appellationib.* Auila *dicto dub. 4. concl. 4.* Gaspar Hurtado *de interdicto difficult. 16. n. 50.* Et ratio videtur manifesta, nam effectus interdicti sunt interdicto ex iuris dispositione annexi, imo in ipsorum priuatione interdicti essentia à Pontifice constituta est, at nemini alteri à Pontifice datum est Pontificiam dispositionem mutare. Ergo. Et explico vel interdictum est locale, vt personale. Si locale est interdictum, locus redditur incapax, vt in eo diuina sicut prius peragantur. Quod adeò verùm est, vt ferè omnes Doctores doceant perseuerante interdicto non posse iudicem ibi diuina celebrare, quia æquè ipse ac alij interdicti lege ligatur, siquidem appositio interdicto ligatur lege à iure communi inducta. Ergo signũ est effectus interdicti suspendere non posse.

Eadem ratione probatur de interdicto personali, à cuius effectibus eximi nullus potest, nisi ab interdicto eximatur, quia non ab alio, quàm à Pontifice effectus interdicto annectuntur. Fateor tamen posse iudicem partem interdicti suspendere, & priuare, interdictum diuinorum officiorum assistentia tantùm, vel celebratione, vel sacramentorum receptione. Sed hæc priuatio non est interdictum censura, sed quædam pœnalis prohibitio ab interdicto distincta.

Neque his obstat Textus in *cap. dilectis filiis de appellationib.* quia ibi non approbatur à Pontifice posse suspendi sententiam interdicti à Decano latam, maximè quoad aliquem effectum, manente sententia quoad alios, sed solùm dicitur ipsum allegasse voluisse suspendere effectum interdicti, qua voluntate durante si verum est posse fieri, indicat Pontifex per appellationem suspendi, neque posse vlterius procedere, & ad pristinum statum sententiam reuocare. Omitto solutionem primam Glossæ, quæ asserit illud interdictum fuisse sub conditione, vel in diem prolatum, & cùm appellatio interposita fuerit ante diem conditionis non potuit, neque debuit Decanus ferre, vel exequi interdicti sententiam. 4

§. II.

Qualiter interdictum cesset, absolutionéue indigeat?

1 *Interdictum appositum pro limitato tempore, vel sua aliqua conditione, cessat finito tempore, vel conditione apposita*
2 *Ante finitum tempus, vel conditionem appositam absolutione indiget, & quis possit illam præstare.*
3 *Cessat interdictum absque absolutione destructo subiecto illius.*
4 *Interdictum absolutè latum in contumaciam, recedente contumacia absolutiones tollitur.*
1 *Interdictum locale nullus tollere potest, nisi iurisdictionem Episcopalem habeat in illum locum.*
6 *Idem est de interdicto generali personali.*
7 *Interdictum personale speciale non reseruatum à quo relaxetur.*
8 *Si reseruatum sit nullus alius præter ipsum cui est facta reseruatio vel illius superiorem absoluere poterit.*
9 *Absolutio ad cautelam non habet locum in interdicto generali loci.*
10 *Interdictum nunquam relaxandum est, quin principalis delinquens satisfactionem offerat.*
11 *Nulla est forma præscripta in interdicti relaxatione.*

INterdictum appositum pro limitato tempore, vel sub aliqua conditione eo tempore finito, vel conditione apposita cessat absque alia absolutione, vt est communis sententia Glossa in *cap. non est vobis, verbo donec.* Et *ibi* Panormit. *n. 7. de Sponsalib.* Sylvest. *verbo interdictum 3. q. 9.* Henriq. *lib. 13. cap. 47. num. 1. & cap. 50. num. 4.* Vgolin. *tab. 5. c. 4. n. 3. & cap. 23. n. 3.* Sayrus *lib. 5. thesauri, c. 15. num. 2.* Auila *5. p. disp. 6. dub. 1.* Suarez *disp. 38. sect. 1. num. 3. & seqq.* Coninch. *disput. 17. dub. 6. conclus. 1.* Layman. *lib. 1. sum. tract. 5. par. 4. c. 5. num. 1.* Bonac. *de interdicto disp. 5. p. vlt. n. 1.* & alij. 1

Vt autem ante finitum tempus, vel conditionis positionem tollatur, absolutione, seu dispensatione indiget, quam præstare nequit alius præter illum qui interdictum tulit, seu eius superior, vt tradunt Doctores communiter in *c. si cuitas. & c. si sententia de sentent. excommunic. lib. 6.* Tolet. *lib. 1. cap. 22.* Sayrus *d. c. 15. num. 3.* Auila. Suar. Coninch. Layman. Bonac. *locis allegatis.* Idem est dicendum de interdicto lato in puram pœnam, etiamsi absque vlla limitatione latum esset, quia est sententia iudicis, quam inferior mutare nequit. Vti aduertit Nauarr. *c. 27. num. 162.* Suar. *disp. 38. sect. 2. num. 2.* Gaspar Hurtado *difficult. 16. de interd. num. 49.* Ex facultate autem concessa in Conc. Trident. *sess. 24. cap. 6. de reformat.* optimè poterit ab hoc personali interdicto Episcopus absoluere, si delictum ob cuius causam appositum est fuerit occultum, vt docet Henriq. *lib. 13. cap. 35. n. 2.* Auila *5. p. de censuris, disp. 6. dub. 6. concl. 1. in fine.* 2

Deinde cessat interdictum absque absolutione destructo subiecto illius, vt si interdictum latum sit in aliquam Ecclesiam illa verò omnino destruatur, cessabit interdictum, quod non est verum, cùm locus Ecclesiæ interdictus est, quia tunc manet solùm, & purimentum Ecclesiæ cui interdictum inest. Vt docuit Suar. *disp. 38. sect. 1. num. 13.* Filliucius *tract. 18. n. 118.* 3

Bonac. *p. vlt. num.* 2. Layman, *cap.* 5. *in fine.* Idem est dicendum de communitatis interdicto, si enim hæc omnino extincta sit, illius interdictum cessabit; quia cessat subiectum cui inesse debet, sicuti prædicti Doctores aduertunt. Aliquibus nempe Alteto *de interdicto disp.* 11. *cap.* 3. & Bonac. *disp.* 5. *pun. vlt. num.* 3. placet destructa communitate, si aliquis ex ipsa communitate subsistat, interdicto ligari, quia iura communitatis ipso perseuerant. Argum. *leg. sicut municipij in fine ff. Quod cuiusque vniuersitatis.* Sed rectius reliqui omnes Doctores contrarium docent, quia interdictum communitatis non ligat singulas personas, nisi quatenus communitatis partes sunt; at destructa communitate partes illius esse non possunt. Neque obstat lex *Sicut municipis*, quæ ad summum probat iura fauorabilia communitatis singulos illius communitatis retinere, non tamen pœnalia.

Illud est certum destructa communitate manere interdictam illam personam, cuius causa interdictum in communitatem latum est, quia eius interdictum non solùm est commune, sed speciale personale, vt bene aduertunt Suar. *disp.* 38. *sect.* 1. *n.* 3. Coninch. *dub.* 6. *n.* 76. Filliuc. *tract.* 18. *n.* 118. Bonac. *p. vlt. n.* 3.

4 Interdictum verò nec pro limitato tempore, nec sub aliqua conditione appositum, sed in contumaciam recedente contumacia, & satisfactione præstita absolutione indiget, vti excommuniori tradit Suar. *disp.* 38. *sect.* 1. Paul. Layman. *lib.* 1. *sum. tract.* 5. *par.* 4. *cap.* 5. *num.* 1. Bonac. *disp.* 5. *pun. vlt. num.* 1. Gasp. Hurtado *difficult.* 16. *num.* 48. & probat Textus in *cap. quamquam de censibus in* 6. vbi latis censuris excommunicationis, & interdicti aduersus exigentes tributa ab Ecclesiasticis personis inquit Pontifex, ne ab excommunicatione huiusmodi absolutionem, vel interdicti relaxationem obtineãt, donec exacta plenè restituerint, & de transgressione satisfecerint competenter. Supponit ergo Pontifex interdictum latum ad reprimendam contumaciam absolutione indigere, vt cesset quamuis contumacia cessauerit. Et ratio est, quia recessus à contumacia non est terminus interdicti, non enim interdictum appositum est vsque à contumacia recessum fuerit, sed appositum est absolutè vt à contumacia recedatur. Quare recessus à contumacia non est conditio interdicti, sed finis qui per interdictum obtinendus est.

5 Posito autem necessariam esse absolutionem, explicandum est, à quo præstari possit? Et quidem si interdictum sit locale siue generale, siue speciale non reseruatum, nullus alius præter habentem iurisdictionem Episcopalem in illam locum relaxare poterit, eo quòd ad hunc actum iurisdictio fori contentiosi requiratur. Quod verò hic possit colligitur ex *c. Nuper de sentent. excommunicat. ibi:* Quod legislator non seruauit, aliis ordinariis iudicibus concessisse videtur. Et tradit Glossa *in cap. at si clerici, verbo minora, de iudicijs.* Suar *disp.* 38. *sect.* 2. *num.* 5. Auila 5. *p. disp.* 6. *dub.* 1. *conclus.* 8. Henriq. *lib.* 13. *cap.* 48. *num.* 3. Filliuc. *tract.* 18. *cap.* 4. *num.* 111. *& num.* 124. Coninch. *disp.* 17. *dub.* 6. *num.* 76. Bonac. 1. *de interdicto, disp.* 5. *p. vlt. num.* 5.

6 Idem dicendum est de interdicto generali personali nullum alium præter habentem iurisdictionem in illam communitatem relaxare prædictum interdictum, posse nõ solùm absolutè, sed neque quoad singulares personas; nam si singulis illius communitatis relaxari interdictum posset ab alio quàm à ferente interdictum; vis & efficacia interdicti enerueretur, nam absolutione singulis concessa, cessare posset communitatis interdictum vt aduertit Suar. *disp.* 38. *sect.* 2. *numero* 6. Filliuc. *tract.* 18. *n.* 125. Bonac. *d. pun. vlt. n.* 6. Coninch. *dub.* 6. *n.* 76. Paul. Layman. *lib.* 1. *sum. tr.* 5. *par.* 4. *c.* 5. *n.* 1. vbi aduertit ex priuilegio concesso Religiosis absoluendi à censuris interdictum locale, aut personale generale tolli non posse; quia nec locus, neque communitas Sacramento Pœnitentiæ subiiciuntur, ob quam causam hæc priuilegia conceduntur Religiosis.

7 Interdictum verò personale speciale non seruatum, certum est relaxari posse tum ab Episcopo, tum à Religiosis habentibus priuilegium absoluendi à censuris, vt ex communi docuit Henriq. *lib.* 13. *cap.* 15. *num.* 3. Auila *dicta disp.* 6. *dubit.* 2. Layman *cap.* 5. *num.* 2. De Parocho, alióve Sacerdote proprio est difficultas, an hoc interdictum relaxare in foro conscientiæ possit; Et videtur affirmatiuè respondendum; quia hoc interdictum, sicut & excommunicatio priuat absolutione sacramentali, quæ est ratio propter quam Doctores concedunt posse parochum ab excommunicatione non reseruata absoluere, præcipuè qua ratio dispositionis in *cap. Nuper de sentent. excommun.* procedit circa hanc censuram non reseruatam. Vnde Glossa *in cap. præsenti de sentent. excommunic. in* 6. *verbo generaliter*, æquiparat censuras excommunicationis, & interdicti personalis specialis quoad absolutionem. Atque ita docet Suar. *disp.* 38. *sect.* 8. *num.* 9. Coninch. *disp.* 17. *dub.* 6. *numero* 77. Filliucius *tract.* 18. *capit.* 5. *q.* 8. Layman. *lib.* 1. *sum. tract.* 5. *par.* 4. *cap.* 5. *num.* 3. Bonac. *de interdicto disputat.* 5. *pun. vlt. n.* 6. tametsi contrarium sentiant Henriq. *lib.* 13. *c.* 35. *num.* 2. Sayr. *lib.* 5. *thes. c.* 15. *n.* 22. Auila *disp.* 6. *dub.* 1. *conclus.* 2.

Dixi *non reseruatum*: nam ab interdicto personali speciali reseruato nullus alius præter ipsum cui est facta reseruatio, vel illius superiorem absoluere poterit, vt de se constat.

Cæterùm dupliciter hæc reseruatio contingit partim expresse, partim tacitè: expresè sit, si verbis expressis absolutio reseruetur; tacitè si in aliquam determinatam personam cognitam interdictum latum sit; quia eo ipso persona interdicta iudicio ferentis interdictum reseruatur, alias perturbaretur iudicantis tribunal. Argum. *cap. cum ab Ecclesiarum de officio Ordinarij.* Et pluribus firmat Sayrus, *lib.* 5. *thesauri, cap.* 15. *num.* 19. Gaspar Hurtado *difficult.* 16. *num.* 48. Idem est de eo cuius causa interdictum locale, vel personale generale fertur quia, eius speciale interdictum æquè ac interdictum loci, vel communitatis reseruatum est: vt tradit Alterius *de interd. disp.* 11. *cap.* 4. *col.* 5. Bonac. *dicta disp.* 5. *p. vlt. num.* 6.

8 Porrò absolutiõ ad cautelam non habet locum in interdicto generali loci ex expresso Textu in *cap. præsenti de sentent. excommunicat. lib.* 6. Et tradit *ibi* Glossa, Geminian. & Francus. Syluest. *verb. interdictum* 3. *q.* 9. *num.* 14. Nauar. *in cap. cum contingat de Rescriptis, rem.* 6. *num.* 7. Couarruu. *cap. alma.* 2. *p.* §. 2. *num.* 5. Sayrus *lib.* 5. *thesauri cap.* 15. *num.* 8. Suar. *disp.* 35. *sect.* 3. *numero* 2. Auila 5. *p. disp.* 6. *dub.* 5. *conclus.* 2. Bonac. *disp.* 5. *pun. vlt. num.* 9. & alij passim. Nam vt in *dicto cap. præsenti* dicitur, *si principalis delinquens alleget iniustè fuisse positum generale loci interdictum, & præstet cautionem de parendo iudici, statim hoc interdictum tolli debet, aut remitti absolutè, vel per aliquo tempore suspendi, antequam de nullitate, vel iniustitia constet.* In aliis verò interdictis tum locali speciali, tum personali speciali, vel generali absolutio ad cautelam præstari potest, sicuti tradunt Doctores nuper relati, quia absolutio ad cautelam præstari potest ex se, comparatione omnium censurarum. Cùm autem ab hac regula solùm interdictum locale generale excepturn inueniatur, reliqua omnia interdicta censenda sunt comprehendi. Et de interdicto personali probat Textus *in cap. qua fronte de appellation.* vbi mandantur absolui (absolutione inquam ad cautelam) qui conqueruntur irrationabiliter excommunicationi, vel interdicto suppositos esse.

Quòd si roges qua de causa absolutio ad cautelam non permittitur in interdicto locali generali; benè tamen in aliis interdictis, ea est, quia ex interdicto locali generali non priuatur locus officijs diuinis, & sacrificio, siquidem seruata moderatione *cap. alma mater de sentent. excommunicat. in* 6. præstari ibi possunt: secùs est in interdicto locali speciali, cùm diuina ibi celebrari non possint, nisi tantùm pro renouanda Eucharistia, & in interdicto personali siue speciali, siue generali, siquidem ratione illius interdictus priuatur sacramentorum receptione, & administratione, officiorumque diuinorum celebratione, & assistentia, vti aduertit Sayrus *d. cap.* 15. *num.* 8.

9 Rursus interdictum quodcumque sit nunquam relaxandum est, quin principalis delinquens satisfactionem offerat, illa verò oblata statim relaxari debet. Quod si consiliarij & fautores satisfactionem offerant, admittenda est, & pœnitentia eis debet iniungi, interdictum tamen non est relaxandum principali delinquente in sua contumacia perseuerante. Sicuti tradit Paludan. *in* 4. *d.* 18. *q.* 8. *art.* 4. *princip.* 5. *quantum ad decimum nonum.* Syluest. *verb. interdictum* 3. *quæst.* 9. *num.* 15. Henriq. *lib.* 13. *c.* 30. *n.* 4. Sayrus alios referens *lib.* 5. *thes. c.* 15. *n.* 13. Auila 5. *p. disp.* 6. *dub.* 5. *concl.* 5.

10 Forma relaxandi interdictum nulla est determinata, sicut neque in suspensione, sed illa sufficit quæ voluntatem absoluentis exprimat. Nam licèt Pontifex sola voluntate efficiam censuræ tollere possit, id tamen nunquam præstat, neque expediens est, quia dum de tali voluntate censurato non constat, reputare se debet censura ligatum. Inferiores verò Prælati nullatenus efficaciam censuræ tollere sua voluntate possunt. Argum. *cap.* 1. *de reg. iuris*, quia iure communi statutum est quamlibet censuram auferendam absolutione eius, quod ius nullus alius à Pontifice mutare potest. Sicuti hæc tradunt alijs relatis Sayrus *lib.* 5. *thes. cap.* 15. *num.* 6. Bonac. *disp.* 5. *p. vlt. in fine.* Auila *disp.* 5. *de interdicto dub.* 6. Cæremoniæ aliquæ & solemnitates in huius censuræ absolutione nullæ sunt præscriptæ. Solùm iuramentum de non committendo ampliùs prædictum delictum, ob cuius causam interdictum latum est, communis docet sententia, teste Sayro *lib.* 5. *thes. c.* 15. *in fine.* iunctis iis quæ tradidit *lib.* 4. *c.* 17. *à nu.* 30. *Arg. c. super eo el.* 2. & *c. venerabili de sentent. excommunicat.* Verùm etsi hoc iuramentum exigi expediens sit, maximè cùm delictum graue est, non tamen existimo necessarium, sed præstitâ satisfactione reali si fieri potest, sin minus cautione de satisfaciẽdo data absolutio absque alio iuramẽto cõcedi poterit; quia iuramentum illud pro sola absolutione ab excommunicatione iniungitur, non pro aliarum censurarum absolutione. Sicuti tradit Suar. *disp.* 38. *sect.* 3. *n.* 1. *& seqq.*

Pro

PVNCTVM VIII.

De casibus in quibus ipso iure latum est interdictum.

§. I.

Expenduntur casus in quibus interdictum locale latum est.

1 *Refertur primus casus in quo interdictum locale generale incurritur, qui est cùm ciuitas non obseruat quæ pro electione summi Pontificis* in cap. vbi periculum de elect. in 6. *præscribuntur.*
2 *Secundus refertur, qui est ob exactionem tributi ab Ecclesijs, vel personis Ecclesiasticis.*
3 *Tertius apponitur ob percussionem, seu hostilem insecutionem Cardinalium.*
4 *Quartus ob concessionem habitationis vsurariis alienigenis factam.*
5 *Quintus ob iniuriam Episcopo factam.*
6 *Sextus, eo quòd impediatur Legatus, vel Nuntius Apostolicus, ne suum officium libere exerceat.*
7 *Interdictum locale speciale incurritur ob transgressionem constitutionis* in cap. 1. de sepultur. in 6.
8 *Item ob transgressionem constitutionis* in cap. quicunque de hæretic. eodem lib.
9 *Nullum ex prædictis interdictis obseruandum ex obligatione est, quousque fuerit denunciatum.*

1 PRimus casus in quo interdictum locale generale incurritur, habetur in *cap. vbi periculum de elect. lib. 6.* vbi ciuitas in qua summus Pontifex moritur, vel illius electio facienda est interdicto supponitur, & Pontificali dignitate priuatur, si eius Rector, & officiales inuiolabiliter non obseruauerint quæ pro electione summi Pontificis in *prædicto cap.* præscribuntur, quæ latiùs explicuimus, cùm excommunicationem in *dicto cap.* contentam declarauimus.

2 Secundus refertur in *cap. quamquam de censib. lib. 6.* vbi interdicitur Ciuitas, vniuersitas, Collegium, Castrum, vel locus qui ab Ecclesiasticis personis, vel ab Ecclesijs pedadia, quidagia, vel alia tributa per se, vel per alium de rebus suis asportandis, vel exportandis extra causam negotiationis exegerint. Quod interdictum perseuerat, quousque acceptum restituatur, & pro delicto competens fiat satisfactio.

3 Tertius continetur in *cap. felicis de Pœnis lib. 6.* vbi ciuitas quæuis præter Vrbem, quæ occidentibus, vel percutientibus, seu hostiliter insequentibus Cardinales Sanctæ Romanæ Ecclesiæ auxilium, consilium, vel fauorem præstiterit, vel quæ intra mensem à die delicti cogniti computandum delinquentes huiusmodi, prout qualitas facinoris exigit, non duxerit puniendos cùm commodè possit interdicto absolutè subijcitur, & Episcopali dignitate priuatur. Quod interdictum non extenditur ad loca subiecta, & de iurisdictione illius ciuitatis, neque est Pontifici reseruatum, tametsi excommunicatio ibidem aduersus singulares personas hoc facinus committentes, reseruetur.

4 Quartus habetur in *cap. 1. de vsuris lib. 6.* ibi enim statuit, si Episcopus, & Archipiscopus, vel alij Ecclesiastici superiores, vel inferiores suspensionis, vel excommunicationis sententiam per mensem indurato animo sustinuerint eo quòd manifestis vsurarijs alienigenis loca ad habitandum, & fœnerandum in terris suis concesserint, ipsorum terræ vbi hi vsurarij commorantur. Ecclesiastico interdicto supponuntur, quousque illi vsurarij ab illis terris recesserint. Terræ verò laicorum non subijciuntur ob hoc delictum interdicto; sed veniunt interdicendæ: vti ex Paludano notauit Sayrus *lib. 5. cap. 12. num. 5.*

5 Quintus habetur in *Clemen. 1. de Pœnis*, vbi domino temporali afficiente quemlibet Episcopum corporali iniuria per se, vel per alium, aut eam ratam habente, vel consilium ad eam patrandam præbente, vel scienter prædictum delinquentem defendente, terra illius, dummodo vltra vnam diœcesim non contineat, generali interdicto supponitur, vsque ad condignam satisfactionem, deinde locus, vel loca, vbi Episcopus fuerit iniuriosè detentus, eidem subijcitur interdicto, quamdiu detentio ipsa durauerit. Quòd si sub dominio iniuriantis plures sint diœceses, interdicta est diœcesis in qua is dominus delinquens suum principale habet domicilium, & præterea illa in qua fuerit delictum hoc commissum, si eius fuerit, & duæ aliæ quæ sub ipso sint eidem loco viciniores. Idémque interdictum fertur in *ead. Clem.* aduersus ciuitatem tale delictum committentem.

Cæterùm solùm est differentia quòd ciuitatis interdictum non incurritur ob cuiuslibet Episcopi iniuriam, sed necessariò debet esse iniuria Episcopo propria facta, vt constat ex illis verbis: *In suum Episcopum*: vt benè notauit Bonac. *t. de censur. disp. 4. q. 3. pun. 4. circa finem.* Nomine autem *ciuitatis* non venit diœcesis, neque item villa aut inferior populus, vt de se constat.

6 Sextus continetur in Extrauag. *Super gentes de consuetud. inter communes*, vbi domini regni, castri, ciuitatis, oppidi, vel alterius loci impedientes, ne Legatus, vel Nuntius Apostolicus in suas terras ingrediatur, neue officium suum exequatur, excommunicationi subijciuntur, & eorum regna, ciuitates, castra, & loca supponuntur interdicto, quousque in ea contumacia perstiterint. Sed an hoc impedimentum præstare debeant prætextu consuetudinis; non est constans sententia. Suar. *disp. 37. sect. 1. num. 22.* Alter. *de interdicto, disp. 12. c. 3. sub finem*, id affirmant, probatque potest partim ex præfatione huius constitutionis, quæ est aduersus dominos temporales, prætendentes sibi competere ex consuetudine, ne vllus Legatus ab ipsis non petitus in eorum terras ingrediatur, munúsque suum exerceat, quam consuetudinem vt rationi contrariam, & Apostolicæ autoritati detrahentem Pontifex reprobat, partim ex rubrica, sub qua hæc constitutio collocata est, quæ est de consuetudine.

Cæterùm communior sententia, & tutior est opus non esse ad hanc censuram incurrendam, quòd præsetur impedimentum prætextu consuetudinis, sed satis esse quocunque titulo præsetur, quia esto Pontifex occasione dominorum qui prætextu consuetudinis hoc impedimentum apponebant Legatis Sedis Apostolicæ hanc constitutionem ediderit, tamen cùm legem tulit in futurum, nullius consuetudinis meminit, ideóque reliqui omnes Doctores præter Suar. & Alterium nihil amplius requirunt ad prædictas censuras incurrendas, nisi quòd Legatos Sedis Apostolicæ impediatur ingressus, & eius munus, & officium. Sicuti tradit Syluest. *verb. interdictum 4. q. 1. num. 7.* Vgolin. *tab. 5. cap. 3. n. 7.* Tolet. *lib. 1. c. 54. n. 1.* Sayrus *lib. 5. cap. 12. num. 2.* Bonacina *t. 3. de censur. disp. 5. q. 3. pun. 5.* & alij.

7 Quoad interdicta localia specialia duplex casus in iure continetur, alter habetur in *c. 1. de sepulturis in 6.* vbi Clericis siue sæcularibus, siue regularibus inducentibus aliquem ad vouendum, iurandum, vel fide interposità promittendum eligere sepulturam in suis Ecclesijs, vel electam non mutaturum, latum est præceptum ne prædictos electores sepeliant, & si fortè sepeliuerint restituant corpora sepulta si petantur, & insuper intra decem dies à die sepultutæ omnia emolumenta occasione sepulturæ accepta Quod si non præstiterint Ecclesiæ ipsæ apud quas hæc corpora sepulta fuerint, nec non & cæmeteria earumdem ex tunc eo ipso supponuntur interdicto, donec ab eis præstetur restitutio plenaria omnium prædictorum. Huiusmodi casus explicatus est, cùm Clement *cupientes. §. sanè de Pœnis* declarauimus, quia ibidem aduersus prædictos excommunicatio reseruata fertur.

In presenti verò notandum est obligatos esse præfatos clericos ante iudicis sententiam omnia emolumenta occasione sepulturæ accepta, restituere; siquidem ob non restitutionem factam grauis pœna iniungitur. Deinde Ecclesiam interdicto supponi, etiamsi vnus tantùm grauem partem emolumenti non restituerit: quia rector Ecclesiæ tenetur plenariam satisfactionem facere. Secùs verò dicendum est quando religiosus, vel clericus aliquis priuatim committeret hoc delictum inducens aliquem ad vouendum, vel promittendum eligere sepulturam in eius Ecclesia, & alij Clerici ignari huius cominis sepeliunt defunctum, nullo modo Ecclesia est supponenda interdicto, tametsi nihil restituant, quia ob delictum singularis personæ non est locus communis aliis interdicendus, maximè cùm alij Clerici bona fide processerint, & Textus vtatur verbo *præsumpserit.*

8 Alter casus interdicti localis specialis continetur in *cap. quicunque de Hæreticis, lib. 6.* si enim hæreticus, eiúsue receptor, defensor, vel fautor tradatur scienter Ecclesiasticæ sepulturæ, locus ille in quo sepultus est in perpetuum priuatur, ne alios recipiat. Et licèt Paludan. *in 4. d. 18. q. 3. art. 1. principali, § quantum ad tertium.* Sayr. *lib. 5. cap. 12. num. 10.* Filliuc. *tract. 18. cap. 6. q. 4. num. 140.* & alij censeant hoc verum esse interdictum; Rectiùs Suar. *disput. 37. sect. 1. ad fin.* Alterius *de interdicto, disp. 12. cap. 4. num 28.* Bonac. *t. 3. de censur. disp. 4. q. 3. pun. 7.* asserunt solam esse prohibitionem, ne ibi alius fidelis sepeliatur; nam si interdictum esset priuatet officiis diuinis, & sacramentis, non autem sola Ecclesiastica sepultura. Maximè cùm hæc prohibitio non extendatur ad omnem Ecclesiam, sed solùm ad locum illum, seu tumulum, in quo corpus hæretici, vel eius fautoris sepultum est. Præterea est notandum debere esse hæreticum denunciatum, vt huic censuræ locus sit.

9 Ad extremum aduerte nullum ex prædictis interdictis obseruandum ex obligatione esse, quousque denunciatio illius facta fuerit, quia post Extrauag. *Ad euitanda scandala* nemo tenetur abstinere à celebratione loci, qui denunciatus non est interdictus, sicut neque à communicatione cum interdi-

ctis, vt ex communi sententia notarunt Suar. *disp.* 37. *sect.* 2. *n.* 3. & 5. Sayr. *lib.* 5. *thesauri, cap.* 12. *n.* 24. Coninch. *disp.* 17. *dub.* 5. *in fine.* Bonac. *t.* 3. *de censur. disp.* 4. *q.* 3. *pun.* 2. *in fine, n.* 8. Filliuc. *tract.* 18. *c.* 6. *n.* 128.

§. II.

Expeduntur interdicta personalia generalia ipso iure lata.

1 *Primum interdictum personale generale incurritur ob concessionem habitationis manifestis vsurariis alienigenis.*
2 *Secundum ob concessionem, vel extensionem repræsalium in clericos, ipsorumque bona.*
3 *Tertium ob resistentiam statutis à Summo Pontifice circa diuisionem Episcopatus Tolosani.*
4 *Quartum ob violationem constitutionis Ioannis XXII. circa fructus vacantium beneficiorum.*
5 *Quintum ob appellationem à mandatis, & ordinationibus Summi Pontificis ad futurum generale Concilium.*
6 *Sextum ob concessionem dimissoriarum ad ordines vacante Sede.*
7 *Vltimum ob imponentes, vel exigentes decimas, aliaue tributa ab Ecclesiasticis personis.*
8 *Debet communitati interdicta delictum constare, vt prædicta censuris afficiantur.*

1 PRimum interdictum personale generale deduci potest ex *c.* 1. *de vsuris in* 6. vbi vniuersitates, collegia, aliæve communitates Ecclesiasticæ habitationem manifestis vsurariis alienigenis in suis terris concedentia, interdicto absoluto supponuntur. Episcopi verò, & alij Superiores suspenduntur, inferiores verò excommunicatione ligantur. Communitas verò quæ interdicto supponitur Ecclesiastica esse debet, nam laica aliis pœnis arbitrio Episcoporum compellenda est, vt cauetur *in dicto Textu.* & notauit Bonac. *t.* 3. *de censur. disp.* 4. *q.* 1. *p. vlt.*

2 Secundum est aduersus communitates extendentes, vel concedentes repræsalia in clericos, ipsorúmque bona, nisi intra mensem reuocauerint, singulares personæ pœna excommunicationis afficiuntur, vt constat ex *cap. vnico de iniuriis lib.* 6. & notant omnes. Hos Textus *superiùs* explicuimus, cùm de excommunicatione egimus.

3 Tertium fertur interdictum contra vniuersitates, quæ exceptâ scientia præsumpserint resistere statutis à Summo Pontifice circa diuisionem Episcopatus Tolosani, & habetur *in Extrauag. Saluator de Præbendis inter communes*, apponiturque ibi excommunicatio circa particulares personas, suspensio aduersus Capitula, Collegia, & Conuentus, sicuti *suis locis* explicuimus.

4 Quartum generale personale interdictum continetur *in Extrauag. vnica: Ne Sede vacante*, vbi Capitulum, Collegium, vel Vniuersitas non obseruans constitutionem Ioannis XXII. circa fructus vacantium beneficiorum, interdicitur absolutè. Idem habetur *in Extrauag. suscepti regiminis.* Episcopi suspenduntur à Pontificalibus, & ingressu Ecclesiæ, singulares personæ excommunicantur, vt suis locis explicatum est.

5 Quintum habetur in *Bullæ cœnæ Domini, clausula secundæ*, nam *ibi* interdicuntur absolutè Vniuersitates, Collegia, & Capitula seu conuentus appellantes à mandatis, & ordinationibus Summi Pontificis ad futurum generale Concilium. Itémque interdicuntur ij quorum fauore fuerit appellatum. Sed de hoc textu satis diximus, cùm hanc Bullæ clausulam explicuimus.

6 Sextum continetur in Conc. Trident. *sess.* 7. *cap.* 10. *de reformat.* aduersus Capitula Ecclesiarum, quæ infra annum Sedis vacantis dimissorias ad Ordines alicui concedunt, qui beneficij Ecclesiastici recepti, vel recipiendi arctatus non fuerit. Quod qua ratione debeat intelligi, *superiùs*, cum de suspensione habitus est sermo, expositum.

7 Vltimò referri solet interdictum latum in *capit. clericis de immunit. Eccles. lib.* 6. aduersus vniuersitates imponentes, vel exigentes taleas, decimas aliáue tributa ab Ecclesiasticis personis. Sed hæc constitutio reuocata est à Clemente V. in *Clement. vn. de immunit. Eccles.* sicuti aliis relatis notarunt Sayrus *lib.* 5. *cap.* 12. *num.* 13. Suar. *disputat.* 37. *sect.* 1. *num.* 16. Bonac. *disp.* 4. *q.* 1. *pun.* 3. In ea verò Clement. sub pœna excommunicationis præcipitur in huiusmodi exactionibus seruari præscripta in *cap. non minus. & cap. aduersus, de immunit. Ecclesiarum*, sicuti *superiùs* explicuimus.

8 Pro his interdictis aduerte eo ipso quòd communitati constiterit delictum esse commissum cui interdictum annexum est, absque vlla alia sententia, se reputare debet interdicto ligatam, quia personis interdictis, vel excommunicatis, seu suspensis nullus fauor *in Extrauag. Ad euitanda scandala* factus est. Sicuti aduertit Suar. *d. disp.* 37. *sect.* 2. *num.* 5. Ex eò autem quòd vni, vel alteri delictum constet, nullus ligatur interdicto, neque etiam illi qui causam interdicto dederunt, quia hi non ligantur, quousque communitas ligetur, quæ ligari non potest, nisi delicti plenam, & perfectam notitiam habeat. Sicuti aduertit Suar. *suprà, num.* 4. Filliuc. *tract.* 18. *capite* 6. *num.* 130.

§. III.

Referuntur interdicta personalia specialia.

1 *Primum est de eo qui causam interdicto locali, vel generali dedit.*
2 *Secundum contrahitur à iudicibus non seruantibus constitutionem* Cap. cum medicinalis, de sentent. excommunic. in 6. *in ferendis censuris.*
3 *Tertiò interdicuntur recipientes aliquam dignitatem de manu laici.*
4 *Quartò Episcopi, & Superiores vsurpantes bona Ecclesiarum vel beneficiorum vacantium.*
5 *Quintò celebrantes, vel facientes celebrari diuina in ciuitatibus, castris, seu locis aliis interdictis ab Ordinariis.*
6 *Sextò Episcopi, & Superiores Prælati, recipientes ab Ecclesia quam visitant munera, & alia qua sibi non debentur.*
7 *Septimò Ordinarij conferentes beneficia eorum qui pro suis negotiis ad Romanam curiam profecti sunt.*
8 *Octauò Episcopi & Superiores qui aliqua bona beneficiorum vacantium vsurpant.*
9 *Nonò alienantes Ecclesiæ bona contra* Extrauag. Ambitiosæ.
10 *Decimò Prælati edentes glossas, seu comment. in Trident.*
11 *Vndecimò Metropolitanus qui intra tres menses Suffraganeos Episcopos absque rationabili causa absentes, denunciare Pontifici omittit.*
12 *Duodecimò simoniacos ordinantes.*
13 *Decimotertiò recipientes beneficia in confidentiam.*
14 *Decimo quartò Presbiteri, Diaconi & Subdiaconi in crimine fornicationis perseuerantes.*
15 *Denique ij qui eleemosynas anticipatas pro Missis dicendis accipiunt. Et quid in hac parte statuerit sacra Congregatio latè expenditur.*

1 PRimum speciale interdictum colligit communis sententia, vt videri potest apud Sayrum *lib.* 5. *thesauri, capit.* 12. *num.* 11. Suar. *disp.* 37. *sect.* 1. *num.* 15. Nauarr. *cap.* 27. *num.* 169. Filliucium *tract.* 18. *cap.* 6. *num.* 144. Bonac. *t.* 3. *de censur. disp.* 4. *q.* 1. *pun.* 1. ex Textu in *cap. si sententia de sentent. excommunicat. lib.* 6. decidente eum qui causam dedit interdicto locali, vel generali personali, specialiter manere interdictum, neque posse vllibi diuina participare.

Secundum interdictum habetur in *cap. cum medicinalis, de* 2
sentent. excommunicat. in 6. aduersus quoscunque Iudices, qui in ferendis sententiiis excommunicationis, suspensionis, & interdicti non seruant formam *ibi* præscriptam, quæ est proferre sententiam in scriptis, & in ea exprimere causam, ob quam fertur, & exemplum scripturæ tradere excommunicato intra mensem, si ab eo postulatum fuerit. Hi ergo Iudices delinquentes ab ingressu Ecclesiæ, & diuinis officiis per mensem suspenduntur. Vnde non solùm in Ecclesia, sed extra videntur priuati ab auditione diuinorum, aliàs suspertiuerent illa verba: *A diuinis officiis*, siquidem ex interdicto ab ingressu Ecclesiæ priuatur interdictus officiis diuinis in Ecclesia assistere, tametsi aliis non improbabiliter videatur illa verba *Ab officiis diuinis*, causa maioris claritatis apposita esse, ideóque solùm ab officiis diuinis intra Ecclesiam hoc interdictum priuari. Sicuti indicat Suar. *disp.* 37. *sect.* 1. *num.* 1. Hæc censura non extenditur ad Episcopos, quia de illis non est facta mentio. Neque Prælatos regulares plerumque comprehendit, quia priuilegio, consuetudineue recepta solent verbo tenùs has censuras in suos subditos proferre, vt notauit Henriq. *lib.* 13. *cap.* 43. *num.* 5. Sayrus *lib.* 5. *cap.* 12. *numero* 17. Huic censuræ annexa est quæ fertur in *cap. sacro de sentent. excommunicat.* aduersus quemcunque Iudicem præsumentem ferre sententiam excommunicationis non præmissa competente monitione, & personis præsentibus idoneis per quas possit monitio probari, interdicitur huic iudici per mensem ingressus Ecclesiæ.

Tertiò interdicuntur ab ingressu Ecclesiæ qui Episcopa- 3
tum, Abbatiam, aliámue dignitatem Ecclesiasticam de manu laici receperint, eidémque censuræ laïcus subiicitur. Sicuti habetur in *cap. siquis deinceps*, 16. *q.* 7. Requiritur autem vt receptio sit completa, & perfecta, quæ non intelligitur esse, nisi illius dignitatis possessio capta fuerit. Sicuti tradit Suar. *disp.* 37. *sect.* 1. *num.* 9. Filliuc. *tract.* 18. *num.* 145. Altet. *disput.* 12. *cap.* 2.

cap.2.col.5. Bonac. *t.3.de censur. disp.4.q.2.p.2.num.2.* & colligitur ex illis verbis Textus: *Locum deseruerit*, quæ supponunt locum deserendum possessum esse. Perseuerat autem hæc censura tam ex parte Clerici recipientis dignitatem, quàm ex parte laici conferentis, quousque dignitati sic acceptæ cessum fuerit, nam Textus inquit. *Introitum Ecclesiæ interdicimus, quousque locum quem sub crimine tam ambitionis, quàm inobedientiæ cæpit, resipiscendo non deserit.* Ergo deserto illo loco, & dignitate renunciata cessat interdicti sententia. Vt notat Bonacina *suprà, num.6.*

4 Quartò fertur speciale interdictum ab ingressu Ecclesiæ in *cap. præsenti de officio ordinar. lib.6.* aduersus Episcopos, & eorum Superiores, qui vsurpant bona Ecclesiarum, vel beneficiorum vacantium, vel fructus eorum qui pertinent ad ipsa beneficia, vel ad successores. Et perseuerat hoc interdictum quousque restitutionem faciant de prædictis. Aduersus alios inferiores Prælatos fertur censura suspensionis, vt *superius* declarauimus explicantes suspensionem latam in *cap. quia sæpè de electione, lib.6.*

5 Quintò in *cap. Episcoporum de Priuilegiis in 6.* interdicuntur ab ingressu Ecclesiæ omnes quantumcunque exempti cuiuscunque ordinis, status, vel conditionis existant, qui scienter celebrant, vel faciunt celebrari diuina in ciuitatibus, castris, villis (nisi quatenus eis à iure conceditur) seu locis aliis interdictis ab Ordinariis, seu delegatis iudicibus, vel à iure. Quive excommunicatos publicè, vel interdictos ad diuina officia, seu Ecclesiastica Sacramenta, vel Ecclesiasticam sepulturam admittere præsumpserint. Interdicuntur que donec de transgressione huiusmodi ad arbitrium eius cuius sententiam contempserunt, satisfecerint competenter. Quâ satisfactione positâ interdictum cessat, quia solùm vsque ad satisfactionem competentem latum est. Sed an hæ actiones præstandæ sint in interdicto locali generali? Non est constans Doctorum sententia. Nam Bonac. *disp.4.q.2. punct.6. num.3.* existimat satis esse, si in interdicto locali speciali præstentur, quia textus videtur generaliter loqui, vt colligitur ex verbis superius relatis. Sed rectiùs contrarium docuit Suar. *disp.37. sect.1.num.5.* Filliucius *tract.18. num.147.* quia hæc constitutio præcipuè lata est ad comprimendam exemptorum audaciam: exempti autem solùm in interdicto generali loci exemptionem prætendere possunt, & non in interdicto speciali. Deinde verba textus solùm interdicto generali perfectè accommodantur, inquit enim textus, scienter celebrant, vel faciunt celebrari diuina in ciuitatibus, castris, villis, seu locis aliis; ciuitas namque, castrum, villa, & locus subiecta sunt interdicti generalis.

Personas verò hoc interdicto comprehensas existimat Nauarr.c.27.num.157. Couarruu. *c.alma 1.p.§.6.n.9.* Suar. *disp. 37.sect.1.num.5.* Auila *5.p.disp.5.dub.4.* & alij esse sæculares, vel regulares exemptas à iurisdictione ordinaria, quia hos voluit Pontifex hac censura comprimere, nam ordinariæ iurisdictioni subiectæ ab Ordinariis compelli poterunt. Contrarium autem satis probabiliter docent Glossa *ibi verbo ingressum.* Syluest. *verbo interdictum 6.§.2.* Angel. *eodem num.5.* Bonac. *t.3. disp.4.q.2.p.6.n.9.* nam illa dictio *quantumcunque exempti* non est restrictiua dispositionis, sed ampliatiua; præstátque hunc sensum; quicunque Clericus sæcularis, vel regularis etiamsi summè exemptus sit, &c.

Circa posteriorem partem illius Textus communis est sententia, quam docuit Suar. *disp.37. sect.1.num.5.* Filliucius *tract.18.n.147.* Bonac. *disp.4.q.2.n.6.* Coninch. *de interdicto, disp.17. dub.5. num 74.* comprehendere solùm admittentes excommunicatum, & interdictum denunciatum quia hos solos ex vi censuræ post *Extrauag. Ad euitanda*, vitare tenemur. Deinde hæc pœna non fertur contra participantes in quibuscunque rebus cum excommunicatis, & interdictis denunciatis, sed solùm contra participantes in diuinis officiis, Sacramentis, & Ecclesiastica sepultura, & non de quacunque participatione, sed de ea quæ propriè significatur per verbum *admittunt.* Quæ participatio solùm habet locum in illis ad quorum curam spectat prohibere, vel admittere aliquem ad huiusmodi actus, sicuti si rector esses Ecclesiæ, & ibi permitteres excommunicatum, vel interdictum denunciatum officiis diuinis assistere. Item si excommunicato, vel interdicto vitando Sacramentum aliquod ministrares, quia ea ministratione suscipientem ad vsum Sacramenti admittis. Secùs esset, si ab excommunicato, vel interdicto Sacramentum accepisses, vt notarunt Suar. Filliuc. & Bonac. *locis citatis.* Dixi *qui admittit excommunicatum, vel interdictum.* Nam de suspenso nihil cauetur in *suprædicto cap.* ac proinde ex vi huius Textus nullam pœnam contraheres, etiamsi ad Sacramenta suspensum admitteres.

6 Sextò fertur simile interdictum ab ingressu Ecclesiæ *in Extrauag. vnica de Censibus inter communes*, aduersus Episcopos, & Superiores Prælatos, recipientes ab Ecclesia quam visitant munera, & alia quæ sibi non debentur, si intra mensem, vel vt melius dicam intra duos menses non restituerint Ecclesiæ ab ea accepta, & fertur interdictum non absolutè, sed quousque dictæ Ecclesiæ duplum non restituerint. Ea verò restitutione facta, interdictum finitur. Qui verò nomine Episcopi visitauerint, & vltra designatas procurationes receperint, suspenduntur ab officio, & beneficio, quousque duplum illius quod acceptum est restituerint, sicuti loquentes de suspensione exposuimus.

Insuperque additur aduersus familiares Prælati personaliter visitantis qui per se, vel per alios aliquid vltra sibi debitá acceperint ignorante Prælato, si intra duos menses duplum non restituant, ex tunc si Clerici sint suspensi ab officio, & beneficio, si laici interdicti ab ingressu Ecclesiæ, & ab Eucharistiæ communione, donec de duplo huiusmodi grauatis Ecclesiis, monasteriis, seu aliis piis locis satisfecerint competenter. Vt latius diximus, cùm de suspensione fuimus locuti.

Septimò fertur interdictum absolutè, & absque vlla limi- 7
tatione *in Extrauag. 3. de Priuilegiis* aduersus Ordinarios, & reliquos omnes qui conferunt beneficia eorum qui pro suis negotiis ad Romanam curiam perfecti sunt, quiue in illa officia aliqua exercent, & extenditur pœna aduersus recipientes, & talis receptio & donatio irrita, & nulla declaratur. Solùm aduerto *ibi* non solùm ferri interdictum, sed suspensionem, & excommunicationem reseruatam, quæ excommunicatio Episcopos comprehendit, tametsi sub suspensionis, vel interdicti pœna non comprehenduntur. Vide quæ diximus, cùm loquentes de excommunicat. & suspens. hunc Textum exposuimus.

Octauò fertur *in Extrauag. vnica: Ne Sede vacante*, ad- 8
uersus Episcopos, & Superiores qui contra preseriptum illius decreti aliqua bona beneficiorum vacantium vsurpant, si intra mensem non restituant iis ad quos pertinent. Et fertur primò suspensio à Pontificalibus. Secundò interdictum ab ingressu Ecclesiæ aduersus vniuersitatem, vel collegium fertur absolutè. Singulares verò personæ excommunicationi subiiciuntur.

Nonò fertur interdictum absolutè, & aliæ pœnæ aduer- 9
sus Abbatem, & Episcopum qui inconsulto Romano Pontifice aut non seuata forma Extrauag. *Ambitiosa de rebus Ecclesiæ non alienandis*, bona Ecclesiæ alienauerint, quam constitutionem plures Doctores censent receptam non esse.

Decimò fertur interdictum ab ingressu Ecclesiæ in bulla 10
Pij IV. edita in confirmationem Concilij Trident. aduersus Prælatos edentes Glossas, seu commentaria in Concilium Trident. eáue publicantes, quod qua ratione intelligendum sit, explicuimus declarantes excommunicationem ibi appositam contra singulares personas

Vndecimò in eodem Concilio Trident. *sess.6. cap.1. de re-* 11
format. in fine latum est interdictum ab ingressu Ecclesiæ aduersus Metropolitanum, qui intra tres menses Suffraganeos Episcopos absque rationabili causa absentes à suis Ecclesiis per annum, & aduersus suffraganeum Episcopum antiquiorem residentem, qui Metropolitanum per annum absentem absque causa denunciare intra tres menses per nuntium, vel litteras Pontifici omiserit.

Duodecimò fertur interdictum ab ingressu Ecclesiæ Ponti- 12
fici reseruatum in Bulla Sixti V. quæ incipit: *Sanctum, & salutare*, aduersus simoniacos ordinantes. Sed quia ibi etiam suspensio iniungitur, de qua *suo loco* egimus, nihil speciale notandum in præsenti occurrit.

Decimotertiò Pius IV. *in Bulla quæ incipit: Romanum* 13
Pontificem iniungit pœnam interdicti absoluti, & Pontifici reseruati Cardinalibus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, aliisque Prælatis recipientibus beneficia, vel pensiones in confidentiam, inferioribus pœnam excommunicationis iniungit, quam suo loco explicuimus.

Decimoquartò refertur ab aliquibus interdictum ab in- 14
gressu Ecclesiæ, quod latum est in *cap. si qui sunt, 81. dist.* aduersus Presbyteros, Diaconos & Subdiaconos, qui in crimine fornicationis perseuerant. Quod interdictum testatur Bonac *disp.4.q.2.p.10.* vsu receptum non esse, sed casu quo receptum sit, finiti delinquente pœnitentiam agente, quia Textus inquit: Interdicimus eis Ecclesiæ introitum vsque dum pœniteant & emendent. Ergo positâ pœnitentiâ & emendatione, cessat interdictum, quod appositum est vsque ad illum terminum.

Denique adducit Bonac. *disp.4. q 2.pun.11.* interdictum 15
ab ingressu Ecclesiæ appositum à sacra Cardinalium congregatione die 22. Septemb. anno 1615. aduersus Capitula, Collegia, Societates, Congregationes, & locorum piorum Superiores, & alios ad quos pertinet, si pecuniam acceptam pro onere perpetuo Missarum celebrandarum non deposuerint penès ædem sacram, vel personam idoneam, vt quamprimum possit in bona immobilia commuterur cum indiuidua mentione oneris, quod illis est annexum, quia hoc ex voluntate concedentis eleemosynam requiritur, siquidem intendit Missarum onus esse pepetuum, ad cuius finem maximè expedit vt eleemosyna perpetua sit, quod esse nequit, nisi pretio accepto, bona immobilia comparentur. Item sub eadem pœnâ

interdicti

interdicti iniungitur, vt si ea bona immobilia authoritate Apostolica contigerit alienari, pretium eorumdem eodem modo deponatur in bona immobilia, cum eiusdem oneris repetitione conuertendum. Quod ob eandem rationem dispositum est.

Deinde iniungit sub eadem pœna interdicti sæcularibus Clericis,& regularibus sub pœna priuationis vocis actiuæ,& passiuæ, priuationis officiorum,& inhabilitatis ad illa in posterum obtinenda; vt si forte onere Missarum celebrandarum detinentur, auferant ab Ecclesiis capsulam cum inscriptione pro Missis celebrandis. Ne ea occasione onere Missarum grauentur, cui nequeunt commodo tempore satisfacere contra voluntatem, & intentionem eleemosynas tribuentium, & Missas postulantium; hac enim parte nihil amplius præcipitur nisi quod iure naturæ cauetur, iure namque naturæ vetitum est, ne quis Missas dicendas in longum tempus differat contra voluntatem, & intentionem eorum qui stipem pro illis dicendis concesserunt. Quare si breui tempore receptis, & recipiendis satisfieri potest, non est opus capsulam tollere, & à recipiendis eleemosynis Missarum abstinere.

Alia plura adducit Bonac. *dicto t.3. disp.4.q.2. punct.*11. à sacra congregatione Cardinalium decreta circa Missas, & earum eleemosynas, quæ iuri,& rationi consentanea sunt,& obseruari conuenit. *Primò* namque refert prohibitum esse à sacra Congregatione,ne Episcopi,aut Generales Religionum reducant onera Missarum post Concil. Trident. imposita, aut in limine beneficij, nisi forte ipse testator hanc facultatem Episcopo, aut religionis Superiori concesserit. Neque obest quòd legatum sit ita tenue, vt nullus velit Missarum oneri satisfacere, ideóque expediat fieri reductionem, quia hæc non negatur, sed cauetur ne ab alio, quàm à Pontifice fiat, quam gratis,absque vllis expensis præstabit. *Secundò* refert Bonac. prohibitum esse, ne quis plures accipiat eleemosynas (intelligitur integras)pro eodem sacrificio, reuocárque omnia priuilegia quibuscunque locis, vel personis concessa, quibus concedebatur, vt certarum Missarum,vel anniuersariorum celebratione, aut aliquibus collectis,vel orationibus satisfieret pluribus oneribus Missarum in futurum suscipiendis. Etenim cùm iure naturali nullus possit pro vno Sacrificio nisi vnum congruum stipendium accipere, iniustitiam committit intendens pluribus stipendiis vnico sacrificio satisfacere. Quod si aliquando stipendium minus congruo datum sit, & recipiens illo contentus fuit, nequit aliunde compensationem accipere,quia iam cessit iuri quod habebat,vt sibi congruum stipendium concederetur. Reuocatio verò priuilegiorum conuenientissima fuit, ne concedentes eleemosynam sua intentione defraudentur, néue alij ab his eleemosynis concedendis, & capellaniarum fundatione retrahantur. *Tertiò* refert prohibitum esse Sacerdoti accipienti certam eleemosynam pro Missis dicendis alteri Sacerdoti eas Missas celebrandas committere,minori stipendio concesso, quia nulla videtur congrua ratio ob quam possit partem stipendij sibi concessi retinere, cùm ex voluntate donantis concedatur ei quatenus est Missas celebraturus,& non aliter. Ex quo decreto non impediuntur custodes Ecclesiarum ex eleemosynis pro Missis dicendis aliquam partem sibi retinere pro labore impensio in harum eleemosynarum collectione, altarisque obsequio, nempe cera, vino, & aliis, dummodò congruum stipendium Sacerdoti celebraturo concedatur, quia his oneribus sacrificia postulantes satisfacere tenentur, siquidem irrationabiliter vellent sibi gratis ea obsequia præstari.

Ad extremum alicui non videbitur improbabile hæc sacræ Congregationis decreta etsi rationi, & æquitati conformia sint,vim legis saltem extra Italiam non habere,quia illis deficit requisita publicatio, & communitatis acceptatio, & iurisdictionis à Pontifice in totam Ecclesiam concessio, vti indicat Bonac. *d.pun.*11.*in fine*. Quod an verum sit, aliis iudicandum remitto.

PVNCTVM IX.

De cessatione à Diuinis.

§. I.

Quid sit,& quotuplex cessatio?

1 *Explicatur cessationis definitio.*
2 *Qualiter ab interdicto differat;*
3 *Duplex est cessatio.*

ANnexa est cessatio à diuinis interdicto, eique ex parte similis. Dicitur autem cessatio ab effectu quem habet, quia ex vi illius diuinæ laudes in aliquo loco cessant, ideóque Doctores cessationem definiunt esse prohibitionem Ecclesiasticam Clericis impositam abstinendi ab officiis diuinis in aliquo loco. Hæc prohibitio etsi ob culpam grauissimam alicuius apponatur, non est tamen censura, quia non magis nocentes, quàm innocentes afficit, sed est quædam diuinorum officiorum negatio,quam Ecclesia clericis sub præcepto iniungit in signum doloris, & tristitiæ conceptæ ob grauissimam iniuriam sibi, seu honori diuino illatam, & in illius reparationem, vt hac ratione cogatur delinquens ab iniuria desistere,& satisfactionem exhibere. Sicuti colligitur ex Clement. 1.*de sentent. excommunicat. sub finem*, & traduntcommuniter Doctores,Nauarr. *cap.*27.*num.*188. Sayrus *lib.*5. *cap.*17.*num.*2. Suar.*disp.*38.*sect.*1.*num.*13. Coninch.*disput.*17. *dub.*1.*in princ.* Filliucius *tract.*18.*c.*7.*q.*1. Bonac. *t.*1.*disput.*6. *p.*1. Paul. Layman. *lib.*1. *sum. tract.*5.*par.*4.*c.*6. *num.*1. Auila 6. *p.de censuris disp.*1.*dub.*1.

Ex his infertur plurimum cessationem ab interdicto differre, nam interdictum etiam locale semper afficit aliquam personam determinatam, nempe illum cuius causa interdictum latum est, cùm tamen cessatio à diuinis nullam personam determinatam afficiat. Sed omnes æquè à diuinis illo in loco vbi fertur cessatio arceantur. Secundò ob violationem cessationis per exercitium Ordinis nulla est irregularitas imposita, quæ tamen violationi interdicti apposita est. Tertiò cessatio non est censura, secùs interdictum. *Cap. quærenti de verborum significat.* Quartò priuilegia tempore interdicti concessa ad cessationem à diuinis trahenda non sunt. Quintò cessatio à diuinis nunquam imponitur ipso iure, benè tamen interdictum. Denique effectus cessationis,& interdicti aliqua ex parte differunt,sicuti hæc omnia in sequentibus videbimus. Ergo cessatio à diuinis ab interdicto differt. 2

Duplex est cessatio, alia *generalis*, alia *specialis*. Generalis est quæ respicit prouinciam, ciuitatem, castrum, villam &c. Specialis est quæ determinato loco apposita est scilicet Ecclesiæ, cæmeterio, oratorio &c. Sicuti de interdicto diximus. 3

§. II.

Quos effectus habeat cessatio à diuinis?

1 *Triplex est effectus.*
2 *Plures censent non solùm à Pontifice, sed à quolibet inferiore cessationem imponi posse partialem.*
3 *Verius est oppositum.*
4 *Primus effectus cessationis, qui est priuatio diuinorum officiorum tam Clericos, quàm laicos comprehendit.*
5 *Aliqui censent priuilegium concessum* in cap. alma mater de sentent. excommunicat. in 6. *extendi ad cessationem*
6 *Oppositum verius est.*
7 *Priuilegium concessum pro illis quatuor festiuitatibus relatis in* dicto cap. alma *ad cessationem extendituripectata consuetudine,tametsi spectato iuris rigore contrarium esset dicendum.*
8 *Ex vi vllius priuilegij concessi audiendi diuina, vel celebrandi tempore interdicti, non possunt tempore cessationis celebrari, vel audiri diuina.*
9 *Tempore cessationis licitum est celebrare in qualibet Ecclesia semel in hebdomada pro renouanda Eucharistia.*
10 *Horæ canonicæ in particulari recitari possunt tempore cessationis.*
11 *Tempore cessationis ea Sacramenta ministrari possunt, quæ tempore interdicti.*
12 *Cessatio per se non videtur priuare Ecclesiastica sepultura.*

TRiplex effectus communiter cessationi attribuitur, nempe priuatio diuinorum officiorum,Sacramentorum & Ecclesiastica sepulturæ. 1

Sed an hi effectus cuilibet cessationi annexi sint; Variant Doctores. Nam Suar. *disp.*39.*sect.*2.*num.*15. *& sect.*4. *num.*4. Filliucius *tract.* 18. *capite* 9.*num.* 172. *&* 187. censent non solùm à summo Pontifice (de quo non est dubium) sed à quolibet Iudice cessationem imponi posse partialem,hoc est quoad vnicum tantùm effectum, & non quoad omnes; v.g. quoad priuationem diuinorum officiorum, & non quoad priuationem Sacramentorum,quia hæc potestas nullibi videtur restricta. 2

Cæterùm longè verius est nullum alium præter Pontificem cessationis effectus limitare posse; quia hi effectus annexi sunt cessationi ex iure communi statuto in *cap. non est* 11.*de Sponsalibus* ibi: *Nulla officia diuina celebrari permittatis.* Quod ius mutare nemo potest. Sicut ergo nullus potest excommunicationis effectus restringere; quia iure communi sunt statuti, sic neque cessationis effectus restringere valet. Neque placet responsum Suar.*dicta sect.vlt. n.*4. Pontificem loqui *ibi* de speciali cessatione, nam Doctores omnes inde sumunt argumentum ad affirmandum cessationem quamlibet 3

prohibe

prohibere omnia officia diuina, neque habere locum indulgentiam factam in *c. alma mater.*

Præterea si cessatio partialis, & quoad particulares effectus & non quoad omnes imponi posset, esset multiplex cessatio, sicuti est multiplex interdictum, quam tamen multiplicitatem nullo modo iura agnoscunt. Non igitur potest alius à Pontifice effectus cessationis restringere, vt bene notauit Henriq. *lib.* 13. *cap.* 32. *num.* 1. & *cap.* 54. *num.* 2. Sayrus *lib.* 5. *thesauri, c.* 18. *n.* 7. Auila 6. *p. disp.* 3. *dub.* 4. Bonac. *t.* 1. *disp.* 6. *pun.* 1. *n.* 8. & alij.

4 Primus ergo effectus cessationis est prohibitio diuinorum officiorum, vt deciditur *dicto cap. non est vobis de Sponsalibus* Quæ prohibitio etsi directè clericos afficiat, laicos etiam comprehendit. Ex eo namque quòd in aliquo loco indicta cessatio sit à diuinis, omnes tam clerici, quàm layci à diuinis arcentur, clerici ne ea celebrent, laici, & clerici ne illorum celebrationi, si aliquando contigerit, assistant. Quod manifestè conuincitur ex *cap. quod in te, de pœnitent. & remissionib.* & *cap. permictimus de sentent. excommunic.* vbi semel in hebdomada pro renouanda Eucharistia permissum est celebrari, cui celebrationi nec clerici, nec laici assistere possunt, sed solùm sacerdos cum suo ministro. Atque ita notauit Suar. *disp.* 39. *sect.* 1. *n.* 14. Filliuc. *tract.* 18. *c.* 7. *n.* 166. Bonac. *t.* 1. *de cessat. disp.* 6. *pun.* 3. *num.* 4.

5 Sed dubium est, an priuilegium concessum in *cap. alma mater. de sentent. excommunicat. in* 6. vt possint Clerici officia diuina in loco interdicto celebrare submissa voce, ianuis clausis, & campanis non pulsatis, extendatur ad cessationem à diuinis? Affirmant Archidiacon. *cap. si canonici statum in princ. De officio ordinar. in* 6. Paludan. *in* 4. *dist.* 18. *q.* 8. *art.* 3. *princip. num.* 38. Ioann. de Friburgo *sum. confessor. lib.* 3. *tit.* 35. *q.* 221. Nauarr. *cap.* 27. *num* 189. Villadiego *de irregularit. vbi de irregularit. ob violationem interdicti. §. dictum est. & cap.* 5. *de interdicto. num.* 15. *vers. prædicta tamen.* Ducuntur, quia cessatio hæc spectato iure antiquo sub interdicto continebatur. Deinde rationes, quibus motus fuit Pontifex ad concedendum, vt tempore interdicti generalis diuina celebrarentur, illa moderatione scilicet ne fidelium deuotio tepesceret, ne hæreses pullularent æquè in cessatione à diuinis procedunt. Ergo priuilegium interdicto concessum ad cessationem extendi debet.

6 Nihilominus verior, & communior est sententia, negans concessionem *d. cap. alma* ad cessationem etiam generalem extendi posse. Primò, quia cessatio à diuinis sub interdicto non comprehenditur, sed ab ipso distinguitur. vt colligitur ex *cap. dilectis filiis de appellationibus* & *cap. irrefragabili. §. cæterum de officio ordinarij.* & *cap. si canonici. Cap. quamuis de officio ordinar. lib.* 6 & *Clement.* 1. *de sentent. excommunicat.* Secundò si liceret Canonicis Horas canonicas dicere tempore cessationis generalis, sicuti licet tempore interdicti, possent, & deberent eas Horas recitare, nec priuari possent distributionibus, sed necessariò eas lucrarentur. Quo posito non esset obligatus eas illis soluere qui causam cessationi dedit. Sicuti de facto obligatur in *cap. si canonici §. si autem de officio ordinar. in* 6. Tertiò non est eadem ratio in cessatione, ac in interdicto, vt priuilegium concessum pro interdicto ad cessationem extendatur. Nam cessatio à diuinis rarissimè, & ob vrgentissimam causam imponitur, & tentatis aliis pluribus remedijs, & semper imponitur ob contumaciam alicuius infringendam. Secùs contingit in interdicto. Quartò si limitationes, quæ in interdicto licent, licerent in cessatione, cessatio non esset grauamen speciale supra interdictum, quod est contra Ecclesiæ vsum Atque ita docet Medina *sum. lib.* 1. *c.* 11. §. 14. Couar. *cap. alma* 2. *p.* §. 4. *n.* 7. Henriq. *lib* 13. *cap.* 54. *num.* 2. Gutierr. *lib.* 1. *canon. qq. cap.* 10. *num.* 6. Sanchez *lib.* 7. *de matr. disp.* 8. *num.* 14. Sayr. *libro* 5. *thesauri, cap.* 19. *num.* 2. Suar. *disp.* 39. *sect.* 2. *num.* 7. Auila 6. *part. disp.* 1. *dub.* 3. *vers. secunda opinio.* Coninch. *disp.* 17. *dub.* 7. *n.* 85. Paul. Laym. *lib. sum tract.* 5. *p.* 4. *c.* 6. *n.* 2. Bonac. *t.* 1. *disp.* 6. *pun.* 1. *circa finem.* Gasp. Hurtado *de cessat. diffic.* 1. *n.* 58.

7 Ex hac doctrina videtur inferri iuris rigore spectato priuilegium concessum in *cap. alma* pro illis festiuitatibus Natalis, Paschæ, Pentecostes, & Assumptionis Beatæ Virginis non esse ad cessationem à diuinis extendendum. Vt tradit Bonac. Layman. & Suar. *loc. alleg.* Verùm spectatâ æquitate, & consuetudine hanc extensionem faciendam esse docuerunt Couarruu. *cap. alma.* 2. *p.* §. 5. *num.* 5. Doctores Salmanticenses, anno 1584. teste Henriq. *lib.* 13. *cap.* 53. *num.* 3. Gutierr. *lib.* 1. *canon. qq. cap.* 10. *in fine.* Sayr. *lib.* 5. *cap.* 19. *num.* 6. Sanch. *d. lib.* 7. *disp.* 8. *num.* 18. Auila 6. *p. disp.* 1. *dub.* 6. *conclus.* 1. Paul. Layman. *dicto cap.* 6. *num.* 3. inclinat Suar. *dicta disp.* 39. *sect.* 2. *num.* 23 & colligitur ex *d. cap. alma.* Nam *tibi* conceduntur illis diebus celebrari officia diuina non in vi permissionis, sed constitutionis, & ordinationis, inquit enim textus: In illis festiuitatibus Natalis Domini, Paschæ, Pentecostes, & Assumptionis Beatæ Virginis Mariæ campanæ pulsentur, & ianuis apertis, & alta voce diuina officia solemniter celebrentur. Ergo aduersus hanc constitutionem non potest cessatio, quæ ab inferiori Pontificis indicta est vim habere. Et idem tradit Sayrus, & Henriq. de festis, in quibus ob priuilegia Religiosis concessa generalia interdicta suspenduntur.

8 Secundò infertur ex vi illius priuilegij concessi audiendi diuina, vel celebrandi tempore interdicti non posse priuilegiatum ea audire, vel celebrare tempore cessationis; quia vt probatum est, cessatio sub interdicto non comprehenditur, sed ab eo distinguitur. Sicuti notauit Nauarr. *cap.* 27. *numero* 189. Suar. *disp.* 39. *sect.* 2. *num.* 11. Sayrus *lib.* 5. *cap.* 19. *num.* 15. Bonac. *disp.* 6. *pun.* 1. *in fine.* Quod maximè procedit in priuilegio singularibus personis concesso, quod strictè interpretandum est. Verùm si de priuilegio communitati alicui concesso, vel personis ratione dignitatis loquamur, vt est priuilegium concessum Episcopis audiendi, vel celebrandi tempore interdicti in *cap. quoad nonnullis, de priuilegiis,* & *cap. vlt. eodem tit. in* 6. non videtur improbabile ad cessationem extendi, quia hoc priuilegium latè interpretandum est, maximè cùm iure antiquo parum cessatio ab interdicto distinguebatur. Sicuti plures referens docuit Couarruu. *cap. alma* 2. *p.* §. 4. *num.* 7. *vers. hinc patet.* Henriq. *lib.* 13. *cap.* 53. *num.* 3. & *in comment. litt. P.* & refert ita sensisse quosdam Iurisperitos Salmanticæ consultos Sayrus *lib.* 5. *cap.* 19. *num.* 5. Auila 6. *p. disp.* 1. *dub.* 5. *concl.* 2. limitans casu quo priuilegium concessum fuerit ante constitutionem *cap. alma mater.* Illud est certum in eo casu Missam, & officia diuina celebranda secreto esse, & seruata moderatione *dicti cap. alma*, vt notarunt Henriq. & Auila *suprà.*

9 In omni tamen sententia fatendum est tempore cessationis licitum esse celebrari in qualibet Ecclesia semel in hebdomada pro renouanda Eucharistia, ne species sacramentales putrefiant, néve infirmi sine viatico decedant, quæ fuerunt rationes ob quas in speciali interdicto hoc permissum est iuxta *c. permittimus de sent. excom.* Debet tamen vnus solus ministet, vel ad summum duo adesse iuxta Decretum Soteri Pontificis *in c. hoc quoque de consecr. dist.* 1. Sicuti docuerunt Medin. *sum. li.* 1. *c.* 11. §. 14. Henr. cum Doctoribus Salmanticensibus, *lib.* 13. *c.* 53. *n.* 2. Nauarr. *cap* 27. *n.* 173. Sayrus *lib.* 5. *c.* 19. *n.* 3. Auila 6. *p. disp.* 1. *dub.* 4. *concl.* 2. Suar. *disp.* 39. *sect.* 2. *num.* 19. Bonac. *t.* 1. *disp.* 6 *pun.* 3. *num.* 3. Quinimo addit Suar. *num.* 20. quolibet die fieri posse sacrum, si necesse sit conferri viaticum, neque adsit Eucharistia. Cauendum tamen est, ne hoc fiat in fraudem cessationis, ideóque in Missa quæ semel in hebdomada permittitur consecrandæ sunt omnes formulæ, quæ pro tota hebdomada necessariæ reputantur.

10 De recitatione Horarum in particulari scilicet bini, vel terni variant Doctores, an liceat tempore cessationis? Negarunt Doctores Salmanticenses, teste Sayro *lib.* 5. *cap.* 19. *num.* 4. & probari videtur ex *cap. permittimus de sentent. excommunicat.* ibi: *Nulla diuina officia permittatis aliquatenus celebrari.* Item ex *cap. quod in te de pœnitent. & remissionib.* videtur concessa facultas recitandi tempore interdicti bini, vel terni, quæ facultas non est ad cessationem trahenda. Sed contrarium longè probabilius est, vt docuit Sayrus *dicto num.* 4. Henriq. *lib.* 13. *cap.* 53. *num.* 2. Suar. *disp.* 39. *sect.* 2. *num.* 14. Bonac. *t.* 1. *disp.* 6. *punct.* 3. *num.* 3. Layman. *lib.* 1 *sum. tract.* 5. *par.* 4. *cap.* 6. *num.* 2. quia hæc recitatio non est publica, & solemnis, sed priuata, quæ nec interdicto, nec cessatione tollitur. Item extra Ecclesiam hæc recitatio licet, vt docuit Henriq. *suprà.* & Auila *dub.* 4. Ergo etiam in Ecclesia. Neque obstat Textus in *dicto cap. dimittimus,* quia intelligendus est de permissione officij publici. Textus verò in *cap. quod in te* non facultatem concedit, sed quod aliàs licitum erat, declarat; vt bene notauit Layman. *d. cap.* 6. *num.* 2. De pulsatione campanarum idem est dicendum, ac de interdicto diximus nullo modo licere in ordine ad diuina officia pulsari; secùs verò ad alia quæ officia diuina non sunt, nisi consuetudo in contrarium obseruetur ab Ecclesia matrice. Sicuti notauit Suar. *disp.* 39 *sect.* 2. *num.* 17.

11 Secundus effectus cessationis est priuatio sacramentorum, vt constat ex *dicto cap. non est vobis de Sponsalib.* Difficultas autem est quæ sacramenta ministrari, & recipi liceant? Et dicendum videtur, etsi spectato iuris rigore solus Baptismus, & pœnitentia morientibus, & Viaticum administrari possit, vt colligitur ex *dicto cap. non est vobis*, ibi: *Nulla diuina officia præter Baptismum paruulorum, & Pœnitentiam morientium adiuncto etiam Viatico celebretis.* At ex benignitate Ecclesiæ, & grauissimorum Doctorum authoritate ea sacramenta ministrari, & recipi possunt quæ tempore interdicti licent, non quia cessatio sub interdicto comprehendatur; sed quia Ecclesia videtur eam consuetudinem approbasse, ne fuos fideles tanto bono priuet, vt tradunt ex communi Couarruu. in *cap. alma* 2. *part.* §. 4. *num.* 7. *vers. vt cumque tamen sit.* Henriq. *lib.* 13. *cap.* 53. *num.* 1. & 4. Sayrus *lib.* 5. *thesauri, cap.* 19. *num.* 7. Bonac. *tom.* 1. *disp.* 6. *pun.* 3. *num.* 7. Layman. *lib.* 1 *tr.* 5. *part.* 4. *cap.* 6. *num.* 3. Suar. *disp.* 39. *sect.* 2. *num.* 12. Auila 6. *par. disp.* 1. *dub.* 6. & alij. Quocirca tempore cessationis licet tam paruulis, quàm adultis etiam sanis conferre sacramentum Baptismi, quia hoc sacramentum est necessitatis ob vitæ periculum, & vocatur Sacramentum paruulorum etiamsi adultis

detur, quia de iure, & per se, in pueritia illis erat tribuendum. Confirmatio etiam concedi potest; quia est quædam Baptismi perfectio: sicuti tradunt Sayrus, Henriq. Bonac. Suar. Layman. & alij *locis allegatis*. Pœnitentia omnibus morituris concedenda est propter eius necessitatem, vt habetur in *supra d. cap. non est vobis*. An verò sanis sit ministranda? non est ita certum. Probabile est extendi ex benigna Ecclesiæ interpretatione, nam cùm difficile sit adultum contritione iustificari, non est credendum voluisse piam matrem Ecclesiam suos fideles hoc tam saluatari remedio, & ad iustificationem necessariò priuare. Sicuti docet Couarruu. *dicta 2. p. §. 4. num. 7. vers. vbicunque*. Henriq *lib. 13. cap. 53. num. 4*. Sayrus *cap. 19. num. 8*. Bonac. *pun. 3. num. 5*. Coninch. *disp. 17. dub. 7. num. 82*. Suar. Auila, Layman. *locis citatis*. Deinde Matrimonium absque solemnitate nuptiali contrahi potest, nam esto sacramentum sit nuptiali contrahi potest, nam esto sacramentum sit, quia tamen fundatur in humano contractu ex vi cessationis, sicut neque ex interdicto prohibetur, vt docet Sayrus *libro 5. capite 19. numero 12*. Henriquez *cap. 53. numero 4*. Suar. *disp. 39. sect. 2. num. 27*. Quapropter sacramentum Ordinis, Eucharistia sanis, & extrema Vnctio infirmis tempore cessationis, sicuti tempore interdicti denegantur, vt aduertunt Doctores relati. Omnia tamen sacramenta quæ eo tempore ministrari licent administranda sunt cum suo ritu, & solemnitate debita. Sicuti notant Sayrus. Suar. Bonac. Layman. & alij *locis allegatis*. Vnde licitum est hebdomada sancta, si cessatio perseueret consecrare Chrisma, & benedicere oleum; quia hæc necessaria sunt pro ministratione solemni Baptismi, & Confirmationis. Sicuti aduertunt Henriq. *lib. 13. cap. 53. n. 4*. Nauarr. *cap. 27. num. 178*. Sayr. *lib. 5. cap. 19. num. 7*. Suar. *disp. 39. sect. 2. num. 18. & 22*. Bonac. *disp. 5. p. 3. num. 5. & seqq.*

Tertius effectus cessationis enumerari solet priuatio Ecclesiasticæ sepulturæ. Et quidem si cessatio interdictum supponat, vt ferè semper contingit, non est dubium ratione interdicti hanc secum ferre priuationem. Verùm si cessatio per se sumatur, valde probabile censeo hunc effectum non habere, quia sepultura Ecclesiastica, vt *superiùs* dixi sub officiis diuinis non comprehenditur: at cessationi solùm diuinorum priuatio, vt effectus annectitur ex *cap. non est vobis de Sponsalibus*, neque vllibi cautum est hanc sepulturæ priuationem illi conuenire. Non igitur asserenda est, ideóque possunt spectato iuris rigore nō solùm Clerici (de quibus ferè omnes Doctores conueniunt) sed etiam laici tempore cessationis cæmeterio, vel Ecclesia sepeliri absque diuinorum officiorum solemnitate. Vti tradit Suar. *disp. 39. sect. 2. num. 34*. Coninch. *disp. 17. dub. 7. n. 84*. Bonac. *t. 1. disp. 6. pun. 3. n. 8*. Paul. Layman. *lib. 1. tract. 5. p. 4. cap. 6. n. 3. vers. denique*.

§. III.

De causis cessationis.

1 *Qui possint cessationem indicere & quod sit eius subiectum, & causa finalis.*
2 *Causa materialis ob quam cessatio imponitur debet esse grauissima.*
3 *Inualida est cessatio non seruatis conditionibus præscriptis* in cap. 1. de sentent. excommun. in 6.
4 *Posita cessatione si intra mensem partes non se composuerint; Romam mittendum est.*
5 *Aliæ conditiones seruandæ sunt pro cessatione posita à Capitulo.*
6 *Prædictas conditiones non tenetur Capitulum obseruare tempore Sedis vacantis, si per Vicarium à se electum cessationem imponat.*
7 *Referuntur pœnæ Capitulo impositæ non seruanti prædictas conditiones.*
8 *Quod dictum est de cessatione imposita à Capitulo, dicendum est de cessatione imposita ab Episcopo, alioque Prælato.*
9 *Causam cessationi prabens ad quæ obligetur.*

1 CAusam materialem, seu subiectum cessationis constat esse locum, seu personas in ordine ad locum, quibus prohibetur diuina ibidem celebrare. Efficiens causa est qui cessationem indicit, qui necessariò habere debet iurisdictionem in foro externo, ea autem gaudens cessationem indicere potest. Sicuti excommunicare, suspendere, & interdicere. Cui enim potestas ferendi has censuras competit, competit etiam potestas ferendi cessationem. Quapropter ex proprio officio Episcopis, aliisque iurisdictionem quasi Episcopalem habentibus, & Capitulo Sede vacante hæc potestas inest. Vt colligitur ex *cap. si canonici de officio ordinar. lib. 6*. Et *ibi* Glossa *verbo* cessare. Capitulum verò Sede non vacante hanc nequit cessationem indicere, nisi ex priuilegio, aut consuetudine recepta: vt colligitur ex *dicto cap. si canonici*, & tunc non nisi ex consensu Episcopi, & conuocatis omnibus capitularibus etiam absentibus, sicuti fit ad electionem, vt colligitur ex *cap. irrefragabili de officio ordinarij, & cap. si Canonici. Cap. quamuis eodem tit. in 6*. Et notauit Sotus *in 4. d. 22. q. 3. art. 2. conclus. 3*. Couarruu. *in cap. alma 2. p. §. 2 numero 6*. Henriq. *lib. 13. cap. 54. num. 1*. Sayr. *lib. 5. cap. 18. num. 5*. Finalis causa consequenda per cessationem est rebelles, & inobedientes coërcere, & à delicto patrato remouere. Causa verò formalis, seu modus ferendi cessationem, & causa propter quam ferenda est præscribitur in *cap. irrefragabili §. caterùm de officio ordinar. & cap. si canonici. Cap. quamuis eodem tit. in 6*. Qui Texrus etsi loquantur de cessatione imposita à Capitulo; Doctores referendi ad quamcunque cessationem extendunt.

Causa materialis, seu delictum ad cuius emendationem ferēda est cessatio, debet esse eius qualitatis, vt adæquet damis ex cessatione prouenientibus, quæ cùm grauissima sint, grauissimum delictum exigunt. Et præterea debet esse delictum notorium, & manifestum notoritate facti, vt eius scandalo possit cessatione occurri. Neque in contrarium stare potest consuetudo vtpotè irrationabilis, & in grauamen Ecclesiæ cedens. Sic docuit Sylvest. *verbo suspensio. n. 1*. Sotus *in 4. d. 22. q. 3. art. 2. concl. 3*. Henriq. *lib. 13. c. 52. num. 1*. Sayr. *lib. 5. thesauri, cap. 18. num. 12*. Suar. *disp. 38. sect. 3. n. 4 & 7*. Auila 6. *p. disp. 2. dub. 2. condit. 1. & seqq.* Coninch. *d. 17. dub. 7. n. 87*. Bonac. *t. 1. d. 6. de cessat pun. 2. n. 1*. Gaspar. Hurtado *de cessat. difficult. 3. n. 59*. & colligitur ex *cap. irrefragabili de officio ordinarij*. Et *cap. si canonici. Cap. quamuis, eodem tit. in 6*. Insuper hæc causa propterquam imponitur exprimi debet instrumento publico per Tabellionem, seu aliis parentibus litteris figillo authentico munitis, quæ debent tradi ei contra quem cessatio indicitur. Sicuti cauetur in *supra d. cap. si canonici*. Præterea debet prius delinquens moneri, an satisfactionem, & emendationem præstare velit. Non enim cessatio quæ grauissima pœna est, indici potest nisi pro contumacia vt manifestè colligitur ex *d. cap. quamuis*.

2 Hæ conditiones ferè sunt eiusdem rationis, ac illæ quæ præscribuntur in *cap. 1. de sentent. excommunicat. in 6*. pro qualibet censura ferenda. An verò aliqua ex his deficientibus nulla sit cessatio; variant Doctores. Nam Suar. *disp. 38. sect. 3. num. 8. & 11*. esto existimet in qualibet cessatione has conditiones obseruandas esse, at affirmat ob earum defectum cessationem non fore irritam, sed iniustam tantum. Solum de monitione asserit esse necessariam, eam scilicet quæ sufficeret ad notitiam habendam de cessatione imponenda, quæque ad valorem cuiuscunque censuræ requisita foret, non autem quod fiat tali tempore, & modo, quo præscribitur in *dicto cap. quamuis*. Et reddit rationem, quia in *hoc cap.* & *cap. si canonici* non redditur nulla sententia, & alioquin ex iure ipso naturali prædictæ conditiones pro valore cessationis non requiruntur: fauet Coninch. *disp. 17. dub. 7. num. 90*.

Cæterùm verius censeo ex defectu cuiuscunque conditionis ex superiùs enumeratis inualidam esse cessationem siue impositam à Capitulo siue à Prælato. Quod docuit aliis relatis Sayrus *lib. 5. thesauri, cap. 18. num. 16*. Stephan. Daulā 6. *p. de censur. disp. 2. dub. 2. §. circa iuncto §. secundo notandum*: & de cessationibus à Capitulo impositis asserit Suar. *disp. 39. sect. 1. num. 13*. Coninch. *dicto dub. 7. num. 90*. præfatas conditiones necessarias esse. Ducor, quia Doctores plerunque conueniunt supradictas conditiones communes esse omnibus cessationibus siue impositis à Capitulo, siue à Prælato. At in *cap. quamuis de officijs ordinar. lib. 6. in fine*, dicitur parte cessante, & suprascripta (scilicet quæ in *illo cap.* continentur, & quæ lata erant in *cap. si canonici eodem tit. & lib. & in cap. irrefragabili de officio ordinarij*, quæque in *dicto cap. quamuis initio* renouantur) non seruante non seruetur cessatio. Si igitur non est seruanda cessatio illis conditionibus in eius impositione non seruatis. Ergo illæ conditiones sunt pro valore cessationis requisitæ.

3 Deinde posita cessatione si intra mensem partes non se composuerint debet tam imponens cessationem, quàm is ob cuius culpam imponitur Romam petere per se, vel per procuratorem cum actis ad negotium spectantibus, vt Romana Sedes remedium prouideat, ne Ecclesia diu à diuinis cesset in graue fidelium detrimentum. Sicuti habetur in *dicto capit. quamuis*, & notant *ibi* Doctores. Interim verò si pars contumax pœnituerit, poterit, & debet cessationem indicens eam tollere, quia ex accessu ad Romanam curiam iurisdictionem non amisit: accessus namque ille solus futur ibi discutiatur quid sit agendum casu quo partes non se composuerint. At facta compositione cessat occasio expectandi Romani Pontificis responsum, vt notauit Henriq. *lib. 13. cap. 52. num. 2*. Sayrus *lib. 5. thesauri. cap. 18. in fine*. Suar. *disp. 39. sect. 3. num. 12*. Auila 6. *p. disp. 2. dub. 2. §. sed circa*. Bonac. *t. 1. disp. 6. pun. 2. num. 4*. aduersus Sotum *dist. 22. q. 1. art. 2*. & Aldterium *disp. 2. de cessat. c. 6. vers. tertiò*. Quod si imponens cessationem noluerit post mensem Romam mittere, eo ipso asfertur cessatio, vt habetur in *dicto cap. quamuis in fine*. Oportebit autem, (vt bene aduertit Suarez *disp. 39. sect. 3. numero 22.*) cui

euidenter constet partem illam esse in mora culpabili, quia dum id non constat, retinet ius suum. Quod nullo modo habet locum in eo ob cuius culpam cessatio imposita est: nam esto hic non mittat Romam, non eo ipso aufertur cessatio, alioquin ex sua iniquitate commodum reportaret, in eiúsque potestate situm esset cessationem eludere. Sicuti notauit Sayrus *dicto lib. 5. cap. 18. num. 17.* Suar. *d sect. 3. num. 14.* Bonac. *disp. 6. p. 3. num. 11.* quia ex nullo Textu colligitur hæc abrogatio; nam *Caput quamuis* solùm dicit parte non seruante conditiones sibi præscriptas in imponenda cessatione non esse cessationem seruandam; at nihil dicit de imponente validè cessationem, illam verò postea non obseruante, sicuti neque tollitur excommunicatio, aut suspensio, vel interdictum ex eo quod has censuras imponens illas non obseruet.

5 Præter supradictas aliæ sunt conditiones seruandæ pro cessatione imposita à Capitulo, scilicet vt ad hanc cessationem imponendam conuocentur omnes qui conuocandi essent pro electione quauis facienda, quique inter se debent conferre, an expediat cessationem imponi, & consultatione facta suffragia ferantur, & ex maiori parte suffragiorum cessatio determinetur; alias sicut de electio sine hac conuocatione, consultatione, & determinatione est nulla. *Cap. coram dilecto. Cap. quia propter de electione.* Sic cessatio quæ electioni comparatur in *dicto cap. quamuis de officio ordinar. lib. 6.* nulla erit: sicuti notauit Sayrus *lib. 5. Thesauri, cap. 18. num. 14.*

6 Dubium tamen est, an debeat Capitulum Sede vacante has conditiones in ferenda cessatione obseruare? Affirmat Auila *6. p. disp. 2. dub. 2. §. circa has conditiones.* Ducitur, quia Textus in *cap. quamuis de officio ordinar. in 6.* has præscribit conditiones obseruandas à Capitulo, seu conuentu, qui ex maiore parte canonicorum, seu conuentualium coalescit. Sed hoc verum est casu quo Capitulum, seu Conuentus per se cessationem indiceret: at quia Capitulum Sede vacante non per se, sed per Vicarium electum iurisdictionem exercet, iuxta Conc. Trident. *sess. 24. cap. 16. de reformat.* ea de causa ad imponendam cessationem non indiget Canonicorum conuocatione, & aliis in *dicto cap. quamuis* præscriptis. Sicuti notauit Suar. *disp. 39. sect. 3. num. 10.*

7 Capitulum cessationem indicens prædictis conditionibus non seruatis, nequit prouentus, & distributiones, quæ interessentibus diuinis officiis conceduntur, recipere; quia absque causa ab illis officiis abstinet, ideóque omnes prouentus, & emolumenta eo tempore percepta restituere tenetur, & insuper parti contra quam cessauerit, obligatur damna resarcire. Quod intelligendum est, etiamsi causa legitima adsit imponendi cessationem. Nam dictus Textus in *cap. si canonici* vtrumque requirit & causam cessationis legitimam esse, & conditiones in cessatione imponenda ibidem præscriptas obseruari, vt constat manifestè ex illis verbis: *Si hoc prætermisso cessauerint, vel causa non fuerit canonica.* Sicuti notauit Auila *6. p. de censur. disp. 2. dub. 3.* Henriq. *cap. 52. numero 3.* Sayrus plures referens, *lib. 5. thesauri, capit. 19. numero 17.* Suar. *disp. 39. sect. 3. num. 15.* vbi bene aduertit hanc obligationem maiori ex parte ex ipsa rei natura ante Iudicis sententiam procedere, quia si nulla est cessatio vel ob defectum causæ, vel conditionum obseruandarum irrationabiliter cessant Canonici à diuinis officiis, iniustéque recipiunt distributiones, & alia commoda Ecclesiæ ob eius obsequium debita, iniustitiamque parti aduersus quam cessatur irrogant, damnáque illi facta reparare debent.

8 Quod dictum est de cessatione nulliter imposita à Capitulo, idem est dicendum de cessatione imposita ab Episcopo, alióve Prælato, si absque causa legitima, vel non seruatis conditionibus, quas obseruare tenetur cessationem interdixerit; deberet inquam tunc restituere Canonis ea, quæ ob cessationem impositam amittunt, & aliis clericis stipendia quæ ex Missis, aliisque officiis diuinis acquirerent, & damna quæ pars aduersus quam cessatur sustinet. Sicuti aliis relatis tradunt Sayr. Henriq. Suar. Auila *suprà.*

9 Verùm si cessatio iusta sit tenetur qui causam dedit, omnia damna innocentibus personis prouenientia reparare, & arbitrio superioris condemnandus in aliqua quantitate conuertenda in augmentum diuini cultus. Sicuti hæc collliguntur ex *dicto cap. quamuis. & cap. si canonici de officio ordinar. in 6.* Et notarunt aliis relatis Henriq. *lib. 13. cap. 52. num. 3.* Sayrus *lib. 5. thesauri, cap. 19. num. 19.* Suarez *disp. 39. sect. 3. num. 16.* Coninch. *disp. 17. dub. 7. num. 91.* Auila *6. p. disp. 2. dub. 3. conc. 3.* Bonac. *t. 1. de censur. disp. 6. p. 3. circa finem.*

§. IV.

De obligatione seruandi cessationem, & pœna transgressoribus imposita.

1 *Graue peccatum est violare cessationem.*
2 *Religiosi obligati sunt cessationem à Capitulo, seu Prælato obseruare.*
3 *Clerici, & religiosi tam exempti, quam non exempti incurrunt excommunicationem violantes cessationem.*
4 *Pœna irregularitatis clericis violantibus cessationem imposita non est.*

1 NEmini est dubium graue peccatum commissurum qui cessationem celebratione diuinorum officiorum administratione, vel receptione Sacramentorum violaret, quia violat legem Ecclesiasticam ob grauissimam causam impositam.

2 Solùm est dubium? An Religiosi exempti obligentur seruare, & publicare in suis conuentibus cessationem impositam à Capitulo, seu Prælato, & obseruatam ab Ecclesia matrice? Negat Alterius *de interdicto, disp. 2. cap. 8. col. 4.* quia Concil. Trident. *sess. 25. cap. 12. de Regularib.* solùm præcepit obseruari censuras, & interdicta, at cessatio à diuinis neque est censura, neque interdictum etiam pœnale. Ergo in prædicto decreto non continetur.

Nihilominus contrarium dicendum est. Concilij enim decretum expeditum fuit in confirmationem *Clement. 1. de sentent. excommunicat.* vbi tam regulares exempti, quam non exempti obligantur interdicta, & cessationes à diuinis obseruata ab Ecclesia matrice obseruare. Et licèt textus in principio solius interdicti mentionem fecerit, ex subsequentibus colligitur sub interdicti nomine voluisse cessationem à diuinis comprehendere, vti colligitur ex illis verbis, *Quod etiam in interdictis, & cessationibus &c.* quæ indicant antea de interdictis, & cessationibus sermonem factum esse. Præterea in cessatione magis vrgent rationes obligantes, vt religiosorum conuentus cum Ecclesia matrice confirmentur. Atque ita tradit Bonac. *t. 1. disp. 6. pun. 3. num. 10.*

3 Quoad pœnas attinet, nulla est laicis violantibus cessationem ipso iure imposita, sed arbitrio Iudicis puniti debent. Clericis verò Religiosis tam exemptis imposita est excommunicatio ipso facto *in Clem. de sentent. excommunicat.* vt loquentes de interdicto diximus. Debet tamen cessatio esse generalis, & obseruari ab Ecclesia matrice, nam ex violatione cessationis specialis, nulla pœna ipso iure contrahitur, quia nullibi habetur, nec de prædicta cessatione loquitur præfata Clement. Et quamuis Paludan. *in 4. d. 18. q. 8. num. 38.* asserat hanc pœnam excommunicationis habere locum in cessatione tantùm imposita à Capitulo, Collegio, seu Conuentu, Concilióque prouinciali, non autem in cessatione ab Ordinariis imposita, nullo modo ei adhærendum est, sed omnino affirmandum illam pœnam excommunicationis communem esse omni cessationi generali, siue imposita sit a Capitulo, Collegio, seu Conuentu, siue à Concilio prouinciali, siue ab Ordinario, siue à Delegato Pontificis, vt ex *dicta Clement.* constat *in vers. quod etiam.* & notauit Couarruu. *cap, alma. 2. p. §. 2. num. 3.* Henriq. *lib. 13. cap. 54. num. 3.* Nauarr. *cap. 27. num. 145. & 189.* Sotus *d. 22. q. 3. art. 2.* Sayrus aliis relatis, *lib. 5. cap. 19. in fine.* Suar. *disp. 39. sect. 3. num. 36.* Auila *6. p. disput. 3. dub. 2. conclus. 2.* Bonac. *disput. 6. punct. 3. num. 9.* Notant tamen Henriq. & Auila *suprà.* Sayrus *lib. 5. cap. 18. num. 11.* religiosos Mendicantes ab hac pœna eximi ex particulari priuilegio, quod mihi non constat.

4 Pœnam irregularitatis, quam aliqui Doctores adscribunt violantibus cessationem per exercitium ordinis, verius est non contrahi, quia nullibi est expressa, & irregularitas non contrahitur nisi in casibus à iure expressis. *Cap. is cui de sentent. excommunicat. in 8.* Et licèt in *dicta Clement. 1.* cessatio æquiparetur interdicto, id est solùm quoad pœnam excommunicationis impositam Religiosis interdictum, & cessationem generalem non obseruantibus, non tamen quoad reliqua omnia. Sicuti docet Glossa in *cap. si canonici, verbo cessare de officio ordinar. lib. 6.* Panormit. *cap. dilectis filiis. num. 18. de appellationib.* Paludan. *d. 18. q. 8. art. 3. num. 38.* Nauarr. *cap. 27. n. 189.* Suar. *disp. 39. sect. 1. d num 8.* Auila *6. p. disp. 3. dub. 2. conc. 4.* Henriq. *lib. 13. cap. 54. num. 3.* Sayr. *lib. 5. cap. 18. num. 9.* & alij plures apud ipsos.

§. V.

De relaxatione cessationis.

1 *Quis possit cessationem relaxare, & qua forma seruanda sit.*
2 *Bene potest per appellationem suspendit cessatio, si executioni mandata non sit.*

1 CErtum est imponentem cessationem posse illam relaxare, neque alium nisi superior sit, vel æqualis, vel ab imponente potestatem acceperit. Forma verò relaxandi cessationem nulla est in iure determinata, sed illa sufficiet quæ voluntatem relaxantis exprimat, vti notant ex communi sententia Henriq. *lib. 13. cap. 52. num. 3.* Sayrus *lib. 5. cap. 18. numero 7.* Filliuc. *tract. 18. num. 188.* Bonac. *t. 1. disp. 6. de cessat. p. 3. in fine.*

2 Dubium tamen est, an per appellationem suspendi possit? Panormit. *in cap. delictus filius.* & Villadiego relatus à Couarruu. *cap. alma. 2. p. §. 2. num. 1.* Sayrus *lib. 5. thesauri, cap. 17. num. 7.* existimant suspendi non posse, quia hæc cessatio non à iure dicernitur, ideóque ad factum pertinet, quod non videtur appellatione suspendi posse.

Verùm dicendum est sententiam cessationis executioni mandatam appellatione non suspendi, quia secum trahit executionem, quæ nulla alia via impediri potest quàm relaxatione; at bene suspendi posse, si executioni mandata non sit, quia per appellationem impeditur iurisdictio imponentis, & ex defectu iurisdictionis nulla erit cessatio. Sicuti tradunt Couarruu. *loco citato.* Suar. *disp. 39. sect. vlt. n. 3.* Henriq. *c. 52. num. 1. in Gloss. litt. O.* Auila *6. disp. 3. dub. 1. concluſ. 1.*

DISPVTATIO VI.

DE IRREGVLARITATE.

DE hac materia nullus est specialis tractatus in iure canonico, sed occasione diuersarum irregularitatum quæ *ibi* constituuntur, diuersos tractatus Doctores edidere, vti Gratian. & alij in *Decreto distinct. 26.* & in *Decret alibus tit. de homicidio, de corpore vitiatis, de sententia excommunicationis, & alijs.* Vt distinctè procedamus agemus prius de his quæ communia videntur cuilibet irregularitati, deinde de his quæ propria sūt.

PVNCTVM I.

De nomine, & natura irregularitatis, eiúsque diuisione.

1 *Vnde dicta sit irregularitas?*
2 *Expenditur irregularitatis definitio, & qualiter ab aliis censuris differat.*
3 *Quotuplex sit irregularitas?*

1 SI nominis ethymologiam spectemus irregularitas à regula deducitur, addita præpositione *in*, quæ priuationem significat, ideóque irregularitas idem est ac priuatio regulæ seu extra regulam. Etenim cùm regula iuris Pontificij sit omnes ad statum clericalem admittere, qui eo priuatus extiterit extra hanc regulam erit, irregularisque nuncupabitur. Secundùm quam significationem sumitur in præsenti irregularitas pro impedimento inquam, & priuatione assumendi clericorum statum, & regulam. Argum. Textus in *capite 1. de sententia, & re iudicata lib. 6. Capite cum medicinalis. §. fine & capite is qui de sententia excommunicat. eodem libro & alibi.*

2 Doctores communiter definiunt irregularitatem, vt sit impedimentum canonicum primò, & per se impediens ordinis susceptionem, & secundariò illius vsum. Sic Archidiacon. & Ioann. Andreas *in cap. 1. de sentent. & re iudicata lib. 6.* Syluest *verbo irregularitas, initio.* Nauarr. *cap. 27. n. 191.* Couarruu. *in Clement. si furiosus de homicidio, in princ.* Henriq. *lib. 14. cap. 1. num. 2.* Gregor. de Valent. *t. 4. disp. 7. q. 19. punct. 1.* Sayrus *lib. 6. cap. 1. num. 16.* Suar. *disp. 40. sect. 1.* Coninch. *disp. 18. dub. 1. num 1.* Paul. Layman. *lib. 1. summ. tract. 5. part. 5. cap. 1.* & alij passim: & colligitur ex *cap. significasti el. 1. de homicidio. Impedimentum* ponitur loco generis, quia quælibet censura, & quilibet defectus naturalis ordines impediens est impedimentum. *Canonicum* dicitur, vt excludamus quodlibet aliud impedimentum iuræ naturæ vel diuino introductum, quo affectus est infidelis, seu non baptizatus, truncus, & fœmina; omnes ij iure naturæ, vel diuino excluduntur ab ordinibus. Dicitur *directè impediens; ordinis susceptionem.* vt distinguamus hanc inhabilitatem ab excommunicatione, suspensione, & interdicto, quæ censuræ sunt, itémque à depositione, & degradatione. Etenim irregularitas absolutè non est censura, cùm non sit pœna. Quod si aliqua irregularitas pœna sit, non est pœna medicinalis quæ recedente contumacia tolli debet, sed est pœna de se perpetua. Præterquam quòd non tam in pœnam delicti commissi imponitur, quàm ob honorem Ecclesiastici status, quem dedecet in eum assumi qui tale delictum commisit.

Specialiter autem differt irregularitas ab excommunicatione, ex eo quòd directè impedit ordinis susceptionem quatenus talis est, cùm tamen excommunicatio illius susceptionem impediat quatenus est quædam cum fidelibus communicatio, & excōmunicatio minor, quatenus est quoddam Ecclesiæ Sacramētum. A suspensione verò differt, quia suspensio per se non priuat ordinis susceptione, sed illius vsu, ideóque solis clericis aptatur, cùm tamen irregularitas tam clericis, quam laicis communis sit. Ab interdicto distinguitur, quia esto aliquando interdictum impediat Ordinis susceptionem, non tamen quatenus Ordo est, sed quatenus est quoddam sacramentum, & diuinum ministerium. Quod si irregularitas homini iam ordinato superueniat, non obinde mutatur eius natura, sicuti non mutatur in impedimento affinitatis matrimonio superuenientis, quod ex se habet dirimere matrimonium, sed quia matrimonio iam contracto superuenit, illudque dirimere non potest, impedit eius vsum. Sic irregularitas ex se constituit irregularem extra Ecclesiæ ministros, at quando Ecclesiæ ministris superuenit impedit ministerij vsum.

Præterea irregularitas solùm priuat directè irregularem ordinis susceptione, & indirectè illius vsu, at reliquæ censuræ pluribus aliis priuant, vt ex superioribus constat. Deinde à depositione, & degradatione differt irregularitas, quia depositio, & degradatio sunt sententiæ ab homine latæ, cùm tamen irregularitas nunquam ab homine, sed à iure indicta sit, & semper indicuntur in pœnam alicuius delicti, cùm tamen irregularitas ex se pœna non sit.

Præterea depositio, & degradatio directè non priuant Ordinum susceptione, sed potius illorum vsu, cùm per se supponant ordinem à cuius vsu deponunt, secùs irregularitas. Denique irregularitas inducitur ob decorem status clericalis seruandum: at depositio, & degradatio ob vitandum scandalum, quod ex ministerio, Ordinisque vsu personæ depositæ prouenire potest.

Quoad diuisionem attinet communiter diuidunt Doctores 3
irregularitatem in eam quæ prouenit ex delicto, & in eam quæ prouenit ex alio defectu. Quælibet autem ex his irregularitatibus plures sub se continet, vt *in sequentibus* videbimus.

Deinde solet diuidi irregularitas in totalem, & partialem. *Totalis* est, quæ priuat ordinum susceptione, illorúmque vsu, *partialis* quæ susceptorum ordinum vsu in totum, vel in parte priuat. Etenim homicidium ordinato superueniens eum vsu ordinum priuat, secùs verò oculorum, vel manuum defectus, qui tantùm priuat ordinatum illorum Ordinum vsu qui cum tali defectu compati non potest.

Præterea subdiuiditur irregularitas in perpetuam, & temporalem. *Perpetua* est quæ sola dispensatione tollitur, *temporalis* quæ lapsu temporis cessat, vti est irregularitas orta ex defectu ætatis, quæ adueniente ætate tollitur, & in his iurè omnes Doctores conueniunt, ideoque superuacaneum est illos recensere.

PVNCTVM II.

De causa efficiente, & materiali irregularitatis

1 *Nullus alius præter Pontificem irregularitatem indicere potest.*
2 *Satisfit obiectioni.*
3 *Subiectum irregularitatis est vir baptizatus.*
4 *Summus Pontifex incapax est irregularitatis contrahendæ.*
5 *Episcopus sub lege generali irregularitatem inducente comprehenditur.*

CVm irregularitas non incurratur, nisi in casibus à iure expressis. Vti decidit in *capite is qui de sentent. excommunicationis*, & nullus alius præter Pontificem potestatem habeat condendi ius, efficitur sanè à nullo alio quàm à Pontifice irregularitatem induci posse, vt latè comprobat Suar. *de censur. disputat. 40. sect. 4. à num. 7.* Auila *7. parte disputat. 1. in fine.* Bonac. *t. 1. disp. 7. q. 1. pun. 2. num. 1. & 2.* & alij passim. 1

Aduersus hanc doctrinam processit Sotus. *in 4. disputat. 25. q. 1.* & Gab. *lect. 9. in canon. litt. D.* ducti ex eo quòd nullibi videatur prohibitum Iudicibus Pontifice inferioribus irregularitatem alicui indicere ob delictum commissum. Si enim possunt depositionem, & degradationem inferre quæ grauiores sunt pœnæ, cur non poterunt irregularitatem? Sed facilis est horum solutio, dicimus namque omnibus iudicibus Pontifice inferioribus hanc potestatem derogatam esse in *dicto cap. is qui de sentent. excommunicat.* Nam *ibi* expressè decidit irregularitatem contrahi non posse nisi in casibus à iure expressis. Si autem alij à Pontifice irregularitatem indicere possent, iam extra casus à iure expressos irregularitas contraheretur. Præterea non expediebat alios à Pontifice potestatem habere inducendi irregularitatem, quia irregularitas per se non inducitur ad puniendā delicta, sed ad vitandam indecentiam ortam ex eo quòd irregularis in statum Ecclesiasticum assumatur. Statuere autem, & decernere quæ hanc indecentiam inducant cùm id commune sit toti Ecclesiæ, proprium est Pontificis. Ergo solus Pontifex irregularitatem inducere potest, & nullus alius. 2

Quoad causam materialē attinet, seu quoad subiegum irregularita 3

gularitatis constat ex communi sententia fœminam esse non posse, quia fœmina nunquam habuit potentiam, vt ordines reciperet; ideóque priuari illis propriè non potest; quia priuatio supponit habitum. Quocirca subiectum irregularitatis necessariò debet esse vir & non quicunque, sed baptizatus, nam vir non baptizatus non tam iure canonico, quam diuino ab Ordinibus est exclusus. *Cap.1. & c.veniens de presbitero non baptizato.* Neque obest eum qui ante baptismum duplex matrimonium contraxit, esse irregularem baptismo susceptо, quia non est irregulari, ob irregularitatem contractam ante baptismum, hanc enim contrahere non potuit, cùm non fuerit Ecclesiæ subiectus, sed posito baptismo est irregularis ob indecentiam relictam ex duplici illo matrimonio, quæ indecentia post babtismum perseuerat.

4 Secundò est incapax irregularitatis summus Pontifex, quia non subditur suis legibus quoad vim coerciuam. Vnde si de facto bigamus, aut illegitimus, vel homicida eligatur, esto eius electio peccaminosa esset, vtpotè de persona pro eo statu indigna, vt latè Maiol. *lib.2.de irregularit. cap.4.a princ.* quia tamen ea electio firma, & valida est ob vitandum schisma, & Ecclesiæ communi bono consulendum, *Cap. licet. de electione, & cap.vbi periculum eodem tit. lib.6.* ideò posita electione tollitur ab illo irregularitas, quia iuris Pontificij legibus quoad vim coërciuam non est subiectus, vt benè aduertit Suar. *disp.40.sect.7. num.7.*

Solum de Episcopo esse poterat nonnulla difficultas, an 5 sub irregularitate à iure lata aduersus quoscunque fideles comprehendatur? Et dicendum est comprehendi, quia nullo Textu excipitur. Nam in *cap.quia periculosum, de sentent. excommunicat.in 6.* à censurâ suspensionis, & interdicti excipitur Episcopus, ex qua exceptione colligitur sub aliis censuris, & comprehendi, quia exceetio firmat regulam in casibus non exceptis. Vnde si Episcopus aliquem occideret, vel excommunicatione ligatus celebraret, irregularis foret, sicuti quilibet alius clericus. Vt notauit Suar. *disp.40.sect.7.num.6.* Bonac. *disp.7.q.1.p.2.num.8.* Gaspar Hurtado *difficult.7.num.16.* tametsi contra videatur sentire Maiol. *lib.4.de irreg.cap.1. num.7.*

Punctum III.

De causa, seu occasione propter quam contrahitur irregularitas.

1 *Requiritur actus externus perfectus & consummatus secundùm proprietatem verborum legis.*
2 *Irregularitas prouenies ex delicto, requirit delictum graue.*
3 *Cùm dubius sis, an imposita sit aliqua irregularitas, competentem diligentiam præstare debes.*
4 *Præmissa hac diligentia si dubius adhuc sis, plures censent te non debere irregularem reputare, quousque sententia iudicis aduenial.*
5 *Oppositum alij affirmant.*
6 *Alij distinctione vtuntur.*
7 *Discutitur quæstio, & resoluitur in dubio iuris te non reputandum esse irregularem.*
8 *In dubio verò facti homicidij reputandum irregularem esse.*
9 *Extra casum homicidij etsi plures censeant te esse irregularem, probabilius videtur oppositum.*
10 *Fit satis fundamentis oppositis.*

1 NVlla irregularitas contrahitur per solum actum internum. Hos enim actus suo dominus reseruauit iudicio, ac proinde non possunt humanano condemnari. Vt traditur *cap.si quando 15.q.6.* & multis comprobat Sayrus *lib.6. cap.1.num.17.* Neque obstat quod in aliquibus Bullis concessum fuerit priuilegium dispensandi in irregularitate mentali. Nam vt rectè Couarruu. *Clement.si furiosus.2.p.§.3.num.4.* Henriq. *lib.13.de pœnit.cap.14.* Sayrus *lib.6. cap.2.num.20.* Coninch. *dub.2.num.11.* Bonac. *disp.6.q.1.p.3. circa finem.* Gaspar Hurtado *difficult.2.* si aliquod priuilegium sub hac forma concessum inueniatur, intelligendum est de irregularitate omnino occulta, non purè mentali, vel intelligendum est concessum ad scrupulos sedandos, sed non ex necessitate.

Quocirca ad irregularitatem necessariò requiritur actum ob quam incurritur externum esse, imò & consummatum, & perfectum secundùm proprietatem verborum Canonis irregularitatem indicentis, vt optimè probat Couarruu. *Clement. si vt furiosus.2.p.in princ.n.56.* Et in discursu *huius disputationis* latiùs dicemus. Sufficit tamen actum esse externum, quamuis omnino occultum, & quod testibus probari non possit, vt colligitur Episcopis facultas dispensandi in omnibus irregularitatibus ex delicto occulto prouenientibus, & ex *cap. vlt.de temporib.ordinat. Cap.inquisitionis de accusationib.* & ex *cap.vlt.de temporib.ordinat. Cap. inquisitionis de accusationib.* & *cap.nisi cum prudens de renunciat.* ibi: Si tamen culpa latet,

& docent aduersus Castrum *de lege pœnali, lib.1.t. vlt.cntcl.3.* Couarru. *dicta Clement. si furiosus 2.p.§.3. n.4.* Nauarr. *t.27. num.194.& 229.& 254.* Suar. *disp.40.sect.3. num.21.* Henriq. *lib.14. cap.3.num.2.* Sayrus *lib.6. cap.2.num.19.* Auila *7.p.disp.2.dub.2.concl.2.* Coninch. *disp.18.dub.2.num.16.* ratio est manifesta, quia delictum quantumcumque occultum sit iudicio Ecclesiæ subiicitur, eique annecti potest aliqua pœna, seu impedimentum per legem, vti homicidio, aliisque criminibus irregularitas ex iure canonico annexa est. Neque his obstat Textus in *cap. vlt.de temporib. ordinat.* vbi dicitur adulteros, periuros, & falsos testes posse ad sacros Ordines promoueri, eisque vti dum eorum crimen est occultum, quia ob hæc crimina non incurritur irregularitas, sed ob infamiam ex illis prouenientem, quæ infamia non adest dum crimina occulta sunt. At cùm irregularitas ob ipsum delictum contrahitur, non indiget delicti publicatione.

Porrò irregularitates prouenientes ex delicto omnes an- 2
nectuntur delicto saltem ex obiecto, & materia graui. Sed an si ex circunstantia aliqua excusetur delictum à peccato mortali, eo ipso excusetur delinquens ab irregularitate; non est constans sententia. Nam Caietan.2.2.q.64.art.8. & Armilla, verbo *irregularitas num.14.* negant, quia iam delictum culpabiliter commisit, cui irregularitas annexa est. Sed oppositum longè verius est, vt docuit Nauarr. *cap.25.num.252.* Suar. *disp.40.sect.3.num.17.* Henriq. *lib.14.cap.3.num.1.* Coninch. *disp.37.dub.2.num.13.* Vazq. *1.2. disp.158.c.5.* Sanch. *lib.9.disp.32.num.29.* Bonac. *t.1.disp.7 q.1.p.1.num.1.* & alij apud ipsos. Etenim irregularitas est malum grauissimum, vtpote priuatus Ordinis susceptione, illiúsque vsus in perpetuum, & absque spe dispensationis. Ergo necessariò exigit culpam, vel defectum grauem, alias pœna culpæ grauitatem excederet, quod iniquum est. Quæ ratio probat non posse à Pontifice irregularitatem pœnalem alicui indici ob venialem culpam. Quinimo non desunt Doctores, Panorm. *in c. pastoralis.§.verum de appellationib. num.15.* Dominic. *in cap. solet, de sentent. excommunicat.in 6.* & *in cap.is qui eodem tit. & lib.* Felin. *in cap.Rodulphus num.43. de Rescriptis.* Nauarr. *in cap. accepta de restitut. spoliator.ad oppos.7.num.34.* & *in sum.cap. 27. num.252.* affirmantes ad quamlibet irregularitatem ex delicto prouenientem requiri donum, seu contemptum.

Sed est grauissima difficultas. An ob causam dubiam cen- 3
sendus sis irregularis; Ex duplici capite dubium prouenire potest. *Primò* cùm dubius es, an in iure ob tale factum irregularitas imposita sit quod dubium vocatur dubium iuris. *Secundò* cùm certus es tali facto itregularitatem annexam esse, dubitas autem, an illud commiseris. Quocunque autem dubio existente siue iuris, siue facti obligaris competentem diligentiam adhibere ad veritatem inuestigandam: interim tamen absque graui peccato nequis ea præstare, quæ irregulari prohibentur, quia manifesto periculo te exponeres irregularitatis violandæ, vt optimè aduertunt Suar. *de censur.disp.40. sect.5.num.12.* Salas *1.2.quæst.21. tract.10.disp. vnica.sect.18. num.164.* Thom. Sanch. *lib.1.in decalog. cap.10.numero 37.* Gaspar Hurtado *de irregularit. difficult.3. num.10.* Coninch. *disp.18.dub.20.* Et colligitur aperte ex *cap.illud dominus 5. de clerico excommunic. ministr.* vbi Episcopus dubitans de sua excommunicatione, & celebrans absque vlla inquisitione grauiter reprehenditur. Hanc doctrinam temperat Salas *num.269.* nisi interim dum id dubium examinatur grauem patereris incommoditatem te irregularem reputando, vt quia præterit occasio ordinum suscipiendorum, beneficij, vel lucri alterius comparandi, quia non videtur lex in casu dubio ita rigidè obligare, vt ob illius obseruationem tenebris graue damnum sustinere. Consentit Sanch. qui rectè aduertit non esse censendum graue damnum præterire occasionem ordinis suscipiendi.

Præmissa autem debita diligentiâ, si rationibus probabi- 4
libus ducatis irregularitatem tali facto annexam non esse, vel te non commisisse factum cui irregularitas ipso iure annectitur, optimè potes te liberum, & immunem ab irregularitate reputare; quia prudenter te geris opinioni probabili adhærendo, neque in ea probabilitate æquum videbatur te tam graui pœnæ subiicere, vt bene aduertit Gaspar Hurtado *de irregularit. difficult.3. num.10.* Quare difficultas eo pertinet, an sit post debitam diligentiam dubius hæreas, neque valeas iudicium probabile efformare positam non esse irregularitatem tali facto, vel te non commisisse factum, cui ex iure irregularitas annectitur (quòd raro contingit) te reputare debeas irregularem? Qua in re variæ sunt sententiæ. Prima affirmat in hoc dubio siue iuris, siue facti neminem se reputare debere irregularem, quousque sententia Iudicis accedat. Sic docuit Henriq. *lib.14.de irregul.cap.3.n.3.& 4.* & *cap.14.num.3.* & *cap. 15. num.3.* Et probabile reputat Couarruu. *Clement. si furiosus.2. p.§.2. num.5.* vbi inquit in foro conscientiæ consulendum esse abstinere à diuinis, & se irregularem existimare, quasi indicans esse de consilio, non de præcepto. Et Host. *tit. de homicidio.§.qua pœna,* inquit: *Si multi percutiant aliquem, & ignoretur quis eorum vulnus lethale*

instixerit, quemlibet relinquendum, & obligandum sua conscientiæ. Suar. *disp.40.sect.6.num.10.* in hanc partem, inclinat, neque dissentit Salas *1.2.q.21.disput. vn.sect.6. num.70.* Rebell. *de obligat.iustit.lib.1.q.3.sect.2.num.13.* refert plures Neotericos ita sentire. Et probari potest, quia irregularitas non incurritur nisi in casibus à iure expressis, *cap.is qui de sententi. excommunic.lib.6.* at in iure expressum non est in foro conscientiæ in casu dubio quemlibet se reputare debere irregularem. Nam Textus qui in contrarium adducuntur solùm in foro externo videntur loqui, vt constat ex initio *cap. ad audientiam nostram peruenit, hoc est ad tribunal nostrum,* & infra, *vos conuenit iniungere Presbytero memorato, vt in sacris ordinibus non ministret.* Si igitur ipse Presbyter antequam à Superiore fuisset iniunctum, esset irregularis non solùm à sacris ordinibus, sed etiam à minoribus teneretur abstinere, cùm tamen officium minorum ordinum *ibi* ei concedatur. Item Textus in *cap. significasti eodem tit. de homicidio* esto ex sola confessione rei absque accusatione, vel denunciatione processerit, nihilominus verba Pontificis diriguntur ad externum forum, siquidem *ibi* dicitur Sacerdotem non infligentem vulnus lethale, neque occidere intendentem, etsi aliunde moriatur percussus post pœnitentiam ad cautelam iniunctam in sacerdotali posse officio ministrare. Quod si discerni non possit, an ex eius ictu, & vulnere occisus interierit, in hoc dubio tanquam homicida debet haberi. Loquitur ergo Pontifex de foro externo, tum quia mandat pœnitentiam iniungi. Tum quia dicit in casu dubio habendum esse vt homicidam, hoc est ab aliis vt talem esse reputandum, & tenendum. Adde aliquando Pontificem ob reuerentiam sacrorum ordinum præcipere, quæ secluso tali præcepto non obligabant, vt in *c. significasti. el.1. de homicidio*, vbi in casu homicidij omnino casualis, & inuoluntarij mandatur Clerico durante pœnitentia abstinere ab exercitio sacrorum Ordinum, à quo secundum conscientiam non tenebatur abstinere. Pœnitentia verò peracta non prohibetur, & in susceptis ministrare, & ad Superiores ascendere: ita in casu dubio dicendum est mandasse Pontificem, vt tanquam irregularis habeatur scilicet post sententiam, secùs verò ante illam. Neque his obstat quod in *dicto capite ad audientiam*, & *cap. significasti*, dicatur in dubiis tutiorem partem esse eligendam, quia id videtur intelligendum non ex obligatione, sed ex consilio; siquidem dixit tutius esse cessare à ministerio, quàm temere celebrare. Supponit ergo Pontifex contrarium tutum esse. Et licèt subdat in celebratione magnum periculum esse, non intendit loqui de periculo peccati, vt bene explicat Suar. *disp.40. sect.6.num.8.* quia eo casu non tutius, sed certum esset operari cum illo periculo esse peccatum, sed loquitur de periculo, seu incómodo, quod esset in eo, quòd verus homicida celebraret.

5 Secunda sententia præcedenti contraria asserit in dubio iuris, vel facti quemlibet reputandum esse irregularem in foro conscientiæ, non tamen in foro externo vt talem esse condemnandum. Sic docuit Nauarr. *cap.27.num.195.* Philiarc. *de officio sacerdotis, tom.1.parte 1.libro 4. capite 6. notab.2,* & alij plures relati à Sanchez *libro 1.in decalog. capite 10. numero 39.* & 40. Priorem partem probant, quia in foro conscientiæ semper quis videtur obligatus in dubiis tutiorem partem sequi, cùm in ea sequenda nullum adsit periculum. At in foro externo dum delictum non probatur reus absoluendus est, maximè cùm iure constitutum sit vbi partium iura obscura reo fauendum est potiùs quàm actori. Regula *cum sunt. de Regulis iuris, lib. 6.*

6 Tertia tamen sententia asserit in prædicto dubio siue iuris, siue facti reputandum quemlibet esse irregularem tum in foro conscientiæ, tum in foro externo, non tantùm ad effectum quærendi dispensationem, & abstinendi à celebratione, sed etiam ad effectum, vt iudex vt irregularem illum condemnet. Sic docuit Nauar. *cap.si quis autem de pœnitent.num.53.* Couarruu. *Clement. si furiosus initio.num.3.* Suar. *disp.40. sect.6.num.1.* Auila *7.part.disput.2.dub.5.conclus.1.* Henriq. *lib.14.cap.3.n.4.* Vazq. *1.2.quæst.19.art.6.disp.65. cap.3.* & *disp.66.cap.1.* Salas plures referens *1.2.tract.8. disputat. vnica.sect.19.numero 170.* Gasp. Hurtado *difficult. 3.* & 4. Ducitur, quia Textus decidentes homicidam in casu dubio reputandum esse irregularem, loquuntur tum in foro conscientiæ, tum in externo foro. Nam Textus in *cap.ad audientiam*, manifestè de foro externo loquitur. Caput verò *significasti el. 2. de homicidio* loquitur de foro conscientiæ, & de foro externo, vt colligitur ex illis verbis: *Cùm de cætero credendum sit ipsi qui non accusatur, vel denunciatur ab aliquo, sed per se ipsum consilium appetit salutare, & infra mandatur iniungi pœnitentia, & in casu dubio homicidam habendum esse irregularem, ergo tam in foro conscientiæ, quàm externo sic habendus est.*

Præterea fori externum ab interno non discrepat, cùm forum externum falsæ præsumptioni non innititur. Argum. *cap. vt animarum de constitutionibus in 6.* & *cap. 1. de iureiurando eodem lib.* & *cap.1. de sepulturis eodem lib.6.* Ergo si in foro externo iudicandus est irregularis in casu dubio, etiam in foro conscientiæ habendus est. Et quamuis prædicti textus non de dubio iuris, sed facti loquantur, cùm eorum decisio nitatur illi principio, quod in dubiis tutior pars sit eligenda, efficiunt non solùm in dubio facti, sed iuris decisionem intelligendam esse.

Cæterùm in hac grauissima quæstione distinguendum est 7
inter dubium iuris, & facti, & inter dubium in casu homicidij, vel in aliis materiis. Et in primis dicendum est, si dubium iuris sit, hoc est si dubites, an tali facto irregularitas imposita sit, nullo modo te irregularem reputare debes, vt bene docuit Sayrus *lib.6.thesauri, cap.2.num.15.* Molin. *tract.1. de iustit. disp.67.num.5.* Sanch. *lib.1. decalog. cap.10.n.42.* Suar. *disp.40. sect.5.num.4.* Auila *7.p. disp.2. dub.4.* Coninch. *disp.18. dub.2.num.11.* & alij. Et colligitur apertè ex *cap. is qui de sentent. excommunicat. in 6.* vbi deciditur ob nullum factum irregularitatem incurri nisi in iure expressum sit. At qui post diligentem inquisitionem dubitat, An in iure tali facto irregularitas annectatur, nullatenus comparatione illius expressa in iure est. Ergo non tenetur iudicare tali facto irregularitatem impositam esse. Et confirmo nemo tenetur ad legis obseruationem, nisi ea lex fuerit illi sufficiencer promulgata: at sic dubitandi lex irregularitatis non est sufficienter promulgata, siquidem ei non constat in iure expressam esse. Ergo. Neque obest his quòd Pontifex in dubio facti decidat irregularitatem esse censendum, quia eo casu certa est lex irregularitatem indicens, quam Pontifex obseruari voluit in dubio homicidij, secùs est cùm de lege non constat. Ex hac conclusione infero, si in dubio iuris, an sis irregularis ordines suscepisti ante adhibitam diligentiam esto grauiter pecces, potes tamen post adhibitam diligentiam ad vtcumque dubium Ordines exercere. Nam esto illa susceptio ordinum vtpote iniqua non tibi suffragetur, ex illa tamen non impediris ordines exercere, sed ex irregularitate, quæ cùm in iure expressa non sit, sed dubia nullatenus te impedire potest. Sicuti bene aduertit Sanch. *lib.1.in decalog.cap.10. num.46.* Bonac. *de irregularit. disp.7.p.5.num.5.*

Secundò dico in dubio facti homicidij an scilicet homici- 1
dium perpetraueris tua actione, consilio, vel fauore te debes iudicare irregularem, & vt talis in foro externo habendus, & iudicandus est non absolutè, sed quoad effectum abstinendi à celebratione, quærendique dispensationem. Sic Nauarr. *capite si quis autem de pœnitent. num.35.* & *seqq.* Couarruu. *Clement. si furiosus. 1.p.initio.num.3.* Azor. *t.1.lib.2.cap.19.q.10.in fine.* & *q.11.* Sayrus *lib.6.thesauri, cap.2.num.16.* & *in claui regia, lib.1. cap.18. num.23.* & 24. Suare *disputatio.40.sect.5. numero 18.* & 19. & *sect.6.à numero 1.* Salas *1.2.quæst.21.tract.8.disput. vnica sect.19. numero 198.* & *seqq.* Rebell. *de obligatione iustit. 2. parte lib.1. quæst.3. sectione 2. numero 13.* Valen. *tom.4. disp.7.quæst.19.part.2. not ab.3.* Sanchez *lib.1.in decalog.cap.10. numero 43.* Auila *7.part. disp.2.dub.5.conclus.2.* Molin. *tract.3. de iustit.disp.67.num.5.* Coninch. *disp.17.dub.2.numero 13.* Moueor, quia Textus in *cap. ad audientiam. Cap. significasti,* & *penult. de homicidio* expresè dicidunt in dubio facti homicidij obligationem esse à celebratione abstinere, & sic dubitantem tanquam irregularem habendum esse. Quod supradicti Textus statuunt non tanquam rem ex consilio, vt prima sententia prætendit, sed tanquam ex obligatione, vt expendenti textus manifestum erit.

Notanter dixi *te habendum esse irregularem quoad effectum abstinendi à celebratione, quærendique dispensationem*, quia in his tantùm periculum animæ imminet, & de his relati Textus loquuntur: nullo autem modo censendus es irregularis quoad priuationem beneficiorum, aliásque pœnas irregularibus impositas. Sicuti bene aduertunt Panormit. *dicto cap. significasti de Homicidio. num.3.* Sayrus *lib.1.in claui regia, cap. 13.num.24.* & *lib.6.thesauri, cap.2.num.16.* Suar. *disp.40.sect.6. num.6.* Salas *1.2..tract.8. disp. vnica.sect.19. num.176. in fine.* Molina *tract.3.disp.67.n.5.* Sanch. *lib.1.cap.10.n.43.* Coninch. *disp.17. dub.2. num.23.* Gaspar Hurtado *de irregular. difficult. 4.in fine.*

Sed an quæ dicta sunt de dubio homicidij, censenda sint de 9
dubio aliorum delictorum? Dissentiunt Doctores. Nam Panormit *in cap.ad audientiam. num.2. de homicidio.* Syluest. *verbo dubium.quæst.1.num.7.* & *ibi* Angel. *num.2.* Tabiena, *quæst.2. num.3.* Vazq. Azor. Couarruu. Valen. Sayrus, Rebell. Gaspar Hurtado *loc. alleg.* affirmant in omnibus materiis in dubio facti te reputandum esse irregularem. Ducuntur, quia Pontifex in dubio homicidij facti quemlibet reputandum esse irregularem nititur illi principio: In dubiis tutior pars est eligenda; at hoc principium æquè in omnibus aliis materiis, ac in homicidio procedit. Item Pontifex non videtur nouum ius concedere, sed quod æquitati conforme est declarare, declarat autem tutiorem partem esse eligendam. Ergo in omnibus materiis eligenda est.

Præterea lex etiam pœnalis extendi debet ad casus similes quando ratio decidendi æquè in omnibus procedit, vt multis probaui *tract. de leg.* vbi *de legis interpretat.*

Nihilominus esto hæc sententia sit satis probabilis, probabiliorem existimo quæ asserit extra dubium homicidij neminem esse

esse irregularem censendum, vt expresè docuerunt Nauarr. *cap. si quis autem. num.* 41. *de pœnitent. dist.* 7. Suar. *disp.* 40. *sect.* 6. *num.* 8. & 13. Salas 1.2. *tract.* 8. *disp. vnica. sect.* 18. *num.* 168. Sanch. *lib.* 1. *ca.* 10. *num.* 48. Coninch. *disp.* 18. *dub.* 2. *num.* 12. Auila 7. *p. disp.* 2. *dub.* 5. *concluſ.* 2. Bonac. *de irregularit. diſputat.* 7. *punct.* 5. *num.* 2. & colligitur ex *cap. is qui de ſententi. excommunicat. in* 6. ibi enim deciditur non contrahi irregularitatem niſi in casibus à iure expreſſis: at in iure expreſſum non est in dubio facti vltra casum homicidij irregularitatem incurri. Ergo asserenda non est. Præterea in casu dubio nemo tenetur se sua libertate priuare, nisi aliqua lege cogatur ad hanc priuationem sustinendam: at nulla adest lex priuans libertate suscipiendi ordines dubium delinquentem nisi in casu homicidij. Ergo extra illum casum ordines suscipere poterit.

10 Neque obstant fundamenta contraria. Nam esto Pontifex ad statuendum irregularitatem in dubio homicidij nitatur illi principio: In dubiis tutior pars est eligenda, non nititur illi tanquam principio quod necessariò sit obseruandum, sed tanquam principio quod obseruari maximè decet. Et licèt hoc principium commune sit omnibus aliis materiis, in quibus consilium prudentissimum est tutiorem partem sequi, vt benè inquit Sanch. *lib.* 2. *de matr. disp.* 41. *num.* 9. quia tamen in irregularitate homicidij efficacius procedit propter indecentiam specialem, quam secum affert homicidium in clericis ea de causa disposuit Pontifex, vt in dubio homicidij censeatur quis irregularis, quam dispositionem ad alias materias non extendit. Ad secundum nego in dictis Textibus non condi nouum ius; quia ibi non declarat in dubiis tutiorem partem esse eligendam necessariò, sed supponens tutiorem partem ex consilio sequendam esse, statuit dubium de homicidio esse irregularem censendum. Ad vltimum verius esse docuimus in *dicto loco* legem maximè pœnalem ob similitudinem rationis extendendam non esse ad casum sub lata verborum forma non comprehensum.

Ex hac doctrina infer te non esse censendum irregularem, si facta diligentia, & dubitans an sis excommunicatus celebres, quia nullibi ob hanc celebrationem dubiam irregularitas expressa est: & facit *cap. Apostolica. 9. de cleric. excomm. ministr.* vbi solùm de clerico celebrante cum ignorantia crassa, & supina censuræ dicitur indigere dispensatione, nam celebrans cum ignorantia probabili suspensionis excusatur. Atque ita tradit Auila 7. *p. disp.* 2. *dub.* 5. *concluſ.* 2. Suar. *disp.* 40. *sect.* 5. *n.* 13. & 19. Sanch. *lib.* 1. *c.* 10. *n.* 48. & alij Doctores *superius* pro nostra sententia relati.

Secundò infer ob mutilationem dubiam te non debere irregularem reputare, quia mutilatio esto disponat ad homicidium, non est tamen homicidium, at in solo dubio homicidij statuitur irregularitas, ergo non est ad mutilationem dubiam extendenda. Sicuti notauit Sanch. *lib.* 1. *c.* 10. *n.* 49. Bonac. *disp.* 7. *p.* 5. *num.* 3.

Punctum IV

De causa formali irregularitatis.

1 *Quæ sit causa formalis explicatur.*

1 Causa formalis irregularitatis sunt verba quibus in iure irregularitas fertur. Nam cùm sæpè dictum sit nullam irregularitatem contrahi nisi in casibus à iure expressis efficitur sanè ea verba, quibus in iure exprimitur irregularitas, censenda esse illius causam formalem.

Solùm est dubium, quibus verbis censeatur in iure irregularitatem expressam esse, latè id explicat Suar. *disp.* 40. *sect.* 8. *per totam* vbi varias regulas constituit. Sed omnes ad hanc vnam reducuntur, quæ priuationem suscipiendi Ordinis indixerit, vti si Textus dicat ad clericatum non promoueatur, non ordinetur, non fiat clericus. Vti habetur *cap. de clerico. Cap. curandum*, & aliis 34. *dist.* Et licèt illa verba; *Non ordinetur*, videantur ad Prælatum dirigi, ideóque sententiam ferendam, & non ipso iure latam continere, quia tamen supponunt causam, ob quam non sit ordinandus scilicet inhabilitatem, ea de causa asserendum est plerunque irregularitatem continere: vt aduertit. Coninch. *disp.* 18. *dub.* 3. *num.* 24. Aliæ formæ quæ solùm exclusionem à Sacerdotio denotant, vt sunt illæ; *Inter Presbyteros non computentur: Non fiat Sacerdos*, & similes, esto irregularitatem partialem significent, sæpè assumuntur ad irregularitatem integram significandam, maximè in eo qui nullo ordine insignitus est, eo quòd excluso sacerdotio, cæteri ordines vtpote ad sacerdotium relati, excludi videntur, quod ex circumstantiis colligendum est. Sicuti notat Bonac. *de irregular. disp.* 7. *p.* 3. *num.* 10.

Punctum V.

De effectibus irregularitatis.

1 *Effectus irregularitatis est priuatio ordinis suscipiendi licitè.*
2 *Priuat etiam susceptione primæ tonsuræ.*
3 *Irregularitas superueniens ordinato, si ex delicto proueniat priuat ordinatum quolibet exercitio ordinis: secùs si ex defectu.*
4 *Nulla irregularitas priuat actionibus, quæ clericis, & laicis communes sunt.*
5 *Irregularitas absoluta, priuat irregularem beneficij consecutione.*
6 *Communis sententia negat collationem beneficij, factam irregulari validam esse.*
7 *Sed non videtur satis firma sententia.*
8 *Irregularis non videtur incapax iurisdictionis Ecclesiasticæ.*
9 *Non priuat irregularitas beneficiis ritè acquisitis.*
10 *Satisfit obiectioni ex* Concilio Trident. *desumptæ.*
11 *Quid debeat præstare beneficiatus in irregularitatem incidens.*
12 *Irregularis ex homicidio priuandus venit beneficiis obtentis.*
13 *Irregularitas superueniens clerico beneficiato, non priuat fructibus beneficij.*
14 *Neque item iurisdictione aliqua ad forum contentiosum pertinente.*
15 *Ligatus irregularitate, nec potens impetrare dispositionem, beneficium ritè acquisitum renunciare potest.*
16 *Quod verum est etiam pendente accusatione irregularitatis.*

1 Primus, & præcipuus effectus irregularitatis est priuatio ordinis suscipiendi licitè, nam validam receptionem nullatenus Ecclesia impedire potest, si de facto materia, & forma, & minister adsint à Christo requisiti: vti ex omnium sententia tradit Bonac. *disput.* 7. *de irregularit. pun.* 4. Primam tamen tonsuram quia ex Ecclesiæ institutione pendet, poterat Ecclesia irritam reddere ab irregulari susceptam, sed nullibi constat hanc appositisse irritationem, ideóque sicut non irritat susceptionem Ordinis, nec primam tonsuram censenda est irritare. Sicuti docet Suar. *disp.* 40. *sect.* 1. *n.* 1. Bonac. *de irregular. pun.* 4. *num.* 1.

2 Quinimò aliqui Doctores asserunt susceptionem primæ tonsuræ irregulari prohibitam non esse; eo quòd tonsura non sit propriè, & in rigore Ordo, sed ad Ordines suscipiendos dispositio: irregularitas autem (vt ex eius definitione constat) Canonicum impedimentum est Ordinis suscipiendi, sed nullatenus hæc sententia admittenda est, sed omnino dicendum irregularem priuatum esse prima tonsura suscipienda, sicut & reliquis ordinibus; eo quòd irregularitas tendit ad constituendum irregularem extra clericorum statum, & regulam, qui est effectus tonsuræ oppositus, quæ tonsuratum in statum Clericorum adaptat.

Neque obest primam tonsuram propriè Ordinem non esse. Satis enim est quòd sub ordine latè sumpto comprehendatur, iuxta Textum in *cap. cùm contingat de ætate, & qualit.* vt inde colligatur irregularitem quæ totius ordinis susceptione priuat, priuare susceptione primæ tonsuræ. Præterquam quòd ex priuatione ordinis suscipiendi, infertur primæ tonsuræ priuatio. Etenim prima tonsura est dispositio ad Ordines, quæ ergo incapax est suscipiendi Ordines, iniquè illorum dispositionem suscipit. Atque ita docent Nauarr. *t.* 1. *consilior. cons.* 24. *de temporib. ordinat. n.* 1. & 3. & *cons.* 34. & 35. *de homicidio.* Suar. *disp.* 40. *sect.* 1. *num.* 11. Sayrus *lib.* 6. *cap.* 1. *n.* 19. Garcia *de benefic. 7. p. cap.* 12. *n.* 30. Filliuc. *tract.* 18. *cap.* 3. *num.* 39. & 60. Auila 7. *p. disp.* 2. *dub.* 6. Bonac. *de irregular. disp.* 7. *pun.* 1. *num.* 4. *circa finem.*

3 Verùm si irregularitas ordinato superueniat distinguendum est, an sit irregularitas ex delicto, vel ex defectu. Si fuerit irregularitas ex delicto puta ex homicidio, ex iniqua ordinum susceptione, vel administratione; priuat ordinatum quolibet exercitio ordinis susceptj, & inhabilem reddit alium suscipiendi, quia præstat omnem effectum quem præstare potest, vt colligitur ex *cap. fin. de temporib. ordinat.* & *cap. inquisitionis* 1. *de accusationib.* Et tradit ex communi sententia Couarruu. *Clement. si furiosus, de homicid.* 1. *p.* §. 1. *num.* 3. Nauarr. *cap.* 27. *num.* 194. Suar. *disp.* 40. *sect.* 2. *num.* 4. Auila 7. *p. disp.* 2. *dub.* 6. Verùm si irregularitas non ex delicto, sed ex defectu ordinato superueniat, qualis est quæ refertur in *cap.* 2. *de clerico ægrotante* cui duo digiti cum medietate palmæ abscissi fuerunt & constituit hunc sacerdotem irregularem ad celebrandum, non tamen ad alia sacerdotalia munera, qualia sunt assistere matrimonio, absolucre à peccatis, aliàue Sacramenta

ministrare. Quod si hic defectus diacono superueniret, illum constitueret irregularem ad sacerdotium suscipiendum, non tamen impediret exercitium ordinis ritè suscepti. Sicuti notat Nauarr. *cap.17.num.191.* Maiol. *lib.1.de irregularit.cap.2. reg.5.* Suar. *disp.40 sect.3.num.25.* Auila *7.p.disput.2. dub.6.§. circa.* Bonac. *disp.7.de irregularit.pun.4. num.2.* Neque refert an talis defectus culpabiliter contractus sit, nam quomodocunque ordinato superueniat, solum impedit illius ordinis vsum, quem defectuosus præstare nequit, vt benè aduertunt Suar. *dicta disp.40.sect.2.num.38.* Bonac. *d.punct.4.numero 3.* Et colligitur ex *cap.studeat.50.dist.* & ex *cap.2. de clerico non ordinato.* & *cap.1.de corpore vitiatis.* Quocirca contingeret defectum qui absolutam irregularitatem in laico induceret positum in Clerico causare tantùm irregularitatem partialem, hoc est inhabilitatem suscipiendi ordines, qui restant suscipiendi; vel exercendi susceptos Ordines, in quorum exercitio deformitatem constituit.

4 Ex his constat euidenter nullam irregularitatem priuare actionibus quæ & laicis & clericis sunt communes nempe recipere Sacramenta præter ordinem, audire officia diuina, sepeliri in loco sacro, communicare cum fidelibus, baptizare absque solemnitate, quia irregularitas solùm excludit à gremio, & regula Clericorum, & consequenter ab actionibus quæ Clericorum sunt propriæ: sicuti ex omnium sententia notat Couarruu. *Clement.si furiosus 1.p.§.1.initio.* Nauarr. *cap. 27.num.191.* Suar. *disp.40. sect.2. num.8.* Henriq. *cap.14.numero 1.* Coninch. *disput.18.dub.1.num.4.* Bonac. *disput.7.pun.4. num.5.*

5 Secundus effectus irregularitatis est priuare irregulare m beneficiorum consecutione: nam cum irregularitas si absoluta sit, deiiciat irregularem ab statu, & ordine clericali, consequenter deiicit ab iis, quæ clericalem ordinem requirunt, & quæ illius sunt propria: vti colligitur ex *c.2.de clerico pugnante in duello*, & ex Concilio Trident. *sess.14. cap.7. de reformat.* Notanter dixi, si irregularitas absoluta sit, nam si sit irregularitas partialis ordinato superueniens non ex delicto, sed ex defectu, sicuti est irregularitas quæ refertur in *capit.2. de clerico ægrotante*, validè, & licitè potest prædicto irregulari beneficium conferri, quod non requirit vsum repugnantem defectui: vti tradit Valen. *t.4.disp.7.q.19. pun.2. vers. & dicendum.* Sayrus *lib.6. thesauri, cap.2. numero 13* Garcia *de benefic.7.p.cap.12.num.19.* Bonac. *t.1.disp.7. de irregularit. p.4. num.3.*

6 Quocirca difficultas eò pertinet, An collatio beneficij facta irregulari absolutè, vel tali irregulari qui functiones beneficij exercere licitè non potest, valida sit; Negat communis sententia prædictam beneficij collationem validam esse. Nauarr. *cap.25.num.134. dicto 11.* & *cap.27. num.249. dicto 6.* Couarruu. *in cap.alma mater.1.p.§.7. num.1.* & *§.8.num.3.* & *in reg.peccatum.2.p.§.8.num.6.* & *7.* Henriq. *lib.14. capite 2, num.5.* Sayrus *lib.6.cap.2.num.11.* Suar. *disp.40 sect.2.num.30.* Auila *7.p.disp.2.dub.6.conclus.3.* Bonac. *de irregularit. disp. 7.p.4.num.5.* & alij apud ipsos. Ducitur hæc communis sententia ex eo quòd irregularis exclusus est ab ordine, eiusque exercitio; ergo exclusus est à beneficio, quod ordinem necessariò requirit. Etenim inhabilis ad vnum inhabilis censeri debet ad omnia illa quæ ex eo vno consequuntur. Argum. *c.translato de constitutionib.* iuncta Glossa *in c.studeat, verbo vtale beneficium 50.dist.*

7 Verùm hæc ratio solùm probat illicitam esse collationem, & venire irritandam, at de facto irritam esse, & nullam inde non conuincitur, sicuti ex eo quòd in *cap.vltim. de clerico excommun. ministrante* dictum sit excommunicatum minori excommunicatione eligi non posse, non efficitur electionem fore irritam si de facto fiat, sed solùm esse illicitam: Sic ex eo quòd irregularis exclusus sit ab ordine suscipiendo, & illius exercitio, solùm conuincitur exclusum esse à susceptione beneficij licita, non tamen à susceptione benefij valida, sicuti non excluditur à valida Ordinum susceptione, maximè cùm irregularis possit procurare dispensationem, & interim beneficio per alium deseruire, eiúsque muneri satisfacere.

Præterea irregularitati non sunt tribuendi plures effectus, nec plures pœnæ assignandæ, quàm sint in iure expressæ; at in iure vt bene expendit Suar. *disp.40. sect.2.à num.30.* Coninch. *disp.18.dub.1.num.4.* Paulus Layman, *lib.1.sum.tract.5. par.3.cap.1.num.2.* & *3.* Gaspar Hurtado *de irregular.difficult. 5.à num.10.* nullus est Textus exprimens collationem beneficij irregulari factam irritam esse, sed ad summum illicitam. Nam Textus qui adducuntur sunt *cap. cum bona de ætate*, & *qualit.* quod non loquitur de irregulari, sed de suspensis, & in suspensione per triennium perseuerantibus, neque hos reddit inhabiles ad beneficia, sed decernit spoliandos esse beneficiis antea possessis, & eo tempore acquisitis. Deinde adducitur Textus in *cap.postulastis 7.de clerico excomm.ministr.* qui nullatenus de irregulari loquitur, sed de excommunicato. Item Textus in *cap.fin. eodem tit.* qui de ligato minori excommunicatione loquitur: *cap.* verò *2.de clericis pugnantib.in duello*, vbi cùm Clerico qui homicidium commisit, dicitur posse misericorditer dispensari, vt beneficium obtineat, non quia inualida esset beneficij collatio, sed quia esset illicita. Ergo irritatio collationis beneficij non est irregularitatis effectus. Argum. *cap.si soli de conces. prabenda in 6.* vbi dicitur prohibitionem Pontificis non irritare collationem, nisi ei adiungatur decretum irritans, quod decretum cùm non inueniatur comparatione irregularitatis, asserendum est ex irregularitate non irritari beneficij collationem. Vti docet Sylues. *verbo excommunicatio 4.num.4.* inclinat Felin. *in cap.nonquisitionis num.6.* & *8.de accusationib.* Et probabile reputant Suar. Coninch. Laym. Gasp. Hurtado *loc.alleg.*

Ex hac doctrina à fortiori sequitur irregularem incapacem non esse iurisdictionis Ecclesiasticæ non solùm delegatæ, sed ordinariæ, siquidem non est ipso iure incapax beneficij recipiendi cui iurisdictio ordinaria annecti solet. Retentâ tamen communi sententiâ irregularem inhabilem esse beneficio suscipiendo; inhabilis etiam erit ad suscipiendam iurisdictionem ordinariam vtpote beneficio plerunque annexam, & quæ secundùm eius regulas mensuratur, quippe iurisdictio ordinaria vtitur beneficio, seu officio Ecclesiastico à quo irregularis excluditur. Sic Suar. *disp.40. sect.2. num.12.28. 42.* & *45.* Bonac. *disp.7. de irregularit. p.4. num.12.* At delegata iurisdictio ad quælibet alia munera præter vsum ordinis optimè concedi irregulari poterit, quia nullibi cauetor irregularem inhabilem esse ad hanc iurisdictionem suscipiendam: vti aliis relatis docet Bonacina *disput.at.7.q.1.p.4.numero 12.* 1 13 14

Tertius effectus irregularitatis secundùm aliquorum Doctorum sententiam est priuatio beneficiorum ante irregularitatem acquisitorum. Nam cùm irregularis incapax sit plerunque exercendi officium, ratione cuius beneficium concreditur, videtur obligatus beneficium amittere, siquidem eius obligationi satisfacere non potest. Sed contrarium meritò docuit communis sententia, quam pluribus comprobant Nauarr. *cap.27. num.249. dicto 5.* Henriq. *lib.14. cap.2.num.1.* Gregor. de Valen. *t.4.disput.7.q.19.pun.2.§. quinto.* Sayrus *lib.6.thesauri, cap.2.num.21.* Suar. *disput.40. sect.2.num.13.* & *disp.44.sect.4.num.2.* Auila *7.p.disp.2.dub.6.conclus.4.* Riccius *in praxi dec.1185. ad finem.* Bonac. *disp.7.pun.4.num.8.* Coninch. *disp.18.dub.1.num.5.* Paul. Layman. *lib.1.tract.5.par.1. cap.1.num.1.corol.3.* Gasp. Hurtado *difficult.5. in fine.* & alij. Colligiturque ex *cap. clerici. Ne clerici, vel monachi.* Et ex *c. Eraternitati de clerico excommunicato, vel deposito.* Et *cap. postulastis.§.quæsuistis eodem. cap.ex litteris de excessib. prælator.* requirentibus officium iudicis ad beneficiorum priuationem. Neque vllus est Textus hanc pœnam ipso iure inditens. Nam esto in *cap 1.de Homicidio in 6.* priuetur assassinus beneficiis ipso iure, & in *cap.cum secundum leges de Hareticis in 6.* priuetur hæreticus, & in *cap. si quis Episcopus 1.q.1.simoniacus*: non prouenit hæc priuatio ratione irregularitatis, sed ex delicto qualificato, & taliter perpetrato, in quibus casibus etsi priuatio beneficiorum sit ipso iure lata, non tamen tenetur quis se beneficiis spoliare, quousque accedat sententia saltem declaratoria crimini, vt benè aduertit Couarru. *4.decretal.2.p.cap.6.§.8.n.7.circa finem.* Suar. aliis relatis *disp.40. sect.2.num.17.* 9 15

Solùm obiici potest decretum Conc. Trident. *sess.14.cap. 7.de reformat.* vbi loquens specialiter de irregularitate homicidij voluntarij inquit: *Qui sua voluntate homicidium perpetrauerit omni ordine, beneficio, & officio Ecclesiastico perpetuò careat*, sed caret ordine ipso iure, & absque sententia condemnatoria, ergo etiam carere debet beneficio, & officio. Propter hanc obiectionem Maiol *lib.5 de irregularit. cap.48.§.4. numero 1.* asserit post Concil. Trident. irregularitatem homicidij voluntarij priuare beneficiis obtententis. Verùm vt rectè Suar. *disputat. 44. sect.4. num.32.* affirmat per Concilium nihil est in hac parte innouatum, sed illius verba intelligi debent iuxta ipsarum rerum naturam, quæ est, vt carentia ordinis, quam inducit irregularitas, ipso iure incurratur. Secùs verò priuatio beneficiorum acquisitorum, quia plerunque expostulat iudicis sententiam, nisi aliud exprimatur, sicuti in præsenti non exprimitur, vt aduertit Salcedo pluribus relatis in sua *pract. capite 94.* Couarruu. *in Clement. si furiosus de Homicidio.2.part.§.3.num.6.* Suar. *dicta sect.4.numero 32.* 10 16

Beneficiatus autem incidens in irregularitatem ex delicto, etsi possit retinere beneficium dum per sententiam non priuatur, debet tamen procurare dispensationem, & interim beneficij muneri vel per alium satisfacere in iis actionibus, quæ ratione irregularitatis illi sunt prohibitæ. Assumere enim coadiutorem pro aliquo tempore ex causa adeò graui neque est contra iustitiam, neque illicitum: vt notat Suar. *dicta disputat.44. sect.4.num.19.* consentit Nauarr. *lib.5.cons.17.de homicidio.* Cordub. *in sum.q.41.* & *lib.1.qu.quæst.36.* Auila *7.p.disput.2.dub.6. vers. Hinc sequitur*, vbi explicat Felinum dicentem, tuta conscientia nō posse retinere beneficium cui est ordo sacer annexus, si ipse propter crimen illud exercere ordi- 11 12

nem

nem non potest, vt intelligatur si est in mora petendi dispensationem, vel desperatus est à dispensatione breui tempore, obtinenda. Bonac. *disput. 7. p. 4. num. 10.* Coninch. *disp. 17. dub. 1. num. 5.* Paul. Layman. *lib. 1. tr. 5. par. 5. c. 1. corol. 3.* Gaspar Hurtado *de irregular. difficult. 5. n. 21.* & alij.

12 Certum tamen est ex delicto homicidij voluntarij venire priuandum irregularem beneficiis obtentis ex dicto decreto Conc. Trident. *sess. 14. cap. 7.* Sicuti etiam venit priuandus ob hæresim, ob simoniam, aliàque similia delicta. Pensionibus verò arbitrio iudicis relinquitur spectata delicti qualitate, nam in iure harum priuatio irregulari indicta non est, vt decisum à sacra Cardinalium congregatione referunt Riccius *decis. 524.* Barbosa *in dicto loco Conc. Trident.* Suar. *disput. 44. sect. 4. num. 34.* Bonac. *disp. 7. p. 4. n. 11.*

13 Ex dictis infero primò irregularitatem superuenientem clerico beneficiato non priuare ipsum fructibus beneficij, neque priuandum esse per sententiam, si munera quæ ratione beneficij tenebatur exercere, per se, vel per alium exercuit, siquidem beneficij titulum retinet, & ius habet percipiendi illius fructus posito muneris exercitio, sicuti aliis relatis docuit Suar. *disp. 40. sect. 2. num. 20.* Coninch. *disp. 18. dub. 1. n. 5.* Filliuc. *tract. 19. n. 69.* Bonac. *disp. 7. punct. 4. n. 10.* Paul. Laym. *lib. 1. sum. tract. 5. par. 5. cap. 1. n. 1. corol. 3.*

14 Secundò infero irregularitatem beneficiato, seu iudici superuenientem non priuare ipsum iurisdictione aliqua ad forum contentiosum pertinente, ideóque poterit excommunicare, eligere, & beneficia conferre, sicuti poterat antequam in irregularitatem incideret; nam cùm hæc irregularitas non deiiciat irregularem à beneficio, vel officio, neque etiam deiicit ab illius vsu: vti ex communi docuit Suar. *disp. 40. sect. 2. num. 12. & 24.* Filliuc. *tract. 19. num. 74.* Bonacina *disp. 7. de irregular. pun. 4. à num. 12.* sed Præcipuè 17. Coninh. *disp. 18. dub. 1. num. 7.* Paul. Layman. *tract. 5. par. 5. cap. 1. num 1. corol. 2.* Et colligitur ex *cap tanta de excessib. prælator.* Vnde Parochus licitè potest assistere matrimonio, & assistendi licentiam concedere, imò licitè etiam poterit facultatem dare reliqua Sacramenta ministrandi, ipse verò ministrare ea non poterit non ex defectu iurisdictionis, sed quia vsu ordinis ob irregularitatem priuatus est. Quapropter si quis bona fide irregulari etiam denunciato sua peccata fateatur, poterit ab eo absolutionem validè recipere, si aliàs habebat iurisdictionem absoluendi, nam ex vi irregularitatis dicta iurisdictione ipso iure non priuatur, tametsi illius vsus ei interdicatur.

Dices, omnis iurisdictio Ecclesiastica competit Clerico quà Clericus est, sed per irregularitatem à clericatu deiicitur, ergo deiicitur à iurisdictione competente ei ratione clericatus? Respondeo clericatum requiri tanquam conditionem, vt subiectum capax sit iurisdictionis, illa tamen concessa illius vsus non est actus ordinis, ac proinde per irregularitatem non prohibetur.

15 Tertio infero ligatum irregularitate ex delicto, si nolit, vel non possit impetrare dispensationem posse renunciare beneficium in fauorem tertij, ac si nullam irregularitatem contraxisset etiam pendente lite, & accusatione facta de irregularitate; quia vsque quo accedat sententia, & condemnetur retinet ius in beneficium, vti docuerunt Panormit. in *c. nisi cum pridem num. 1. de renunciat.* Coninch. *Clement. si furiosus. 2. p. §. 3. num. 7.* Felin. *in cap. inquisitionis. col. 3. de accusationib.* Ludouic. Gom. *in regula de annali possess. q. 42. num. 3.* Sayrus *lib. 6. cap. 2. num. 14.* Suarez *disp. 40. sect. 2. num. 19.* & alij apud ipsos.

16 Dubitat tamen Couarruu. *dicto §. 3. num. 7.* an si durante accusatione irregularitatis impetret aliquis beneficium irregularis casu quo per sententiam illo priuetur, possit irregularis conscius huius impetrationis beneficium in fauorem alterius, vel absolutè antequam per sententiam condemnetur, renunciare? Negat Dominic. *cons. 105.* & Ant. de Butrio *cons. 43.* eo quòd hæc renunciatio cederet in præiudicium eius cui est ius per gratiam quæsitum. Et deinde est in fraudem gratiam obtinentis. Ergo nulla ex Textu in *cap. si te prabendam de renunciat. in 6.* vbi aliquis obtinuit à Sede Apostolica rescriptum de prima præbenda vacatura, cuius rescripti conscius alius præbendatus renunciauit tenuem præbendam, vt obtinenti gratiam conferretur, & priuaretur, pingui proximè vacatura. Respondet Pontifex non teneri admittere illam tenuem præbendam, si de fraude constiterit, sed conferendam ei esse pinguem præbendam secundò vacantem, quia illa renunciatio ei obesse non potest. Siquidem non vacauit illa præbenda tenuis ordinario modo, sed ex malitia.

Nihilominus tamen in nostro casu existimat Couarru. plures referens, & Molina *tract. 3. de iustit. disp. 78. num. 2.* optimè posse præfatum irregularem non obstante prædicta impetratione renunciare suam præbendam, in hoc enim nullam fraudem committit, siquidem vtitur iure suo, & vt sibi consulat, non autem vt noceat impetranti, renunciationem præstat. Secùs contingit in *dicto cap. si te prabendam*, quia *ibi* cernitur manifesta fraus.

Præterea quia etiam in casu illius Textus renunciatio præbendæ non annullatur, sed statuitur, illa non obstante non præcludi viam ad obtinendam præbendam pinguiorem, quia gratia facta erat de prima præbenda vacante ordinario modo, & non ex malitia, & in fraudem impetrantis.

Ad illud verò quod dicebatur de iure quæsito facilè respondetur, impetrans namque non habet ius quæsitum absolutè, sed conditionale, & incertum (hoc est) sub conditione si per sententiam priuetur, cui iuri bene potest derogari per renunciationem. Sicuti probat Couarruu. suprà relato Ludouico Gomezio *in regula de annali possess. q. 42.* & *in reg. de non tollendo iure quæsito. q. 3.* Deinde aduertit Couarruu. *in dicta Clement. si furiosus. 2. p. §. 3. num. 7.* facta hac renunciatione non posse iudicem procedere ad priuationem beneficij, quia inutilis est talis processus, cùm beneficium non possideat ille aduersus quem sententia ferenda est: atque ita refert placuisse Rotæ *in nouis decis. 491.* & Ludouic. Gomez *regula de annali possess. q. 42. num. 5.*

Punctum VI.

De causis excusantibus ab irregularitate incurrenda.

1 *Si excuseris à delicto cui est irregularitas annexa, vel si ignores legem Ecclesiasticam specialiter irregularitatem indicentem, excuseris ab irregularitate.*

2 *Communis sententia negat te esse excusatum ab irregularitate delicto annexa, si agnoscas delictum Ecclesiastica lege esse prohibitum, tametsi ignores sub pœna irregularitatis prohibitum esse.*

3 *Probabile est te excusatum esse ab irregularitate; si probabiliter ignores lege Ecclesiastica tuo delicto annexam esse.*

1 CErtum est, te excusatum esse ab irregularitate delicto annexa, si excuseris à delicto mortali, nam cùm hæc sit gratissima pœna, peccatum mortale ad sui incursionem requirit. Quinimò existimo probabilius, si ignores lege Ecclesiastica specialiter prohibitum esse delictum cui irregularitas annectitur, te excusatum esse ab illius incursione, Vti docui *tract. 2. de peccatis disp. 1. pun. 17.* & præter *ibi* relatos docet Coninch. *disp. 18. de irregularit. dub. 4. conclus. 1.* & probari potest ex *cap. 2. de constitutionib. in 6.* vbi deciditur non ligari constitutionibus ordinariorum illas ignorantes, hoc est non ligari quoad pœnam illis legibus incurrendam, quia æquum non est æquali pœnâ punire transgressorem legis ex ignorantia, ac ex malitia, siquidem ignorantia à transgressione culpabili legis excusat. Quæ decisio à fortiori procedit in constitutionibus Pontificiis. Secundò probatur ex *cap. propòsuisti 82. dist.* vbi Clerici luxuriosi sibi illud delictum sub pœna depositionis per legem Ecclesiasticam prohibitum esse venia digni sunt, neque ea pœna afficiuntur, sed alia mitiori arbitrio iudicis. Ergo ignorantia legis Ecclesiasticæ excusat ab illius transgressione; & à pœna ei annexa. Tertiò pœnalis irregularitas plerunque ab Ecclesia indicitur in pœnam in obedientiæ, & contumaciæ aduersus Ecclesiam, siquidem superadditur violationi censurarum, quæ inobedientiam, & contumaciam requirunt. At inobedientia, & contumacia in Ecclesiam stare non potest posita ignorantia legis Ecclesiasticæ. Ergo &c.

Quod si dicas irregularitatem nõ tam in pœnam delicti, quam ob decentiam Ecclesiastici status indici, cui decentiæ obstat delictum. V. g. homicidij, tametsi ignoretur lege Ecclesiastica sub Pœna irregularis prohibitum esse? Respondeo esto ob decentiam status Ecclesiastici inducatur irregularitas, at quia simul inducitur in pœnam obedientiæ Ecclesiasticæ violatæ, ea de causa locum habere non potest cessante inobedientia, quæ sine dubio cessat posita legis Ecclesiasticæ ignorantia.

2 Difficultas verò est, an si probabiliter ignores irregularitatem delicto annexam esse, tametsi scias Ecclesiastica lege esse prohibitum ab ea irregularitate excuseris? Communis sententia negat ignorantiam huius pœnæ excusare delinquentem ab illa incurrenda. Quod docent omnes qui de excommunicatione, suspensione, & interdicto affirmant, quos refert Couarruu. *cap. alma mater. 1. p. §. 10. numero 9.* & vltra illos specialiter de irregularitate tradunt Suar. *de censur. disp. 40. sect. 5. num. 9.* Corduba *in quæst. lib. 1. q. 25. vers. item secundo.* Ludouic. Lopez. *2. p. instructor.* vbi *de excommunicat. cap. 13. ad 3.* Aulla *7. p. disput. 2. dub. 7 conclus. 2.* Gab. Vazq. *de excommunicat. dub. 16.* Gaspar Hurtado *de irregularit. difficult. 8. num. 29.* Mouentur quia ignorantia pœnæ non videtur excusare ab illius incursione, aliàs plurimi delinquentes à pœnis per legem statutis excusarentur.

Deinde irregularitas non est pœna medicinalis, quæ illius cognitionem requirat, sicuti sunt censuræ, & esto ad reprimendam inobedientiam, & contumaciam in Ecclesiam iuc-

tiõ

vit apposita, non inde infertur scientiam huius pœnæ necessariam fore: nam inobedientia, & contumacia non ex pœnæ impositæ cognitione, sed ex cognitione legis, illiusque transgressione contingit.

Adde si ad incurrendam irregularitatem necessarium foret cognoscere eam pœnam delicto annecti. Ergo homicidia ignorans pœnam nulla irregularitate teneretur, sed liberè posset ad ordines promoueri. Hoc autem falsum videtur, siquidem iudex iustè reum morti tradens irregularitatem contrahit, tametsi ignoret irregularitatem suo facto impositam esse, eo quòd dedeceat Christi esse ministrum qui alium vita priuauit; sed hæc indecentia efficaciùs virget in eo qui iniustè, & iniquè alium occidit; ergo irregularis erit, tametsi ignoret suo delicto irregularitatem esse impositam.

3 Verùm etsi hæc sententia tenenda sit vt communis, & in praxi recepta, nihilominus contraria scilicet ignorantem probabiliter pœnam irregularitatis suo delicto esse impositam excusari à dicta irregularitate probabilis est, vt docuit Sanch. *lib.9.disp.32.num.21.* Coninch. *disp.18.dub.4.num.31.* Suar. *disp.4.de censur.sect.9 num.22.* Bonac. *t.1 disp.1.de censur.q.2.pun.1.num.13.* & docuerunt absolutè Hostiens. *cap.à nobis el.1.de sentent.excommunicat. vers. addo.* Sylvest. *verbo ignorantia q.8. dicto 1.* iuncto *dicto 3.* Nauarr. *cap.27. numero 274.vers.13.* Philiarc. *de officio Sacerdotis.t.1.p.1.lib.3.cap.4.§. tertio obiicitur.* Manuel. *t.1.sum.in 2. edit. cap.195.numero 3.* & tanquam probabile defendimus *tract.2. de peccatis disput. 1.punct.17. num.6.* Ratio ea est, quia committens aliquod delictum solùm subditur pœnis tali delicto proportionatis, non tamen aliis pœnis extraordinariis, & quæ delicti grauitatem secundùm se videntur excedere, quæque imponuntur ab Ecclesia, vel republica ob vitandum delicti frequentem vsum, vel ob aliam causam.

Quocirca etsi consensus delinquentis in pœnam non requiratur ad sustinendam illam; requiritur tamen consensus illius in culpam, prout, est causa talis pœnæ, seu prout continet talem pœnam, quod fieri nequit absque notitia pœnæ, quando pœna est extraordinaria. At irregularitas quæ delicto annectitur censenda est pœna extraordinaria delicti, siquidem obligat delinquentem, vt eam in se exequatur; ergo censeri non debet incurri ab ignorante legem sub tali pœna esse latam, & ex his soluitur fundamentum *num. præcedenti* relatum. Non enim est inconueniens, quod multi ab hac pœna in foro conscientiæ excusantur, sicuti excusantur à censuris, cum in eo foro aduersus legem Ecclesiasticam complerè non delinquant ignorando pœnam extraordinariam, sub qua lex lata est. Neque item est conueniens quod iudex ignorans suo facto irregularitatem annecti eam contrahat, non tamen eam contrahat homicida ignorans irregularitatem suo delicto annecti, quia irregularitas iudici non in pœnam, sed ob decentiam posita est: at homicidæ tum ob decentiam, tum in pœnam delicti irregularitas indicitur quæ irregularitas grauior est, & difficilioris dispensationis, ac proinde non est mirum, vt cognitionem legis eam indicentis exposcat.

Punctum VII.

De relaxatione irregularitatis.

1 *Baptismo nulla irregularitas tollitur.*
2 *Professione religionis irregularitas orta ex defectu natalium tollitur.*
3 *Pontifex relaxare omnem irregularitatem sua dispensatione potest.*
4 *Episcopus relaxare irregularitatem nequit, nisi ei à Pontifice fuerit concessum.*
5 *Explicatur concessio in Trident. facta* cap.6. sess.24. de reformat.
6 *Episcopus non potest ex vi huius concessionis hanc potestatem exercere in non subditum.*
7 *Qui nomine Episcopi veniant intelligendi in dicto decreto.*
8 *Qui nomine subditi intelligantur.*
9 *Non est opus ad hanc dispensationem concedendam, vt Episcopus in sua diœcesi assistat.*
10 *Vt hanc dispensationem concedat, delictum debet esse occultum. Et qualiter hoc intelligatur.*
11 *Deinde non debet esse ad forum contentiosum deductum.*
12 *Si reus ex defectu plenæ probationis, vel falsis probationibus absolutus fuerit, absolui ab Episcopo potest.*
13 *Si verò delictum in iudicio probatum integrè fuerit, & reus condemnatus, & punitus, verius existimo non posse in hac irregularitate Episcopum dispensare, etsi alij contrarium censeant.*
14 *Hæc dispensandi potestas pro vtroque foro prodest.*
15 *Hæc potestas delegabilis est.*
16 *Si dispensatio concedenda est plurium irregularitatum, omnium mentio facienda est.*
17 *Exceptio à potestate dispensandi strictè interpretanda est.*
18 *Episcopus conscius irregularitatis in qua dispensare potest si admittat irregularem ad ordines suscipiendos, vel beneficium, dispensare cum illo censetur.*
19 *Dispensatus ad ordines, non censetur ad beneficium.*
20 *Dispensatus ad ordines ad solos minores dispensatus censetur, nisi minoribus initiatus fuerit.*
21 *Episcopus litteras dimissorias ad ordines concedens, non censetur concedere potestatem dispensandi.*

TRiplici via docent Doctores irregularitatem relaxari posse, Baptismo, Professione religionis, & dispensatione. Baptismo namque si rectè consideretur nulla irregularitas tollitur, quia nulla est quæ Baptismum præcedat. Omnis enim irregularitas iure Ecclesiastico inducta est, quod nullam vim habet in eos qui sunt extra Ecclesiam, vt fatentur omnes. Sunt tamen aliqui defectus, qui post Baptismum remanent in Baptizato, & ratione illorum constituitur baptizatus irregularis. Primò, si ante Baptismum bigamus fuerit, quia non potest perfectè significare vnionem Christi cum Ecclesia. Et quamuis in hoc casu fuerit inter Augustinum, & Hieronymum controuersia, iam sententia Augustini præualuit, relata in *cap. Acutius 26. distinct. & cap. si quis vidua el.1.34.dist.* & pluribus exornat Paul. Layman. *lib.1.sum.tract. 5.par.5.cap.6.num.8.* Secundò si post Baptismum claudus, cæcus, aliámve corporis deformitatem præstat. Tertiò si fuit illegitimus, quia defectus hic Baptismo non aboletur, sed post Baptismum perseuerat. Vt docet Sylvest. *verbo baptismus.6. num.2.* Sayr. *lib.7.cap.13. num.22.* Layman. *dicto cap.6.num.9.* Quartò si ex delicto commisso ante Baptismum infamias aliqua orta sit, quæ adhuc post Baptismum perseueret. Sed infamiam facti nullam credo post Baptismum perseuerare; quia Baptismo perfectè delictum aboletur, & consequenter, infamia ei annexa. Sicuti tradit Henriq. *lib.14.cap.17.numero 2.* Sayrus *cap. 13.num.2.* Layman. *suprà.* Idem dicendum esset de infamia orta ex officio vili exercito, quæ officio deposito cessare debet. Secùs verò dicendum censerem de infamia iuris, quæ ex sententia condemnatoria procedit, hæc enim ex se perpetua est, neque Baptismo purgatur, vt aduertit Suarez *disp.48.sect.2.* Gaspar Hurtado *de irregular.disput.20.* Cæterùm verò irregularitates etiam ex homicidio voluntario siue iniusto, siue iusto necessariò exigunt, vt post Baptismum præstentur facta, quibus annectuntur. Sicuti docet Henriq. *lib. 14.cap.17 num.2.* Maiol. *lib.5.de irregularit. cap. 51.num.11.* Sayrus *lib.7.cap.13.num.2.* Coninch. *disput.18. dub.14.initio.* Layman. *dicto c.6. in fine*, subditque rationem, quia per Baptismum quasi in alterum virum homo mutatur, Christique tanquam agni mansuetudinem induere tenetur.

2 Secundò aboletur Professione religionis, seu emissione votorum in religione approbata irregularitas orta ex defectu natalium in ordine ad suscipiendos ordines, manente inhabilitate ad dignitates, & prælaturas. Sicuti multis relatis docet Sanch. *lib.7.de matr.disp.86.num.4.* Suar. *disp.41.sect.1. num.3.* Sayr. *lib.7.cap.13. num.9.* Henriq. *lib.14. cap.17.n.2.* Nauarr. *c.27.num.201.* Maiol. *lib.5.cap.51.num.13.* Coninch. *disp.18.dub.14.concluf.2.* Bonac. *t.1. disp.7.q.5.pun.2.num.3.* Paul. Layman. *lib.5.tract.5.par.5.cap. vlt. circa finem.* Et colligitur ex *cap.1.de filiis presbyterorum:* iuncto *cap.finali eodem tit.* Et *ibi* Glossa *finalis.* Solent autem ferè omnes religiones priuilegia habere, vt earum religiosi etiamsi defectum natalium habeant, in Prælatos eligi possint: Sicuti notauit Sayrus *dicto cap.13. num.9.* & habetur in *nostris priuilegiis verbo dispensatio.* §.2. Et quamuis Sotus *in 4.dist.25.q.1. articul.3. columnia 3.* affirmet vsu receptum esse omnem irregularitatem per religionis ingressum tolli, excepta bigamia, & ea quæ oritur ex homicidio voluntario, id Doctores communiter reprobant, si ius commune spectetur; quia in eo nullum est fundamentum huius relaxationis: Sicuti aduertunt Suar. Sanch. Sayrus, Coninch. Layman & alij *locis allegatis.* At si spectentur priuilegia religioni concessa, etsi de facto in ipsa Professione irregularitates non relaxent, attamen potestatem concedunt ea relaxandi. Sicuti in Societate conceditur facultas pro foro conscientiæ Præposito Generali quamliber irregularitatem siue bigamiæ siue homicidij voluntarij relaxandi, vt constat ex *compend. priuilegior. verbo dispensatio.* §.4. & *aliis.* Quinimo omnibus religionibus Mendicantibus concessum est priuilegium relaxandi irregularitatem etiam homicidi voluntarij, dummodò notoria non sit ex priuilegio Martini V. cuius meminit Man Rodrig. *t.1.qq.regular.q.24. art.12.* Illud est certum ingressum religionis præstare causam vt facilius in irregularitate dispensetur, in qua forè dispensatio non esset concedenda.

3 Tertiò relaxatur irregularitas dispensatione. Et quidem Pontificem posse omnem irregularitatem relaxare, constans est sententia, cum ab ipso ortum habuerit, non tamen solet facile in irregularitate bigamiæ propriæ dispensare, cùm hæc irregularitas ab Apostolica traditione descendat. Neque

que etiam in ea quæ ex homicidio voluntario oritur, cùm grauem contineat indecentiam. Si tamen absque causa dispensationem concedat, valida est eius dispensatio, esto sit illicita. Quod secùs contingit in dispensatione ab inferiori facta, cui non censetur à Pontifice concessa potestas, nisi causa legitima intercedente, vt latè diximus *tract. de legib. disp. vlt. de dispens.*

4 Præter summum Pontificem alicui videbitur Episcopo facultatem competere iure ordinario relaxandi quamlibet irregularitatem, cuius relaxationem Pontifex sibi expressè non reseruauerit. Argum. *cap. Nuper de sentent. excommunicat.* vbi loquens Pontifex de excommunicatione inquit: Cùm conditor canonis absolutionem sibi specialiter non reseruat, eo ipso concessisse videtur facultatem aliis relaxandi. Verùm hæc ratio nullius momenti est, quia absolutio excommunicationis est maximè necessaria saluti spirituali fidelium, siquidem impedit sacramentorum receptionem, suffragia Ecclesiæ, fidelium inter se communicationem, quæ sunt bona grauissima, & spirituali saluti maximè necessaria, ideóque Pontifex illius absolutionem concessisse videtur, quoties specialiter sibi non reseruauit. At in irregularitate hæc non procedunt, vtpote quæ solùm impedit ordinis susceptionem, vel illius vsum, quæ non sunt saluti necessaria. Adde si ex ratione facta in *cap. nuper*, liceret facultatem *ibi* concessam extendere ad aliarum censurarum, & impedimentorum absolutionem præter excommunicationem, non solùm Episcopus, sed parochus posset irregularitatem relaxare, & ab interdicto, & suspensione absoluere, siquidem à sententia excommunicationis non reseruata parochus absoluere potest, iuxta communem Doctorum sententiam, quod nemo asserere audebit. Præterea excommunicatio est pœna medicinalis, quæ tolli debet quàmprimum excommunicatus à contumacia recesserit. *Cap. ex litteris de constitutionib. Cap. qua fronte de appell. at.* ideóque absoluens excommunicatum præstat quod à iure præcipitur. Secùs est in irregularitate, quæ cùm sit pœna, & impedimentum de se perpetuum ipsummet ius dictat non esse auferendum, ac proinde illud auferens vulnerat ius, & ob eam causam dispensatio nuncupatur iuris vulneratio. Non ergo valet argumentum ab excommunicationis absolutione ad dispensationem irregularitatis. Quocirca dicendum est, quoties dispensatio irregularitatis concessa non est Episcopo, intelligitur Pontifici reseruata: vti ex communi sententia tradit Suar. *disput. 41. sect. 2. num. 3.* Et colligitur ex Concil. Trident. *sess. 24. cap. 6. de reformat.* vbi datur facultas Episcopis dispensandi in omnibus irregularitatibus ex delicto occulto prouenientibus, neque ad forum contentiosum deductis, excepta ea quæ oritur ex homicidio voluntario. Infertur ergo Episcopos ex se, & ex suo munere hanc facultatem non habere.

5 Sed vt plenè intelligatur hæc potestas Episcopis à Conc. Trident. concessa, quatuor conditiones seruandæ sunt in illius vsu, vt ex ipso textu constat. Prima vt sit dispensatio cum subditis. Secunda in diœcesi sua. Tertia in irregularitate prouenient ex delicto occulto, neque ad forum conientiosum deducta, Quarta pro foro conscientiæ.

6 Circa primam conditionem certum est Episcopum non posse dispensationem exercere respectu eorum qui ei non subduntur, quia dispensatio est iurisdictionis vsus necessariò in subditos exercendus. Quapropter explicandum est, qui nomine Episcoporum, & subditorum in prædicto Conc. Trident. decreto veniant. Et breuiter dicendum est eos Episcopos intelligi, qui ordinariam in subditos iurisdictionem habent, & illos subditos esse intelligendos qui his Episcopis iure ordinario subduntur. Quapropter non venit intelligendus Archiepiscopus comparatione subditorum Suffraganei, quia non est illorum superior absolutè, nisi in causis ad ipsum per appellationem deuolutis. *Cap. 1. de officio legati. & cap. duo de officio ordinarij.* Et apertiùs in *cap. pastoralis eodem tit.* ibi: Cùm in eum (scilicet Suffraganei subditum) exceptis quibusdam articulis, nullam habeat potestatem: vnus autem articulus est, si per appellationem causa ad ipsum deferatur, vel negata absolutione à Suffraganeo imploretur auxilium Mettropolitani, vt ex misericordia dispenset, vel faciat vt inferior dispenset. Sicuti tradit Henriq. *lib. 14. cap. 13. num. 3.* Auila *7. p. de irregular. disp. 10. dub. 6. nota b. 2. circa 1. conclus.* Thom. Sanch. *lib. 4. in decalog. cap. 32. num. 12.* Deinde Henriq. & Auila *suprà.* & Anton. Gomez. *in explicat. Bullæ Cruciatæ, conclus. 10. num. 59.* extendunt prædictam doctrinam ad tempus quo diœcesim Suffraganei visitat, tunc enim affirmant relati Doctores posse Mettropolitanum dispensare cum subditis Suffraganei, ac si esset eorum proprius Episcopus, quia pro illo tempore sic esse censetur. Sed rectius Suar. *de censur. disputat. 41. sect. 2. num. 12.* Sayrus *in claui regia, lib. 6. cap. 11. num. 80.* & Thom. Sanch. *lib. 2. in decalog. cap. 11. num. 6.* & *lib. 4. cap. 38. num. 14.* negant eo casu Archiepiscopo hanc facultatem in irregularite dispensandi concedentes potestatem à peccatis absoluendi, quia Archiepiscopus non est iudex ordinarius subditorum Suffraganei, nisi in casibus sibi specialiter concessis. *Cap. pastoralis de officio Ordinarij.* At nullibi inuenitur concessa hæc potestas dispensandi in irregularitate tempore visitationis, etiamsi potestas absoluendi à peccatis concedatur in *cap. fin. de Censibus, lib. 6.* Quapropter vt bene Sanch. *lib. 4. in decalog. cap 38. num. 14.* nequit Archiepiscopus concedere illis subditis Suffraganei litteras dimissorias ad Ordines, neque potest dispensare in denunciationibus matrimonio præuiis, neque in votis, neque in irregularitate illegitimorum.

7 Deinde nomine Episcopi pro dispensationibus concedendis, non venit in dicto Conc. Trident. decreto intelligendus Vicarius generalis, nisi specialiter ei commissa sit ea potestas, nam ex vi vicariatus illam non habet, vt multis allegatis docet Sanch. *lib. 2. de matr. disput. 40. num. 11.* & *lib. 4. in decalog. cap. 38. num. 18.* quia dispensatio reputatur quasi restitutio in integrum, quæ in generali mandato non continetur, ex *leg. illud. ff. de Minorib.* Præterea nomine Episcopi in eo decreto pro dispensationibus concedendis, non veniunt Prælati regulares cõparatione religiosorum sibi subditorum, quia ij Prælati non habent diœcesim, quod necessariò videtur requisitum, vt gaudeant priuilegio Conc. Trident. siquidem Trident. inquit: Liceat Episcopis &c. in *diœcesi sua.* Supponit ergo eos quibus hanc dispensandi facultatem concedit habituros esse diœcesim, vt aduertit Sanch. *lib. 8. de matr. disp. 2. num. 3.* Quapropter Pius V. in quodam motu proprio; quem refert Rodrig. *t. 1. qq. regular. q. 6. art. 9.* extendit facultatem Conc. Trident. absoluendi, & dispensandi Episcopis concessam ad Prælatos regulares etiam locales religionum exemptarum erga religiosos sibi subiectos. Vnde ex vi huius priuilegij possunt Prælati in foro conscientiæ qui quid possunt Episcopi virtute Conc. Trident. cum suis subditis. Sicuti probat Rodrig. *suprà.* Suar. *t. 4. in 3. p. disp. 30. sect. 2. n. 7.* Sanch. *lib. 2. in decalog. cap. 11. num. 7.* & loquens de dispensat. *lib. 8. de matrim. disput. 2. num. 13.*

Venit tamen nomine Episcopi intelligendum. Primò Capitulum Sede vacante, quia succedit in iis quæ competunt Episcopo iure ordinario speciali, esto non succedat in iis quæ competunt Episcopo iure speciali delegato. Sicuti notat Abbas, *cap. verum. num. 9. de foro competenti.* Innocent. *capit. cùm in cunctis. num. 7. de electione.* Felin. *cap. cum te num. 17. de rescriptis.* Sanch. *lib. 8. de matr. disput. 2. num. 10.* At hæc potestas dispensandi in irregularitatibus, & absoluendi quibuscunque casibus occultis competit Episcopis iure ordinario; siquidem non ratione personæ, sed dignitatis conceditur, & ex alia parte non eliguntur tanquam Sedis Apostolicæ delegati, sed tanquam proprij Episcopi, & pastores suorum subditorum. Est ergo hæc potestas ordinaria, atque adeò transit in Capitulum Sicuti docet Sanch. aliis relatis *lib. 8. de matr. disput. 2. num. 10.* & *lib. 2. in decal. cap. 11. num. 4* & *lib. 4. cap. 38. num. 17.* Henriq. *lib. 14. de irregular. cap. 18. num. 2. in fine.* Secundò sub nomine Episcopi veniunt Abbates, & alij Prælati habentes propriam diœcesim, & in ea iurisdictionem quasi Episcopalem independenter ab Episcopo exercentes, vt alios referens tradit Sanch. *dicto lib. 8. de matr. disput. 2. numero 12.* & *lib. 2. in decalog. c. 11. num. 5.* Sayrus *in claui regia, lib. 6. cap. 11. num. 83.* Aula *de censur. 7. p. disput. 10. dub. 6.* Augustin. Barbos. *in remissionib. concil.* Etenim hæc potestas absoluendi, & dispensandi contenta in Conc. Trident. late est interpretanda; quia est beneficium Principis in iure communi insertum, ergo extendenda est ad hos Prælatos. Deinde ij Prælati solùm differunt ab Episcopis in consecratione; sed Episcopi electi, & non consecrati hac gaudent facultate, vt testatur Suar. *disp. 41. sect. 2. num. 7.* Rodrig. *qq. regular. t. 1. q. 61. art. 9.* Et Zenedo *collect. 4. ad decretal. num 3.* Sanch. *lib. 8. de matr. disp. 2. num. 11.* Ergo ij Prælati eadem potestate gaudere debent, siquidem in iurisdictione sunt omnino æquales. Tametsi contrarium sentiant Suar. *disput. 41. de censur. sect. 2. numero 7.* Petr. de Ledesma. *t. 2. sum. tract. 1. cap. 6. post 10. concl.* Aragon. *2. 2. q. 88. art. 2. colum. 7. conclus. 4.* Tolet. *lib. 1. c. 85. num. 5.* Bonac. aliis relatis *disp. 7. pun. 1. num. 7.* ducti ex eo quòd hæc potestas dispensandi, & absoluendi videatur Episcopis concessa ratione suæ præeminentis dignitatis. Sed est ratio infirma, cùm hæc potestas eis ante consecrationem competat. Sed quidquid sit de hæc quæstione affirmat Suar. *suprà*, subditos illorum Prælatorum absolui, & dispensari posse ab Episcopo in cuius territorio, seu diœcesi existunt, quia respectu casuum qui in Concil. Trident. continentur, subiecti sunt Episcopo, etiamsi in aliis soli suo Prælato subdantur.

8 Nomine subditorum in prædicto decreto intelliguntur qui in diœcesi Episcopi domicilium habent, tametsi illud habeant partiale, eo quòd simul in aliena diœcesi domicilium retineant, quia non est inconueniens quemlibet duplex domicilium habere, & duplici Episcopo esse subiectum. Sicuti tradit Sanch. *lib. 3. de matr. disp. 25. num. 4.* & *lib. 2. in decal. cap. 11. num. 8.* Deinde veniunt ex recepta sententia, esto eam sequuti non fuerimus *tract. 3. de legib. disput. 6. de dispens. pun. 7. §. 2. in fine*, qui maiore anni parte in ea diœcesi commorantur

morantur, quia hi reputantur domicilium habere quoad effectum dispensationis, vt latè probat Sanch. *lib.3. de matrim. disput.23. num.12. & 13.* Secùs verò dicendum videtur de peregrinis, scholasticis, & mercatoribus, qui maiori anni parte in ea diœcesi non commorantur, nam hi esto possint à peccatis absolui, non tamen in irregularitatibus, & votis dispensari, vt placet Suar. *disp.41. de censur. sect.2. num.10. & 12.* Sanch. *lib.2. in decal. cap.11. num.9.* Qui verò nullibi habent certam sedem, sed continuò vagantur, non est dubium absolui, & dispensari posse ab Episcopo in cuius diœcesi reperiuntur, quia alicui debent subiici. Vt notauit Sanch. *lib.3. de matr. disp.25. n.4. & lib.2. in decal. c.11. num.8.*

9 Secunda conditio seruanda in vsu facultatis à Conc. Trident. concessæ est, vt Episcopus eam concedat; In diœcesi sua. Quæ verba non leuem difficultatem ingerunt: nam ex illis colligi videtur debere Episcopum vt absolutionem, vel dispensationem concedat in sua diœcesi existere, vel eius subditum, vel vtrumque simul. Qua in re optimè notarunt Suar. *de censuris, disp.41. sect.2. num.10.* & Sanch. *lib.2. in decal. cap.11. num.12.* illa verba, *in diœcesi sua*, non esse posita, cùm Concilium de dispensatione loqueretur, sed solùm cùm de potestate absoluendi à casibus occultis, & reseruatis agebatur, ac proinde Episcopus existens extra propriam diœcesim poterit dispensare in irregularitate qualibet cum sibi subditis, etiam extra propriam diœcesim existentibus, quia iurisdictionem voluntariam vbilibet exercere potest, quæ potestas in hoc decreto non videtur restricta (quidquid Bon. *t.1 disp.7. de irregular. q.5. punct.1. num.5.* contrarium sentiat,) imò vt rectè explicuit Sanch. *lib.2. in decalog. cap.11. à n.16.* etiam potestas absoluendi quæ in eo decreto Episcopis conceditur, non videtur limitari illis verbis: In diœcesi sua; ad hanc enim limitationem astruendam clarioribus verbis vti debebat Concilium. Sicuti fecit *sess 6. cap.5. de reformat.* cùm prohibuit Pontificalia exercere in aliena diœcesi. Quapropter Episcopus existens extra propriam diœcesim poterit sibi subditum in sua diœcesi existentem, imo extra existentem absoluere, siquidem de iure id præstare poterat: vt notauit Suar. *disp.41. sect.2. num.11. in fine.* Petr. de Ledesm. *t.2. sum. tract.1. cap.6. post 10. conclus. difficult.1.* Et colligitur ex ipso textu Concilij, si rectè expendatur. Nam verba illa *in diœcesi sua* non coniunguntur cum subditis, sed potiùs virgulam interposuit inter subditos, & diœcesi sua. Inquit enim Concilium: Liceat Episcopis &c. quoscumque sibi subditos, in diœcesi sua absoluere. Adde diœcesim proprie esse Episcopi, non subditorum, ac denique si non offenditur tranquillitas, & pax ex eo quòd Episcopus in aliena diœcesi existens, absoluat subditum in propria diœcesi existentem, neque etiã offendetur ex eo quòd subditus extra diœcesim existens ab Episcopo in propria existente, præcipuè cùm id faciat pro solo conscientiæ foro. Quapropter legitimus sensus horum verborum est quem tradit Sanch. *dicto lib.2. cap.11. num.17.* vt ex illis verbis nullo modo iurisdictio Episcopi limitetur, sed potiùs extendatur. Præstant enim hunc sensum: potest Episcopus quoscunque sibi subditos, vel qui propriè, & per se subditi sunt, eo quòd in sua diœcesi domicilium habent, vel qui ei subduntur ratione existentiæ in sua diœcesi tametsi domicilium non obtinuerint, absoluere à quibuscunque casibus &c. Efficitur ergo Episcopum absoluere, & dispensare cum subdito posse, etiamsi vterque extra diœcesim existat.

10 Tertia conditio à Conc. Trident. requisita pro dispensatione irregularitatis est, vt ortum habeat ex delicto occulto, neque ad forum contentiosum deducto. Pro cuius explicatione aduerte, quòd sæpè traditum est, occultum dici quod etsi probari testibus possit, ignoratur tamen à maiori parte populi, seu communitatis, in qua ad minus decem resident, vbi delictum commissum est, ideóque occultum notorio opponitur. Quod si de delicto in vna parte publico, & notorio, in alia verò vbi nec scitur, nec timetur probabiliter sciendum esse, petatur absolutio, vel dispensatio, censet Sanch. *lib.2. cap.11. num.21.* Auila *2.p. de censur. cap.7. disput.1. dub.11. concl.3. & 7. p. disp.10. dub.6. concl.2.* posse Episcopum virtute huius decreti Conc. Trident. dispensare in ea irregularitate, quia esse occultum, vel non occultum debet intelligi in ordine ad locum, in quo petitur dispensatio. Cæterùm mihi oppositum probabilius videtur, quia hæc irregularitas dici non potest ex delicto occulto prouenire, nam quod in vna parte publicum est, absolutè publicum dici debet. Aliàs si supradicta sententia vera esset, nulla ferè inueniretur irregularitas in qua Episcopus dispensare non posset; quia nulla est quæ alicubi ignota non sit, ac proinde poterit irregularis mutando domicilium, vel in ea diœcesi maiore parte anni commorando ab illius Episcopo absolutionem impetrare. Denique irregularitatem esse ad forum contentiosum alicubi deducta m sufficit, vt interim non possit ab Episcopo absolui, seu dispensari, tametsi dispensatio petatur eo in loco vbi irregularitas ad forum contentiosum deducta non est, neque periculum est vt publicetur. Ergo idem est dicendum de irregularitate in vno loco publica, non posse inquam in alio dispensari interim dum publica est. Sicuti ex parte docet Suar. *t.4. disp.30. sect.2. n.2. in fine.*

Ad forum contentiosum censetur irregularitas deducta, 11
quando delata est iudici, & insuper delato parti intimata: nam actus citationis est primus actus iudicij teste Sanchez *lib.8. de matr. disput.34. num.58.* Maranta *de ordine iudiciario 6.p. initio, num.2.* Et fauet textus in *cap. penult. de foro compet.* vbi legitimè citatus debet causam prosequi coram iudice legitimè citante, non obstante quòd post citationem mutauerit forum. Idem traditur *instituta de actionib. in princ.* ibi: Iudicium incipit vbi primum actio intenditur, & sic antequam reus respondeat, sed non antequam citetur. Quocirca etiamsi ad iudicem delatum sit crimen; si tamen reo delatio non sit intimata, dici nequit ad forum contentiosum crimen esse deductum. Imò si credendum est communi resolutioni affirmanti iudicium incipere non à citatione, sed à litis contestatione, poterit Episcopus dum non fuerit lis contestata ab ea irregularitate absoluere. Quod verò iudicium à litis contestatione incipiat, tradit Glossa *in leg. si is qui Roma, verbo iudicium.* Et Glossa *in leg. iudicium ff. de iudicijs.* Et Glossa *in cap. relatum de officio delegati: & in capit. vnico de litis contestat.* Decius & Alciat *in Rub. de in ius vocando.* Gundisaluus de Paz *in sua pract. t.1. in 1. annotat. num.35. & 36.* & probari potest ex *cap. gratum de officio delegati*, ibi: Citatione facta negotium sit quasi cœptum. Ergo non est cœptum negotium propriè, sed impropriè, ideóque quæ fiunt ante litis contestationem ante iudicium fieri dicuntur, iuxta. *leg. is qui se occulit. ff. de rei vindicat.* & *leg. amplius ff. Rem ratam habere.* & *leg.1. ff. de litis contestat.* Vnde Baldus *in capit.1. de litis contestat. opposit.1.* inquit: Litis contestationem fundamentum esse, & lapidem angularem totius iudicij. Neque obstat per citationem perpetuari iurisdictionem, vt traditur in supra d. *capit. proposuisti de foro compet.* quia ad perpetuandam iurisdictionem, sufficit iudicium esse quasi cœptum, etiamsi cœptum non sit, vt docet Paz *suprà* multis relatis. Ex qua doctrina necessariò infertur posse Episcopum dispensare in illa irregularitate, de qua non fuerit lis contestata, quia vsque tunc ad forum contentiosum, hoc est ad iudicium deducta non est simpliciter, & absolutè, licet impropriè fuerit per citationem deducta.

Quod si reus postquam irregularitas est deducta ad fo- 12
rum contentiosum ex defectu plenæ probationis, vel falsis probationibus absolutus fuerit ab instantia, vel obseruatione iudicij, & à fortiori per sententiam definitiuam, in eo casu poterit Episcopus cum illo dispensare; quia delictum illud est occultum, & iam se habet ac si non esset ad forum contentiosum deductum; quia delictum illud eo iudicio est terminatum, & reus absolutione purgauit infamiam, non solum quando definitiuè est absolutus, sed etiam quando est absolutus per sententiam interlocutoriam, siquidem absque nouis indiciis, & probationibus non potest subici iudicio. Hæc enim est differentia, vt rectè adnotat Couarruu. *lib.1. variar. cap.1. num.8.* inter absolutionem definitiuam, & absolutionem ab instantia, & obseruatione iudicij; quòd absolutione definitiua posita, iam non potest amplius illud crimen in iudicium deferri, bene tamen potest post absolutionem interlocutoriam, dummodò nouæ probationes, nouæque indicia reperiantur, sed non aliter. At quocunque ex his modis reus absolutus sit iudicium finitum est, ideóque irregularitas dispensari poterit. Sicuti tradit Henriq. *lib.14. cap.20. numero 4.* Sanch. *lib.8. de matr. disp.34. num 57. & 58. & lib.2. in decal. cap.11. num.21.* Auila *7.p. disp.10. dub.6. §. secundo notandum.* Molina *tract.3. disp.79. n.8.* Filliuc, *tract.20. c.10. n.169.* Bonac. *t.1. disp.7. q.5. p.1. n.5. vers. dixi.*

Verùm si delictum in iudicio integrè probatum sit, & reus 13
sit condemnatus, & punitus, existimant Henriq. Sanch. Auila, Gaspar Hurtado *difficult.20. num.68.* & inclinat Layman. *lib.1. sum. tract.5. part.5. cap.9. num.6.* eo casu posse Episcopum dispensare, quia iam est satisfactum fini, ob quem Concilium dispensandi potestatem Episcopis denegauit, cùm delictum ad forum contentiosum deductum est. Finis namque Concilij fuit, ne reus à delictis publicis, eorumue pœnis absolueretur, aut dispensaretur, quin priùs publico scandalo satisfaceret, néue authoritas iudicum minueretur, si pendente eorum iudicio reus absolueretur. Quæ rationes cessant finito iam iudicio, & delinquente punito, ideóque illa verba Excoptis aliis deductis ad forum contentiosum, debent intelligi formaliter, id est de tempore quo deducta sunt, vt expressè aduertit Sanch. *lib.2. cap.11. n.21.* Henriq. *lib.14. cap.-n.5.* Layman. *lib.1. sum. tract.5. par.5. cap.9. num.5.* Verùm etsi hæc doctrina probabilis sit, probabilius existimo eo casu non posse Episcopum absoluere, seu dispensare in irregularitate ex eo delicto contracta, non quia impediarur ex eo quòd ad forum contentiosum delictum deductum sit, sed quia posita illa deductione, & illius delicti integra probatione, & condemnatione delictum publicum est, & notorium notorietate iuris: at in Trident. non est concessa facultas dispensandi in irregula-

irregularitate, quæ ex publico, & notorio delicto oritur, sed solùm in ea quæ ex delicto occulto prouenit, vel ad forum contentiosum non est deducta. Ergo in hac irregularitate Episcopus dispensare nequit. Sic Ioann. Gutierr. *lib.1.canon. qq.cap.3.*Nicol.Garcia *7.p. de benefic.cap.11.num.50.* Bonac. *disp.7.q.5.pun.1.num.6. circa finem.*

14 Quarta conditio quæ videtur in iis dispensationibus postulari est, vt prosit dispensatio pro solo conscientiæ foro. Sed vt bene aduertit Sanch. *lib.2.in decalog.cap.11.numero 12.* illa verba: *In foro conscientiæ*, non sunt apposita cùm de dispensatione sermo, habetur, sed cùm agitur de absolutione à casibus reseruatis. Quocirca cùm hæc potestas dispensandi absolutè concedatur non solùm pro foro conscientiæ, sed etiam pro foro externo prodesse debet.

Præter Episcopos Prælatis regularibus in ordine ad suos subditos varia priuilegia conceduntur, vt in irregularitatibus dispensare possint, vt videre est in *Compendio priuilegior. mendicant. verbo irregularitas*, & in *nostris priuilegiis verbo dispensatio.* Et latè tradit Rodrig. *q.reg.t.1.q.24.per totam.* Henriq. *lib.12.cap.6.num.11.* Auila *7.p. disp.8.dub.4.* Paul.Layman. *lib.1.sum.tract.5.par.5.cap.9.num.7.*

15 Ad extremum monent Henriq. *lib.14.cap.18.num.3.* Maiol. *lib.2.de irregularit.cap.2.in fine.* Sanch. *lib.8. de dispensation.disp.3.num.3.* Suar. *de censur.disp.41.sect.2.num.15.* Auila *7.p.de irregular. disp.10.dub.vlt.* Sayrus *lib.7.cap.14.numero 5.* Bonac. *disputat.7. de irregular.q.5.punct.1. circa finem*, & alij, quia hæc est iurisdictio voluntaria, sicut & absolutio & iure ordinario Episcopis competens, ac proinde delegabilis.

16 Secundò monent Henriq. *lib.12.de matr. cap.10. numero 3.* & *lib.13.de excommunicat.cap.30.num.3.* & *lib.14. de irregular.cap.7.num.5.* Nauarr. *cap.27.num.32.* Sanch. *lib.8.de matr. disp.24.num.7.* Auila *7.p.de irregular. disput.10.dub.8.* si plures sint irregularitates, de quibus impetranda est dispensatio necessarium esse mentionem facere illarum, quæ sunt ob diuersa delicta contractæ, quia auferri potest vna, & non alia. Si verò irregularitates eiusdem rationis sint, videlicet quia sæpius celebrasti in excommunicatione, plures ocaidisti; etsi opus non sit exprimere vices in particulari, in quibus irregularitas contracta est, at necessarium est saltem in genere eas exprimere, vt pro omnibus dispensatio concedatur, quod de irregularitate homicidij videtur certum cùm ibi plures irregularitates contrahantur, vt aduertit Suar. *disp.44.sect.3.n.28.* Coninch. *disp.18.dub.14.in fine.*

17 Tertiò monet Paul. Layman. *dicto lib.1. sum.tract.5. par.5. cap.9. circa finem*, exceptionem à potestate, seu priuilegio dispensandi religionibus, & à fortiori Episcopis concessio, strictè interpretandam esse. Vnde si in priuilegio excipiatur bigamia, non de similitudinaria, sed de propria intelligi debet. Si excipiatur homicidium voluntarium, intelligendum est iniustum, & directè volitum, non tamen quod commissum est in sui defensionem, excedendo moderationem iustæ tutelæ, aut quod ex subita ira commissum est, quia hæc homicidia casualia censenda sunt, vt notat Coninch. *disp.18.dub.14.concluf.5.*

18 Quartò docent ex communiori sententia Sylvest. *verbo dispensatio, q.15.* & *verbo irregularitas, q.28.* Henriq. *lib.14. cap.17.num.4.* Sayrus *lib.7.thesauri, cap.14. n.11.* Maiol. *lib.5. de irregular.cap.51.num.8.* Suar. *disput.41.sect.3. num.4.* Auila *7.p. disput.10. dub.6.* Bonac. *disputat.7.qu.5.punct.1.in fine*, & alij apud ipsos, Episcopum, vel Prælatum conscium irregularitatis in qua dispensare potest, si admittat hunc irregularem ad ordines suscipiendos, vel beneficium, censendum esse dispensasse, (tametsi contrarium sentiat Nauarr. *in sum. cap.25.num.74.*) quia non debet præsumi voluisse peccare. In foro autem externo nullatenus hæc tacita dispensatio à Prælato inferiori Pontificis admittitur, quia in iure communi inferior Pontifice dispensationem concedere nequit non præmissa causæ cognitione, vt pluribus firmant Glossa *in cap.2. verbo dispensatum.* Et *ibi* Panormit. & Ioan. Andreas *de schismaticis.* Selua *de benefic.3.p.q.10.num.9.* Rebuff. *prax. benefic.2.p. dispensat.numero 15.* Sayrus *lib.7.cap.14.numero 13.* At hæc causæ cognitionem non probatur præmissam esse. Ergo dispensatio facta non censetur. Atque ita tradit Panorm. Ioann. Andr. Felin. Innocent. Nauarr. quos refert, & sequitur
19 Suar. *d.cap.14.num.13.& seqq.*

Quinto docent Antonin. *in cap. postulasti, num.10. de Rescriptis.* & *ibi* Immola *num.4.* Felin. *num.10.* & *cap.fin num.5. de simonia.* Burgasius *de irregular.2.p.tit.de interpretat. num.7.* Saa, *verbo dispensatio num.14.* Sayrus *lib.6.thesaur, cap.11. num.22.* & *lib.7.cap.14.a num.22.* & alij relati à Sanch. *lib.8. de matrim.disput.1.num.27.* dispensatum ad ordines etiam à Pontifice non ideò censeri dispensatum ad beneficia curata, dignitates, & prælaturas, bene tamen ad beneficia simplicia, quia hæc ordinatis concedi solent. Quæ doctrina si de dispensatione ad ordines maiores loquamur, certa esse videtur, cùm nullum deceat sacris initiari qui beneficium non habeat ex Trident. *sess.21.cap.2. de reformat.* nam esto aliquando ex titulo patrimonij, vel pensionis initietur, id quasi ex dispensatione fit ob necessitatem, vel vtilitatem Ecclesiæ. Sicuti aduertit Sanch. *lib 8.de matr.disput.1.num.27.* At ii termo sit de dispensatione minores ordines; etsi prædicta sententia probabilis sit, longè veriorem existimo ex ea dispensatione beneficij dispensationem non inferri; quia non necessariò connectuntur, vt optimè aliis relatis probat Sanch. *dicto lib.8. disp.1.num.27.*

Sexto pluribus firmat Sanch. *lib.8. de matrim. disputat.1.* 20 *numero 26.* dispensatum ad ordines ad solos ordines minores censeri dispensatum, quia dispensatio strictè interpretanda est, & sufficienter suum effectum sortitur dispensatione pro minoribus ordinibus concessa. Verùm si hæc dispensatio initiato minoribus ordinibus superueniat, intelligi debet facta pro maioribus, ne frustranea esset & inutilis, quod in omni priuilegio, & dispensatione vitandum est. Sicuti docet Sanch. *loco allegato.*

Septimò tradunt Angel. *verbo irregularitas, num.34. & ibi* 21 Sylvest. *q.9.num.11. in fine.* Armilla *num.81.* Henriq. *lib.14. cap.17.num.4.ad finem.* Episcopum tibi concedentem litteras dimissorias ad ordines eo ipso concedere facultatem, vt ab ordinante dispenseris in irregularitate, alióue impedimento, quòd susceptionem ordinum impedit, quia horum dispensatio necessario præmittenda est ordinum susceptioni, ac proinde concessa facultate ad suscipiendos ordines censenda sunt concessa ea sine quibus ordines suscipi nequeunt. *Cap. præterea. de officio delegati. leg 2 ff. de iurisdict. omnium iud.* Verùm hæc doctrina solùm admittenda est cùm Episcopus concedens dimissorias conscius esset irregularitatis, & impedimenti, quo ad ordines suscipiendos tenebaris, nam eo ipso censendus est vel ipse dispensare, vel facultatem dispensandi Episcopo ordinaturo concedere. At si ipse ignarus impedimenti dimissorias litteras tradat, verius censeo inde non inferri facultatem concessam, vt in irregularitate, aliisue impedimentis dispenseris, quia esto dispensatio irregularitatis, alterius ue impedimenti præmittenda susceptioni ordinum sit, non tamen est necessarium præmitti ab eo qui ordines ex delegatione collaturus est, cuique sola facultas ordinandi est concessa, sed à legitimo superiore. Deinde admittimus cõcessa facultate ad vnum, concessam censeri ad ea omnia quæ ex eo vno consequuntur, negamus tamen ex facultate alicui concessa suscipiendi ordines ab alieno Episcopo inferri, potestatem ei concessam esse in irregularitate, alioue impedimento dispensandi; quia hæ facultates diuersæ sunt, neque vna alteri connectitur, & plerunque contingit ab alieno Episcopo ordines suscipi, quin vlla dispensatio præmittatur. Sic alios referens docunt Sanch. *lib.8.de matrim.disput.1.num.25.* Vide quæ diximus *tract.3.de legib.disp.5.de priuil.* & *disp.6.de dispensationib.*

Punctum VIII.

De irregularitate orta ex bigamia.

1 *Quid sit bigamia & quotuplex?*
2 *Explicatur bigamia propria.*
3 *Explicatur bigamia interpretatiua.*
4 *Contrahens matrimonium cum vidua, vel corruptâ ab alio, contrahis bigamiam interpretatiuam.*
5 *Item contrahis hanc bigamiam per accessum ad propriam vxorem, postquam illa adulterium commisit.*
6 *Hæc irregularitas etiamsi ignorans coniugis adulterium illam carnaliter cognouerit, tametsi alij contrarium sentiant.*
7 *Item contrahitur bigamia, si contracto matrimonio, & consummato post mortem coniugis sacris initieris, & sic iniatus matrimonium contrahere, & consummare.*
8 *Non videtur improbabile te ab irregularitate in prædicto casu esse immunem.*
9 *Aliqui extendunt hanc interpretatiuam irregularitatem ad eum qui post matrimonium validè contractum aliud inualidum init, & consummat, ignarus impedimenti dirimentis, sed non approbatur.*
10 *Irregularis videtur esse contrahens duplex matrimonium etiamsi vtrumque inualidum sit.*
11 *Qua sit bimagia similitudinaria.*
12 *Clerici in sacris constituti contrahentes matrimonium irregulares sunt, tametsi non irregularitate bigamæ.*
13 *Bigamia irregularitas priuat bigamum omni priuilegio clericali.*
14 *In qualibet bigamia Episcopus dispensare potest tum ad ordines suscipiendos, tum ad illorum vsum.*
15 *Episcopus potestatem non habet dispensandi cum bigamis propriis, & interpretatiuis.*
16 *Quoad bigamiam verò interpretatiuam si ex delicto ortum habeat, probabile est posse Episcopum dispensare.*
17 *Quoad ordines minores, & beneficium simplex, probabile est posse Episcopum cum bigamis propriis dispensare.*

18 *Probabilius est oppositum.*
19 *In bigamia similitudinaria Episcopus dispensare potest ad ordines sacros suscipiendos, illisque vtendum.*
20 *Hæc irregularitas bigamiæ ex delicto occulto proueniens, potest ab Episcopo dispensari.*
21 *Qualiter Prælati Religionum cum suis subditis in bigamia dispensare possint.*
22 *Commissario Cruciatæ nulla est in bigamia concessa facultas.*
23 *In petenda dispensatione bigamiæ, explicanda est illius species.*

1 HVcusque egimus de his quæ omni irregularitati videntur communia. Superest agendum de his quæ singulis irregularitatibus competunt. Diximus *initio huius disputat.* alias irregularitates vocari ex defectu, eo quòd absque culpa contingant, alias ex delicto quæ culpam grauem supponunt. Inter irregularitates quæ succedunt absque culpa potissimum locum obtinet bigamia, quæ est nuptiarum, seu matrimonij duplicatio, dicitúrque defectus Sacramenti, quia deficit in repræsentatione vnionis Christi cum Ecclesia, hæc enim est vnius cum vna, cùm tamen bigamus duplici copulatus sit. Triplex est bigamia ex communi Doctorum sententia; alia propria, alia interpretatiua, alia similitudinaria.

2 Bigamia propria nuncupatur, quæ ex binis nuptiis validè contractis, & consummatis consurgit, quod nullo modo potest contingere nisi mortua prima vxore. Constat ex. *capite nuper. & capite debitum de Bigamis ex capite præcipimus Capite cognoscimus cum aliis 34. dist.* Dixi consummatis, quia ante consummationem non diuidis tuam carnem in plures, neque ostendis incontinentiam cum effectu, quæ sunt rationes ob quas hæc irregularitas indicta est: vt late expendit Sanchez *lib. 7. de matr. disputat. 83. num. 4. & 5.* ideóque si vnum ex his duobus matrimoniis consummatum non sit, irregularitas bigamiæ non contrahitur: vti pluribus comprobat Sayrus *lib. 6. thesauri, cap. 3. num. 3.* Coninch. *disp. 18. dub. 11. circa finem.* Paul. Layman. *lib. 1. summ. tract. 5. par. 5. cap. 6. num. 2.* Gaspar. Hurtado *difficult. 13. num. 48.* Bonac. *tom. 1. disp. 7. quæst. 2. pun. 5. num. 1.* & colligitur *ex cap. debitum de bigamis.*

Hanc autem irregularitatem ex Apostolica traditione emanasse testatur Paulus 1. *ad Timoth. 3* ibi: Oportet Episcopum vnius vxoris virum esse. Et *infrà*: Diaconi sint vnius vxori, viri. Et decidit Lucius III. *in capite 2.* & Cælestin. III. *in capite 3. de bigamis*, & comprobat communis Patrum sensus.

3 Bigamia interpretatiua est quæ contrahitur ab eo, de quo præsumitur duas vxores habuisse, esto in re illa non habuerit.

4 Quod tripliciter contingit. Primò si contrahas matrimonium cum vidua quæ prius matrimonium consummauerat. Et idem est si contrahas cum corrupta ab alio, vt deciditur *capite præcipimus, dist. 34. & cap. si quis viduam. 50. dist.* & *cap. debitum de Bigamis.* Etenim sic contrahens non potest significare perfectè vnionem Christi cum Ecclesia, siquidem Christus vnicam, & virginem sibi copulauit. Sicuti multis allegatis tradit Sanch. *lib. 7. de matr. disp. 84. num. 7.* Sayrus *cap. 4. num. 10.* Augustin. Barbosa *allegat. 49. num. 5.* Requiritur tamen secundum probabiliorem sententiam matrimonium contractum cum vidua validum esse, nam ex vnico matrimonio nullo irregularitas contrahi nequit: vt docet Nauarr. *cons. 1. de Bigamis num. 2.* & *in sum. cap. 27. num. 195.* & testatur decisum fuisse in sacra Congregatione Cardinalium Farinac. *prax. 1. par. tit. de inquisit. q. 8. num. 8.* Valen. *t. 4. disp. 7. q. 19. pun. 3. in prima specie irregularitatis.* Augustin. Barbosa *dicta allegat. 49. num. 5.* Sanch. aliis relatis, *dicta disp. 84. numero 13.* Dixi debere esse ab alio corruptam, nam qui à se corruptam ducit, fictione iuris virginem ducere censetur. Sicuti filij redduntur legitimi matrimonio subsequenti, ac proinde tanquam clericus virginem ducens gaudet priuilegio clericali, vt multis relatis docet Sanch. *lib. 7. de matrim. disput. 84. num. 14.* Suar. *disput. 49. sect. 3. num. 6.* Quod si inquiras rationem, ob quam si contrahas cum corrupta, sis irregularis, non tamen si contrahas cum virgine, cùm sis corruptus? Respondeo præcipuam rationem esse, quia sic decisum est. Congruentiam verò tradidit D. Thom. *in 4. dist. 27. quæst. 3. art. 1. qu. 3.* inquit enim omnem actionem specificari ex termino ad quem. Cùm autem vir non à se ipso, sed à coniuge sortiri debeat speciem; quando hæc suam carnem in plures diuisit, censetur ipse interpretatione iuris in plures diuisisse. Ad hanc interpretatiuam irregularitatem reducitur ea, quæ incurritur ob matrimoniem contractum cum repudiata ab alio, *cap. 1. de Bigamis*, ibi: Vt bigami pœnitentes, vel repudiatarum mariti ad sacerdotium non ascendant.

5 Secundò contingit hæc bigamia interpretatiua per accessum ad propriam vxorem, postquam illa adulterium commiserit, tametsi à principio virgo accepta fuerit. Sicuti habetur *cap. si Laici 34. dist.* Et tradunt omnes Doctores apud Suar. *disput. 49. sect. 3. num. 15.* Sanch. *disp. 84. num. 15.* Augustin. Barbosa, *alleg. 49. num. 8.* Ratio est, quia maritus cognoscens vxorem ab alio corruptam maritus corruptæ nuncupatur, ideóque perinde iudicandus est, ac si cum corrupta contraxisset.

Difficultas verò est, an hæc irregularitas contrahatur, si 6
ignorans coniugis adulterium illam carnaliter cognouerit. Et idem est si à principio existimans ducere virginem duxeris corruptam? Negant Petr. de Ledesm. *de matr. qu. 66. art. 3. col. penult.* Eman. Sa. *verbo irregularitas bigamia, num. 3.* & insinuant qui affirmant hoc impedimentum contrahi à viro scienter vxorem adulteram carnaliter cognoscente, tacitè enim supponunt stante ignorantia non esse huic impedimento locum. Sic Glossa, *cap. 2. de Bigamis.* Rebuff. *de pacific. possessor. num. 194.* Gregor. Lopez *leg. 35. tit. 3. part. 1.* Anton. Cuchus *lib. 4. instit. maiorat. tit. 12. num. 175.* Palatius *in 4. dist. 27. disp. 4.* Moueri possunt, quia actus ob quem irregularitas contrahitur debet esse actus ab homine quatenus rationalis est, ac proinde ab illo quatenus rationem vtitur. Cognoscens verò vxorem ignorans esse adulteram nunquam liberè suam carnem diuisit in plures. Ergo nunquam fundamentum præstitit contrahendi hanc irregularitatem. Vnde Bernard. Diaz *in sua pract. cap. 16. ad finem* affirmat virum fore tunc irregularem cognoscendo adulteram, quando potest probare adulterium, quia in *cap. si cuius 34. dist.* exponitur delictum vxoris euidenter probatum esse.

Nihilominus in his casibus irregularitatem contrahi docet ex communi sententia Abbas *in cap. si de adulteris.* & *cap. 2. de bigamis num. 8.* Nauarr. *cap. 27. num. 195.* Suar. *disp. 45. sect. 3. num. 15.* Garcia *de benefic. 7. p. cap. 6. num. 16.* Augustin. Barbosa *allegat. 49. num. 9.* Auila *7. p. disp. 8. dub. 1 vers. tertio modo.* Sanch. *lib. 7. disp. 84. num. 15.* Paul. Laym. *lib. 1. sum. tract. 5. par. 5. cap. 6. num. 3.* & alij innumeri apud ipsos. Quippe hæc irregularitas non in pœnam alicuius delicti, neque ob infamiam vllam personæ, sed ob defectum significationis indicta est, quæ significatio esse non potest si maritus corruptæ fuerit, quia sicut ipsa mulier in plures suam carnem diuisit, sic vir illam cognoscens censetur in plures suam carnem diuisisse. Ex qua ratione infertur manifestè te fore irregularem, etiamsi tua vxor absque eius culpa ab alio cognita fuerit, quia excusatio à culpa non impedit eius carnem in plures esse diuisam, & consequenter eius matrimonium à perfecta significatione deficere. Sicuti notarunt Suar. Sanch. Barbosa, & alij *suprà.*

Tertiò contingit hæc bigamia interpretatiua, si contracto 7
matrimonio, & consummato post mortem coniugis, sacris initieris, & sic initiatus aliud tentes matrimonium contrahere, & consummare: habetur expresse in *cap. nuper de Bigamis*, vbi hæc irregularitas indicitur non ob defectum significationis, sed ob prauum affectum opere subsecuto, & tradunt omnes Doctores. Hanc decisionem *dicti cap. Nuper*, extendunt communiter Doctores, quos refert, & sequitur Sayrus, *lib. 6. cap. 4. num. 7.* Suar. *disp. 49. sect. 2. num. 6.* Sanch. *lib. 7. disp. 84. num. 3.* Augustin. Barbosa *de potest. episc. alleg. 49. num. 11.* Bonac. *disp. 7. quæst. 2. p. 5. num. 3.* primò ad eum qui viuente propria vxore scienter aliam duxerit, quia quantum est ex parte sua, affectum ostendit ad duo matrimonia contrahenda, & licet de iure ea non contraxerit; contraxit tamen de facto quæ fuit ratio decisionis *dicti cap. Nuper.* Secundò iidem Doctores præfatam decisionem extendunt ad eum qui mortua prima vxore aliam ducit, qua cum ligatus est impedimento dirimente ob eandem rationem praui affectus opere subsecuto. Contrahens tamen in his duobus casibus, debet habere intentionem contrahendi quantum est ex parte sua secundum matrimonium, aliàs si hæc intentio deficiat, non videtur irregularitati esse locus: teste Henriquez *lib. 12. de matrimon. cap. 6. numero 9. & libro 14. capite 6. numero 9.* Coninch. *disputat. 18. dub. 11. num. 101.* Auila, Sanch. & Bonac. *suprà*: tametsi contrarium seruiat Suar. *disp. 45. sect. 2. num. 10.* quia sine hac intentione non est affectus maritalis cum opere subsequuto, quæ est ratio *supr. cap. Nuper.* Fateor tamen difficile esse habere intentionem conscius impedimenti dirimentis, quia est intentio de obiecto impossibili; ideóque censeo sufficere ad hanc irregularitatem contrahendam, si consensus solùm sit de habendo illam mulierem in vxorem in foro externo, & vt talem tractando.

Verùm esto in his duobus casibus communis sententia damnet irregularem sic matrimonium contrahentem, attamen spectato iuris rigore improbabile non videtur ab irregularitate esse immunem. Vti testatur Coninch. *disputat. 18. dub. 11. numero 100.* Henriq. *lib. 12. de matrim. cap. 6. numero 9.* & *in comment. litt. T.* & alij relati à Sayro, *lib. 6. capite 4. numero 5.* quia irregularitas non incurritur nisi in casibus à iure expressis. *cap. is qui de sententi. excommunicationis lib. 6.* At ob supradictos casus in iure expressa est irregularitas. Etenim *cap. Nuper. & cap. finale, de Bigamis. & cap. Si*
dentes.

clerici. vel volentes. & cap. decernimus 28. dist. & capite quisquis 27. quæst. 1. irregularitatem, secundò inualide contrahenti indicentes; loquuntur de eo qui ob impedimentum ordinis, vel religionis inualidè contraxit. Item in capite 1. de Bigamis, vbi asseritur irregularem esse qui repudiatam duxerit. Nullus ergo textus est, in quo expressè habeatur irregulares esse laicos qui matrimonio valido contracto aliud tentant inualidum inire. Sed huic fundamento respondeti potest, etsi expressè in iure hæc irregularitas non contineatur, contineri tamen in ratione decidendi textus dicti capite Nuper. de Bigamis, adiuncta communi Doctorum interpretatione. Quod sufficit vt vim legis, & iuris expressionem contineat. Sicuti aduertit Laym. lib. 1. summo tract. 5. par. 5. cap. 6. num. 7. vers. alterum: iunctis his quæ capite 2. circa finem dixerat.

9 Tertiò hanc interpretatiuam irregularitatem extendunt communiter Doctores Ioann. Andr. in d. cap. Nuper. num. 3. & ibi Anton. num. 8. Cardinal. ad finem. Abbas num. 4. Ancharran. num. 1. not ab. 3. Angel. verbo bigamia n. 8. & ibi Sylvest. & alij apud Sanch. lib. 7. disput. 84. num. 1. & Suar. disp. 49. sect. 2. num. 8. ad eum qui post matrimonium validè contractum aliud inualidum init, & consummat ignarus impedimenti dirimentis, eo quòd habuerit affectum contrahendi duplex matrimonium, & de facto contraxerit, ac consummauerit, ac proinde ineptus est significare vnionem Christi cum Ecclesia. Nihilominus verius censeo cum Sanch. dicta disp. 84. num. 6. hunc non fore irregularem, quia hæc irregularitas neque ob defectum Sacramenti, neque ob affectum contrahendi duplex matrimonium inducì potest. Non quidem ob defectum sacramenti, quia sacramentum *iritum non est aptum ad significandam vnionem Christi cum Ecclesia, sicut neque concubinatus. Validum autem cùm sit vnicum tantum ab hac significatione perfecta non deficit. Neque item ob affectum, quia hic affectus non fuit culpabilis, & pecaminosus, ac proinde non est dignus, vt hac pœna irrelaritatis puniatur, quippe hæc irregularitas interpretatiua, sicut & similitudinaria in pœnam delicti commissi imponitur. Sicuti annotauit Hostiens. in dicto cap. nuper. n. 5. & colligitur ex ipso textu, vbi Innocent. III. voluit criminosos audentes irrita matrimonia contrahere hac pœna irregularitatis punire. Ergo quando contrahens culpam excusat, hanc irregularitatis pœnam euitat.

10 Quartò non desunt doctores videlicet Henriq lib. 12. de matr. cap. 6. num. 9. & in comment. litt. X. Auila 7. p. disput. 8. dub. 1. vers. sed partem, negatiuam. Coninch. disp. 18. dub. 11. num. 101. qui negant te irregularem esse contrahentem duplex matrimonium, si vtrumque inualidum sit, quia hæc irregularitas nullibi inuenitur expressa, cùm dict. cap. nuper. & finale de Bigamis supponant prius matrimonium validum fore. Ex alia parte non deficit sacramento vera significatio, cùm nullum ex illis matrimonis sit sacramentum, nec legitimus contractus. Cæterùm etsi spectato iuris rigore hæc sententia amplectenda esset; quia tamen communi sententiæ Doctorum irregularitatem in hoc casu astruenti opponitur, admittenda non est. sicuti illam non admittit Nauarr. capite 27. numero 195. Suarez disputat. 49. section. 2. numero 11. Sayrus libro 6. cap. 4. num. 7. & sequentib. Bonacin. disputat. 7. quæstion. 2. punct. 5. num. 2. vers. respondeo. August. Barbosa de potest. episc. alleg. 49. n. 11. & alij plures apud ipsos.

11 Bigamiam verò similitudinariam appellamus, quæ contrahitur ex matrimonio attentato consummato post votum castitatis factum in Religione approbata. Sicuti habetur cap. quotquot. 27. quæstion. 1. ibi: Quotquot post virginitatem pollicitam præuaricatæ sunt professione contempta inter bigamos haberi debebunt. Illa tamen præuaricatio debet esse per attentatum matrimonium. Cap. monachos eadem causa, & quæst. Et licet prædictus textus in cap. quotquot loquatur de virginibus pollicitam castitatem præuaricantibus, vt rectè adnotauit Henriq. lib. 12. de matr. c. 6. num. 10. in commit. litt. H. quæ sicut bigami repelluntur ab ordinibus, ipsæ à consecratione repelli debent: attamen communis sententia, quam pluribus firmant Sanch. lib. 7. de matr. cap. 85. num. 5. Nicol. Garcia 7. p. de benefic. cap. 6. n. 15. August. Barbosa alleg. 49. num. 25. ex illo textu colligit religiosos matrimonium contrahentes de facto irregulares fore bigamia similitudinaria, quia aliquo modo similes sunt duplex matrimonium contrahentibus; siquidem voto solemni castitatis contrahunt spirituale matrimonium cum Christo, à quo matrimonio, & vnione tentant recere carnale matrimonium contrahendo.

12* Sed an hæc irregularitas extendenda sit ad clericos in sacris constitutos matrimonium contrahentes? difficultate non caret, eo quòd in cap. Nuper de Bigamis decidatur Sacerdotes matrimonium contrahentes non esse verè bigamos; & in cap. sanè el. 2. de clericis coniugatis videtur concludi non esse irregulares, quidem post longam pœnitentiam committitur dispensatio Episcopo, cùm tamen irregularitas bigamiæ etiam illa in qua nullus adest Sacramenti defectus dispensari non potest ex textu in cap. Nuper, & cap. fin. de Bigamis. Atque ita hos sacerdotes irregulares non esse docet Abbas in dicto cap. nuper numero 3. Gaspar Hurtado de irregul. difficult. 13. num. 48. & probabile reputat Suar. disp. 49. sect. 4. num. 6. Cæterùm hos clericos matrimonium contrahentes irregulares esse; tametsi non irregularitate orta ex bigamia docuit Paul. Layman. lib. 1. sum. tract. 5. part. 3. cap. 6. concluf. 2. Priorem partem scilicet hos clericos irregulares esse docent ex communi sententia Nauarr. cap. 27. num. 195. Suar. disp. 49. sect. 4. n. 6. Auila 7. p. disp. 8. dub. 1. vers. bigamia. Sayrus lib. 6. cap. 4. num. 22. Sanch. lib. 7. disp. 85. n. 5. August. Barbosa 2. p. de potest. episc. alleg. 49. num. 15. Nicolaus Garcia 7. p. de benefic. cap. 6. num. 15. Bonac. t. 1. disp. 7. q. 2. punct. 5. numero 2. & alij apud ipsos. Et probari potest ex cap. 1. Qui clerici vel volentes, vbi de diacono vxorem ducente dicitur posse Episcopum cum ilo dispensare, vt ad sacerdotium ascendat peracta pœnitentia. Et in cap. 2. eodem tit. conceditur Episcopo potestas dispensandi cum subdiacono in ascensu ad superiores ordines ea conditione, vt ad religionem transeat. Qui textus non loquuntur de contrahente cum vidua, nec de duplici matrimonio, sed de vno etiam cum virgine post ordinem sacrum contracto. Ergo illud sufficit ad inducendam irregularitatem. Quod verò hæc irregularitas non sit bigamiæ, sed ex delicto: & in illius pœnam probari potest ex dicto cap. nuper. Et cap. vltim. de Bigamis. partim quia ibi negatur dispensatio pro bigamia etiam in qua nullus est sacramenti defectus, partim quia superflua esset decisio dicti capit. Nuper. & capit. finalis, indicentium irregularitatem clerico qui matrimonio valido contracto, & morte coniugis dissoluto sacris initiatus nouum matrimonium tentauit contrahere; vel tentauit viduam ducere post sacram ordinationem; siquidem ex eo tantùm quòd sacris initiatus duceret vxorem irregularitas bigamiæ indicta erat in cap. quotquot 27. q. 1.

Porrò bigamiæ irregularitas priuat bigamum omni priuilegio clericali, non solum priuilegio fori. Vt habetur expressè in cap. vn. de Bigamis, lib. 6. vbi addicuntur bigami coërcioni fori sæcularis, sed etiam priuilegio canonis, siquidem ibi dicitur: *Omni priuilegio declaramus esse denudatos.* Insuperque sub anathemate prohibemus deferte tonsuram, vel habitum clericalem. Quæ doctrina secundùm veriorem opinionem intelligenda est non solùm de bigamia propria, sed etiam interpretatiua. Vti aduertit Suar. disp. 49. sect. 5. num. 5. Sayrus lib. 6. cap. 5. num. 2. & 3. & alij apud ipsos. Quocirca sub peccato mortali asserunt dicti Doctores, prohiberi huic irregulari deferre habitum clericalem, & tonsuram; siquidem bigamis deferentibus ius excommunicationem minatur. Vnde non possunt ministeria etiam minorum ordinum ex officio exercere. Vt cauetur in Trident. sess. 23. capit. 17. in fine de reformat. & notauit Auila 7. part. de benefic. disput. 8. dub 3. Non tamen extendenda est hæc doctrina ad bigamiam similitudinariam, seu ad eam irregularitatem, quæ à religioso professo, vel clerico sacris initiatio contrahitur ob matrimonium nullum attentatum, quia hi quoutque per sententiam clericali priuilegio denudentur illud non amittunt, nec prohibentur habitum clericalem, seu religiosum deferre. Sicuti aliis relatis docent Sayrus lib. 6. thesauri, c. 5. à n. 2. Suar. d. 49. sect. 5. n. 7. Auila 7. p. d. 8. dub. 3. 13

Quoad dispensationem huius irregularitatis attinet, certum est posse summum Pontificem dispensare tam ad ordines suscipiendos, quàm ad vsum susceptorum. Quia hoc impedimentum est iure humano inductum. Neque obstat Paulus dicens 1. ad. Thom. 3. Oportere Episcopum esse vnius vxoris virum: nam etiam dicit non debere esse percussorem, & tamen in hoc vitio omnes admittunt dispensationem. Ratio verò est, quia ibi non videtur Paulus imposuisse præceptum, sed consilium, & esto esset præceptum non est latum à Christo Domino, sed ab Apostolo ex communi Apostolorum consensu. Sicuti tradit Sylu. verbo irregularit. bigamia. q. 7. Armilla, num. 9. Tabiena q. vlt. Henriq. lib. 12. cap. 6. n. 11. Viuald. candelab. 2 p. vbi de irregular. bigamia. n. 34. Vt tamen Pontifex hanc dispensationem licitè concedat causa rationabilis adesse debet: aliàs peccabit, esto valida sit dispensatio. Sicuti colligitur ex cap. 2. de Bigamis ibi: Cum bigamis contra Apostolum dispensare non licet pro solo arbitrio dispensantis, nec pro leui causa, sed graui. Vt explicat Suar. d. 49. sect. 6. n. 2. & 6. Sayrus lib. 6. cap. 6. num. 3. Vel dic cum Sanch. lib. 7. d. 86. n. 6. non licere Episcopis, qui Pontificem consulebant, an possent bigamos promouere. 14

Episcopus autem nullo modo habet potestatem dispensandi cum bigamis propriis, & interpretatiuis ad sacros ordines suscipiendos. Est ferè omnium sententia, & constat ex cap. super eo de Bigamis. Cap. lector 34. dist. & aliis. Solùm video non improbari à grauissimis Doctoribus S. Thom. in addit. ad 3. part. quæst. 66. art. 5. & in 4. dist. 27. quæst. 3. art. 3. in corp: & ibi Albert. Magnus art. vlt. Fauet Henriq. lib. 12. de matr. 15

cap.6.num.11. & lib.14.cap.20.num.2. nec improbabile reputat Suar. *disp.49.sect.6. num.8.* posse Episcopum dispensare cum bigamo religioso facto, ne detur occasio vagandi. Verùm vt rectè Paludan. *in 4.d.27.quæst.4.artic. 5. conclus.4.vers. tertio.* Gabriel. *eadem.dist.q.3.art.3.post dubium 4.* Sotus *ibi, quæst.3. art.2. conclus...* affirmant hanc potestatem neque vsu receptam esse, neque iure probari posse, maximè in bigamia propria.

16 Quoad bigamiam verò interpretatiuam maximè quæ ex delicto ortum habet, siue delictum fuerit proprium, vt cùm contrahis duplex matrimonium inualidum, vel vnum validum, & alterum inualidum, siue delictum fuerit alienum, vt cùm contrahis cum corrupta, vel cognoscis vxorem adulteram, defendunt posse Episcopum ad ordines sacros cum quocumque bigamo dispensare, etiamsi religionem non ingrediatur. Turrecremata *in cap.lector.34. dist.* Paludan. *dist. 27.q.1.art.5.num.35.* Armilla *num.9.* Tabiena *quæst. vlt.* Sed hic modus dicendi absolutè sumptus sustinendus non est, vt pote qui nullum in iure fundamentum habet. Vt aduertit plures referens Sayrus *lib.6.thes. cap.7.num.5.* Sanch. *lib.7. de matr.disp.86.num.12.* Attamen si prædicta bigamia ex delicto proprio consurgat, satis probabile est si delicto proprio consurgat, satis probabile est si delictum occultum fuerit, posse Episcopum dispensare virtute Trident. *sess.24.cap.6.* vt aduertit Sanch. *dicta disp.86. numero 13.* Quinimo posse dispensare, etiamsi ex delicto alieno hæc bigamia emanauerit, vt contingit, cùm corruptam ducis, vel vxorem adulteram agnoscis docuerunt Henriq. *lib.12.de matr. cap.6. in fine.* & *lib.14.cap.20.num.2.* Barbosa *2.p. de potest.episc.alleg.49.n.25.* Sayrus *lib.6.cap.7.n.9.* quia Trident. non distinguit, an ex delicto proprio, vel alieno oriatur.

17 Verùm si de ordinibus minoribus, & beneficio simplici loquamur, probabilis est sententia affirmans posse Episcopum etiam cum bigamis propriis dispensare, vt hos ordines minores, & beneficia simplicia obtineant. Quæ fuit sententia D. Thom. *in 4. d.27. quæst.3. artic.3.* vbi Paludan. *quæst.4.art.5. conclus.4.* Durand. *q.4.* Glossa verbo *dispensare in cap.2. de Bigamis.* Nauarr. *cap.27. num.197.* Henriq. *lib.12. de matrim. cap.6.num.11. & lib.14.de irregular. cap.20.num.2.* Azor. *2.p. lib.5.cap.20.q.2. & lib.6. cap.4.q.8. &* 11. Sayrus *lib.6. thes. cap.7.num.11.* Sanch. *lib.7.de matr.disp.86.num.11.* Paul. Comitolus *lib.1. q.106.num.5. & 6.* Auila *7. p. de irregul. disp.7. dub.4.* Miranda *man.pralat.t.2.quæst.8.art.2. conclus.2.* & alij apud ipsos: & colligitur ex *cap.super eo,* & aliis sub *Rub. de bigamis,* vbi arcentur bigami ab ordinibus, sermo est de ordinibus sacris. Et licèt in *cap.vn.de bigamis lib.6.* generaliter ab ordinibus bigami excludatur, & in Trid. *sess.23.c.17.* specialiter ab vsu ordinum minorum hoc, inquit Sayrus *suprà dicto cap.7. num.11.* intelligendum est per se, & nulla intercedente causa rationabili dispensandi. Præterea in *cap. lector.34. dist.* datur facultas bigamo vt in lectoratu permaneat ex dispensatione inquam, vt ait Glossa, & Suar. *disp.49. sect.5.n.3.* & subditur, si necessitas sit ad Subdiaconatum promoueatur, qui ordo tempore antiquo inter minores computabatur, vt pluribus comprobant Suar. *disp.49. de censur. sect.5.num.1. & disp.51. sect.3.num.12.* Sanch. *lib.7.de matrim.disput.86.num.11.* Sayrus *lib.6.thesauri, cap.7.num.8.* Congruentiam huius sententiæ assignauit Sotus *in 4.d.27.q.3.art.3.conclus.2.* dicens ex susceptione minorum ordinum non mancipari irreuocabiliter diuino cultui ordinatum; meritò ergo concedi potest Episcopo horum dispensatio.

18 Nihilominus etsi propter Doctorum authoritatem hæc sententia vt probabilis sustinenda sit, veriorem, & probabiliorem reputo, quæ negat Episcopo hanc dispensandi facultatem. Sicuti docuerunt Armendariz *in addit. ad recopilat. legum Nauarræ lib.2.tit.19.de foro compet.num.16.* Nicol. Garcia *7.p.de benefic.cap.6.num.5.* Praxis noua Episcopalis *1.p.cap.1. num.60.* Francisc. Leo *in thesauro fori Ecclesiast.2.p.cap.8.num. 36.* August. Barbosa *allegat. 49.num.25.iuncto num.22.* Paul. Layman. *lib.1.sum.tract.5.p.5. cap.6. circa finem.* Bonac. *t.1. disp.7.q.2.pun.5.num.15.* referuntque decisum è sacra Cardinalium congregatione, & colligitur ex *cap. vnico de Bigamis lib.6. & sess.23.c.17.* vbi expressè prohibetur bigamis vsus, & exercitium minorum ordinum. Qua in lege vtpote à Concilio lata nequit Episcopus dispensare, cum nullibi habeatur hanc illi esse facultatem concessam.

19 Quod si de dispensatione bigamiæ similitudinariæ loquamur, omissis variis sententiis absolutè dicendum est posse Episcopum dispensare etiam ad suscipiendos ordines sacros, illisue vtendum. Sicuti colligitur ex *cap. De diacono 1. Qui clerici, vel vouentes.* & *cap. sanè el.2. de clerico coniugato.* ibi: Officio suo restitui poterunt, & ex indulgentia sui Episcopi eius executionem habere. Sic Tolet. *lib.1. cap.68. conclus.6.* Suar. *de censur. disputat.49. sect.6.num.18.* Sanch. *lib.7. de matr.disp.86.num.20.* Garcia *7.p.de benefic.cap.6. num.15.* & alij plures apud ipsos. Vnde cùm in *cap. nuper de Bigamis,* prohibetur concedi dispensationem his clericis in sacris contrahentibus nuptias, non est propter bigamiam similitudinariam ex matrimonio post sacros ordines celebrato, sed ob bigamiã interpretatiuam, qua ligati fuerunt ex duplici matrimonio, altero ante ordinationem validè suscepto, altero post ordinationem non de iure, sed de facto inito, vt bene aduertit Auila *7. part. disputat. 8. dub.4. conclus.4.* Sanch. maltis relatis *lib.7.disput.86.num.20.* Neque obstat Textus in *capite litteris el 2. Qui clerici, vel vouentes,* vbi subdiacono contrahenti nuptias inquit Pontifex non esse permittendum in subdiaconatu ministrare, neque ad vlteriores ordines ascendere, nisi religionem fuerit ingressus. Non inquam obstat: quia loquitur de consilio, non de præcepto teste Glossa *ibi.* & Abbate, Alexand. de Neuo *in fine.* Innocent. *num.vnico.* Sanch. *dicto num.20. & num.21.* aduertit cum huiusmodi clerico in sacris constituto viduam ducente posse Episcopum ad beneficium simplex dispensare, ex *cap. presbyterorum 28. dist.* Presbyterum (inquit Concilium) non legalibus nuptiis detentum cathedram quidem habere, sed ab officio abstinere præcipimus. Sed hic textus videtur de beneficio habito ante irregularitatem loqui, non de postmodum obtinendo. 10

Si autem hæc irregularitas bigamiæ ex delicto occulto proueniat, poterit Episcopus in ea dispensare virtute Trident. *sess.24. cap.6. de reformat.* quia non ex significationis defectu, sed ex delicto prouenit. Sicuti tradit Sanch. *lib.7.disp. 86.num.23.* Aloysius Riccius *resol.220.* August. Barb. *alleg.49. in fine.* 11

De Prælatis religionum, an possint cum suis subditis, & cum sæcularibus dispensare; Dicendum est ex vi iuris communis non posse, ex recepta tamen consuetudine posse videntur circa suos religiosos, quidquid Episcopus potest circa sibi subditos, vt docuit Ludouic. de Miranda *in man. pralat. tom.1. quæst.8.art.2.* Henriq. *lib.12.de matr. cap.6. num.11.* Barbosa *dicta alleg.49. in fine.* Ex particulari autem priuilegio possunt Prælati mendicantes cum suis religiosis bigamis dispensare ad sacros ordines ex priuilegio Sixti IV. relato in *Compend. Minor. verbo absolutio extraordinaria quoad Fratres.§.4.* concedentis facultatem dispensandi in omnibus irregularitatibus excepta ea quæ oritur ex homicidio voluntario, & mutilatione. Cùm igitur non excipiatur bigamia, censenda est in clausula generali comprehensa, quia potestas dispensandi latè est interpretanda. Quinimo in *nostris priuilegiis, verbo dispensatio.§.1.& 6.* datur facultas Præposito Generali, & quibus ipse delegauerit dispensandi cum suis subditis in omni irregularitate. Circa sæculares nullam video potestatem concessam esse religiosis, vt possint in hac irregularitate bigamiæ dispensare. 12

Commissario autem Cruciatæ non esse concessam potestatem dispensandi in bigamia tradit Henriquez *libro 7. de indulgentiis c.13. n.5.* & Auila *7.part.disput.8.dub.4.concl.6.* 13

Vltimò dicendum est in petenda dispensatione bigamiæ satis esse, si explices duo matrimonia contraxisse, etiamsi plura contraxeris, quia nullos textus trigamiæ meminit, sed solius bigamiæ. Sicuti iudex plures suspendens non tenetur mentionem facere de omnibus illis, sed satisfacere si dicat morte hominem condemnasse. Et tradit Nauarr. *cons.2. de Bigamis.* Henriq. *lib.12.de matrim. cap.6.num.9.* Auila *dicta disp.8.dub.4.conclus.vlt.* Sanch. *lib.7.de matr.disp.86.num.21.* species tamen bigamiæ necessariò est fatenda, quia difficiliùs in bigamia propria, quàm in bigamia interpretatiua, & in hac quàm in similitudinaria dispensatur. Sicuti notauit Sanch. *suprà.* Quod si duplici bigamia ligatus sit, vtriusque mentionem facere debes, vt de se constat.

PVNCTVM IX.

De secunda irregularitate proueniente ex defectu natalium.

1 *Qui ex legitimo matrimonio, vel probabiliter existimato nati non sunt, irregulares censentur.*

2 *Aliqui censent, si hoc vitium occultum sit ab irregularitate excusare. Sed non approbatur.*

Cùm dubium est de illegitimitate, non est reputandus irregularis. 3

4 *Hæc irregularitas aufertur matrimonio subsequenti.*

5 *Item per absolutam legitimationem Pontificis.*

6 *Tertiò per dispensationem.*

7 *Episcopi hanc dispensationem ad ordines minores, & beneficium simplex concedere possunt.*

8 *Quid sub nomine beneficij intelligatur.*

9 *Ad ordines maiores, & ad beneficium curatum nequaquam Episcopus dispensare potest.*

10 *Si hæc irregularitas ex delicto occulto proueniat, aliquibus placet dispensare Episcopum posse, sed non approbatur.*

11 *Non est opus Episcopum hanc dispensationem concedentem esse consecratum.*

12 *Professione Religionis hæc irregularitas tollitur quoad ordines suscipiendos, sed non quoad prælaturam.* 13

13 *Si illegitimus fuit ordinatus absque dispensatione, impeditus est ab executione ordinum.*

1 HÆc irregularitas conuenit iis quorum natiuitas à legitimo matrimonio, vel probabiliter existimato deficit; eáque de causa ex defectu natalium nuncupatur. Quos meritò excluſit Ecclesia ab ſtatu clericali tum in honorem ſtatus clericalis, quem vitioſa eorum origo deturpat, tum in deteſtationem paternæ incontinentiæ, tum ne illius imitatores exiſtant. Vti colligitur ex *cap.1. & finali de filiis preſbyterorum in decreta lib. & in 6. & ex cap. per venerabilem. Qui filij ſint legitimi*, & ex aliis capitibus quæ referuntur 56. *diſt.* & tradunt omnes, ſpecialiter videri poteſt Nauarr. *cap.27. num.* 201. Couarruu. *Clement. ſi furioſus 2.p.§.3.num* 4. Henriq. *lib.* 14.*cap.8.num.*10. Sayrus *lib.6.theſauri, cap.*10.*à principio.* Vide quæ diximus *tract.*13.*de beneſic.diſp.*4.*p.*1.§.1. vbi explicuimus latè qui dicantur illegitimi.

2 Duplex tamen in præſenti eſt difficultas. Prima an hoc vitium occultum te irregularem conſtituat? Negat Alphonſ. de Caſtro aduerſus comunem ſententiam tam de hoc vitio, quàm de quolibet alio, *lib.2.de lege pœnali cap. vlt. concluſ.*3. ſequutus Vincentium relatum ab Angelo, verbo *homicidium* 5.*q.*1. Ducitur Caſtro primo ex *cap. ex terrore de temporib. ordinat.* vbi criminoſus notorius ab ordinibus ſuſcipiendis repellitur, admittitur tamen peracta pœnitentia, ſi crimen occultum ſit, Ergo ex crimine occulto non emanat irregularitas. Secundò ſi illegitimus reputatus legitimus irregularis cenſetur, cogitur ſuum vitium occultum manifeſtare ſaltem Epiſcopo, vel Pontifici à quo impetranda eſt diſpenſatio. At iniquum eſt obligare quemlibet, vt ſe ipſum infamet, ergo irregularis cenſendus non eſt.

Sed hæc leuia ſunt, vt à communi, & certa ſententia recedamus. Nam textus in *cap.ex terrore*, excludit criminoſum notorium ab ordinibus ob irregularitatem infamiæ, quæ ſtante delicto occulto nulla eſt, ac proinde nulla eſt irregularitas. Secundum argumentum vim tantùm habet caſu quo Eccleſia illegitimum reputatum legitimum obligaret ad ordines ſuſcipiendos, at Eccleſia neminem obligat ad ordinum ſuſceptionem, ideóque falſum eſt obligare quemlibet vt ſe ipſum infamet. Quod ſi in aliquo caſu graue damnum illegitimus vitare non poſſet niſi ordines ſuſcipiendo, ceſſaret obligatio irregularitatis alia efficaciori obligatione ſuperueniente, non tamen inde probatur non fore irregularem. Quapropter omnino dicendum eſt illegitimum quantumuis occultum; & communiter legitimum reputatum verè irregularem eſſe, quia textus in *cap.*1. & *cap. fin. de filiis preſbyteror.* & aliis *in princ.* relatis, abſolutè illegitimum ab ordinibus excludunt nulla diſtinctione facta de publico, vel occulto. Sicuti adnotarunt Nauarr. *cap* 27. *num.*201. Couarruu. *Clem. ſi furioſus* 2. *p.*§ 3. *numero* 4. Vgolin. *de irregularit. cap.*44.§.1. Gutierr. *lib.*1.*canon.qq. cap.*13. *numero* 20. Sayrus *lib.*6.*capit.*10. *numero* 36. Azor. 2.*p. inſtit. moral. lib.* 6. *cap.* 3. *q.*13. Auila 7.*p.de cenſur.diſputat.*3.*dub.*6.*concluſ.*1. Coninch. *diſputat.*18 *dub.*12.*in princip.* Paul. Layman. *lib.*1.*ſum.tract.*5. *par.*5.*capit.*5.*numero* 1. Bonac. *tom.*1.*diſputat.*7.*quæſt.*2.*p.*3.*numero* 2. Gaſpar Hurtado *de irregular. difficult.*16. & alij paſſim.

3 Secunda difficultas eſt: an ſtante dubio de illegitimitate, reputandus quis ſit illegitimus, & conſequenter irregularis? Hanc difficultatem examinaui *dicto tract.*13.*de beneſic. diſputat.*4.*p.*1.§.1.*in fine*, loquens de filiis expoſitis, de quibus non leue dubium eſt, an ex legitimo toro nati reputandi ſint, & reſolui vt legitimos eſſe habendos ad ordines, & beneficia, neque vlla diſpenſatione etiam Epiſcopi indigere: quod præter Doctores *ibi* relatos docent Sayrus *lib.*6. *theſauri. cap.* 10.*numero* 39. Coninch. *diſp.*18.*dub.*12. Paul. Layman. *lib.*1. *ſum.tract.*5.*par.*5.*cap.*5.*numero* 2. & ſumitur ex *reg.*56.*ff. de Regulis iuris.* ibi: *Semper in dubijs benigniora præferenda ſunt.* Maximè cùm in iure ſtatutum ſit nullam irregularitatem contrahi niſi in caſibus à iure expreſſis. *Cap. is qui de ſentent. excommunication. lib.*6. At in iure expreſſum non eſt ob illegitimitatem dubiam contrahi irregularitatem. Quod ſi dicas filios expoſitos eſſe illegitimos, non eſt dubium; ſed moraliter certùm, cùm rarò legitimi exponantur; obſtat: quia negari non poteſt aliquando legitimos exponi: fauore ergo legitimorum qui poſſunt eſſe, omnes reputantur legitimi. Vnde in *cap.*1. *de infantib. & languidis*, ij infantes etiamſi ſerui fuerint efficiuntur liberi, & liberti ſiunt ingenui, quia ius canonicum, & ciuile intendit iis quoad fieri poſſit; fauere, vtpotè omni ſubſidio humano deſtitutis. Illud eſt certum, Epiſcopum cum his diſpenſare poſſe, non quia in defectu natalium certo poteſtatem habeat diſpenſandi, ſed quia hic defectus aliquo modo eſt dubius, ideóque ex epicheia cenſetur Epiſcopi poteſtati ſubiectus: vt tradunt Suar. *diſputat.* 50. *de irregular. ſect.*4. *num.*4. *ad finem.* & Bonac. *tom.*1. *diſput.*7. *quæſt.*2. *punct.*3. *num.*10. Paul. Laym. *lib.*1. *tract.* 5. *p.* 5. *c.* 5. *in fine.* quamuis ſentiant hos eſſe irregulares.

Hæc irregularitas multipliciter auferri poteſt. Primò per ſubſequens matrimonium, caſu quo parentes tempore copulæ habiles ad contrahendum exiterint. Nam matrimonium ſubſequens quaſi retrotrahitur vſque ad tempus conceptionis ex benignitate iuris canonici, & prolem antea ſuſceptam legitimam reddit, ac ſi ex vero, & legitimo matrimonio nata ſit: vt deciditur *c. tanta qui filij ſint legitimi.* De qua legitimatione, & qua ratione contingat latè egi *d.t.* 13.*de beneſic.d.*4.*p.*1.§.2. & 3. 4

Secundò tolli poteſt hæc irregularitas per abſolutam legitimationem Pontificis; alius enim non poteſt ad effectus iure canonico inductos hos irregulares legitimare, vt multis comprobat Suar. *diſp.*50.*ſect.*5.*num.*8. & dixi *ſuprà.*§.4. & 5. ſolùm commiſſarius Cruciatæ poteſtatem habens diſpenſandi in matrimonio irrito ob occultum impedimentum affinitatis ex illicita copula, quando in vno ex contrahentibus adfuit bona fides, poteſt etiam legitimare prolem in foro conſcientiæ quoad ordines, & beneficia. Vnde ſi à principio contractum fuit matrimonium bona fide ſaltem vnius, etiamſi poſtea parente conſcio impedimenti filius genitus, & natus ſit, poterit commiſſarius hunc filium ſpurium legitimare. Sicuti adnotauit Henriq.*l.*7.*de indulgent. cap.*13.*num.*5.*in fine.* Thom. Sanch. *lib.*8.*de matr.d.*6.*à n.* 25. Quam legitimationem nullatenus concedere commiſſarius poterit ſeparatam à reualidatione matrimonij, quia hæc poteſtas ſolùm in fauorem matrimonij commiſſario conceditur, vt aduertit Sanch. *ſuprà.* f

Tertiò auferitur hæc irregularitas diſpenſatione. Differt autem diſpenſatio à legitimatione, quia legitimatio eſt quoad omnes effectus, eſtque quædam habilitas perſonæ, & illius ad primæuam naturam reſtitutio; diſpenſatio verò effectus reſpicit radicali perſonæ inhabilitate remanente, vt docet Panormit. *in cap. per venerabilem. Qui filij ſint legitimi.* Couarruu. 4.*decretal.*2.*part.cap.*8. §.8.*num.*1. Suar. *diſput.* 50. *ſect.*5.*num.*8. eáque de causa legitimatio eſt latè interpretanda. Secùs diſpenſatio. Quapropter eſto legitimatus à Pontifice habilis ſit ad ordines, beneficia, & dignitates æquè ac legitimus, non tamen ſic diſpenſatus, ſed ſpectanda ſunt verba diſpenſationis, & ſtrictè interpretanda, vt ferè omnes Doctores docent *ex cap. quod dilectio de conſanguinit. & affinit.* & *cap.fin.de filijs presbyterorum*: Eſt enim diſpenſatio iuris communis relaxatio. Quocirca diſpenſatus ſimpliciter ad ordines, intelligitur ſolùm ad minores diſpenſatus, Gloſſa *in cap. litteras verbo ordinari, de filijs presbyteror.* Et *in cap. vlt.eodem.tit.in* 6. *verbo ad ordines.* Suar. *de cenſur. diſput.*41. *ſect.*3.*num.*3. Sanch. *lib* 8.*diſput.* 1.*num.*26. Azor. 2.*part.lib.*6. *cap.*3.*q.*6. & diſpenſatus ad ordines non eſt diſpenſatus ad beneficia, quia ſunt ſeparabilia. Panormit. *in cap. litteras, n.*6. *in fine de filijs preſbyteror.* Sayrus *lib.*6. *theſauri, cap.*10. *num.*21. Azor. *ſuprà.q.*5. Sanch. *num.*27. Barboſa *alleg.*45. *n.*6. Et diſpenſatus ad beneficium de vnico, & ſimplici intelligitur. Barboſa, *ibi.* Sayrus aliis relatis, *n.*25. & 32. ſolum eſt dubium an ex vi huius diſpenſationis poſſit illegitimus obtinere aliud beneficium primo relicto? Negat Couarr. *in* 4. *decret.*2. *p.cap.*8.§.8.*num.*5. verſ. *ſexto.* Sanch. *lib.*6.*cap.*11. *in fine*, & alij relati à Sanch. *lib.*8. *de matrim. diſputat.*31. *numero* 6. eo quòd diſpenſatio ſit ſtricti iuris, & ſtrictè intelligenda: & ſacit textus in *cap.*1.§. *ille verò de filiis preſbyteror.* vbi diſpenſatus ab beneficium poteſt vnicum tantum obtinere. Sed contrarium ſcilicet poſſe ſucceſſiuè plura beneficia obtineres probabile eſt, cùm enim quilibet poſſit plura beneficia ſimplicia, quorum quodlibet congruæ ſuſtentationi non ſuſcit, obtinere abſque diſpenſatione, illegitimus ſecundùm communiorem ſententiam hac poteſtate priuatur, ac proinde etſi diſpenſatus ſit ad beneficium, non cenſetur diſpenſatus, niſi ad vnicum tantùm, vti explicat Sanch. aliis relatis *dicto lib.*8.*de matrim.diſp.* 51. *num.*11. Neque item ex diſpenſatione facta pro canonicatibus, vel dignitatibus Eccleſiæ Cathedralis, quia ſunt omnino diuerſa, & propter eorum qualificationem debent neceſſariò exprimi. Ob quam rationem ſub diſpenſatione etiam generali ad quæcunque beneficia non comprehenduntur. Vti aduertit Barboſa *dicta allegat.* 45. *numero* 8. & 9. Sayr. *cap.* 10. *numero* 26. & 27. Nec ſub diſpenſatione ad dignitates comprehenditur dignitas maior Eccleſiæ Cathedralis, & principalis Eccleſiæ Collegiatæ. 5

Difficultas eſt qui poſſint hanc diſpenſationem concedere? & de Pontifice non eſt quæſtio, cùm ab illo irregularitas emanauerit. De Epiſcopis omnes tenentur concedere poſſe diſpenſare cum quocunque illegitimo ad ordines minores, & beneficium ſimplex, quia ſic habetur *cap.*1.*de filiis preſbyteror.lib.*6. Quod ſi huic ſimplici ſit annexum curatum non obinde impeditur diſpenſatio, quia acceſſorium ſequitur naturam principalis cui adhæret. Sicuti docet Gonzalez, *reg.*8. *cancel.gloſſ.* 5. §.7.*n.*18. Auguſt. Barboſa *de poteſt.epiſc.alleg.*45. *num.*24. Vazq. *de beneſic.cap.*3.§.1.*dub.*3.*in fine numero* 7. tametſi contraſentiat alios referens Sayrus *lib.* 6. *theſauri, cap.*15. *numero* 11. Hæc tamen conceſſio non extenditur ad 6

suum familiarem triennalem illegitimum quo cum dispensare nequit, teste Nauarr. *cons. 27. de temporib. ordinat.* Auila *7.p. de censur. disp. 3. concl. 2.* & latiùs diximus *tract. de ordine p. 15. num. 6.*

8 Sub beneficio simplici si ius antiquum spectetur comprehenditur canonicatus Ecclesiæ Cathedralis, quia neque est dignitas, neque personatus, sed beneficium simplex residentiam requirens, sicuti notat Glossa *in capit. 1. verbo beneficium de filiis presbyteror. lib. 6.* & *ibi* Archidiac. & Geminian. Panormit. *in cap. fin. eod. titul.* Tabiena, verbo *beneficium. 2. §. 14.* Nauarr. *cons. 3. de stat. & qualit. ordinandor ad 5. quæst.* & *cons. 43. de prabendis. numero 1.* per textum *in cap. statutum. de Rescriptis, lib. 6.* Suar. *disput. 50. de censur. sect. 5. numero 6.* Dixi: *Si ius antiquum spectetur*, nam spectata dispositione Concil. Trident. *sess. 24. cap. 12. de reformat.* annectentis omnibus canonicatibus, & integris portionibus Ecclesiæ Cathedralis ordinem sacrum, asserendum est non posse Episcopum dispensare cum illegitimo in canonicatibus, & portionibus Ecclesiæ Cathedralis, & quibuscunque aliis beneficiis sacrum ordinem annexum habentibus, nam cùm ipsi interdicta sit dispensatio ad sacros ordines, vt dicemus, consequenter interdicta censetur ad beneficium, cui ipsi ordines annectuntur, siquidem absque illorum susceptione nequit beneficium retineri, vt aduertit Henriq. *lib. 14. cap. 8. numero 10. in fine.* Sayrus *lib. 6. thesauri, capit. 11. numero 13.* Auila *7.p. de censur. disput. 3. dub. 3. vers. tertio notandum.* Garcia *de benefic. 7.p. cap. 2. num. 65.* & *68.* August. Barbosa *allegat. 45. n. 24.* & *31.* Bonac. *disputat. 7. quæst. 2. p. 3. circa finem.* Inclinat Lessius, *lib. 2. de iustit. cap. 34. dub. 18. numero 86.* & alij apud ipsos.

Quod si dicas canonicatum; & portionem Ecclesiæ Cathedralis non requirere ordinem sacrum actualiter, hoc est cùm recipitur, sed solùm vt intra annum accipiatur. Ergo stare potest quod Episcopus ad prædictum beneficium cum illegitimis dispenset, quin dispensationem concedat ad ordines suscipiendos, ipséque illegitimus suscipere poterit ex dispensatione Episcopi canonicatum, & postmodum adire Pontificem, vt ad ordines sacros dispensationem concedat, aliàs canonicatui renunciabit, in quem dicendi modum propendet Azor. *2.p. instit. moral. lib. 6. cap. 3. quæst. 15.* sed respondendum est, satis esse ordinem sacrum ex obligatione suscipiendum annecti canonicatui, vt non possit Episcopus in canonicatu dispensare cum illegitimo, quandoquidem non potest ad ordinem sacrum. Nam eo ipso, quo ordo sacer canonicatui annectitur, debet canonicatum suscipiens habilis esse ad eum ordinem suscipiendum, quod absque dispensatione Pontificia præstari non potest. Concessa tamen Pontificia dispensatione ad sacros ordines optimè poterit illegitimus ex Episcopi dispensatione ad canonicatum, seu portionem Ecclesiæ Cathedralis, & ad quodlibet aliud beneficium simplex ordinem requirens promoueri, quia cessat obstaculum. Lessius *d. cap. 34. dub. 18. numero 86.* Garcia *7.p. de benefic. cap. 2. num. 68.* Ad dimidiam verò portionem Ecclesiæ Cathedralis, & ad canonicatum Ecclesiæ Collegiatæ potestas est Episcopis concessa in *cap. 1. de filiis presbyter.* dispensandi cum illegitimis, siquidem non habent ordinem sacrum annexum, vt aduertit Garcia *supra.* Gonzal. *ad reg. cancell. glos. 5. num. 98.* & *seqq.*

9 Porrò Episcopus ad ordines maiores, & ad beneficium curatum, dignitatem, & personatum nullatenus dispensare cum illegitimo potest ex expressa decisione textus in *c. finali de filiis presbyteror.* Et traduntur ex communi Lessius *lib. 2. de iustit. cap. 34. dub. 18. n. 86.* Nicol. Garcia multis relatis *7.p. de ben. cap. 2. num. 53.*

10 Solùm ex *cap. cum pridem de renunciat.* & ex Trident. *sess. 24. cap. 6. de reformat.* est nonnulla difficultas, an possit Episcopus cum illegitimo cuius vitium occultum est dispensare, siquidem potest dispensare in omnibus irregularitatibus, quæ ex delicto occulto proueniunt, neque Concilium distinguit, an delictum debeat esse proprium, an alienum, maximè cum hæc facultas latè interpretanda sit, vtpote beneficium Principis, & iure communi insertum. Præterquam quòd Trident. ideò concessit Episcopis potestatem dispensandi in irregularitatibus ex delicto occulto prouenientibus, ne animæ illaqueatæ essent, si obligarentur Sedi Apostolicæ crimina ad dispensationem obtinendam detegere, quæ ratio in præsenti locum habet. Atque ita sentit Auila *7. de censur. disp. 3. dub. 7.* inclinat Henriq. *lib. 14. cap. 8. numero 10.* & probabile reputat Paul. Layman. *lib. 1. sum. tract. 5. par. 5. cap. 5. num. 2.* & Coninch. *disp. 18. dub. vlt. circa finem.* Sed contrarium vt longè verius tenendum est, prout docuit Nauarr. *cap. 27. num. 194.* Vgolin. *tract. de irregul. cap. 44. §. 2. numero 4.* Suar. *disp. 50. sect. 5. num. 5.* Bonac. *t. 1. disp. 7. q. 2. punct. 3. in fine.* Coninch. & Laym. *locis allegatis.* Gaspar Hurtado *de irregular. difficult. 20. num. 65.* Quia hæc irregularitas per se non prouenit ex delicto parentum immediatè, nam esto parentes matrimonio non coniuncti ex defectu libertatis à culpa excusarentur in generatione filij, filius æquè irregularis esset, ac quando genitus est à parentibus culpam committentibus, quia non ex culpa parentum hæc irregularitas nascitur, sed ex indecentia quam contrahit filius, eo quòd genitus sit à parentibus matrimonio non coniunctis. Ad irregularitates autem prouenientes ex indecentia etsi fundamentum haberent in aliquo crimine, non datur in Conc. Trident. facultas Episcopis dispensandi, & sic in praxi obseruatum est. Probabilius autem sustineri posset, quod Episcopus dispensaret cum illegitimo ordinato in sacris bona fide, vt in susceptis ordinibus ministret, quia per ipsam ordinationem bona fide susceptam videtur ius aliquod ad vsum acquisiuisse, vt docuit Nauarr. *tit. de filiis presbyter. cons. 4. num. 2.* & *cons. 3. de stat. & qualit. ordinandor. ad secundam quæst.* Henriq. *lib. 12. de matr. cap. 20. num. 2.* & *lib. 14. cap. 8. num. 10.* Auila *7.p. disput. 3. dub. 6. vers. sextò notandum.* Paul. Layman. *lib. 1. sum. tract. 5. p. 5. c. 5. n. 2.* fauetque *cap. Lugdunensis 9. quæst. 2.* & *ibi* Glossa. Quinimo non videtur improbabile quod tradit Layman. posse inquam Episcopum dispensare cum hoc illegitimo, vt in susceptis ministret, tametsi mala fide ordines sacros susceperit. Argum. *cap. nisi cum pridem de renunciat.* ibi: *Licèt irregularitatem non potueris subire; sit tamen & culpa tua, & causa eum eo qui laudabiliter suum impleuit officium (innocentia sibi pœnitentia salutari) potest non minus vtiliter, quam misericorditer dispensari.*

Pro supradictis duo sunt aduertenda. Primum nomine 11
Episcopi potentis concedere dispensationem ad ordines minores, & beneficium simplex, intelligi electum, & confirmatum, etiam si consecratus non sit, quia ad vsum huius potestatis non ordo, sed iurisdictio requiritur. Quapropter transit in Capitulum Sede vacante, & in alios Prælatos habentes iurisdictionem quasi Episcopalem. Sicuti notauit Suar. *disp. 50. sect. 5. num 6.* August. Barbosa *alleg. 45. num. 25.* Secundum: in impetranda legitimatione prolis necessariò fatendum esse coïtum, an inquam fuerit ex soluto, & coniugato, vel in sacris, vel quolibet alio impedimento, aliàs erit subreptitia, vt multis allegatis docet Sanch. *lib. 8. de matr. disp. 24. num. 3.* & *5.*

Quartò, & vltimò auferitur hæc irregularitas professione 12
religionis, seu emissione votorum veros Religiosos constituentium ex Textu in *cap. 1. de filijs Presbyteror.* sed non integrè, & perfectè quoad omnes effectus, sed tantum quoad suscipiendos ordines; nam ad prælaturam regularem, dignitatem, & quælibet beneficia siue regularia, siue sæcularia irregularis persistit, vt aduertunt Glossa, Panormit. & alij *in cap. 1. de filiis Presbyteror.* Gregor. Lopez *leg. 12. tit. 6. part. 2.* Nauarr. *cap. 27. num. 201.* vbi hoc extendit ad fœminas illegitimas, quæ prælaturæ incapaces existunt. Henriq. *lib. 14. cap. 8. num. 10.* Suar. *disp. 50. sect. 5. num. 12.* & *15.* Auila *7.p. disp. 3. dub. 6. vers. quinto notandum*, & alij apud ipsos. Poterunt tamen huiusmodi illegitimi alia officia honorifica prædicatoris, lectoris, & similium exercere, vt tradit Nauarr. *cons. 3. de filiis Presbyteror.* Ex dispensatione autem ratione priuilegij ferè omnibus religionibus concessi prælaturas obtinere valent, vt *superius* notaui, & aduertit Sayrus *lib. 6. thesauri, cap. 11. num. 14.*

Extra prædictos modos nullus alius est auferendi hanc irregularitatem. Nam quod aliqui dicunt, si illegitimi scientia, & moribus probati sint, eo ipso dispensati censentur, nullum habet fundamentum, est contra decisionem expressam *cap. 1.* & *cap. litteras de filiis Presbyteror.* & *cap. innotuit de electione*, in quibus non obstante scientia, & morum probitate dispensatio adhibetur ad ordines, & dignitates suscipiendas, vt bene adnotauit Suar. *d. disp. 50. sect. 5. num. 17.*

Tandem dicendum est, si illegitimus fuerit ordinatus absq; 13
que dispensatione impeditus est ab executione ordinum, quia canones prohibentes illegitimum ordinari hoc præcipuè intendunt, ne ministret in susceptis, quinimo ob indecentiam, quæ in administratione relucet hæc irregularitas indicitur, vt aduertit Sotus *in 4. d. 25. q. 1. art. 3.* Nauarr. *cons. 3. de stat. & qualit. ad 2.* & *3. argum.* Henriq. *lib. 14. de irregular. cap. 8. num. 10.* Auila *7.p. de benefic. disput. 3. dub. 11.* Quòd si hanc prohibitionem, & irregularitatem ausus fuerit violare ministrando in ordinibus susceptis, etsi grauissimè peccet, nullam tamen irregularitatem denuò contrahit, quia nullibi est statuta. Sicuti non est statuta seruis, & corpore vitiatis, eo quòd absque dispensatione ordinati in susceptis ordinibus ministrent, non enim ob violationem irregularitas contrahitur. Sicuti tradit Innocent. in *cap. si celebret. num. 3. de cleric. excommun. ministr.* Nauarr. *cap. 27. num. 163.* & *194.* Gregor. de Valent. *t. 4. disp. 7. q. 19. p. 2.* Auila *d. dub. 11.* Sayr. alios referens *lib. 6. thes. cap. 2. num. 26.*

Pag.

PVNCTVM X.

De tertia irregularitate proueniente ex defectu animæ.

1 *Ignorantia quæ ministerium ordinis exercere non permittit, constituit hominem irregularem.*
2 *Hæc ignorantia non est illius scientia, quæ à Concilio pro singulis ordinibus requiritur, sed quæ vsum ordinis suscepti omnino impedit.*
3 *Defectus scientiæ à Concilio requisitæ impedit sub graui culpa, ne eo stante ordo suscipiatur.*
4 *Amentia quæ est per modum habitus irregularem constituit.*
5 *Secundùm probabiliorem sententiam solus pontifex in hac irregularitate dispensare potest.*

1 DVplex est animæ defectus, ignorantia, & libertas. Ignorantia si tanta sit, vt ministerium ordinis exercere non permittat, constituit hominem irregularem, vti deciditur *cap. illiteratos 36. dist.* Et docuit Nauarr. *capit. 27. num. 205.* Sayrus *lib. 6. thesauri, cap. 6. num. 5.* Suar. *disp. 1. sect. 1. num. 8.* Auila *7. p. disp. 4. dub. 1.* Bonac. *t. 1. disp. 7. q. 2. pun. 1. num. 2.* & alij apud ipsos. Tametsi contrarium sentiant, Henriq. *lib. 10. de sacramento ordinis, cap. 16. num. 2.* Garcia *7. p. de benefic. cap. 7. num. 19.* defectum scientiæ non constituere irregularitatem, sed præstare impedimentum ordini suscipiendo. Sed probabilius est quod diximus, quia in *dicto cap. illiteratos*, eodem modo arcentur à suscipiendis ordinibus illiterati, ac corpore vitiati, qui tamen in omni sententia irregulares sunt.

2 Ignorantia, quæ hanc irregularitatem constituit non est illius scientiæ, quæ à Concilio Trident. pro singulis ordinibus requiritur, sed quæ vsum ordinis suscepti omnino impedit, vt optimè adnotauit Sayrus *lib. 6. thesauri, cap. 13. num. 8.* Tum quia Concilium solùm præscripsit scientiam, quam ordinandi habere debent, non tamen subdidit irregulares esse eos, quibus hæc scientia deficeret, aliàs irregulares essent ad primam tonsuram qui fidei rudimenta ignorarent; & ad ordines suscipiendos qui linguam Latinam non callerent, tametsi legere Latinè, & scribere scirent, & specialiter ad presbyteratum irregulares essent qui ad populum docendum apti non essent. Quod non videtur verum, cum absolutè non sint illiterati, licet à litteratura requisita à Concilio deficiant.

3 Verùm esto defectus huius scientiæ à Concilio requisitæ irregulares non faciat, impedit tamen sub graui culpa, ne eo stante ordo suscipiatur, vt aduertit Sayrus *suprà*. Scientia verò, quam pro singulis ordinibus Concilium expostulat ea est. Pro prima tonsura inquit *sess. 23. cap. 4. de reformat.* initiandum debere scire legere, & scribere, & fidei rudimenta. Pro ordinibus minoribus vltra hanc scientiam petit *cap. 11.* vt saltem linguam Latinam intelligat, & de gradu in gradu in ordinanda vita meritum, & doctrina maior accrescat, ac tandem maioris scientiæ spes maioribus ordinibus dignos ostendat. Pro subdiaconatu, & diaconatu postulat *cap. 13.* vt sufficienter instructus sit in iis quæ requiruntur ad exercitium ordinis suscipiendi. Et in *cap. 14.* petit pro Presbyteratu aptitudinem ad populum docendum ea quæ omnibus necessaria sunt ad salutem, & ad sacramentum Eucharistiæ conficiendum, & ministrandum. Placet tamen Henriq. *lib. 14. cap. 8. num. 11.* & *lib. 12. de matr. cap. 16. num. 2.* Auila *7. p. de censur. disp. 4. dub. 1.* licitum esse Episcopo ordinare in sacris Religiosum qui bene legit latinè, & cantat, quia hic in aliorum societate, & pro ministeriis Religionis censetur idoneus. Quod si is cui scientia à Concilio requisita defecit ordines suscipiat, poterit ex dispensatione Episcopi in suscepti ordinibus ministrare, dummodo ea scientia polleat, quæ ad præstandum munus iure naturali, & diuino requiritur, vti præcitati Doctores, Henriq. & Auila aduertunt. Parocho autem illiterato dandus est coadiutor assignata congrua sustentatione. Sicuti hæc omnia *tractat. de benefic.* latiùs prosecutus sum.

4 Alter animæ defectus est amentia, quæ sine dubio constituit irregularem, non solùm quando est perpetua, sed quando fuit ad tempus, ita vt licèt sanitatem recuperauerit, adhuc sine dispensatione promoueri non possit, vt colligitur ex *cap. Maritum 33. dist.* Et tradit ex communi S. Antonin. *3. p. tit. 28. cap. 5.* Maiol. *lib. 2. de irregular. cap. 14.* Suar. *disp. 51. sect. 1. num. 3. & 4.* Sayrus *lib. 6. thesauri, cap. 13. n. 3.* Auila *7. p. disp. 3. dub. 4.* Bonac. *t. 1. disp. 7. de irregular. q. 2. p. 1. num 1.* & alij. Quod intelligendum est de amentia quæ sit per modum habitus, scilicet fundata in naturali complexione, & propria organorum læsione, non de illa quæ prouenit ex aliqua febri, aut qualitate transeunte, qua cessante cessat amentia: hæc enim non secum trahit indecentiam, vt bene aduertunt Auila, & Suar. *suprà*. In Clerico tamen iam promoto amentia non deiicit illum ab vsu ordinis, nisi solùm quamdiu durat, aut est periculum in talem defectum incidendi, & aliquam Sacramento irreuerentiam præstandi. Quapropter expedit, ne absque iudicio Episcopi ordinibus ministrandis se immisceat, vt aduertit Sayrus *lib. 6. thesauri, cap. 13. num. 3. in fine.* Argum. *cap. communiter. 33. dist.*

In hac irregularitate existimat Maiol. *dicto lib. 2. cap. 14.* & indicat Sayrus *suprà*, posse Episcopum dispensare non solùm ad vtendum ordinibus susceptis, sed etiam ad illos suscipiendos. Sed contrarium est probabilius solius Pontificis authoritate posse ordinari, qui semel in amentiam per modum habitus cecidit, quia nullibi inuenitur concessa Episcopo potestas, vt notat Suar. *de censur. disp. 51. sect. 1. n. 5.* Bonac. aliis relatis *disp. 7. q. 2. p. 2. num. 13.* 5

PVNCTVM XI.

De irregularitate ex defectu corporis.

1 *Possessio vtriusque sexus viri, & fœmina irregularem facit, etiamsi occulta sit.*
2 *Carentia ætatis requisitæ à iure pro ordinibus suscipiendis, irregularem constituit dum durat.*
3 *Defectus corporis congruentem ordinis vsum impediens, vel notabilem horrorem, seu deformitatem causans, irregularem facit; & explicatur hic defectus.*
4 *Defectus impediens altaris ministerium, impedit cuiuslibet ordinis susceptionem.*
5 *Si defectus corporis ordinato superueniat, tantùm impedit ministerium repugnans dicto defectui.*
6 *In hac irregularitate solus Pontifex dispensat.*

INter defectus corporis enumerari primò potest possessio vtriusque sexus viri, & fœminæ, vt in hermaphrodito, in quo si prævaleat sexus fœmineus incapax esse videtur characteris suscipiendi, quia absolutè fœmina, & non vir reputandus est. Quinimò plures Doctores apud Sayrum, & Bonac. statim referendos, censent incapacem esse iure diuino ordines suscipiendi eum, in quo æquè sexus virilis, & muliebris inualescit, quia nequit absolutè vir reputari. Quod non est certum. Si verò prævaleat sexus virilis, existimat Tolet. *lib. 1. sum. cap. 63. num. 6.* Martin. Fornarius *de ordine, cap. 3. num. 1* non fore irregularem, nisi defectus notus sit. Quinimò Gaspar Hurtado *de irregular. difficult. 14. num. 52.* existimat non esse irregularem, etiamsi defectus notus sit, sicuti non est irregularis eunuchus à natura, & qui in pede habet sex degitos, quia non videtur esse monstruositas deformitatem causans. Sed rectiùs contrarium docuit communis sententia, Glossa & Archidiacon. *in cap. si testis verbo hermaphroditus 4. q. 3.* Nauarr. *cap. 27. num. 203. & consil. 8. de ætate, & qualit. ordinandor.* Suar. *disp. 51. sect. 2. num. 1.* Sayrus *lib. 6. thesauri. cap. 8. nu. 24.* Bonac. *t. 1. disp. 7. q. 2. punct. 2. num. 15.* quia negari nequit eam monstruositatem indecentiam continere, in quo nullus alius à Pontifice dispensare potest, vt alios referens notat Auila *7. p. de censur. disp. 3. dub. 1.* 1

Secundus defectus est carentia ætatis requisitæ à iure pro ordinibus suscipiendis, qui dum durat irregularem facit. Argum *cap. sin. de temporib. ordinat.* & tradit ex communi Couarruu. in *Clement. si furiosus. §. 1. num. 4.* Maiol. *lib. 1. de irregular. cap. 30.* Sayrus *lib. 6. thesauri, cap. 12. num. 1.* Suar. *disp. 51. sect. 2. num. 3.* & alij passim. Quod si aliquis ante legitimam ætatem sacris ordinetur incurrit, vt suo loco dixi, suspensionem ex bulla Pij II. *Cum ex sacrorum*: qua suspensione durante si fortè celebrauerit in nouam irregularitatem incidit. Verùm si à celebratione abstinuit, poterit completa ætate, & à suspensione absolutus siue vlla dispensatione celebrare, quia finita est irregularitas ex defectu ætatis proueniens: vt aduertit Suar. *dicta sect. 2. num. 4.* Sayrus *lib. 6. cap. 12. num. 12.* Nauarr. *c. 27. numero 165.* Bonac. aliis relatis, *disputat. 7. quæst. 2. punct. 4. num. 1.* 2

Tertius defectus irregularitatem constituens est, qui congruentem ordinis vsum impedit, vel notabilem horrorem, seu deformitatem causat, siue ex culpa, siue absque culpa contingat: habetur *cap. 2. de clerico ægrotante, & in cap. 2. & vlt. de corpore vitiatis.* Ex priori capite irregularis est, cui brachium, vel manus deest, aut reddita est manca, *Cap. exposuisti de Corpore vitiatis.* Item si deficiat pollex, vel ita debilis sit, vt Hostiam frangere, vel leuare non possit ex *dicto cap. exposuisti*, & *cap. Presbyterum eodem tit.* Deinde cui visus deficit irregularis est ex *cap. vlt. 55. dist.* quod intelligendum est, si in totum deficiat, absque membri priuatione, modò sine deformitate canonem legere possit, vt aduertit Nauarr. *cap. 27. num. 199.* Auila *7. p. disp. 3. dub. 1. corol. 1.* Bonac. *disp. 7. q. 2. p. 2. num. 2.* Mol. *tract. 3. disp. 70. num. 4. & 6.* Præterea claudus irregularis est, si absque baculo, vel pede ligneo non se valet mouere, aliàs non, vt aduertit Glossa, *e si quis in infirmitate. 55.* 3

dist.Cap.nullus Episcopus, verbo cum baculo de consecrat. dist.1. Nauarr. *cap.27.num.199.* Sayr. *lib.6. cap.8. num.21.* Henriq. *lib.14.de irregular.cap.8.num.1.* Mol. *disp.70. num.9.* Auila 7. *p.disp.3.dub 1.vers.tertio.* Bonac. *disp.7.q.2 p.2. num.15.* Item surdus vtraque aure irregularis est ex canone septimo Apostolorum, quia non potest percipere ministri responsum. Vt notauit Sayrus *dicto cap.8.num.17.* Bonac. *disp.7. q.2.pun.2. num.7.* Nauarr. *lib.1. consilior. cons.7. & 8. de corpore vitiatis edit.2.* Paul Layman. *lib.1. sum. tractat.5.par.5.c.7.numero 1.* Quod si surditas ordinato superueniat, permitti poterit celebrare, sicuti Nauarr. Bonacina & Layman. *suprà*, aduertunt, quia audire ministrum respondentem, non ita necessarium videtur, cùm de responsione moraliter sacerdoti constet. Ex posteriori capite, scilicet ex deformitate, & horrore irregulares censentur quibus nares deficiunt, quia redduntur notabiliter deformes. Ad idem est, si deficiant aures etiam inculpabiliter, nisi fortè capillis tegi defectus possit. Vt notauit Auila *7.p.disp.3.dub.1.vers.sequitur secundo.* Coninc. *disputat.18. dub.14. num.108.* Paul.Layman. *lib.1. tract.5.par.5.cap.7. numero 2.* Bonac. *disp.7.q.2.pun.2.num.8.* & alij apud ipsos. Item si lepra paralypsi, morbo Gallico, gibba, aliáue infirmitate laboret, ex qua deformis notabiliter sit, vt præcitati Doctores notant: habere plures, vel pauciores digitos in manibus aliquando grauem deformitatem, aliquando leuem præstat, ideóque iudicio Episcopi relinquitur, vt aduertit Sayrus *cap. 8.num.19.* Et generaliter iudicium ferre de prædicto defectu, an notabiliter impediat ordinis vsum, vel deformem reddat solius Episcopi est non confessoris, vel alterius viri prudentis, quia illud arbitrium est quasi quædam sententia ad iurisdictionem pertinens; vti colligitur ex *cap.1. de corpore vitiatu*; Et notarunt Henriq. *lib.14. cap.8. num.2.* Sayrus *lib.6. c.7.in fine.* & *cap.8.num.11.* Layman. *lib.1.sum. tract.5. par.5. cap.7.in fine.* Religiosi verò exempti iudicio sui Prælati subduntur, teste Angelo, *verbo corpore vitiatus, num.5.* Armilla *num.3.* Tabiena *in fine.* & Auila *dub.2. circa finem.* Suar. *disp.51. sect.2.num.16.* Tametsi Sayrus *dicto cap.7.in fine*, contrarium sentiat. Poterit autem Episcopus ordines collaturus dictum arbitrium reiicere, seu admittere, vt benè aduertit Suar. & Layman. *loc. alleg.*

4 Difficultas est, An patiens defectum impedientem altaris ministerium suscipere possit alios ordines, à quorum vsu ex vt talis defectus impeditus non est? Videtur affirmare Sayr. *lib.6.thesauri, cap.7. num.8.* quia hæc irregularitas, cùm proueniat ex impedimento vsus ordinis, solùm comparatione illius ordinis cuius vsum impedit constitui debet. Sed rectiùs contrarium censuit Nauarr. *cap.27. num.200.* Vgolin. *de irregular. cap.52. §.1.num.4.* Bonac. *disput.7.q.2.pun.2.numero 18.* quia impeditus à celebratione ob vitium, seu defectum aliquem corporis absolutè est irregularis, & consequenter ab omnium ordinum susceptione excluſus. Nam cùm omnes ordines ad Sacerdotium referantur, excluſus à sacerdotio, ab omnibus ordinibus excluſus censeri debet.

5 Verùm si vitium, seu defectus corporis ordinato superueniat, tantùm impedit ministerium repugnans dicto defectui v.g. Sacerdos carens oculis, aut digitis, impeditur à celebratione, sed non ab audiendis confessionibus, vt constat ex *cap.2. de clerico ægrotante* ibi: *Ipsum autem cæterus sacerdotalibus officijs fungi minimè prohibemus; & hoc siue culpabiliter contingat, siue non*, tradit aliis relatis Suar. *disp.51.sect.2.n.13. & 18.* Molina *tract.3 disp.70.num.14.* Auila 7.*p. disp.3.dub.1. vers. sed circa prædicta.* Sayrus *lib.6. capit.8.numero 7.* Bonac. *disp.7.q.2.p.2.numero 26.* Idem est dicendum de beneficio, si antecedat morbus receptionem beneficij, reddit clericum incapacem illud recipiendi, nisi sit beneficium simplex, ex quo sustentari possit. Si tamen superueniat beneficio recepto non priuat illo etiamsi curatum sit, vt rectè colligit Suar. *supra, ex cap.de rectoribus. & cap.vlt.de clerico ægrotante, vel debilitato* quidquid *ibi* Glossa dicat. Nam esto ab actuali ministerio remoueatur ægrotus, non tamen beneficio priuatur.

6 Hac verò irregularitate supposita solius est Pontificis dispensatio. Vti ex communi docet Nauarr. *cap.27. num.200.* Suar. *disp.51.sect.2. num.18.* Sayrus *lib.6. cap.8. in fine.* Auila 7.*p.disp.3.dub.3.* Couarruu. *Clement. si furiosus 1.p. initio nu.7.* & alij. Excipiunt tamen Angelus, *verbo corpore vitiatus, numero 1.* Syluest. *q.vlt.* Tabiena, & Rosella *eodem.* Auila *suprà.* Maiol. *lib.1. de irregular. cap.14. num.15.* & alij relati à Sayro *suprà*, Religiosum quocum potest Episcopus dispensare. Sed absque fundamento hæc potestas conceditur. Ex priuilegiis autem ferè omnibus religionibus concessis, possunt Prælati regulares cum suis subditis dispensare in hoc defectu, maximè cum defectus ordinationem subsequitur, Sicuti notauit Layman. *lib.1.sum.tract.5.par.5.c.7. n.3. circa finem.*

PVNCTVM XII.

De irregularitate proueniente ex mutilatione proprij corporis.

1 *Partem sui corporis etiam vsum ordinis non impedientem per indignationem abscindens, vel abscindi permittens irregularis est.*
2 *Nec opus est delictum notorium esse, vt aliqui volunt.*
3 *Ex eo quòd causam præstes culpabilem, vt tibi virilia, vel quodlibet aliud membrum amputetur, non censeris irregularis.*
4 *Non videtur improbabile te irregularem non fore, tametsi testiculos abscindi feceris causa vocis retinendæ.*
5 *Imbecillitas membri, aut eius carentia absque propria culpa contingens si celebrationem non impedit, nec deformitatem causat, non inducit irregularitatem.*
6 *Episcopus in hac irregularitate dispensare potest, si mutilatio occulta fuerit.*

QVi partem sui corporis etiam vsum ordinis non impedientem sibi per indignationem, aut zelo indiscreto abscindit, vel abscindi permittit irregularis est, ex expresso Textu in *c.qui partem.55. dist.* cuius ratio *ibidem* subiungitur, quia in ea irregularitate indicenda non consideratur tantùm defectus ex abscissione relictus, sed voluntas est iudicata, quæ sibi causa ferrum iniicere. Idem colligitur ex *cap. maritum.33. dist.* & *c.si quis abscinderit.55. dist. per totam*, & tradunt ferè omnes Doctores, vt videre est in Nauarr. *cap.27. numero 198.* Molin. *tract.3. disputat.67. in fine.* Sayro *lib.6.thesauri, cap.7. numero 13.* Suar *disp.51.de censur. sect.2.à numero 7.* Bonac. *t.1. disputat.7. q.2. pun.2. numero 29.* & aliis apud ipsos. 1

Sed an debeat esse notoria tam culpa, quàm partis abscissio? Dissentiunt Doctores. Affirmant Nauarr. *c.27.num.198.* Henriq. *lib.14. cap.8.num.4.* Couarruu. *Clement. si furiosus in princ. numero 6.* Auila, 7.*p.de irregular. disp.3.dub.1. vers. præterea.* Gregor. de Valen. *t.4. disput.7. q.19. in 2. specie irregularit.* Et indicant plures relati à Sayro *lib. 6. thesauri, cap.7. num.13.* Sed contrarium videtur verius, quia hæc irregularitas non tam nititur notorietati culpæ, quàm excessui, & fœuitiæ, quam quis secum exercuit. Sicuti tradit Sayrus *lib.6. thes.c.7.n.12.* Molin. *tract.3. de iust. disp.70. n.16.* & *disput.67. num.8.* Garcia *de benefic.7.p.c.12.num.5.* 2

Ex eo autem quòd causam dederis culpabilem, vt tibi virilia, vel aliquod aliud membrum amputetur à Iudice, vel à marito ob adulterium commissum, existimant Vgolin. *tract. de irregular.c.18.num.4.* Suar. *disp.51.sect.2.n.8.* Bonac. *disp.7. q.2.pun.2.num.33.* Paul. Layman. *lib.1. sum. tract.5. par.5. cap. 7.in fine.* Molina *tract.3. disp.70.num.18.* Auila 7. *p. de irregular. disp.3.dub.1. vers. sequitur*, te fore irregularem. Sed certè nullo Textu, id probatur, & irregularitas non incurritur nisi in casibus à iure expressis. Etenim omnes Textus hanc irregularitatem indicentes expresè loquuntur de eo qui sibi ex indignatione, vel zelo indiscreto castitatis membrum amputauerit per se, vel per alium, nullus autem textus loquitur de eo qui amputationi causam dedit. Ergo non est indicenda irregularitas. Sicuti defendit Tolet. *lib.1. sum. cap.82. in nouiss. edit.* Garcia aliis relatis *de benefic.7.p.cap.12. num.7. & seqq.* Coninch. *disp.18. de irregular.dub.13. num.108.* Galpar. Hurtado *de irregul.difficul.14.num.52.* 3

Quinimo non videtur improbabile te irregularem non fore, tametsi testiculos abscindi feceris causa vocis retinendæ, quia non feciſti ex indignatione, aut iusto, vel iniusto timore castitatis amittendæ, prout requiritur in *dicto capite maritum. Cap.qui partem. Cap. si quis abscierit*, & aliis *superiùs* relatis. Præterea nullus Textus hanc irregularitatem indicens, loquitur de eo qui sibi testiculos abscidit, sed de eo qui sibi virilia abscindi fecerit, quod diuersum est. 4

Illud tamen est à Doctoribus receptum. Couarruu. *Clem. si furiosus.1.p. initio. num.5.* Nauarr. *cap.27. num.199.* Suar. *disp.51.sect.2.num.10.* Henriq. *lib.14.cap.8.num.4.* Bonac. *disput.7.q.2.pun.2. num.29.* Auila 7.*p.disp.3. dub.1.* & aliis, imbecillitatem membri, aut eius carentiam absque propria culpa contingentem, si celebrationem non impedit nec deformitatem causat, non inducere irregularitatem. Exempla sunt, si natus fuisti absque pudendis, aut per vim à parentibus castratus, aut consilio medici, vel chirurgi ob valetudinem, aut ab infidelibus, aut inimicis in odium fidei. Neque membrum abscissum, seu illius cineres obligaris (vt falsò putat vulgus) tecum deferre, quia id nullo iure cauetur. Sicuti aduertit Nauarr. *cap.27. numero 200.* Couarruu. *suprà, num.5.* Mol. *disp. 70. num.15.* Tolet. *cap.57.* Bonac. *num.31.* Layman. *cap.7. circa finem.* 5

Circa dispensationem huius irregularitatis præcedentis ex mutilatione voluntaria sui dicendum est si facta sit abscissio ante 6

integri membri, & sit occulta poterit Episcopus dispensare virtute Conc. Trident. *sect. 24. cap. 6. de reformat.* Sicuti notarunt Angel. *verbo corpore vitiatus n. 1.* Sylvest. *q. 10.* Henriq. *lib. 1. c. 8. num. 4. litt. A.* Auila *7. p. disputat. 3. dub. 3. conclus. 2.* Et idem est inquit Auila, si abscissio casu contingeret ex propria culpa, dummodò occulta sit culpa, tametsi abscissio sit notoria.

PVNCTVM XIII.

De irregularitate proueniente ex defectu libertatis.

1 *Carentia libertatis dum adest irregularem constituit.*
2 *Seruus sciente, & non contradicente domino ordinatus, liber est.*
3 *Si domino ignorante ordinetur, graue peccatum committit. Et manet seruus, si solùm minoribus initietur.*
4 *Quid si maioribus initietur domino ignorante.*
5 *Seruus in Presbyterum ordinatus domino ignorante, non reducitur in seruitutem, sed peculium amittit, & domino reddit.*
6 *Obligatio rationem reddendi alicuius administrationis à republica acceptæ, irregularem constituit, dum durat.*
7 *Extenditur ad eos qui alicuius personæ priuatæ non miserabilis administrationi obligati sunt.*
8 *Tametsi prædicti administrationem deponant, si rationem illius non reddiderint ab ordinibus repelluntur.*
9 *Finita administratione si lis moueatur de dolo, nequaquam potest ad ordines promoueri ante finitam litem.*
10 *Secus est si fideiussorem idoneum exhibeas.*
11 *Item si deposita administratione, & illius ratione dedità debitor existas, non obinde ab ordinibus excluderis.*
12 *Ex obligatione aliorum contractuum non es excluſus ab ordinibus.*
13 *A supradicta doctrina excipiuntur Regij Consiliarij, qui ex consuetudine, aut priuilegio ad ordines promouentur non deposita administratione.*
14 *Ob administrationem rerum Ecclesiæ, seu personæ Ecclesiasticæ, & ob administrationem, quæ per se spectata opus sit pietatis, non inducitur irregularitas.*

1 INter defectus bonorum temporalium, primò enumeratur carentia libertatis, quæ absque dubio constituit irregularem quandiu durat, vt constat ex plurib⁹ capitibus 54. *dist.* & ex *toto tit. de seruis non ordinandis*, quia Ecclesiasticum statum, eiúsque honorem dedecet seruitutis humilitas. Dupliciter contingere potest seruum ordinari vel sciente, & non contradicente domino, vel illo ignorante, aut contradicente.

2 Si seruus, seu mancipium sciente, & non contradicente domino ordinetur in clericum, hoc est primæ tonsuræ, eo ipso manet liber, vt habetur expressè *capit. si seruus. 54. dist.* Neque amplius tenetur seruus suo domino deseruire ex iustitia, quia supponitur absolutè manumissus, iuxta *cap. Nulli. & cap. quicunque 54. dist.* Potest tamen dominus manumissionem concedere non absolutè, sed sub ea conditione, vt postquam fuerit ordinatus in ministerio ordinibus non repugnante, deseruiat domino. Vti supponi videtur in *cap. Nullus de seruis non ordinand.* vbi seruus nolens domino Horas canonicas psallere iubetur degradari. Neque in contrarium est *cap. quicunque 54. dist.* vbi dicitur nullatenus esse ad ordinem clericatus promouendos seruos, qui retento obsequio manumissi sunt, quia loquitur textus de retentione obsequij temporalis ordini clericali repugnantis, siquidem concludit Textus, nequando voluerint eorum domini, fiant de Clericis serui. Sic Glossa *in dicto cap. Nullus.* Et *ibi* Panormit. & Turrecremata. Suar. latè expendens *disputatio. 51. sect. 2. numero 4.* & præcipuè *numero 8.* Layman. *lib. 1. tract. 5. part. 5. capite 8. num. 1.*

3 Quod si ignorante domino, & à fortiori sciente, & contradicente seruus ordinetur grauiter peccat, vt constat ex *toto tit. de seruis non ordinand.* quippe domino graué iniuriam irrogat, & graue detrimentum attentat inferre. Verùm si solùm minoribus initietur, manet seruus sicut antea, vt tradunt omnes Doctores ex decisione textus in *cap. de seruorum. de seruis non ordinand.* ibi: *Si seruus fugiens dominum suum, &c. ad gradus peruenerit Ecclesiasticos, decretum est vt deponatur, & eius dominus eum recipiat.* Et ex *cap. frequens 54. dist.* vbi id expressiùs habetur.

4 Verùm si maioribus ordinibus initietur domino ignorante, & à fortiori sciente, & contradicente, Episcopus ordinans conscius huius malitiæ, aut illo ignaro qui testimonium perhibent, aut supplicauerint ordinari, obligantur domino satisfacere in duplum hoc est duplicem seruum loco serui ordinati reddendo, vel duplicatum pretium illius quod æstimatur quam obligationem existimat Suar. *disp. 51. sect. 3.* adesse ante Iudicis sententiam, quia hæc est lex dispositiua, vt obligetur dominus seruum sic ordinatum dimittere. Sed rectius placuit contrarium Bonac. *disp. 7. q. 2. p. 4. num. 3.* quia opus non erat duplicatam satisfactionem Episcopo ordinanti, aut ordinationis mediatoribus indicere, vt dominus seruum ordinatum dimitteret. Satis enim erat, si integram satisfactionem iure naturæ debitam præstare obligarentur. Ergo illa duplicata satisfactio in pœnam delicti commissi statuitur, ac proinde iudicis sententiam saltem declaratoriam delicti exigit. Quòd si hanc duplicem satisfactionem non exhibuerint, non liberatur seruus, neque dominus tenetur illum dimittere. Sicuti deciditur *capit. si seruus absente domino 54. dist.* Et *ibi* Glossa, & Panormit. *in capite 2. de seruis ordinand.*

At si Episcopus ordinans, & alij omnes ignari fuerint seruituris, tenetur ipse seruus hanc duplicem recompensationem facere, vel saltem reddere vicarium pro se æqualem, vt dicitur in *cap. ex antiquis 54. dist.* Quam satisfactionem si præstare non potuerit, & ordinatus fuerit subdiaconatu, vel diaconatu tantùm, redigitur in seruitutem, vt domino obsequatur in omnibus ministeriis quæ ordinem susceptum non dedeceant, Argum. *d. cap. ex antiquis.* & notauit Suar. *disput. 51. sect. 3. num. 3. & 10.* Bonac. *t. 1. disp. 7. q. 2. p. 4. num. 3.* Gaspar Hurtado *de irregular. difficult. 17.* Debet tamen dominus intra annum à die scientiæ ordinationis computandum repetere suum seruum, aliàs manebit liber; interim tamen ordinum susceptorum vsus ei interdictus est. Sicuti aliis relatis comprobat Sayr. *lib. 6. thesauri, cap. 14. num. 4. & 5.* Suar. *supra.* Reductus verò in seruitutem antiquam omni priuilegio clericali nudatus est, & omni sacrorum ordinum vsu priuatus. 5

Potrò seruus in Presbyterum ordinatus domino ignorante, vel contradicente non reducitur in seruitutem, etiamsi domino integra satisfactio fieri non possit, sed peculium amittit, & domino reddit ex *dicto cap. ex antiquis.* Quod si peculium non habuerit obligabitur satisfacere in ministeriis sui officij iuxta textum in *cap. frequens.* & *cap. ex antiquis 54. dist.* Quod, vt inquit Suar. *disp. 51. sect. 3. à num. 3.* statutum est tum in reuerentiam Sacerdotalis ordinis. Tum quia illud ministerium est altius, & vtilius domino, & ideò in re ipsa non grauiter læditur. Quamuis propter excellentiam ministerij, id non fiat per modum compensationis, quia res temporalis non potest in compensationem cum spirituali venire. Consentit Sayrus *lib. 6. cap. 14. num. 6.* Bonac. *disp. 7. q. 2. pun. 4. n. 3.* Gasp. Hurtado *diffic. 17.* Paul. Layman. *lib. 1. tract. 5. par. 5. c. 8. num. 8.*

Alter defectus libertatis irregularem constituens est obligatio rationem reddendi alicuius administrationis à Republica acceptæ, qualem habent Thesaurarij, Depositarij, Procuratores, Actores, Executores, Aduocati, Magistratus, Iudices rerum temporalium: dum enim illà munia exercent ab ordinibus repelluntur partim in honorem status clericalis, quem dedecet harum rerum administratio, partim ne Ecclesia dolo fauere præsumatur, quod committere præsumuntur qui durante hac administratione ordines suscipiunt, quippe creduntur non amore diuini obsequij, sed fugiendi ratiocinia ordinibus initiari: sicuti colligitur ex *capit. vnico de obligatis ad ratiocinia.* & ex *capit. 1. 2. & 3. dist. 51.* & *capite 3. dist. 54.* 6

Hæc irregularitas extenditur ad eos qui alicuius personæ priuatæ non miserabilis administrationi obligati sunt, vt sunt tutores, curatores, procuratores pupillorum, vt constat ex supradictis textibus, *cap. de obligatis ad ratiocinia.* & *c. 3. dist. 54.* & docent omnes. Quinimo extendi debet ad eos seruos originarios, & ascriptitios qui suis dominis personaliter obsequi obligantur. Item ad feudatarios qui ratione possessionis habitæ obsequium personale exhibere suis dominis tenentur. Vti colligitur ex *cap. admittuntur.* & *cap. generalis dicta 54. dist.* quia hi omnes suæ administrationis rationem reddere tenentur, vt tradunt ex communi sententia Sayrus *lib. 6. cap. 14. num. 8. 9. & 12.* Paul. Layman. *lib. 1. sum. tract. 5. par. 5. c. 8. num. 2. & 3.* Bonac. *t. 1. disputat. 7. q. 2. p. 4. numero 4.* 7

Solùm est dubium, an si deponant administrationem, tametsi rationem illius non reddiderint ad ordines possint ascendere? Affirmare videtur Glossa & Panormit. *in cap. vn. de obligatis ad ratiocinia.* Tolet. *lib. 1. c. 60.* eo quòd *in c. 1. Ne Clerici, vel Monac. & c. 1. 2. & 21. q. 1.* supradicti arcentur ab ordinibus nisi officio finito. Sed contrarium meritò docuit communis sententia, teste Suar. *disp. 51. sect. 3. n. 11.* Sayr. *lib. 6. cap. 14. num. 5.* Bonacina *disput. 7. q. 2. p. 4. num. 4.* Gasp. Hurtado *de irregular. difficul. 18.* Paul. Layman. *lib. 1. sum. tract. 5. par. 5. cap. 8. num. 3.* quia in *dicto cap. vnico*, vtrumque requisitum est, & quòd dicta administratione abstinuerint, & quòd illius rationem reddiderint. Præterquam quòd præcipuè ob obligationem reddendi administrationis rationem, ab ordinibus repelluntur. 8

Illud

9 Illud est certum in quo etiam oppositæ sententiæ Doctores conueniunt, si finita administratione tibi moueatur lis de dolo, nequaquam potes ad ordines promoueri ante finitam litem. Argum. *cap. tantis. 81. dist.* & *ibi* Glossa, *verbo obrepsit.* & Archidiacon. Debet tamen taxari tempus intra quod quæstio decidatur, & interim si te Episcopus promouerit, ipse tenetur in tui defectum satisfacere. At tempore designato elapso, & actore nihil probante ordinari poteris: vti ex communi notat Sayrus *dicto lib. 6. thesauri, cap. 14. num. 8.* Idem quod dictum est de eo cui lis mouetur de dolo ob administrationem depositam, dicendum est si in procinctu sit, vt moueatur, aut manifestum sit de dolo teneri, vt benè aduertit Sayr. *suprà* ex Glossa *in d. c. vnico, verbo ratiocinia de obligatis ad ratiocin.* quia hæc pro eodem reputantur.

10 Secundò certum esse debet, si administratione deposita fideiussorem idoneum exibeas, qui rationem administrationis promittat redditurus, & debita soluturus in tui defectum poteris ad ordines promoueri, quia cessat doli præsumptio. Et idem est, si bonis cesseris, dummodò hæc cessio in dedecus status Ecclesiastici non cedat. Sicuti hæc adnotarunt Panormit. *in cap. vnico num. 60. de obligat. ad ratiocinia.* Archidiacon. *in cap. præterea. 51. dist.* Maiol. *lib. 2. de irregular. c. 11. n. 14. & 25.* Sayr. *lib. 6. thesauri, c. 14. num. 11.* Bonac. *disp. 7. q. 2. par. 4. num. 4. & 5.*

11 Tertiò certum debet esse deposita administratione, & illius ratione reddita te ab ordinibus non esse repulsum, esto debita ex administratione contracta non solueris, quia nullibi ob obligationem debiti soluendi excluſus es ab ordinibus, vt aduertit Suar. *disp. 51. sect. 3. num. 23.* Bonac. *n. 5.* & *in fine.* Paul. Laym. *dicto c. 8. n. 3.*

12 Quartò est certum, si obligatus sis ex mutuo, conducto, depositio, promissione, emptione, venditione, aliòve contractu nullam administrationem continente reipublicæ, vel priuatæ personæ ad reddendam rationem ab ordinibus non arceris; quia iis tantùm qui ad ratiocinia occasione alicuius administrationis obligati sunt irregularitas indicitur: & cùm hæc sit dispositio pœnalis non debet ad alios casus extendi. Sicuti tradit Glossa *in cap. præterea verbo functionibus. 51. dist.* Panormit. *cap. vn. num. 10. de obligatis ad ratiocin.* Maiol. *lib. 2. de irregular. cap. 11. num. 9.* Sayrus *lib. 6. thesauri, cap. 14. num. 8.* Suar. *disp. 51. sect. 3. num 1. & seqq.* Bonacina *disp. 7. q. 1. p. 4. num. 3.* Excipe nisi mota fuerit lis de dolo; quia eo casu abstinere ab ordinibus debes, quousque lis finiatur, vel actor non probauerit dolum intra tempus à iudice designatum: vt aduertit Suar. & Bonac. *loc. alleg.*

13 Ab hac doctrina excipiuntur regij consiliarij ad causas ciuiles iudicandas statuti ex tacita concessione Pontificis, seu consuetudine, aut priuilegio, quia eorum officium non videtur ordinem clericalem dedecere. Sicuti tradit Panormit. *in cap. clericis, num. 10. Ne clerici, vel monachi. Cap. Non est de Voto.* Salcedo *pract. cap. 61.* Gregor. Lopez, *leg. 48. tit. 6. par. 1.* Suar. *disp. 51. sect. 3. num. 19.* Gaspar Hurtado *de irregular. difficult. 18. in fine.* Paul. Layman. *lib. 1. sum. tract. 5. par. 5. cap. 8. num. 4.*

14 Notanter *in superioribus* dixi *irregulares esse rerũ temporalium administratores etiam alicuius priuatæ personæ non miserabilis*, nam ob administrationem rerum Ecclesiæ, seu personæ Ecclesiasticæ qua talis est, & ob administrationem, quæ per se spectata opus sit pietatis, & misericordiæ, qualis est esse tutorem, vel curatorem pupilli, vel minoris indigentis, procuratorem viduæ humano subsidio destitutæ ab ordinibus non repelleris. Argum. *cap. 1. Ne Clerici, vel Monachi.* & *cap. monachi 16. q. 1. Cap. peruenit. dist. 76. Cap. iudicatum 89. dist.* & tradit ex communi Panormit. & alij in *d. cap. vn. de obligatis ad ratiocin.* Maiol. *lib. 2. de irregular. cap. 11. num. 9.* Sayr. *lib. 6. thesauri, cap. 14. num 8.* Suar. *disp. 51. sect. 3. num. 17.* Bonac. *disp. 7. q. 2. p. 4. num. 4.* Layman. *c. 8. num. 3.* Gaspar Hurtado *difficult. 18.*

PVNCTVM XIV.

De irregularitate orta ex homicidio, vel mutilatione authoritate publica facto.

HÆc irregularitas ex defectu perfectæ lenitatis dicitur, quia Iudex sententiam sanguinis proferens, & illam exequentes repræsentare non possunt perfectam lenitatem, & mansuetudinem Christi Domini, qui non aliorum sanguinem fudit, sed proprium fundi permisit in totius mundi redemptionem. Sed qui multi sunt qui his sententiis immiscentur: de omnibus est figillatim dicendum, vt videamus qua ratione contrahant hanc irregularitatem, vel ab illa excusentur.

§. I.

De Iudice, & Assessore.

1 *Iudex sententiam homicidij, vel mutilationis ferens, irregularis est.*
2 *Eadem irregularitate innodatur assessor.*
3 *Ex eo quòd Prælatus Ecclesiasticus iurisdictionem temporalem habens, constituat iudices, & ministros, vt causam sanguinis exequantur, non est irregularis.*

PRæcipua persona in hac materia est Iudex sententiam homicidij, vel mutilationis ferens, de quo manifestè constat irregularem esse. *Cap. aliquantos 51. dist.* & colligitur ex variis textibus, in quibus præcipitur, ne sententia sanguinis ab Ecclesiasticis iudicibus infligatur. *Cap. in Archiepiscopatu de Raptorib. Cap. litteris de excessib. prælator. Cap. sententiam sanguinis. Ne clerici, vel monachi.* & *aliis textibus 23. q. 4. & 8.* Quocirca cùm Iudex Ecclesiasticus aliquem dignum morte inuenit, si Clericus est illum degradat, & brachio sæculari remittit, vt iuxta qualitatem delicti eum iudicet, & sententiam proferat, ac tandem exequatur. Non enim Iudex Ecclesiasticus sententiam sanguinis profert, sed proferendam, & exequendam remittit sæculari iudici. At quia hæc remissio cùm illis circumstantiis censetur quædam cooperatio ad mortem priori ratione, quàm si furem detineret, vel authoritate publica ad supplicium deferret; ea de causa apud iudicem sæcularem intercedit, vt citra mortis periculum circa eum sententiam moderetur, hoc est misericorditer se cum illo gerat, iuxta textum in *cap. nouimus de verbor. significat.* & *leg. regia 60. tit. 6. part. 1.* quam intercessionem apponunt non vt sententiam mortis impediant, sed vt significent quantum est ex parte sua, illam non procurare. Hac igitur intercessione apposita liberari Iudicem ab irregularitate admittunt communiter Doctores Couarruu. *Clement. si furiosus 2. p. §. 9. num. 6.* Suar. *disp. 47. sect. 1. num. 11.* Sayrus *lib. 6. thesauri, cap. 16. num. 4.* Coninch. *disp. 18. dub. 10. numero 91.* Auila *7. p. de censur. disput. 5. sect. 2. dub. 2.* Bonat. *disput. 7. q. 4. p. 1. numero 3.* & alij passim. Inquisitoribus verò hæreticæ prauitatis hac intercessio necessaria non est, quia tantùm illis prohibita censetur mortis, seu mutilationis executio, non tamen illius sententia, ex Bulla quadam Pauli IV. concessa 29. Aprilis, anno 1557. quam Pius V. confirmauit, & extendit ad omnes Inquisitores, Commissarios, Vicarios, & Consultores, sicuti referunt Pegna *direct. 1. inquisit. 2. p. comment. 20.* Henriq. *lib. 14. de irregular. cap. 12. num. 5.* Auila *suprà.* Vnde possunt inquisitores instare pro executione sententiæ, si casu negligentes fuerint iudices sæculares. Sicuti aduertit Medina *lib. 1. sum. cap. 11. §. 10.* Tabiena *verbo irregularitas 2. p. §. 13.* Henriq. & Auila *suprà.*

2 Assessor Iudicis siue Ecclesiastici, siue sæcularis sententiam sanguinis proferentis eadem irregularitate, ac Iudex innoluitur, quia complet personam iudicis sententiæ defectum supplens. Sicuti ex communi aduertit Sayrus *dicto cap. 16. numero 4.* Paul. Layman. *lib. 3. sect. 5. tract. 3. par. 3. capite 7. numero 1.*

3 Ex eo autem quòd Prælatus Ecclesiasticus iurisdictionem temporalem habens constituit iudices, & ministros, vt causam sanguinis iudicent, & exequantur iuxta leges, & iuris dispositionem, nullatenus irregularis est, tametsi hæc ministrorum constitutio, & designatio pro casu aliquo particulari fiat; quia non proximè, & immediatè morti cooperatur. Sicuti notarunt. Glossa *cap. ex litteris. verbo ne iudicent.* & *ibi* Abbas *num. 11. Ne Clerici, vel Monachi.* Molin. *t. 3. disp. 8. n. 1.* Auila *7. p. de irregular. sect. 2. disp. 5. dub. 4.* Paul. Layman. *lib. 3. sum sect. 5. tract. 3. par. 3. cap. 7. concluſ. 3.* Coninch. *disp. 18. n. 91.* Gaspar Hurtado *de irregular. difficult. 11. num. 42.* Et colligitur apertè ex *cap. vlt. Ne Clerici, vel Monachi in 6.* secùs esset si Prælatus mandaret iudici à se designato, vt sententiam sanguinis hoc, vel illo casu proferret, quia eo mandato directè morti cooperatur. Sed quia non cooperatur vt minister publicus, sed vt persona quædam particularis, cui cooperatio directa ad mortem interdicta est, ideò eius irregularitas, si ex hoc mandato contrahitur, potius est ex delicto, quàm ex defectu lenitatis. Quod sine dubio verum est, si ipse Prælatus sententiam sanguinis proferret, eámque iudici à se designato mandaret exequi; quia illa sententia ex defectu iurisdictionis est nulla, & iniusta, & consequenter illius executio; vt benè notarunt Henriq. *lib. 14. cap. 12. num. 6.* Auila *7. p. de irregular. disp. 5. sect. 2. dub. 4. concluſ. 3.* Paul. Layman. *dicto capite 7. concluſ. 3.*

§. II.

De accusatore, & denunciatore qualiter irregularitatem contrahant, & ab illa excusentur?

1 *Accusator, seu denunciator, si ex vi suæ denunciationis moriatur, aut mutiletur accusatus, irregularis est.*
2 *Accusantes in causa propria excusantur ab irregularitate, si protestentur expresè se pœnam sanguinis non intendere, sed satisfactionem.*
3 *Hæc protestatio non solùm Clericis, sed etiam laïcis necessaria est.*
4 *Protestationi locus tantùm est in actione ciuili, non criminali.*
5 *Si actionem ciuilem intentes ad recompensationem damni illati, tametsi accusatus paratus sit damnum compensare independenter à præcepto Iudicis, irregularitatem euitas protestatione facta, dummodo alia via quàm punitione reparatio damni præstari possit.*
6 *Quando censeatur accusatio, seu denunciatio instituì in causa propria, non in aliena.*
7 *Protestatio in causa aliena non excusat irregularitatem.*
8 *Probabilissimum est irregularitatem non constitui ex accusatione aliena causa, cuius damnum alia via auerti nequit.*
9 *Quæ dicta sunt de accusatore, dicenda sunt de declamante, detinente, & comprehendente.*
10 *Si detentus ab ipsis supernenientibus occidatur, detentor irregularis non est.*

1 ACcusator, seu denunciator si ex vi suæ denunciationis, aut accusationis moriatur; aut mutiletur accusatus, seu denunciatus in irregularitatem incidit. Vti colligitur ex *cap. sententiam. & cap. Clerici. Ne Clerici, vel Monachi*, & tradunt omnes. Debet autem mors, seu mutilatio ex accusatione, vel denunciatione consequi: nam si aliundè proueniat, accusanti, vel denuncianti imputanda non est: vti contingit, si de crimine leui nec morte, nec mutilatione digno reum accusares, & iudex limites iustitiæ excedens eum morti traderet, vel deformaret, nullatenus irregularis esses; quia mortis, seu deformationis causa non fuisti. Sicuti notauit Couarruu. *Clement. si furiosus 2. p. §. 5. num. 2.* Bernard. Diaz *pract. cap. 98. num. 3.* Nauarr. *cap. 27. num. 214.* Sayrus *lib. 6. thesauri, cap. 16. num. 7.* Paul. Layman. *lib. 3. sum. sect. 5. tract. 3. par. 3. cap. 7. circa finem. vers. aliter verò.* Suar. *disput. 47. sect. 3. num. 18.* Bonac. *disp. 7. q. 4. pun. 2. num. 7.* Et colligitur ex *cap. postulasti de homicidio*, & indicat Glossa *in cap. 2. de homicidio in 6.* Idem est, si huic accusato de crimine leui, & detento in carcere superueniant alterius delicti denunciationes, & probationes, ob cuius rationem morte, vel mutilatione damnetur, tu qui de delicto leui accusasti irregularitatem non contrahis; quia per se damnationis causa non es, vt expresè notant Couarruu. Sayrus, Bonacina & Layman. *locis allegatis.* Quocirca vt accusans, vel denuncians in irregularitatem incidat, opus est, vt accusatio, vel denunciatio causa sit per se mortis, vel mutilationis.

2 Verùm quia sæpè contingit tam Clericos, quàm laïcos iniuriam pati, qui si accusationem instituere timore irregularitatis non possent, iniuriatores audaciores fierent; ea de causa ius prouidit qualiter absque periculo irregularitatis possent contra sic delinquentes insurgere, & illos accusare etiam in casu quo sibi constet esse morte damnandos. Quod factum est in *cap. 2. de homicidio in 6.* vbi accusantes, seu denunciantes in causa propria, excusantur ab irregularitate, si protestentur expresè se pœnam sanguinis non intendere, sed satisfactionem. Neque opus est vt hæc protestatio ex voluntate, & animo ne accusatus occidatur, procedat, nam etiamsi illius occisionem intendas, modò exterius intentionem non manifestes, sed potiùs oppositum protesteris, irregularitatem euitas; quia in Textu non cauetur protestationem debere ex animo fieri, & in exteriori foro eiusdem rationis est protestatio ficta, ac protestatio vera. Sicuti ex communiori sententia docent Couarruu. *Clement. si furiosus 2. p. §. 5. num. 2. vers. sexto.* Felin. *in cap. postulasti de homicidio in fine.* Paz. *pract. t. 1. par. 5. cap. 3. num. 23.* Henriq. *lib. 14. cap. 11. circa finem.* Suar. *disp. 47. sect. 2. num. 3.* Auila *7. p. disp. 5. sect. 2. dub. 9. concluſ. 3.* Bonac. *t. 1. disput. 7. q. 4. pun. 2. num. 11.* Layman. *lib. 3. sum. sect. 5. tract. 3. par. 1. cap. 7. in fine*, & alij apud ipsos: tametsi contra sentiant Syluest. *verbo homicidium 2. q. 8.* Nauarr. *sum. cap. 27. num. 216.* Tolet. *lib. 1. cap. 82. num. 5.* Neque item necesse est hanc protestationem fieri simul ac formatur accusatio. Satis enim est, si ante prolationem sententiæ in ipso iudicio fiat; ex hoc namque sufficienter indicatur accusatorem accusati mortem non quærere. Sicuti adnotauit Couarruu. *d. §. 5. n. 1.* Henriq. *n. 5.* Suar. *num. 1.* & Auila *suprà.*

3 Hæc protestatio non solùm Clericis, sed etiam laïcis necessaria est, eo quòd accusatio per se ad defensionem non tendit, sed ad punitionem, ne tamen ipsa punitio accusatori adscribatur, remedium protestationis est à iure inuentum. Et licet in *dicto cap.* Clericorum tantùm mentio facta fuerit, id factum est quia clericos magis quàm laïcos decebet accusatio; & quia ipsi absque vrgenti occasione causæ sanguinis se immiscere non possunt. Atque ita docuerunt Nauarr. *c. 27. n. 213.* Suar. *disp. 47. sect. 2. n. 6.* Molina *t. 3. disp. 74. num. 9.* Bonac. *t. 1. disp. 7. q. 4. p. 2. n. 12.*

4 Ex his infertur protestationi locum tantùm esse in actione ciuili non criminali. Nam si criminaliter accuses, vel denuncies; ea ipsa accusatione protestaris punitionem quærere, ac proinde protestationem factam facto contrario destruis. Sicuti rectè ex communi notarunt Suar. *dicta sect. 2. numero 10.* Auila. *7. p. disp. 5. sect. 2. dub. 10.* Layman. *lib. 3. sum. sect. 5. tract. 3. p. 3. cap. 7. vers. tertio dixi.* Quod adeò verum est, vt etiamsi petas vindictam citra deformationem non excuseris ab irregularitate protestatione facta, quia petita vindicta non est in tua potestate limitare pœnam, sed necessariò Iudex iuxta delicti qualitatem illam infligere debet, & cùm sit ad tui instantiam, causa eris deformationis, neque protestatio vtpote facto contraria, tibi proderit.

5 Dubium tamen est; An si actionem ciuilem intentes ad recompensationem damni illati, ipse tamen accusatus, vel denunciatus paratus sit damnum compensare independenter à præcepto Iudicis, & ab accusatione instituta, irregularitatem euites protestatione facta? Videris nequaquam euitare, quia eo casu conuinceris non satisfactionem sed punitionem quærere; siquidem satisfactionem tibi oblatam admittere renuis. Sed distinguendum est, si nullâ aliâ viâ quàm punitione tibi est damnum reparandum, & illius reparationem procuras, conuinceris manifestè punitionem quærere, atque adeò protestatio in contrarium facta friuola est, & per accusationem eliditur. Verùm si reparatio damni aliâ viâ quàm punitione præstari potest, credo te posse absque timore irregularitatis accusationem, seu denunciationem instituere. Quia liberum tibi est reparationem damni velle ex manu iudicis, & authoritate publica obtinere, quippe sic obtenta honorabilior est. Sic Bonac. *disp. 7. q. 4. p. 2. n. 2.*

6 Rursus hæc protestatio irregularitatem excusat, cùm accusatio, seu denunciatio instituitur in causa propria non in aliena, vt expresè colligunt Doctores, Nauarr. *cap. 27 num. 213.* Couarruu. *2. p. relect. in Clement. si furiosus. §. 5.* Suar. *disp. 47. sect. 2. à prine.* Molin. *tract. 3. disp. 8. num. 3. & disp. 74.* & alij passim ex *cap. 2. de homicidio in 6.* Quod si roges quando censenda est accusatio instituì in causa propria, quando in aliena? Respondeo censeri in causa propria institutam, si instituta sit in defensionem, seu reparationem tui honoris, famæ, vel rerum temporalium, vel in reparationem parentum, filiorum, fratrum, alteriusue similis consanguinei, vel cognati. Quinimo existimo te causam propriam prosequi esse censendum, si causam tui consanguinei, vel cognati intra quartum gradum prosequaris; quia consanguinei, & cognati ita inter se coniunguntur, vt bonum, vel damnum alicuius omnium esse censeatur. Sicuti indicat Couarruu. *dicta Clement. si furiosus 2. p. §. 5. num. 4. vers. vndecimò.* Henriq. *lib. 14. cap. 11 num. 4.* Auila *7. p. de irregularit. disp. 5. sect. 2. dub. 11. concluſ. 1* Molina *tract. 3. disp. 44. num. 11.* Paul. Layman. *lib. 3. sect. 5. tract. 3. par. 3. cap. 7. concl. 5.* & probabile reputat Suar. *disp. 47. de censur. sect. 2. num. 17.* Bonac. *disp. 7. q. 4. p. 2. n. 4.* Deinde sub causa propria, bona propriæ Ecclesiæ continentur cùm ad ipsum pertineant. Sicuti ex communi docet Henriq. *n. 5.* Suar. *num. 10.* Auila *dub. 9.* Bonac. *num. 5.* Molina *disp. 74. num. 11.* Præterea causa famulorum, & domesticorum, & subditorum propria reputari debet iuxta probabilem sententiam traditam ab Henriq. Couarruu. Suar. Auila, Bonac. *loc. alleg.*

7 Verùm si accusatio, vel denunciatio in causa non propria, sed aliena instituatur, non euitas irregularitatem, tametsi protestationem facias. Sicuti ex communi notat Felin. *cap. postulasti de Homicidio.* Nauarr. *c. 27. n. 213.* Couarr. *2. p. Clem. si furiosus. §. 5. n. 5.* Suar. *disp. 47. sect. 2. n. 17.* Molina *disp. 8. n. 8.* Bonac. *disput. 7. q. 4. p. 2. num. 4.* & alij passim; & sumitur ex *dicto cap. 2. de Homicidio in 6.* vbi accusantibus in causa propria conceditur hic fauor vitandi irregularitatem facta protestatione. De aliis verò qui in aliena causa accusationem instituunt ius commune imponens irregularitatem omnibus cooperantibus ad mortem integrum manet. Sicuti ex communi notant relati Doctores, speciatim Nauarr. *num. 217.* Couarruu. *§. 5. num. 4.* Auila *dub. 11. concluſ. 2.* Molina *num. 8.* Suar. *n. 11.* Laym. *concl. 5.* Bonac. *num. 5.*

8 Quod si accusatio, vel denunciatio alienæ causæ instituatur ad præcauendum damnum reipublicæ, vel alterius priuatæ personæ, quod aliâ viâ auerti nequit, probabilissimum censeo te ab irregularitate excusari nulla protestatione fa-

ctâ, quia eo casu non te liberè immisces causæ sangui nis, sicuti immiscetur iudex officium iudicandi assumens, sed lege charitatis coactus. Credibile autem non est Ecclesiam irregularitate afficere velle actionem iure naturali debitam: esset enim impedimentum apponere operibus charitatis, & pietatis. Atque ita docent Caietan. 2.2.q.33.art.7. Suar. disp.47. sect.2.n.12.& 15. Henriq. cap.12. num.8. Molin. t.1.de iustit. tract.2.disp.109. post 3. conclus. §.illud etiam. & tract.3.disp.8. nu.9. Auila disp.5.sect.2.dub.11. conclus.3. Layman.lib.3.sum. sect.5.tract.3.par.3.cap.7.num.6. Bonac. disp.7.q.4.pun.2.numero 7. in fine, & alij apud ipsos: & colligitur ex capit. accusati de accusationib. vbi accusans propriè non afficitur hoc irregularitatis impedimento.

9 Quæ dicta sunt de accusatore, vel denunciatore, dicenda sunt de clamante, detinente, & comprehendente damnificatorem, quia hæ actiones sunt media ad præcauendum damnum, vel iam factum recompensandum. Ergo quâ ratione licet accusare licet has actiones præstare. Sicuti expressè notauit Couarruu. dicto §.5. num.4. vers. decimo. Et cap. tua nos, §.vltim.de homicidio. Nauarr.cap.27. numero 220. Henriq. cap.12.num.8. Molin. disput.74.num.11. Auila 7.p.disput.5. sect.2.dub.9.concl.1.vers.quarto excusat. Suar.disput.47.sect.2. num.20.

10 Quod si detentus ab ipsis superuenientibus occidatur, irregularis non est. Tum quia irregularis esse non potest ex defectu perfectæ lenitatis, cum illud homicidium non fuerit factum authoritate publicâ. Tum quia non est irregularis irregularitate proueniente ex homicidio iniusto, cùm ipse illi causam culpabilem non dederit, neque homicidium potuerit impedire. Quod à fortiori verum habet casu, quo detentor protestaretur se nolle deformationem aliquam fieri detento. Sicuti videtur affirmare Couarruu. Clement. si furiosus. 2.p.§.5.num.2.vers.octaua, Auila 7.p. disput.5.sect.2.dub.15. Paul. Layman. lib.3.sum.sect.5.tract.3.par.3.cap.7.post medium. vers.sed quid si aliquis. Bonac. disp.7.q.4. pun.1.num.18. Tametsi contrarium videatur sentire Abbas, & Innocent. in cap. significasti el.2.de homicidio. Syluest. verbo homicidium 3.q.7. Nauarr. cap.27. num.236. Suar. disp.47. sect.2. num.21. affirmantes si damnum præuium sit à detentore irregularem fore irregularitate proueniente ex homicidio casuali. Sed hoc ad summum verùm esse potest, cùm detentor excusare posset homicidium absque propriorum bonorum iactura; aliàs sibi homicidium imputandum non est, cùm non sequatur ex eius actione, neque actio detentionis fuerit illicita.

§. III.

De teste, Aduocato, consultore, & Confessore tam iudicis, quàm rei qualiter irregulares sint, vel ab irregularitate liberentur.

1 *Clericus nequit esse testis in causa sanguinis.*
2 *Testis voluntariè testificans in causa siue criminali, siue ciuili, ex quo testimonio mors, vel mutilatio sequatur, irregularis est.*
3 *Si in causa criminali laicus præcepto iudicis compellitur testimonium ferre, satis probabile est irregularem non fore.*
4 *Idem dicendum est, si in causa ciuili testimonium ferat ad instantiam partis potentis absque timore irregularitatis causam prosequi.*
5 *Quod dictum est de teste, dicendum de aduocato.*
6 *Qualiter Aduocatus defendens reum, ex cuius defensione accusator occiditur, irregularis sit.*
7 *Consultor si consilium præstet Iudici iuridicè itregularis est.*
8 *Confessor negans iudici absolutionem, nisi sententiam sanguinis proferat ad quam in conscientia tenetur, non est irregularis.*
9 *Idem est si pœnitentem obligaret ad fatendum delictum morte dignum.*

1 CLericus nequit esse testis in causa sanguinis contra reum, vt colligitur ex cap.his à quibus 23.q.8. vbi Clerici s iudicium sanguinis prohibetur, cui iudicio multum cooperatur testis, ideóque à nullo Iudice cogi potest ad testificandum in dicta causa, quia nequit cogi ad illicitum, & sibi grauiter damnosum. Sicuti ex communi tradit S. Thom.2. 2.q.7.art.1.ad 3. Abbas in cap.sententiam num.11. Ne Clerici. vel monachi. Sotus lib.5.q.7.art.1.in fine, Perez ad Villadiego cap.6.num.90. & in additionib.ad cap.vlt. pag.186. Mascard. de probationib. volum. 3. conclus. 1357. num.62. Laym. lib.3. sum.sect.5.tract.3.par.3. cap.7. num.5. vers. exinde. Quinimo neque laicum aspirantem ad clericatum cogi posse ad ferendum testimonium in causa sanguinis docet Auila 7.p.disp.5. sect.2.dub.13. Henriq. lib.14. cap.12. num.9. Quamuis Bernardus Diaz in pract. cap.99. affirmat non esse receptum in praxi forensi. Notanter dixi contra reum; nam si pro reo testimonium ferendum sit, Clerico prohibitum non est, testem esse, neque obinde irregularitatem incurrit, esto ex accidenti detegatur accusatoris calumnia, & ob id pœna talionis puniatur, quòd benè notauit Bernardus Diaz in pract. caput.99. num.22. Sayrus lib.6.cap.18.num.11. Suar. disp.47. sect.4.n.9. Auila dub.13. Bonac. disp.7.q.4 p.3.num.4. quia illud testimonium ad probandum rei innocentiam dirigitur, cui punitio actoris per accidens contingit, neque testi est imputanda. Requiritur tamen licentia Prælati ad dictam testificationem licitè pro reo præstandam, quam Prælatus non temerè, sed maturo iudicio, & causæ cognitione debet concedere: vt aduertit Bernard. Diaz loco alleg. & Auila 8.p.de irregular.disp. 5.sect.2.dub.13. His positis,

2 Dicendum est testem voluntariè testificantem in causa siue criminali, siue ciuili, ex quo testimonio mors, vel mutilatio sequatur testificato irregularem esse, quia morti cooperatur, neque illi prodest protestatio, cùm solùm propriam causam defendenti hoc protestationis beneficium concedatur, cap. Prælatis de homicidio lib. 6. quod in teste procedere non potest, qui non in propria causa, sed in aliena testatur. Sicuti ex communi notat Couarruu. in Clement. si furiosus 2.p.§. 5.num.5. Henriq. lib.14.cap.12.num.9. Iulius Clar. lib.5.sententt.§.vlt.q.24.num.8. Molin. tract.3. disput.74. numero 10. Suar. disp.47.sect.3.in fine. Paul. Laym, lib.3.sect.5.tract.3.par.3. c.7.vers.exinde. Sayrus lib.6.c.16.n.9. Bonac. disp.7.q.4.p.3.in princ. & alij passim.

3 Verùm si in causa criminali, in qua laicus præcepto Iudicis compelli potest ad testimonium ferendum, sic compulsus testimonium ferat, existimo satis probabile ob eam testificationem irregularem non fore, quia nequit dici in ea testificatione, & mortis cooperatione defectum lenitatis habuisse; cùm non voluntariè, sed præcepto compulsus testimonium tulerit. Neque credendum est voluisse Ecclesiam irregularitatè imponere testi ob testificationem iure naturæ debitam, alias retraherentur testes à veritate propalanda. Quæ in Iudice nullo modo procedunt, cùm iudex voluntariè & non ex præcepto officium iudicandi assumit, ac proinde mirum non est quod irregularitatem incurrat sententiam sanguinis ferens. Sicuti docent aduersus alios Doctores Coninch. disp.18.dub.10. num.96. Bonac. disp.7.q.4.p.3.num.3. & indicat Layman. lib.3.sum. sect.5. tract.3. par.3. cap.7. numero 6.

4 Quod similiter dicendum censeo, si in causa ciuili testimonium ferat ad instantiam partis potentis absque timore irregularitatis causam prosequi. Nam ex eo quòd accusatori concessum sit, vt possit absque timore irregularitatis protestatione facta quærelam apponere, censetur ei concessa potestas producendi testes, siquidem depositio testium necessaria est ad se seruandum indemnem. Testes autem producti si timorem irregularitatis haberent, à testificando detinerentur. Conueniens igitur erat testes sic productos ab irregularitate liberari. Atque ita docet Coninch. dicto dub.10.num.94. Suar. sect.3.num.8. Bonac. disp.7.q.4.p.3.num.8. vers. secundus casus. Denique si timore cadente in constantem virum cogaris testificare in causa sanguinis, ab irregularitate credo te liberum esse; quia non te ingeris voluntariè, sed coactè sententiæ sanguinis, ideóque dignus non es, vt hoc impedimento afficiaris. Sicuti notauit Maiol. lib.2 de irregularit.c.8. Coninch. dub.10.num.96. Bonac. disp.7. q.4.p.3.n.8.vers. Primus.

5 Quod dictum est de teste, dicendum est de Aduocato manere irregularem, si reus contra quem aduocat, occidatur, vel deformetur, vti est omnium sententia ex cap. aliquantes 31. dist. & pluribus comprobat Sayrus lib.6.cap.16.num.10. Suar. disput.47.sect.4. numero 4. Bonac. disput.7.qu.4.punct.3.numero 5.

6 Difficultas est; An Aduocatus ita reum defendens, vt accusator pœna deformationi plectatur irregularis sit? Et quidem si in defensione rei aliqua obiecit aduersus accusatorem conuincens illum de calumnia, sine dubio irregularis erit; quia deformationis est causa directa, & per se. Si autem solùm accusati patrocinium suscepit innocentiam illius declarando, absque exceptione expressa calumniæ (quod rectè fieri potest) non erit irregularis, præcipuè si protestationem fecerit, iuxta cap. Prælatis de homicid. in 6. quia tunc solùm censetur causa mortis remota, & per accidens, & quæ ipsi aduocato adscribi non debet, sed accusatori, eiúsque malitiæ: vt rectè tradit Couarruu. 2.p. relect. in Clement. si furiosus de homicidio, §.5.num.5. Henriq. lib.14. cap.12. num.10. Suar. disp. 47.sect.4.num.7. & 8. Auila 7.p. disput.5 sect.2. dub.8. Bonac. disp.7.q.4.pun.3.num.4. Quod à fortiori constat in casu quo aduocatus reum iustè, vel iniustè defendat, & nihilominus reus moriatur; quia non moritur ex illius patrocinio, sed ex proprio delicto; & hæc conclusio habet verum, etiamsi Aduocatus Clericus sit. Nam esto peccet se ingerendo absque grau-

graui necessitate in illo officio *cap.1.dist.51.* quia tamen non peccat contra iustitiam illud exercens, neque ex illo mors accusato euenit, non est irregularis. Verùm si ex negligentia, vel imperitia aduocati reus, cuius patrocinium suscipit, deformetur, aliàs non deformandus; Aduocatus irregularis erit non ex defectu lenitatis, sed ex delicto iniustitiæ commisso: vt docuit Nauar.*c.27.n.228.* Suar.*d.47.sect.4.n.6.* Bon. *d.7.q.4. p.3.n.6.in fine.*

Eadem irregularitate existimat Suar. *d.47.sect.4.num.6.* affici Aduocatum partes accusatoris iniustè suscipientem, qui de calumnia conuictus occisus fuit, quia cessante patrocinio aduocati non auderet accusator moraliter loquendo, causam prosequi, atque adeò non constitueretur in illo discrimine vitæ. Ergo censetur cooperari morti accusatoris. Sed rectiùs docuit contrarium Auila *7.p.disp.5 sect.2.dub.8.conclus.2.* Nam si Aduocatus bona fide processit, credens accusationem legitimam esse, sicuti excusatur à delicto, sic excusari debet ab irregularitate delicto annexa: vt aduertit Bonac. *dicta disp.7.de irregular.q.4.pun.3.numero.5.* Si verò malâ fide processit, etsi iniustus sit aduersus accusatum, nullam tamen aduersus accusatorem iniustitiam committit, ideóque non potest ei mors tanquam cooperatori iniusto imputari. Et licèt ipse accusator accusationem non instituisset, nisi aduocati patrocinium haberet, inde non sequitur aduocatum irregularem fore; quia ex illo patrocinio non euenit accusatori mors authoritate publica, sed ex calumnia aliunde probata. Aliàs quoties cooperatus esses furto, ob cuius causam fur suspenditur irregularis esses, quod nullatenus est dicendum; quia non est causa mortis, sed delicti ratione cuius mors infligitur.

7 Quoad consultorem attinet communis sententia est irregularitatem incurrere, si consilium præbeat Iudici, quo moueatur ad sententiam proferendam in causa sanguinis. Quod intelligendum est, quando consilium à iudice expostulatur iuridicè. Nam si priuatim exposituletur, & Iudex tanquam quælibet alia persona de iustitia informetur, probabilitate non caret irregularitati locum non esse; quia ex prædicta informatione contrahi non potest irregularitas ex delicto, cùm nullum ibi commissum sit. Neque item ex defectu perfectæ lenitatis, siquidem hæc tantùm imposita est Iudici, eiúsque officialibus authoritate publicâ fungentibus, vt optimè relato Vazq. notauit Gasp. Hurtado *de irregular. difficult. 11.num.10.*

8 Hinc à fortiori constat confessarium negantem iudici absolutionem, nisi sententiam sanguinis proferat, ad quam in conscientia tenetur, non fore irregularem. Tum quia non procedit vt publicus iustitiæ minister. Tum quia credendum non est velle Ecclesiam irregularitate confessarium innodare ob actionem iure diuino debitam, & quam ipse excusare non potuit. Sicuti tradit Henriq. *lib.14. cap.16. numero 4.* & *in comm.litt.F.* Auila *7.p.disp.5.sect.2.dub.6.conclus.4.* Sayr. *lib.6.c.18.n.26.* Mol. *tract.3. disp.74.n.18.* Suar. *disp.47.sect.1. n.8.* Bonac. *disp.7.q.4.p.1.num.32.*

9 Idem est si confessarius pœnitentem obligaret ad fatendum delictum morte, vel mutilatione dignum, ad cuius manifestationem iure naturali tenetur, quia eo casu non concurrit ad mortem ex parte Iudicis inferentis, sed ex parte sustinentis, ac proinde ab irregularitate ministris publicis iuncta excusari debet, præterquàm quòd opus obligatorium præstat, ob cuius causam nullo impedimento affici debet. Sicuti tradunt Coninch. *d.disp.18.dub.10.n.91.* & *96.* Henriq. Auila, & Bonac. *loc. alleg.* Ob eandem rationem consulens obedire sententiæ mortis iustæ, aut ab appellatione iniusta cessare irregularis non est censendus. Qui verò consuleret reo, ne appellationem interponeret, cum legitimè interponi posset, & ob eam causam eius mors acceleratur, communiter Doctores censent irregularem fore. Sed hoc credo esse intelligendum, quando prædictum consilium ab aduocato procedit iuridicè. Secùs verò si priuatim detur, quia eo casu non concurrit ad mortem, vt persona publica, & iustitiæ minister, sed potiùs, vt priuatus, & ex parte mortem sustinentis.

§. IV.

De aliis ministris, qui ad prolationem sententiæ sanguinis, eiusue executionem concurrunt.

1 *Ex solo concursu authoritatee publica facto hac irregularitas inducitur.*

2 *Vltra Iudicem, accusatorem, testem, Aduocatum, &c. est irregularis notarius sententiam dictans, signans, &c.*

1 EX *præcedenti §.* colligi potest huic irregularitati non esse locum nisi ex concursu ad mortem, seu mutilationem authoritate publicâ præstito, quia solùm ministris publicis hæc irregularitas ex defectu perfectæ lenitatis indicitur in *can.1.dist.51.* & *cap. sententiam. Ne clerici, vel monachi.* & *cap. prælatis de homicidio lib.6.* & aliis. Quocirca obseruandum maximè est, an concursum ad mortem condemnati præstiteris tanquam persona publica, vel tanquam priuata, nam si vt persona publica irregularitatem contrahis, secùs si vt persona priuata.

2 Hinc fit vltra Iudicem, testem, accusatorem, Aduocatum irregularem esse Notarium, seu Tabellionem testium depositiones recipientem, illasue legentem, quando publicantur. Item sententiam dictantem, signantem à famulo scriptam, sigillo authenticantem, vel pronunciantem. Quinimo scribentem sententiam tanquam officialem iustitiæ; quia omnes hi ad prolationem sententiæ authoritate publicâ concurrunt. Secùs verò dicendum est de famulo transcribente scripturam factam à notario, quia sine illo transumpto reus condemnatur; sicuti famulus vsurarij, qui ad restituendum obligatur cum vsuris cooperatus fuerit, vel contractum faciendo, seu scribendo rationem dati, & accepti, secus si solum transcriberet scripturam vsurariam.

Deinde est irregularis tortor rei, si inde reus confiteatur crimen ob cuius causam pœna sanguinis afficiatur, nisi hoc sit in tribunali inquisitionis. Item omnes deferentes reum ad mortem & comitantes iudicem ad custodiam tam equestres, quàm pedestres, non tamen populus, vel Clerici, qui ad spectandum assistunt; nam esto Clericis prohibitum sit sententiæ sanguinis assistere, *Cap. sententia sanguinis. Ne Clerici, vel Monachi,* non tamen eorum assistentia culpam grauem inducit, etiamsi ex curiositate fiat, vti docet Suar. *disp.47.sect.4.in fine,* Præterquam quòd consuetudine videtur præceptum illud abrogatum. Item præco præcedens reum, & illius sententiam proclamans, & generaliter omnes illi qui vt publicæ iustitiæ ministri concurrunt hac irregularitate ligantur. Qui verò vt priuatæ personæ morti cooperati fuerint hac irregularitate non videntur ligari. Quapropter monens reum vt admoueat caput stipiti, vel ascendat scalas, tametsi inde reus citiùs moriatur, & confessarius instigans equum, quo reus ad supplicium ducitur, vel carnificem possit suo officio fungi irregulares non sunt: quia in his actionibus non procedunt vt publici ministri. Præterquamquòd leuia sunt, & pro nihilo reputari debent. Illud certum esse debet, irregularem non esse, qui iudicem rogaret, ne reum per solitas calles duceret, tametsi inde mors acceleretur, quia illa acceleratio per accidens contingit, præterquam quòd non procedit ex actio tanquam à publico iustitiæ ministro.

§. V.

De irregularitate contingente in bello iusto.

1 *Milites ibidem occidentes, seu mutilantes irregulares sunt.*

2 *Nullus etiam sacerdos ad occidendum exhortans, aut propria manu pugnans irregularis est, nisi ipse per se occiderit, aut deformauerit.*

3 *Satisfit obiectioni.*

4 *Hoc intelligendum est in bello iusto offensiuo.*

5 *Si verò bellum non offensiuum, sed defensiuum aggrediatur, satis probabile est nullam irregularitatem contrahi.*

6 *In hac irregularitate solus Pontifex dispensare potest.*

7 *Sufficiens dispensatio est, si Pontifex concederet Clerico facultatem propria manu pugnandi.*

AD irregularitatem contractam ex defectu perfectæ lenitatis reducitur quæ ortum habet ex occisionibus, seu mutilationibus in bello iusto contingentibus. Cùm enim ibi milites vt ministri publici, & authoritate à republica accepta mutilent, & occidant, efficitur ex defectu perfectæ lenitatis à susceptione ordinum, altarisque ministerio excludi. Neque obest quòd accepta militia sæpè contingat in defensionem propriæ patriæ inimicos occidere, quia liberè in eam se necessitatem coniecerunt, cùm nomen militiæ dederunt, & bellum offensiuum aggressi sunt. Sicuti Iudex sententiam sanguinis proferens, & illam ex officio exequens irregularitatem non euitant, quamuis ex obligatione iustitiæ & proferre, & exequi sententiam debeant. Sicuti ex communi omnium Doctorum tradit Molin. *tractat. 2. de iustit. disputat. 105. conclus. 2.* Dixi *in bello iusto*; nam si bellum iniustum sit irregularitas inde contracta vtpote ex delicto, extenditur ad omnes eos qui quomodocunque occisioni, vel mutilationi concurrerint, de quibus *infrà.* 2

In bello igitur iusto nullus etiam Sacerdos ad occidendum exhortans, aut propriâ manu pugnans irregularis est, nisi ipse per se occiderit, aut deformauerit. Vti ex communi docet Panormit. *cap. penultim. & vit. de Clerico percussore* 4

Nauar. *cap.27.numero* 215. Henriq. *lib.14. cap.* 12. *numero* 4. & *cap.*13 *num.*2. Couarruu. *Clement. si furiosus* 2.*p.*§.3. *nu.*2. Molina *tract.*2.*disp.*110.*concluſ.*2. Auila 7.*p.disput.*6.*ſect.* 3. *dub.*2. Bonac. *disput.*7.*de irregular.q.*4.*pun.ſpecialiter n.*7. Layman.*lib.*3. *ſum.ſect.*5. *tract.*3. *par.*3. *c.*8. Gaſpar Hurtado *de irregular. difficult.*12. & alij. Et ſumitur ex *cap. petitio tua de Homicidio.* vbi Sacerdoti pugnanti aduerſus inimicos Chriſtianæ religionis, vbi multi exiterunt occiſi mandatur à celebratione abſtinere, ſi de interfectione alicuius in illo conflictu dubium habeat. Ergo à contrario ſenſu ſi ei conſtet nullum interfeciſſe non obligabitur à celebratione abſtinere. Idem colligitur ex *cap. ſi quis* 51. *diſt.* Et ratio huius priuilegij eſſe poteſt, ne tot irregularitate inuoluantur, néue à præliando in bello iuſto ſe contineant irregularitatis timore.

1 Neque obeſt Clericis in bello offenſiuo pugnam propria manu interdictam eſſe, *cap. clerici cum alias,* 23.*q.*8. & *cap.*1. *Me Clerici, vel Monachi,* & *cap. ex multa de voto.* Et tradunt ferè omnes Doctores cum Gloſſa *in dicto capit.petitio de Homicidio*, quia inde non fit irregularitatem contrahi; hæc enim non contrahitur niſi in caſibus à iure expreſſis: at in iure ſolùm expreſſa eſt irregularitas ob deformationem, vel occiſionem in bello iuſto contingentem, non autem ob conſilium, auxilium, vel fauorem illicitè præſtitum. Neque item obeſt Textus in *cap.quod in dubijs de Pœnis:* vbi de Sacerdotibus gubernantibus nauim ad pugnam, ſeu exercentibus conflictum, vel alios ad pugnandum excitantibus affirmatur graue peccatum committere, eſséque deponendos; quia prædictus Textus (vt inquit Gloſſa *ibi*) loquitur de bello iniuſto; præterquam quòd *ibi* non fertur irregularitas, ſed ſuſpenſio, vel depoſitio non ipſo iure, ſed ferenda.

4 Quod ſi miles propria manu occiderit, vel mutilauerit in hoc bello iuſto irregularis eſt ex omnium ſententia. Argum. *dicti cap.petitio*, & aliis relatis 23. *q.*8. Solùm eſt dubium de Clerico ſic occidente, an eius irregularitas ex homicidio illicito, & iniuſto dicenda ſit, an ex defectu perfectæ lenitatis? Et ratio difficultatis eſt; quia ipſe occidit, & non ex authoritate publicâ; cùm non concedatur ei facultas occidendi, imo hæc illi denegata eſt. Econtra ſi bellum iuſtum eſt, nulla ſit hoſtibus iniuſtitia eos vita priuando, ſi ad victoriam neceſſarium eſt. Item Princeps omnibus bellantibus hanc facultatem concedit. Quod ergo Clericus contra ſibi factam prohibitionem pugnet, non infertur pugnare iniuſtè, ſed religioſè. Sicuti ſi votum feciſſet non pugnandi extra caſum neceſſitatis, & pugnaret, peccaret aduerſus votum, ſed non aduerſus iuſtitiam; ac proinde irregularis non eſſet ex delicto, & hoc videtur probabilius.

5 Verùm ſi miles etiam Clericus bellum non offenſiuum, ſed defenſiuum aggrediatur, nullam irregularitatem contrahit ~~non~~ occidendo, ſeu deformando aduerſarios, vt colligitur ex *cap.* 2. *immunit. Eccleſiar.* Nam cùm illa defenſio iure naturæ debita ſit, credendum non eſt ob eam canonicum impedimentum appoſitum eſſe. Neque eſt ſimile de Iudice, & miniſtris iuſtitiæ, qui ex iuſtitia legali obligantur homines interficere; quia ipſi voluntariè eam obligationem ſubierunt; cùm ea munera ſuſceperunt. Secus eſt de pugnantibus in bello defenſiuo, quod bellum ipſi non voluntariè. Sed coactè ſuſcipiunt; ac proinde mirum non eſt, quòd ab irregularitate excuſentur. Sicuti eos excuſat Gregor. de Valen. *tom.*3. *diſputat.*3.*q.*16.*pun.*4.*col.penult.* Coninch. *diſput.at.*18. *dub.*10.*num.*96. Bonac. *t.*1. *diſp.*7.*q.*4.*pun.*4.*num.*11. Gaſpar Hurtado *de irregular. difficult.*12. *num.*44. & alij apud ipſos.

6 Ad extremum ſupereſt dicendum de diſpenſatione huius irregularitatis prouenientis ex defectu perfectæ lenitatis. Hæc igitur diſpenſari non poteſt ab alio quàm à Pontifice, non enim inuenitur in iure aliqua conceſſio Epiſcopo facta. Nam in Conc. Trident. ſolùm datur facultas pro irregularitatibus ex delicto occulto prouenientibus: ſub qua facultate hæc quæ non naſcitur ex delicto comprehendi non poteſt. Vt aduertit Caiet. *verbo irregularitas*, & Armilla *eodem n.*13. Corduba *q.* 34. Suar. *de irregular. diſp.* 47. *ſect.*6. *in fine.* Sayrus *lib.*6.*cap.*19. *ad finem.* Bonac. *diſp.*7.*q.*4.*pun.*4. *in fine.* At in facultate diſpenſandi in omnibus irregularitatibus excepta homicidij voluntarij, & bigamiæ, quam poteſtatem habent Prælati ordinum Mendicantium hæc irregularitas comprehenditur: vt aduertit Suar. *ſuprà*, Layman. *lib.*1. *ſum.tr.*5. *par.*4. *c.*9 *verſ. his addo.*

7 Illa tamen cenſenda eſt ſufficiens diſpenſatio, vel potius ablatio irregularitatis incurrendæ, ſi Pontifex concederet Clerico facultatem propriâ manu pugnandi. Cùm enim ex hac facultate cenſetur diſpenſare in iure inducente hanc irregularitatem, tacitè cenſetur hanc irregularitatem tollere, ſeu eius incurſum impedire. Secùs ſi ſolùm concederet facultatem aſſiſtendi; quia ex ea non poteſt clericus propriis manibus pugnare, ac proinde ſi mutilet, & occidat irregularis erit. Sicuti ex communi tradit Couarruu. *Clement. ſi furioſus* 2.*p.*§.3. *numero* 2. Nauarr. *capit.*25. *num.*74. Molina *de iuſtit. tract.*2. *diſp.*108. *verſ. eſt verò & diſp.*110. *in fine.* & *tract.*3. *diſp.* 73. *n.*2. & 3. Henriq. *lib.*14. *c.*11. *n.*3. Sayr. *lib.*6. *c.*19. *n.*5. Suar. *de bello diſp.*13. *ſect.*3. *n.*6. *in fine.* & *diſp* 47. *de cenſ. ſect.*6. *n.*11. Valen. 2.2. *diſp.*3.*q.*16.*p.*4. *verſ. ſeptimo.* Bonac. *de reſtit. diſp.*2.*q. vlt. ſect.*1.*p.*12.§.4. &. *diſp.*7. *de irreg.q.*4.*p.*4. *circa finem.*

Punctum XV.

De irregularitate orta ex homicidio, vel mutilatione iniuſta.

INter irregularitates quæ ex delicto, vel quaſi delicto ortum habent, hæc eſt potiſſima, ideóque latiùs explicanda.

§. I.

Quæ requirantur ad irregularitatem incurrendam ex homicidio, vel mutilatione voluntaria?

1 *Quæ voluntas requiratur, vt irregularitatem conſtituat ex homicidio voluntario?*
2 *In rixa inopinata occidens aduerſarium regulariter non eſt cenſendus homicida voluntarius.*
3 *Huic irregularitati vicina eſt quæ ortum habet ex mutilatione.*
4 *Quæ mutilatio ſufficiat ad hanc irregularitatem inducendam.*
5 *Non eſt ſufficiens ad hanc irregularitatem debilitatio membri, niſi ſit illius abſciſſio.*

CErtum eſt ex homicidio, vel mutilatione voluntaria contrahi irregularitatem diſtinctam ab ea quæ ortum habet ex homicidio, vel mutilatione caſuali. Solùm eſt difficultas in explicanda voluntate requiſita ad hanc irregularitatem contrahendam. Quare dicendum eſt requiri intentionem expreſſam occidendi, ſeu apponendi cauſam de facili tuam mortis, & vt talem cognitam, vt ſi præberes alicui venenum mortiferum, aut detineres, vt ab aliis occideretur. Et licèt aliqui Doctores cenſeant homicidium voluntarium eſſe, ſi velles vulnerationem, ſeu percuſſionem, ex qua plerunque mors euenit; verius cenſeo in iure canonico homicidium inde ſequutum non appellari voluntarium, ſed caſuale, quia non eſt patratum ex propoſito, & ex intentione, ſed præter, vti colligitur ex *cap.*1. & *cap. ſicut dignum de Homicidio*, & apertius ex Conc. Trident. *ſeſſ.*14. *cap.*7. *ibi: Si verò homicidium non ex propoſito, ſed caſu fiat:* & notauit Anton. Gomez *tom.*3. *variar. cap.*3. *num.*15. Eman. Saa, *verbo homicidium num.*4. Filliuc. *tract.*20 *cap.*1.*q.*2. Vaſq. 1.2. *diſp.*100. *num.*39. Gaſp. Hurtado *de irregular. diffic.*5. Et indicat. Suar. *diſp.*44. *ſect.*1.*n.*3. Et probabile reputat Bonac. *t.*1. *diſp.*7. *de irregul.q.*4.*p.*8.*num.*2. 1

Ex qua doctrina infer, ſi in rixa inopinata occidas aduerſarium, regulariter te non eſſe iudicandum homicidam voluntarium. Vti docuit Salcedo *pract. crimin. cap.*94. Didac. Perez *lib.*8. *ordinan. tit.*13. *num.*256. *in Rub. col.*4. Henriq. *lib.*14. *cap.*14 *nmm.*1. *in fine.* Rodrig. *in ſum. verbo irregularitas, cap.*179. *n.*1. & 2. Auila 7.*p. diſp.*6. *ſect.*2. *dub.*1. Et colligitur ex *dicto c.*1. *de homicidio.* Et ex Conc. Trident. *ſeſſ.*14. *c.*7. *de reformat.* Et enim homicida voluntarius ille nuncupatur qui per induſtriam, & per inſidias proximum ſuum occidit, ſeu ex propoſito. Qui autem ſubitò iratus occidit non ex propoſito, & per induſtriam, ſed caſu reputandus eſt occidiſſe. Quod intelligendum eſt quoad forum exterius, & etiam quoad forum interius caſu, quo occidenti non conſtet expreſſam voluntatem occidendi habuiſſe, nam ſi de hac voluntate ei conſtat iam ex propoſito occidit, ideóque ceſſat omnis dubitatio. 2

Huic irregularitati vicina eſt altera quæ ortum habet ex mutilatione, *cap.in Archiepiſcopatu de Raptorib. Clement. vnic. de homicidio.* Quæ & voluntariè, & caſu contingere poteſt. Voluntariè contingit, cùm expreſſam voluntatem habuiſti mutilandi, ſeu apponendi cauſam, ex qua præuideris mutilationem fore euenturam, vti dictum eſt de homicidio. Secùs ſi ſolùm intendiſti vulnerare, & caſu mutilaſti. 3

Sed quæ mutilatio ſufficiat ad hanc irregularitatem inducendam? non conueniunt Doctores. Nam Caiet. 2.2. *q.*65. *art.*1. Sotus *lib.*5. *de iuſtit.q.*2. *art.*1. & *in* 4. *d.*25.*q.*3. *art.*2. *concl.* 1. Suar. *diſp.*44. *ſect.*2. *n.*7. Layman. *lib.*3. *ſum. ſect.*5. *tract.*3. *part.*3. *capit.*11. *numero* 2. minùs ſtrictè loquuntur, aſſerunt enim eam mutilationem ſufficere ex qua corpus humanum non integrum, ſed imperfectum eſt, ac proinde abſciſſionem digitorum, & cartilaginis auris, & naſi, & teſticulorum ſufficientem eſſe huic irregularitati. Sed quamuis hæc ſententia probabilis ſit, probabiliorem exiſtimo eam mutilationem requiri, ex qua aliquod membrũ corporis abſcindatur, nam id 4

membrum aliquòd abscissum non est, corpus humanum non est mutilatum, & truncum, sed absolutè & simpliciter integrum, & perfectum; aliàs mutilatio cuiuslibet partis corporis, quæ cum alio membro operatur, sufficiens irregularitati esset, non solùm mutilatio digiti, sed partis illius irregularitatem inducerer, & ex tali defectu mutilum, & truncum corpus humanum dicendum esset, quod oppositæ sententiæ Doctores non admittunt. Quapropter ea mutilatio constituit irregularitatem, quæ est mutilatio membri sumpto membro pro ea parte corporis, quæ actionem aliquam habet ab alia distinctam. Sicuti est auris, nasus, pes, oculus, manus, & similia, vt colligitur ex *leg. idem Offilius ff. de Ædilit. edicto*, vbi ex vnius digiti defectu non dicitur membrum deficere, & ex *leg. non sunt liberi ff. de statu hominum* ob multiplicationem digitorum non multiplicantur membra. Et ex *cap. 2. de clerico ægrotante*, Clericus carens duobus digitis cum medietate palmæ non dicitur mutilatus, aut truncatus, sed debilitatus, seu deformatus. Sed præcipuè colligitur ex Paulo 1. *Corinth.* 12. dicente membra corporis non habere eundem actum, indicans ex actibus distinctis membra distingui. Atque ita tradit Glossa *c. 3. in princ. de homicid. lib. 6.* Panormit. *in cap. de diacono, num. 1. Qui Clerici, vel vouentes, & in cap. cum illorum num. 8. de sentent. excommunicat.* Bart. *in leg. 2. ff. de iudiciis publicis. & in leg. non sunt liberi ff. de statu hominum.* Bald. *in leg. seruus ff. de seruis fugitiuis. & in leg. reos. Cod. de accusat. col. 3.* Felinus *in cap. ego N. de iureiurando col. 2. & in cap. cum illorum de sentent. excommunicat.* Couarruu. *Clement. si furiosus. §. 3. initio, num. 8.* Nauarr. *cap. 27. num. 206. vers. secundò dico.* Iacob. de Graffis. *lib. 2. cap. 62. num. 4.* Gregor. de Valen. *t. 4. disp. 7. q. 19. pun. 3. §. 4.* Henriq. *lib. 14. cap. 8. num. 1.* Sayr. *lib. 6. thesauri, cap. 16. num. 13.* Molina *tract. 3. de iustit. disp. 69. num. 2.* Stephan. Dauila *7. p. disp. 1. sect. 1. dub. 1.* Coninch. *disp. 18. dub. 8. concl. 2.* Bonac. *disp. 7. q. 4. p. 8. n. 3.* Gaspar Hurtado *de irregular. difficult. 5. num. 18.*

Ex qua doctrina infertur vnguium, dentium, barbæ, capillorum, digitorum mutilationem irregularem non constituere, quia non habent actionem aliquam distinctam à membris quibus vniti sunt. Hanc doctrinam extendit Bonac. *d. pun. 8. num. 3.* Garpar Hurtado *difficult. 5. num. 19.* ad testiculorum abscissionem & Couarruu. *d. Clement. si furiosus 3. p. initio numero 8.* Henriq. *lib. 14 cap. 8. num. 3.* tametsi sub dubio extendunt præfatam doctrinam ad abscissionem mammillarum fœminæ. Sed has extensiones nequaquam probo; nam esto abscissio vnius testiculi existimem non esse abscissionem membri sufficientem ad irregularitatem inducendam, cùm ex ea actione non impediatur aliqua actio humani corporis ab aliis actionibus distincta, & abscissio vtriusque testiculi impedit actionem generationis. Item quælibet ex mammillis fœminæ actionem habet ab aliis corporis membris distinctam. Ergo eius mutilatio, vtpote membri perfecti irregularitatem constituet. Vt colligitur ex Baldo *in leg. data opera. Cod. qui accusare non possunt. n. 75.* Sayr. *lib. 6. c. 16. in fine* Mol. *disp. 69. num. 6.*

1 Dixi *requiri abscissionem membri*, neque enim sufficit debilitatio, per quam membrum reddatur inutile ad actiones humanas exercendas, quia Textus statuentes hanc irregularitatem non de debilitatione, sed de mutilatione loquuntur, vt notant Nauarr. *c. 27. n. 206. & 219.* Suar. *disp. 47 sect. 2 num. 5. & 11.* Molin. *disp. 68.* Auila *disp. 1. sect. 1. dub. 1.* Gaspar Hurtado *difficul. 5. num. 18.* Coninch. *disp. 18. dub. 8. conclus. 2.* Bonac. *p. 8. num 6.*

Video tamen Suar. *dicta sect. 2. num. 10.* cui adhærere videtur Coninch. *dub. 8. conclus. 2.* asserentem fore irregularem qui ita membrum debilitaret, vt omnino arefceret, & siccaretur, ac moreretur. Nam hæc debilitatio mutilatio formaliter dici posset, siquidem illud membrum vita priuatur, ab informatione animæ separatur, & abscinditur; aliàs posset quis à duobus mutilari nullo illorum irregulari manente: nam abscindens membrum siccum, & mortuum, non videtur irregularitati subiici; quia ea mutilatio est eiusdem rationis, ac mutilatio cadaueris. Ex alia parte membrum siccum reddens irregularitatem non contrahit. Sed verius censeo necessariò membrum abscindendum esse neque sufficere, si omnino debilitetur, mortuúmve reddatur. Vt colligitur ex *cap. sicut vtgeri 1. q. 1.* ibi: *Si cuius hominis manus esset arida, verum quidem esset membrum illius quamus sine sanguine & inefficax, & mortuum.* Et ita tradit Panormit. *cap. 1. num. 9. Qui clerici, vel vouentes. & cap. accusastis de accusationib.* Nauarr. *c. 27. n. 217.* Couarruu. *Clement. si furiosus 3. p. initio. n. vlt.* Mol. *tract. 3. disp. 68.* Bonac. *t. 1. disp. 7. de irregular. q. 4. pun. 8. num. 11.* Gaspar Hurtado *difficult. 5. num. 18.* Henriq. & Auila *locis citatis.* & Bonac. *num. 3.* asserunt mutilantem membrum aridum fieri irregularem, quia propriè est hominis mutilator, & deformator. Quod intelligèdum est, quando iniustè mutilatur, & non ex officio chirurgiæ, medicinæ, & iuxta illius artis regulas.

§. II.

Quæ personæ incurrant irregularitatem homicidij, vel mutilationis voluntariæ?

1 *Occidens, vel mutilans modò baptizatus sit, irregularis est.*
2 *Item mandans homicidium, seu mutilationem.*
3 *Item consulens.*
4 *Ad vitandam hanc irregularitatem, quid præstare debeat mandans, vel consulens.*
5 *Irregularis videris esse ex homicidio casuali si consulas, vel mandes Petro, vt Ioannem occidat, si inde Petrus occidatur.*
6 *Consentiens in homicidium, si ex eo consensu homicidium sequatur, irregularis est.*
7 *Verius est te ex sola ratihabitione homicidij tuo nomine facti, te non fore irregularem.*

CErtum est illam incurrere qui per se occidit, vel mutilat, aut causam ex se efficacem apponit, si inde occisio, vel mutilatio subsequatur, dummodò baptizatus sit. Nam ex occisione, vel mutilatione ante baptismum facta, nulla irregularitas incurritur baptismo suscepto, quia baptismo omne delictum, & indecentia ex delicto orta purgatur, vt colligitur ex *cap. si quis viduam 50. dist. & cap. si quis post baptismum 1. dist. & ibi* Glossa. Ex parte verò occisi hæc conditio baptismi non postulatur; nam esto bapt. zatus non sit illum occidens, vel mutilans irregularis erit. *Cap. clericus 50. dist.* Quapropter de mandante, consulente, consentiente, cooperante; aut ratum habente homicidium, seu mutilationem, est difficultas; qualiter concurrere debeant, vt censeantur esse homicidæ, seu mutilatores voluntarij huic irregularitati subiecti? 1

Primò mandans homicidium, seu mutilationem fieri irregularis est ex omnium sententia, si mandatum executioni mandetur. Vt constat ex *d. cap. si quis viduam 50. dist.* & *cap. vlt. de Homicidio in 6.* Vt autem dato mandato irregularitatem euites non solùm debes reuocare mandatum, sed etiam mandatario reuocationem intimare, nam dum reuocatio nota mandatario non est, semper mandatarius nomine tuo operatur, & tu causa es principalis illius delicti. Verùm si seriò reuocasti mandatum, & reuocationem notam fecisti mandatario ab irregularitate excusaris. Argum. à contrario sensu, quia eo casu mandatarius censeri non potest nomine tuo operari. Sicuti dixit Innocent. *in c. ad audientiam de Homicidio.* Nauarr. *c. 27. n. 223.* Couarruu. *Clement. si furiosus 2. p. n. 9. vers. quinto ex his.* Henriq. *lib. 14. c. 16. n. 2.* Suar. *disp. 44. sect. 3. n. 7.* Auila *7. p. irregular. disp. 6. sect. 2. dub. 4. concl. 1.* Azor. *3. p. l. b. 2. c. 8.* Bonac. *disp. 7. de irregular. q. 4. p. 8. n. 13 & sequentib.* Quinimo Nauarr. Henriq. Suar. Auila. & Bonac. asserunt ad hanc irregularitatem vitandam, sufficere reuocationem tacitam mandati, qualis censeri debet, si aduersarium in pristinam amicitiam restituas, vel cum illo affinitatem contrahas, dummodò mandatario omnino hæc innotescant. 2

Secundò irregularis es, si consulas, tuisque rationibus persuadeas homicidiũ, vel mutilationem. *Cap si quis viduam 50. dist. Cap. sicut dignum. §. qui vero. & §. vlt. de homicidio.* debet tamen consilium in effectum influere; aliàs non eris illius causa. Sicuti notauit Villadiego *de irregular. c. 6. n. 20.* Couarruu. *Clem. si furiosus 2. p. §. 2. n. 1.* Suar. *disp. 44. sect. 3. n. 10.* Auila *7. p. disp. 6. sect. 2. dub. 3.* Bonac. *disp. 7. q. 4. p. 8. n. 19. & sequent.* & alii apud ipsos. Consilium censetur operari in homicidium, seu mutilationem quoties homicidium, vel mutilatio ex consilio processit, vel processit facilius, citius, aut crudeliùs. Sicuti adnotarunt Vgolin. *de irregul. c. 16. §. 1. n. 1.* Tolet. *lib. 1. c. 81.* Bonac. *suprà.* Auila *conclus. 4.* Sed in casu dubio, an consilium in effectum influxerit, illiusque fuerit causa inquit Auila *conclus. 5.* Henriq. *lib. 14. cap. 16. numero 3.* Sayrus *de censur. 1. lib. 7. capit. 3. num. 2.* Thom. Sanch. *lib. 2. de matr. disp. 41. num. 17.* & *lib. 1. in decalog. cap. 10. num. 44. in fine*, ab ipsomet consulto, & ex aliis coniecturis colligendum esse. Si enim homicida inimicus erat capitalis occisi, vel ei iam mortem ante datum consilium minatus fuerat, vel necessaria ad patrandum delictum præparauerat, aut interfectus processerat etiam iustè aduersus interfectorem in causa criminali testificando, denunciando, vel accusando, seu instigando alium, sufficiens causa est, vt iudicetur consilium tuum nullius efficacitatis fuisse. Item si ipse consultus asserat se non esse motum à tuo consilio ad patrandum delictum neque quoad substantiam, neque quoad modum, liber eris ab irregularitate, secùs si contrarium testetur. Debet tamen esse vir, cui meritò possit fides adhiberi, vt inquit Sanch. *lib. 1. in decal. c. 10. n. 44.* Si autem omnibus pensatis dubius es, an consilium influxerit, teneris te irregularem reputare, quia semper præsumendum 3

est consilium operari, dum contrarium non probatur, quippe est causa de se efficax, & motiua voluntatis. Vt notauit Couarruu. *dicta 2.p.§.2.num.2. vers. in eo vero casu.* Auila & Sanch. *loc.alleg.* Quamuis contra sentiat Henriq. *lib.14.c.14. n.3. & c.16.num.3.in Gloss. litt.D.*

4 Ad euitandam hanc irregularitatem post datum consilium teneris illud reuocare opposita persuasione facta. Quod si voluntatem consulti à malo dimouere non possis, obligaris monere innocentem de damno sibi parato, alias non vitabis irregularitatem homicidio subsecuto, quantumcunque pœniteas; quia consilium tendit ad persuadendum consultum sibi, suóque honori conuenire occisionem, à qua praua opinione semel concepta non ita facilè dimoueri potest, ac proinde necessarium est siue in genere, siue in particulari occidendum monere, vt sibi caueat. Sicuti docuit S. Antonin. *3.p.tit.28.cap.2.§.2.* Henriq. *lib.14.de irregular.cap.16.n.5.* Rodrig. *cap.178.conclus.12.* Suar. *disp.44.sect.3.num.12.* Bonac. *d. punct.8.n.20.& seqq.* Quod si consultum dicat non ex tuo consilio, sed ob alias causas velle homicidium perpetrare, non teneris monere occidendum, vt irregularitatem euites; quia eo casu non ex tuo consilio, sed ex occidentis malitia homicidium contingit. Vt aduertit Rodrig. & Auila *suprà.* Imo Henriq. *num.5.* asserit non fore irregularem Clericum qui nequit coniugatam dimouere à consilio dato aborsus; quia iam monet infantem in matre sua. Sed hoc dictum meritò reprobat Auila, quia monitio illius infantis nullius est momenti, vtpotè qui se liberare non potest. Secùs est in aliis qui se possunt ab imminenti periculo liberare; ac proinde si occidendum moneas, & consultum à malo proposito ex tuo consilio concepto coneris dimouere, sufficienter censendus es consilium retractasse, & mortem præcauisse.

5 Quæstio est, An irregularitatem incurras consulens, vel mandans Petro vt Ioannem occidat, si inde Petrus occisus est? Et quidem te non incurrere irregularitatem ex homicidio voluntario certum est posito quòd non habueris expressam voluntatem, vt Petrus in ea occasione constitutus occideretur. Vt aduertit Suar. *disp.44.sect.3.n.17.* Coninch. *disp.18. dub.8.n.66.* Sed an incurras irregularitatem ex homicidio casuali? non est ita constans apud Doctores. Et quæstio procedit casu quo probabiliter suspiceris Petrum graui periculo sui occisionis exponi. Negat Vasq. *1.2.disp.100.num.45.* Henriq. *lib.14.cap.16.* Gaspar. Hurtado *disput.2.de irregular. difficult.6.num.22.* quòd tuum consilium, seu mandatum non dirigitur ad occisionem Petri, sed ad occisionem Pauli, neque tu consulis, aut mandas Petro, vt se ipsum occidat, aut ab alio occidatur, Ergo irregularitas statuta à iure aduersus consulentem & mandantem homicidium te ligare non potest. Sed contrarium meritò docuit communis sententia, teste Nauarro *cap.27.num.233.* Suar. *disput.44 sect.3.num.18.* Coninch. *disput.18.dub.8.num.47.* Auila *p. disput.6.sect.2.dub.5. conclus.4.* & aliis. Quia negari non potest re causam voluntariam fuisse tuo consilio, vt Petrus in eo periculo constitueretur, & occideretur à Ioanne, ergo irregularis es non quatenus formaliter consulis, aut mandas homicidium, sed quatenus homicidij causa fuisti tuo mandato, & consilio.

6 Tertiò consentiens in homicidium, quando eo consensu homicidio cooperaris vel persequendo occisum, vel impediendo ne se defendat, vel è contra defendendo occisum, illique animum præbendo saltem tua præsentia irregularis es, vt colligitur ex *cap.sicut.dignum.§.illi de Homicidio:* ibi. *Constat ab homicidij reatu immunes non esse, qui occisoribus operam contra alios præstare venerunt.* Et in §. *clericos* ibi: *Clericos quos constat armatos interfuisse tanto facinori perpetuò non solùm ab altaris ministerio deponendos esse censemus &c.* Vt autem hac cooperatione irregularitatem contrahas ex homicidio voluntario, debes expresè mortem occisi intendere, vel aliquam actionem præstare ex qua physicè, seu directè mors sequatur, aliàs solùm eris irregularis ex homicidio casuali. Vt bene aduertit Suar. *disp.44.sect.3.num.31.& disp.45.sect.3. num.1.* Quod à fortiori verum est, si nescias principalem homicidij causam ex intentione occidendi procedere, sed potius suspicatus es ex intentione adulterandi, furandi, vel vindicandi iniuriam citra mortem processisse. Dixi *si tua præsentia animum occisori auxisti*, quod semper præsumendum est, nam si daremus tua præsentia occisorem robur non accepisse; eo quòd occiso viribus, & armis superior erat, immunis ab irregularitate videris, quia non es homicidij causa. Vt docuerunt Henriq. *lib.14.c.14.n.2.litt.E.* Auila *7.p.disp.6. sect.3.dub.3.concl.1.* Quod idem dicendum existimant Auila, & Henriq. *cap.16.* & Nauarr. *cons.32. de Homicidio*, si associaueris patrem, filium, consanguineum, aut amicitia coniunctissimum ea tantùm intentione, ne periclitaretur, quia ea associatio sub eo fine non videtur illicita.

7 Quartò aliqui Doctores, Nauarr. *cap.27.num.233.* Molina *tract.3.disp.33.memb.3.* asserunt te irregularem esse, si ratum habeas homicidium in tui gratiam factum; quòd ea ratihabitio mandato æquiualet. Sed rectius docuit oppositum Couarruu. *Clement si furiosus.2.p.§.1.num.4.* Sayrus *lib.7.cap.4. num.17.* Henriq. *cap.16. num.2.* Suar. *disp.44. sect.2. num.24.* Auila *7.p.disp.6. sect.2.dub.6.* Coninch. *disp.18. dub.8. in fine.* Bonac. *disp.7.q.4. punct.8.num.42.* eo quòd in iure ob ratihabitionem irregularitas imposita non sit. Neque obstat ratihabitionem mandato æquiualere, nam vt rectè docuerunt Henriq. Suar. Coninch. Bonac. & Auila, æquiualet plerúnque quoad culpam, siquidem potes, ita grauiter peccare complacendo in homicidio facto, ac si illud præcepisses, non tamen æquiualet quoad pœnas iuris, nisi vbi expressum est. Sicuti in *cap.cum quis de sentent.excommun. in 6.* cauetur excommunicationem canonis incurrere, qui ratam habuerit clerici percussionem suo nomine factam. Vel dic ratihabitionem mandato comparari in iis quæ à voluntate mandantis, seu ratum habentis pendent. Vti sunt contractus, gratiæ, beneficia, & similia. Secùs in pœnis ab alio infligendis.

§. III.

De dispensatione huius irregularitatis.

1 *In irregularitate proueniente ex homicidio voluntario solus Pontifex dispensat.*
2 *Idem affirmant plures in irregularitate proueniente ex mutilatione.*
3 *Verius est hanc potestatem Episcopo concessam esse in Conc. Trident.*
4 *Prælatis ordinum Mendicantium qualiter concessa sit hæc facultas comparatione suorum subditorum?*

1 QVod attinet ad dispensationem huius irregularitatis prouenientis ex homicidio, vel mutilatione voluntaria, dicendum est summum Pontificem in ea dispensare posse; quia est ab ipso iure humano inducta, tametsi rarò, & non nisi ex graui causa dispensationem concedat. Episcopus verò in homicidij voluntarij etiam occulti irregularitate nequaquam dispensat, vt apertè colligitur ex Conc. Trid. *sess. 24.c.6.de reform.* ibi: *Liceat Episcopis in omnibus irregularitatibus ex delicto occulto prouenientibus, dispensare, excepta ea quæ oritur ex homicidio voluntario.*

2 Eandem potestatem negant Episcopo pro irregularitate proueniente ex mutilatione voluntaria Medina, *in sum. lib.1. cap.11.§.12.* Henriq. *lib.14.cap.9.num.3.* Sanch. *lib.1.sum. cap.10. num.49.* ducti ex eo quòd hæc irregularitas non est tantum ex delicto, sed ex significatione, & Conc. Trid. solùm concedit Episcopo potestatem dispensandi in irregularitatibus ex delicto occulto prouenentibus, non autem in irregularitatibus ob significationem impositis. Neque obest inquit Sanch. excipi irregularitatem ex homicidio voluntario, quia non excipitur eo quòd sub generali regula dispensandi in omnibus irregularitatibus contineretur spectato vero, & proprio sensu verborum: sed quia sub regula continebatur spectato communi, & litterario sensu, quod satis est, ne exceptio superflua esse censeatur.

3 Sed communior sententia docet hanc potestatem dispensandi in irregularitate proueniente ex mutilatione occulta iniusta competere Episcopo; quæ fuit sententia Suar. *disp.44. sect.4.num.35.* & *sect.2.num.4.* refertque à sacra Congregatione decisum Toler. *lib.1. cap.48. num.6.* Eman. Sa, *verbo irregularitas num.9* Rodrig. *tom.1.qq.regular.quæst.24.art.10.* Molin. *tract. 3.disp.70.num.19.& disp.79.num.8.* Auila *7.par. disp.6.sect.5.dub.4.* Bonacina *disp.7.q.4. pun.vlt. circa finem.* Paul. Layman. *lib.3.sum. sect.5. tract.3.part.3. cap.12. num.2.* Etenim Concilium concedit Episcopis potestatem dispensandi in omnibus irregularitatibus occultis excepta homicidij voluntarij; at irregularitas ex mutilatione prouenies non est irregularitas ex homicidio, sed ab eo distincta, vt de se constat, & optimè probat Sanch. *dicto cap.10.num.49.* Ergo hæc irregularitas sub ea potestate comprehenditur. Tum quia hæc facultas latè est interpretanda, vtpotè beneficium Principis, & in iure communi insertum, & non personis, sed dignitati Episcopali concessa. Tum quia verè irregularitas ex mutilatione procedit ex delicto, tametsi in significationem inducta sit. Neque est verum irregularitatem homicidij non contineri sub illa generali regula dispensandi in omnibus irregularitatibus occultis, aliàs vt quid concilium potius irregularitatem homicidij voluntarij, quàm casualis, vel mutilationis excepit, si nulla illarum spectato proprio, & vero sensu verborum sub facultate dispensandi in omnibus irregularitatibus continebatur.

4 Prælatis verò ordinum Mendicantium comparatione suorum subditorum concessa est facultas dispensandi in omnibus irregularitatibus in foro conscientiæ, modò procedant ex delicto quod notorium non sit, vt constat ex *compendio priuilegior. Societ. Iesu, verbo dispensatio §.5.& 6.* quæ potestas reseruatur in Societate Præposito Generali, & quibus ipse commiserit.

§. IV.

§. IV.

Quæ requirantur in genere ad irregularitatem ex homicidio, vel mutilatione casuali?

1 *Requiritur ad hanc irregularitatem culpa grauis.*
2 *Si culpam latam in præcauendo homicidio, vel mutilatione non commisisti, irregularis non es.*
3 *Affirmant plures, si culpam leuem commiseris in præcauendo homicidio, quod ex opere illicito subsecutum est, te fore irregularem*
4 *Alij Doctores distinctione vtuntur.*
5 *Horum sententia approbatur, & explicatur.*
6 *Satisfit obiectionibus in contrarium.*
7 *Clericus torneamentis, & venationi aprorum, & vrsorum vacans non est irregularis, si debitam adhibuit diligentiam ad homicidium præcauendum.*
8 *Clericus officio chirurgiæ, seu medicinæ vacans, ex qua mors, vel mutilatio subsequitur, irregularis est.*

1 CVm hæc irregularitas homicidij, & mutilationis imposita sit in pœnam delicti commissi, necessariò debet homicidium, & mutilatio causari ex culpa. Sed an sufficiat culpa leuis, an necessariò grauis prærequiratur; non conueniunt Doctores. Nam Glossa *cap. significasti el. 1. de homicidio.* Abbas, Caietan. *verbo irregularitas.* Armilla *eodem. num. 14.* Couarruu. *Clement. si furiosus. 2. p. §. 4. num. 9.* sentiunt ex sola culpa venali hanc posse irregularitatem incurri; quia hæc non solùm in pœnam delicti, sed etiam ob defectum significationis indicitur, ideò videtur sufficere quælibet culpa, vt pœnæ rationem habeat.

Sed rectiùs alij Doctores culpam mortalem requirunt, inter quos est Nauarr. *ca. 27. num. 251.* Sotus, *lib. 5. de iustit. q. 1. art. 9.* Petr. Nauarra, *lib. 2. de restitut. cap. 1. dub. 6. numero 69.* Gregor. de Valen. *t. 4. disp. 7. q. 19. p. 3. §. 5.* Henriq. *lib. 14. cap. 15. num. 7.* Auila *7. p. disput. 6. sect. 1. dub. 11. conclus. 3.* Sayrus *lib 7. cap. 5. num. 5.* Bonac. *disputat. 7. q. 4. punct. 7. in fine.* Suar. *disputat. 15. sect. 5. numero 8.* Et colligitur ex *cap. quæsitum de panitent. & remissionib.* vbi pater suffocans filium secum dormientem irregularis iudicatur, si suffocatio ei voluntaria fuerit, vel ex studiosa negligentia acciderit. Et ex *cap. lator de Homicidio*, vbi excusatur ab irregularitate Clericus cum alio ludens, etiamsi casu cultello quo erat præcinctus alius occubuisset; quia non præsumit Pontifex fuisse ibi latam, & grauem culpam. Neque contrarium probatur ex *cap. continebatur eodem tit.* vbi quidam Diaconus iudicatur irregularis, eò quòd ludens cum aliis, & in ludo victus existens se suppposuit falce abscondita accinctus laicum victorem portaturus, à qua laicus mortale vulnus accepit, & post dies octo expirauit; quia ibi præsumitur grauem culpam commisisse diaconum ludentem falce præcinctum: debebat enim deponere falcem, vel vt inquit Panormit. prohibere laico equitandi licentiam casu, quo vinceret; aliàs erat actio de se periculosa, præcipuè cùm ex ipso Textu colligatur falcem absconditam esse ibi incautè in eum equitaturus insilit. Quod si in conscientia constaret diaconum recordatum non esse falcis absconditæ, neque suspicatum fuisse ex illius delatione laicum posse damnum accipere ab irregularitate excusaretur, inquit Suar. *disp. 45. sect. 5. num. 3. in fine.* Et ratio omnium est, quia irregularitas in pœnam delicti cùm grauissima pœna sit, vtpote quæ priuat maximis bonis, & difficilè tollitur, culpam grauem necessariò præsupponere debet; vt sic pœna culpæ proportionetur.

2 Ex hac doctrina duplex quæstio decidi debet. Prima an homicidium, vel mutilatio proueniens ex opere aliàs licito, & honesto irregularitatem inducat? Et breuiter dicendum est, te liberum esse ab irregularitate, si culpam latam in præcauendo homicidio, vel mutilatione non commiseris. Sic tenent Doctores *numero præcedenti* relati. Et colligitur ex *cap. Ioannes*, & *cap. vltim. de Homicidio.* Econtrà verò si negligens grauiter fueris in homicidio præcauendo irregularitate incurris, quia saltem indirectè tibi homicidium voluntarium fuit. Vt est casus relatus in *cap. Presbyterum de Homicidio*: vbi Presbyter puerum causa disciplinæ percutiens in capite, ex qua percussione post paucos dies obiit censetur irregularis, quia modum castigationis excessit. Et ad idem est casus relatus in *capit. vltim. de Homicidio in 6.* vbi mandatum est puerum acriter verberari & licèt mandans præceperit verberatibus, ne sic eueniret verberatio cùm periculo homicidij, id euenire posse, debuit cogitare practicè præcauendo periculum, vt in prædicto textu dicitur. In foro autem externo, quoties in castigatione, & correctione modus excedatur, præsumitur culpam latam adfuisse in detrimento ex ea culpa proueniente. Argum. Textus in *cap. si quis non iratus 25. quæst. 1.* vbi causans homicidium ex disciplina, esto quoad gratiam innocens habeatur, non tamen quoad legem, quia lex respicit opus, in quo opere præsumit excessum culpabilem adfuisse.

Secunda quæstio est de homicidio, vel mutilatione proueniente ex opere illicito, an irregularitatem causet, tametsi non grauem, sed leuem culpam commiseris in eo præcauendo? Affirmant Ioannes Andreas, & Innocent. *in cap. tua nos de Homicidio*, & *ibi* communiter Canonistæ, D. Thom. *2. 2. q. 64. art. 8.* & *ibi* Caietan. Gab. *in 4. dist. 15. q. 14. art. 3. dub. 2.* Paludan. *dist. 25. q. 3. art. 15.* Cosmas Philiarcus, *tit. 4. cap. 11. §. 7.* Alphons. Viuald. *tract. de irregula. n. 148.* Paul. Layman. *lib. 3 sum. sect. 5. tract. 3. par. 3. c. 10. num. 4. vers. dicendum secundò.* Mouentur ex *cap. dilectus. C. ex litteris. C. continebatur. & c. lator de Homicidio*, vbi ab irregularitate excusantur ibidem interficientes, quia dabant operam rei licitæ, & in culpa non fuerunt præcauendi homicidium. Ergo a contrario si darent operam illicitæ rei, cessaret ratio illos excusans. Secundò in iure est expressum propter homicidium, & mutilationem casualem contrahi irregularitatem. *Cap. clericos aciente. C. eos verò cum aliis 50. dist.* à quo iure tantùm excipitur dans operam licitæ rei, & omnem diligentiam adhibens ad præcauendum homicidium. *Cap. Ioannes. Cap. vlt. de Homicidio.* Tertiò si ab irregularitate excusaretur dans operam rei illicitæ ex qua homicidium est sequutum, quia periculum ignorauit, nulla esset differentia ad contrahendam irregularitatem ex homicidio casuali, ab eo qui dat operam licitæ rei. At in iure facilius contrahitur irregularitas ob homicidium sequutum ex opere illicito, quàm licito. Vt colligitur ex *c. ad audientiam, & sequentib. de Homicidio.* Ergo dicendum est dantem operam rei illicitæ ex qua homicidium sequitur, irregularem esse, tametsi solùm leuissimè in præcauendo homicidio peccauerit.

Alij vero graues Doctores, inter quos est Couarruu. *Clement. si furiosus 2. p. §. 4. num. 10.* Sotus *lib. 5. de iustit. q. 1. art. 9.* Corduba *lib. 1. qq. quæst. 26.* Nauarr. *cap. 27. num. 221.* Henriq. *lib. 14. cap. 15. num. 3.* Petr. Nauarr. *lib. 2. de restitut. cap. 1. dub. 6. num. 69.* Gregor. de Valen. *t. 1. disp. 6. q. 3. pun. 3.* & *t. 3. disp. 5. q. 19. pun. 4. §. 5. dub. 1.* Sayrus aliis relatis *lib. 7. cap. 5. nu. 12.* Auila *7. p. disput. 6. sect. 1. dub. 1. vers. sed est tertia opinio* hac vtuntur distinctione: aut actio peccaminosa ex qua homicidium sequitur de se est periculosa, & homicidij causatiua, vel non? Si actio de se est periculosa dans operam prædictæ actioni, contrahit irregularitatem: vti contrahit Clericus exercens torneamenta, & alia pugnæ simulacra, venationem vrsorum, & aprorum; quia hæ actiones ob periculum homicidij sunt Clericis interdictæ. Secùs verò si actio de se periculosa nó sit. Ratio est quia exercens opus de se periculosum voluntariè periculum amplectitur, ac proinde effectus inde sequutus ei adscribi debet. Secùs est quando opus de se non habet periculum, & diligentia adhibita est ad præcauendum homicidium: nam eo casu homicidium non est voluntarium in se, vt constat, neque etiam in causa, cùm ex se non sit homicidij illatiua; hæc autem irregularitas ex culpa homicidij contrahitur.

Hæc sententia si rectè expendatur vera est. Si enim actiones de se ita sint periculosæ, & mortis inductiuæ, vt tarò exerceri possint quin hunc effectum causent, idque eas exercens cognoscat, absque dubio siue Clericus sit, siue laicus irregularis erit effectu sequuto, quia ea occisio exercent eas actiones voluntaria est saltè in causa. At si actiones non sint hoc modo periculosæ, & diligentia adhibita sit ad præcauendum periculum irregularitati homicidij locus non erit. Sicuti optimè tradit Castro *lib. 2. de lege pœnali. cap. 14.* Henriq. *lib. 14. cap. 15. num. 1.* Suar. *disp. 45. sect. 6. num. 9.* quia illud homicidium non est directè voluntarium, vt supponimus, neque etiam indirectè, siquidem causa non est de se homicidij inductiua, neque etiam est voluntarium ratione alicuius negligentiæ grauis in eo præcauendo commissæ. Ergo talis actio nullam habet malitiam homicidij, & consequenter nulla irregularitas homicidij ei annecti potest.

Neque huic nostræ doctrinæ obstant superiùs adducta. Nam ad Textus in *cap. dilectus. Cap. ex litteris. Cap. continebatur. Cap. lator*, concedo vitari irregularitatem ex eo quòd opus exercitum licitum fuerit, & diligentia sufficiens adhibita ad homicidium vitandum; nego tamen inde inferri cessante vna ex illis causis contrahi, sed necessariò vtraque cessare debet, vel saltem præcipua, quæ est debitam diligentiam adhibere in vitando homicidio. Ad secundum respondeo ex ipsa rei natura ab irregularitate homicidij excusari qui diligentiam adhibuit ad illud præcauendum, tametsi expressis verbis non inueniatur in iure exceptum. Ad tertium dico hanc esse differentiam inter dantem operam rei licitæ, vel illicitæ, ex quibus homicidium sequitur, quòd dans operam rei licitæ præsumitur diligentiam ad præcauendum homicidium adhibuisse, quæ tamen diligentia non præsumitur in eo qui opus illicitum exercet.

Hinc deciditur clericum torneamentis, & venationi aprorum

rum, & vrsorum vacantem ex quibus homicidium subsecutum est nullomodo irregularem esse, si debitam adhibuit diligentiam ad homicidium præcauendum; quia hæ actiones non sunt ita de se periculosæ, vt frequenter homicidia inferant, aliàs laicis æquè ac Clericis interdictæ essent, & æquè laici; ac Clerici irregulares forent homicidio à casu subsecuto. Quod rectè de omnibus negant Couar. *Clement. si furiosus 2.p.§.4.num.10.vers. quarto.* Suar. *disp.45.sect.6. nu.14.* Sayrus *lib.7.c.5.num.13.* Auila *7.p. disp.6.sect.1. dub.1.* Layman. *lib.3. sect.5.tract.3.par.3.cap.10. vers. sed numquid*, tametsi contra sentiat Caietan. *2.2.q.64. art.8.* Nauarr. *cap.27.num.237.* Mol. *tract.3.disp.77.§.clerici.*

8 Vnicus tamen casus ab hac regula excipitur contentus in *cap. sententiam Ne Clerici, vel Monachi. & cap. tua nos de Homicidio*, in quo Clericus irregularis est morte, seu mutilatione eueniente ex officio chirurgiæ, seu medicinæ quantumlibet omnem diligentiam ad euitandam mortem, seu mutilationem adhibuerit. Etenim cùm omnibus Clericis in sacris constitutis, Monachisue, & Religiosis interdictum sit officium chirurgiæ, vel medici per incisionem, vel adustionem, quia has personas decet hoc officium exercere ob periculum mortis, quod solet huic exercitio annecti, à quo periculo conuenit clericos in sacris, monachos, & religiosos alienos esse, ideóque irregulares censentur, si ex eorum actione vtpote illicita, & ratione periculi prohibita mors eueniat. Sicuti docet Glossa, & Abbas *in dicto cap. tua nos de homicidio.* Couarruu. *dicta Clement. si furiosus 2.p.§.4. num.10.* Suar. *disp.45.sect.6.num.12.* Molin. *tract.3. disp.75. num.2.* Auila *7. p. disp.6.sect.1.dub.2.* Layman. *lib.3.sect.5.tract.3.par.3.cap.10. num.3.*

Notanter dixi *Clericos in sacris*, nam Clerici in minoribus ordinibus constituti tametsi beneficiati sint irregularitati non subiiciuntur officium chirurgiæ cum incisione, vel adustione exercentes, si diligentiam adhibuerint ad præcauendum mortis periculum, quia illis non est hoc officium interdictum, vt notauit Molina, & Layman. *supra.* Neque item eam irregularitatem contrahunt, quando necessitas infirmi vrget, & non est alius qui illud officium exerceat; quia non erat conueniens ob opus debitum ex charitate irregularitatem imponere. Vt aduertit Auila *dub.10. conclus.3. & 4.* Mol. & Laym. *locus allegatus.* Quapropter ad hanc irregularitatem incurrendam debent clerici in sacris, vel religiosi per se ipsos officium chirurgiæ per incisionem, vel adustionem exercere absque vrgente necessitate, ex qua incisione, vel adustione mors succedat. Etenim si infirmus non ex adustione, vel incisione moriatur, sed ex grauitate morbi non est censendus clericus in sacris constitutus adurens, vel incidens irregularis, tametsi in ea actione peccatum contra prohibitionem sibi factam commiserit. Vti docuit Couarruu. *dicta Clement. si furiosus 2.p.§.4. num.3. vers. nam si chirurgus.* Henriq. *lib.14. capit.3. numero 10.* Auila. *7. p. disputat. 6. sect. 1. dub.10. conclus.5.*

§. V.

Expenduntur aliqui casus speciales, pro superioris doctrinæ clariori intelligentia.

1 *Adulter ob cuius causam vxor à marito occiditur, ex communi sententia irregularis est.*

2 *Declaratur textus in* capit. sicut & litteris de Homicidio *de Presbytero ludente cum fœmina inhoneste.*

3 *Explicatur Clement.* si furiosus de homicidio, *qualiter furiosus, infans, vel dormiens excusentur ab irregularitate.*

4 *Qualiter proiiciens sagittam intentione vulnerandi Petrum, & casu Paulum occidens, irregularis sit.*

5 *Si petrum percutias non lethaliter, & ipse moriat. ex sua intemperantia, vel ex negligentia medici, non videris irregularis, etsi plures contrarium censeant.*

6 *Qualiter subministrantes cibos, & pocula infirmis, irregularitatem contrahant.*

1 PRimus casus est de adultero ob cuius causam vxor à marito occiditur, in quo casu Auila *7.p.de censur. disput: 5. sect.3. dub.3.concl.2.& 2.1. circa finem.* Mercado *de contractib. cap.4. pag.11.vers. & dub. este priuilegio.* Henriq. *lib.14.c.10. in fine.* Petr. Nauarr. *lib.2. cap.3.num.363.* negant irregularem esse, tametsi præuideat periculum mortis, cui se, vel vxorem exponit, quia illa non est causa sufficiens, vt maritus propriâ authoritate vellet vxorem, vel adulterum occidere.

Nihilominus communis sententia hunc adulterum irregularitatis damnat, si temerè ad vxorem accessit debita diligentia ad præcauendum mortis periculum non adhibita. Sicut docuit Couarruu. *2.p.dictæ Clement. si furiosus §.4.num.10.* Nauarr. *c.27.num.238.* Ioann. Gutierr. *lib 2. canon.qq.cap.6. num.41.* Sayrus *lib.7.c.6.n.26.* Suar. *disp.45.sect.5 num.7.* Layman. *lib.3.sect.5.tract.3. part.3.c.10. n.2.* decisumque id refert Nauarr. à Pio V. cùm in sacra Pœnitentiaria hic casus controuerteretur. Ratio est, quia adulter præuidens vxoris interficiendæ periculum, illius interfectionis indirecta causa est eam tali periculo exponens. Sicuti censendus esset indirecta causa mortis, si aliquem suaderes, vt ea via incederet, qua esset periculum probabile esse à latronibus interficiendum, vel si ei iniuriosam aliquam actionem ab alio factam referres, ex qua suspicareris mouendum esse ad patrandum homicidium. Hinc deducitur te irregularem fore, si maritum aggredientem inteficias in tui, vel vxoris defensionem, dummodò huius interfectionis periculum præuideas, neque diligentiam adhiberes ad vitandum, quia iniquè, & illicitè prædictæ interfectionis periculo te exposuisti, ideóque illa interfectio esto in defensionem fuerit facta, in causa tamen voluntaria fuit, & iniqua, atque adeò sufficiens ad irregularitatem inducendam. Sicuti si contumeliis aliquem prouocares credens inde arreptorum occasionem ad te occidendum irregularis esses eum sic lacessitum aggredientem interficiens: Vt ben è tradit Nauarr. *cap.27.num.238.* & *lib.5. cons.33. de homicidio in 2.edit.* Gutierr. *lib.2. canon.qq.cap.6.num.43.* Molina *tract.3.disp.72.num.5* Suar. *disp.46. sect.1.num.12.* Layman. *lib.3.sect.5.tract.3.par.3. cap.10. num.2.* Tametsi contrarium sentiant Sotus *lib.5. de iustit.q.1. art.9.* Henriq. *lib.14. c.10.n.3.* Lessius *lib.2. cap.9.n.105.* Auila *disp.3. sect.5.dub.3. concl.1.*

2 Secundus casus continet explicationem Textus in *cap. sicut & litteris de homicidio*, vbi quidam Presbyter declaratur irregularis; eo quòd mulierem prægnantem qua cum contraxerit consuetudinem inhonestam, & quam asserebat se concepisse ex eo per zonam arripuerit quasi ludens, ex qua arreptione fœtus mortuus fuit. Nam ibi non imponitur irregularitas, quia ludus fuisset inhonestus, sed quia fuit noxius, & periculosus, quod periculum præsumitur præuidisse, & cùm nullam adhibuerit diligentiam ad illud præcauendum, meritò censetur causa aborsus fuisse, atque adeò irregularis. Sicuti tradit Couarruu. *Clement. si furiosus 2.p. §. 4. num. 10. vers. quinto.* Henriq. *lib.14.c.15.n.4.* Suar. *disputat.45.sect.6.num.11.* Auila *7.p.disp.6.sect.1.dub.6.*

3 Tertiò explicanda est *Clement. si furiosus de Homicidio*, vbi furiosus, infans, vel dormiens (& idem est de ebrio) excusantur ab irregularitate homicidij, si cùm sanæ mentis essent non præuiderunt se illius periculo exponi, aut illo præuiso debitam in illo præcauendo diligentiam fecerunt; quia occisio inducens irregularitatem debet esse aliquo modo volita, quòd esse nequit, nisi prægnita fuerit. Quapropter in foro ciuili hi non tenentur de homicidio *leg. in fauorem, ff. ad leg. Cornel. de sicariis.* Et hoc intelligendum est tametsi culpabiliter in ebrietatem, vel amentiam incidissent vt aduertit Couarruu. *2. part. dicta Clement. §.4. numer.3. & 4.* Nauarr. *cap.27. num.231.* Henriq. *lib.14. cap.15. numero 7.* Auila *7. part. disputat.6. sect.1. dub.12. & 15.* Secùs esset, si præuiso periculo non ad illud præcauendum. Vti decidit *cap. quæsitum de pœnitent. & remissionib. & cap. consulisti 2. quæst.5.* Et notauit Suar. *disputat.46. de irregular. sect.1. num.12.* & Doctores nuper relati, quia ratione negligentiæ ea occisio indirectè est voluntaria. Quod si dubium sit, an occisio facta sit tempore furoris, vel sanæ mentis, siquidem occidens lucida habet interualla, vel vino arripi solet in foro externo pendet ex qualitate, & circunstantiis eius. Tradit Couarruu. *4. decretal. 2. part. cap. 2. num. 5.* Auila *supra*, qui optimè addit, si pensatis omnibus fuerit dubium potius iudicandum est tempore furoris occidisse, iuxta ea quæ tradit Anton. Gomez *tom. 3. variar. cap. 1. num. 71.* Ex quo capite excusatur ab irregularitate puer maior septennio alium occidens, de quo dubitabatur, an plenum habuerit vsum rationis. Argum. desumpto ex doctrina Bart. *in leg. non solum. §. sed vt probari. ff. de Noui operis nunciat.* vbi inquit delictum quod potest fieri tempore licito, vel illicito accusantem teneri probare factum esse tempore illicito, & punibili. Sicuti tradit Henriq. *lib.14. cap.3. n.4. in comment. lit. Y.* Auila *7. par. disp.6. sect.1. dub.13. concl.3.*

4 Quartò infertur decisio illius quæstionis, an irregularis sit proiiciens sagittam intentione vulnerandi Petrum & casu ibi aderat Paulus qui occisus fuit? Dicendum est si tibi constitit ibi adesse hominem, quem tamen credidisti esse Petrum, & nullum alium sine dubio irregularis es, quia ea sagittæ proiectio ex intentione vulnerandi hominem processit, quinimo si habuisti intentionem occidendi Petrum, & Paulus fuit occisus satis probabile est, te incurrisse irregularitatem ex homicidio voluntario. Vt docet Suarez *disputat.45.sect.6. numero 18.* secùs esset, si proiecisses sagittam animo occidendi feram, & debitam diligentiam apposuisti, ne hominem occideres, quia eo casu occisio hominis tibi voluntaria non est, etiam indirectè, vt tradit

Couar

Couarr. *dicta Clement. si furiosus* 2. *part.* §. 4. *num.* 10. Suar. *dict. sect.* 6. *num.* 14.

Quintò deciditur, an censendus sis irregularis ex eo quòd Petrum non lethaliter vulneraueris, si ipse Petrus moriatur ex sua intemperantia, vel ex negligentia medici, vel aliunde? Affirmant S. Anton. 3. *part. tit.* 28. *capite* 2. *in principio* Nauarr. *cap.* 27. *numero* 223. Henriq. *lib.* 14. *capite* 14. *numero* 4. Gutierr. *lib.* 2. *canon. qq. capite* 6. *numero* 93. Molina *tractatu* 3. *disputat.* 32. *à numero* 2. Auila 7. *parte disputat.* 6. *sect.* 1. *dubio* 5. *concl.* 2. Layman. *libro* 3. *sectione* 5. *tractatu* 3. *capite* 3. *numero* 10. *circa finem.* Ducuntur, quia medio illo vulnere iniustè illato occasionem præbuisti Petro, vt moreretur, neque enim ei mors euenisset, nisi vulnus accepisset, ergo vulnus fuit causa saltem partialis suæ mortis.

Cæterùm etsi dicta sententia sit satis probabilis, probabiliorem iudico quæ tè in hoc casu ab irregularitate excusat. Vti docuit Sylueſt. *verbo homicidium* 2. *quæst.* 22. Caietan. 2. 2. *quæst.* 64. *art.* 8. & *ibi* Aragon. Sotus *libro* 5. *de iustit. quæst.* 1. *art.* 9. Lessius *lib.* 2. *de iustit. capite* 9. *numero* 102. Suarez *disputat.* 45. *sect.* 6. *numero* 19. Ægidius Coninch. *disputat.* 18. *num.* 70. & 86. Gaspar Hurtado *de irregular. difficult.* 8. *num.* 31. Et colligitur ex *cap. exhibita de Homicidio*, vbi ab irregularitate excusatur puer insequens alium ex cuius insecutione insecutus cecidit, & capite vulneratus propter imperitiam medicorum, & propter patris incuriam illum laboribus, & sudoribus exponentis mortuus est. Neque est certum excusari *ibi* puerum ratione ætatis; supponitur enim doli capax; & lapidem proiecisse non intentione vulnerandi, sed timorem incutiendi, verius namque est excusari, quia mortis causa proxima nõ fuerit, etsi occasionem præbuisset. Sed apertiùs probatur ex *capite studeat*, 50. *dist.* vbi Presbytero percutiente Diaconum equitantem, qui diaconus ex equo cecidit, & cruciis fractione interiit mandatur examinari, an Diaconus fuerit percussus ad mortem, & ex illa percussione mortuus sit, nam eo casu deciditur irregularem fore. At si reperiatur diaconum non fuisse percussum ad mortem, iniungitur Presbytero pœnitentia ad tempus. Ecce qua ratione ex vulnere non lethali occasionem tamen morti præbente irregularitas non contrahitur. Ratio verò est; ad incurrendam irregularitatem non sufficit vtcunque occasionem mortis præbere, sed oportet occasionem proximam esse, ex qua mors sequatur. At cùm vulneratus non ex vulnere, sed ex intemperantia, alióve medicamento nociuo interiit vulneranti non est adscribenda mors. Secùs esset, si ex eo vulnere febris excitaretur, quæ vulneratum peremit, vel si simul cum illo vulnere aliud vulnus superuenit, ex cuius coniunctione primum vulnus ad mortem concurrit saltem vt breuiori tempore succederet, vel si deficiente medico, aut chirurgo ex illo vulnere aliàs non lethali lethale factum est; quia in his omnibus casibus conuincitur vulnus primum causam esse mortis proximam. Discernere autem an vulnus lethale sit, vel non, & ad mortem concurrerit ad medicos pertinet. Vti docuit Felin. *capite presbyterum de Homicidio.* Auila 7. *parte disputat.* 6. *sect.* 1. *dub.* 5. *conclus.* 3. cum Glossa *in lege* 1. *verbo depulsa. Cod. de emendis seruis*, vbi ait non esse censendum vulnus lethale, si vulneratus finito triduo post vulnus acceptum pedibus ambulauit. Et in *capite præterea de clerico percussore* dicitur vulneratum non præsumi ex vulnere decessisse, si post octo menses à vulnere suscepto decesserit. Secùs si breui tempore mortuus fuerit: & facit *cap. si quæfœmina* 50. *dist.* In casu tamen dubio censendus est vulneratus irregularis. *Cap. ad audientiam. & capite significasti de Homicidio.*

6 Sextò infertur quid dicendum sit de subministrantibus cibos, & pocula infirmo. Hi namque si aliquam medicinam infirmo exhibeant maximè contra præscriptum medici, ex qua notabiliter mors accelereretur, sine dubio irregulares erunt, nisi ignorantia excusentur, quia actione peccaminosa ad mortem infirmi iuuant. Sicuti tradit Villadiego *de irregular. cap.* 6. *vers. item de seruientibus numero* 39. Couarruu. 2. *part. Clement. si furiosus.* §. 4. *num.* 3. Nauarr. *capite* 27. *numero* 128. Henriquez *lib.* 14. *capite* 15. *numero* 5. Auila 7. *part. disputat.* 6. *sect.* 1. *dub.* 8. Nullus tamen est scrupulus habendus ex eo quòd mutaueris, vel reuolueris infirmum animo subministrandi cibum, vel vt commodiùs quiescat, esto inde aliqualiter mors accelerata sit; quia nec notabiliter acceleratur, neque infirmus tenetur ob eam leuem accelerationem excusandam tantam incommoditatem sustinere, vt notarunt Henriq. & Auila *suprà*. Sayrus *lib.* 7. *capite* 6. *num.* 13.

§. VI.

De cooperantibus ad homicidium, vel mutilationem, qualiter contrahant hanc irregularitatem?

1 *Si determinato occidere, & mutilare insulas tantùm mutilationem, non es irregularis.*

2 *Cùm plures associatim concurrunt, ad occisionem, percutiens lethaliter irregularis est. Si nullus cognoscitur vulnus lethale inflixisse, qui dubius fuerit se reputare debet irregularem.*

3 *Si certò constat quis vulnus lethale inflixerit, cæteros associantes excusat* Couarruu. *ab irregularitate.*

4 *Verius est excusari non debere.*

5 *Satisfit fundamento oppositio.*

6 *Quod si Parochus vulnus lethale inflixerit, ex quo tamen vulneratus mortuus non est, sed ex vulneribus acceptis à parochianis, an censeatur irregularis.*

DE mandante, & consulente superius diximus loquentes 1
de irregularitate ex homicidio voluntario. Solùm aduerto consulentem, & mandantem excusari posse à peccato, & consequenter ab irregularitate; si determinato patrare occisionem consulat, & præcipiat mutilatione esse contentum, quia eo casu non mandat mutilationem absolutè, sed mandat, & consulit ne vltra mutilationem progrediatur, quod illicitum non est posito quòd alia via ab occisione dimoueri non possit.

Difficultas est, An pluribus associatim concurrentibus ad 2
occisionem Petri non consilio, sed ex repentina occasione omnes irregulares sint, etiam illi, qui nullum intulerunt vulnus? In qua difficultate dicendum est percutientem lethaliter irregularem esse irregularitate orta ex homicidio voluntario, vel casuali iuxta intentionem quam habuit. Si verò nullus cognoscitur qui vulnus lethale inflixerit, qui dubius fuerit reputare se debet irregularem. *Cap. ad audientiam de Homicidio.* Quapropter Iudex ignorans quis illorum vulnus lethale inflixerit, omnes reputat homicidas, quia omnes in rixando deliquerunt, esto non pœna ordinaria, sed arbitraria eos condemnare debeat. Vt multis allegatis docet Couarruu. *Clement. si furiosus* 2. *p.* §. 2. *num.* 5. Secùs esset si post diligentem inquisitionem non cognosceret qui in rixa fuerunt inuenti, quia tunc omnes absoluere debet, ne se periculo exponat puniendi omnino innocentes, vt notauit Villadiego *cap.* 6. *num.* 43. *vers. sed primò.* Henriq. *lib.* 14. *cap.* 14. *num.* 3. *in fine.* Maiol. *lib.* 5. *cap.* 48. §. 4. *num.* 9. Suar. *disp.* 45. *sect.* 3. *dub.* 3. *concluſ.* 3. Qui omnes fingunt casum, quando ex aliqua domo in qua habitant quatuor homines proiectus est lapis, ex cuius ictu aliquis mortuus est, & nullo modo constat, quis illum proiecerit, omnes absoluuntur ab irregularitate, & pœnas; quia æquius est vnum nocentem tolerare, quàm tres innocentes damnare.

Quod si certò constiterit quis vulnus lethale inflixerit, 3
omnes alios vulnus lethale non inferentes affirmat Couarruu. aliis relatis in *Clement. si furiosus* 2. *p.* §. 2. *num.* 1. *vers. secundus casus* non fore irregulares. Ducitur quia infligens vulnus lethale tenetur de homicidio, & non alius, reliqui enim tenentur de percussione ex *Textu in leg. cum Mela. §. sed & si seruum. ff. Ad legem Aquiliam. & in leg. si rixa. ff. de sicariis.* Ergo cùm liberi sint ab homicidio, liberi erunt ab irregularitate. Secundò probari potest ex *cap. significasti el.* 2. *de Homicidio*, vbi Parochus excusatur ab homicidio, & irregularitate si non inflixerit vulnus lethale latroni, qui aliis vulneribus acceptis subitò interiit.

Verùm etsi hæc sententia probabilis sit, probabiliorem 4
existimo hos cooperatores etsi nullum lethale vulnus inflixerint, irregulares fore, quia negari non potest sua præsentia auxilium, & fauorem occisori tribuisse, & occisum impedisse, ne se defenderet, ac proinde omnes iudicandi sunt secundùm canones rei homicidij, & irregularitati subiecti ex *Textu in cap. si quatuor homines* 23. *q.* 8. Et tradit Glossa *ibi.* Nauar. *cap.* 27. *num.* 224. §. *Decimo. & conſ.* 32. *de homicid. in fine.* Maiol. *lib.* 5. *de irregular. cap.* 48. §. 4. *numero* 7. Henriq. *lib.* 14. *cap.* 14. *num.* 2. & 3. Suar. *disp.* 45. *sect.* 3. *num* 9. Auila 7. *p. disputat.* 6. *sect.* 3. *dub.* 3. *concl.* 4. Coninch. *disput.* 18. *dub.* 8. *numero* 70.

Neque obstant contraria. Fatemur equidem iure ciuili 5
non puniri hos cooperatores vt homicidas; benè tamen secundùm statuta canonum quoad pœnam irregularitatis, vt in *suprad. cap. si quatuor homines* habetur. Minus obstat Textus in *cap. significasti*, nam ille Parochus separatim, & diuisim vulnus inflixit, & non læthale, neque cooperatus fuit vllo modo ad occisionem, sed alij parochiani superuenientes absque eius voluntate subitò latronem interfecerunt, ideóque Parocho mors non tribuitur. Secùs dicendum, cum omnes per modum vnius concurrunt.

6 Sed quid si Parochus vulnus lethale inflixisset, non tamen inde vulneratus mortuus esset, sed ex vulneribus acceptis à parochianis? Late hanc difficultatem versat Couarruu. *dicta Clement. si furiosus 2. part. §. 2. num. 4.* & affirmat communem opinionem damnare parochum irregularitate; quia in *dicto cap. significasti* solùm excusatur Parochus ab irregularitate, quia certò constat non inflixisse vulnus lethale. Sed vt optimè tradit Couarruu. *suprà* hic casus non deciditur in *dicto cap. significasti*; nam ex illo solùm colligitur Parochum irregularem esse, cùm constat vulnus ab ipso illatum fuisse lethale, vel de hoc stat dubium, & ex alia parte discerni nequit quo ex vulnere percussus interierit, an ex vulnere inflicto à Parocho, an ex vulneribus quæ parochiani intulerunt. Nihil tamen in *supradicto cap. significasti* definitur de Parocho, qui etsi lethaliter percusserit constat percussum non ex illius vulnere, sed ex aliis acceptis interiisse. Quocirca dicendum existimo cum Henriq. *lib. 14. cap. 14. num. 3.* Auila 7. *part. disput. 6. sect. 3. dub. 4.* Molina *tract. 3. disputat. 33. memb. 6. num. 4.* Layman. *lib. 3. summ. sect. 5. tract. 3. part. 3. cap. 10. in fine* percutientem lethaliter quando diuisim, & per se concurrit, si vulneratus non ex ipso vulnere, sed ex aliorum vulneribus obierit, neque irregularem esse, nec teneri de homicidio, sed solùm de vulnere. Ex Modicorum autem iudicio, & ex circunstantiis constare debet primum vulnus non causasse mortem etiam quoad accelerationem. Sicuti contingeret, si ex secundo ictu caput esset confractum, vel pectus transfossum, aut cor transuerberatum, ex cuius vulnere statim percussus obierit. Ratio nostræ doctrinæ est, quia ad irregularitatem homicidij iniusti contrahendam, opus est illius esse causam proximam, & efficacem, qualis non est in præsenti, vt supponimus. Et confirmo, si lethaliter percussus occidatur à fulgure, percutiens irregularis non est censendus; quia non causauit de facto homicidium, siquidem æquè percussus vi fulguris interit ac si nullum vulnus accepisset, sic in nostro casu dicendum est: fauetque textus in *leg. ita vulneratus ff. Ad legem Aquiliam.*

§. VII.

Qua ratione non impedientes homicidium incurrant irregularitatem?

1 *Si ex charitate solùm teneris communis est sententia te irregularem non esse.*
2 *Si ex iustitia irregularem fore.*
3 *Satisfit aliquibus obiectionibus.*
4 *Si terixante cum Ioanne superueniant tui consanguinei, vel amici & Ioannem occidant irregularis es, si pro viribus non impediſti.*
5 *Si volenti ex charitate defendere innocentem persuadeas ne defendat, non obinde irregularis es.*
6 *Ex intentione qua moueris ad non impediendum homicidium, dicenda est irregularitas ex homicidio voluntario, vel casuali.*
7 *In hac irregularitate ex homicidio casuali, vel mutilatione si occulta sit Episcopus dispensare potest.*

1 DVplex potest esse obligatio impediendi homicidium ex iustitia; vel ex charitate. Si ex charitate solùm teneris, communis est sententia, te irregularem non esse. Vti deciditur *cap. si quatuor homines 23. q. 8.* ibi: *Qui vero neque eum impugnabant, neque vulnerabant, neque auxilio cooperatores fuerunt, sed tantùm adfuerunt extra noxam sint, hoc est extra pœnam irregularitatis*, de qua *ibi* erat sermo. Etenim sic omittens impedire non peccas peccato homicidij, siquidem non peccas contra iustitiam, nec vt homicida teneris, vt probat Bart. *in leg. 1. §. sed in eoff. ad senatusconsult. Sillanian.* & tradit Nauarr. *cap. 27. num. 231.* Molina *tract. 3. disp. 76. num. 8.* & *disp. 33. memb. 5.* Suarez *disp. 45. sect. 4. num. 3.* Filliuc. *tract. 20. cap. 4. numero 127.* Bonac. *de irregular. disput. 7. quæst. 4. p. 8. num. 37.*

2 Si verò teneatis ex iustitia homicidium impedire communiter Doctores affirmant te irregularem fore non impedientem cum possis. Sic Nauarr. *cap. 27. num. 231. & 233.* Henriq. *lib. 24. cap. 12. num. 10.* Manuel Rodrig. *verbo irregularitas cap. 178. concl. 4. & 5.* Suar. *disp. 46. sect. 4. num. 3. & 5.* Auila *7. p. disp. 6. sect. 2. dub. 7. conclus. 1. & 2.* Tolet. *lib. 1. cap. 83. num. 4.* Bonac. *dicta disputat. 7. quæst. 4. punct. 8. num. 37.* & alii apud ipsos. Et probatur, quia causa moralis es homicidij: vt dicitur in *cap. non inferenda. & cap. qui potest 23. q. 3.* ibi: *Qui potest obuiare, & perturbare peruersos, & non facit, nihil est aliud quàm fauere impietati eorum, neque caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obuiare.* Et in *cap. vlt. eiusdem causæ, & quæst.* dicitur *qui desinit obuiare cum possit, consentit.* Ex his tamen Textibus non satis communis sententia comprobatur. Tum quia loquuntur tam de obligato ex iustitia, quàm ex charitate. Tum & præcipuè quia esto non impediens maleficium cùm possit fauere dicatur, & in illud consentire, non tamen fauet directè, & propriè, sed interpretatione iuris. Ideóque in *leg. quid ergo. vers. certè. ff. de his qui notantur infamia*, dicitur *de hoc omittente quodammodo facisse videtur, quasi non perfectè fecerit.* Et in *reg. qui non facit 164. ff. de Regulis iuris.* ibi *Qui non facit quod facere debet, videtur facere aduersus ea quæ non facit.* Expende non dixisse Textum absolutè facit, sed *videtur facere.*

Propter hæc, & alia quæ obiicit Suar. *disputat. 45. sect. 4. numero 6.* plures Doctores Antonin. *3. particul. titul. 18. capite 2. in princip.* Armilla, *verbo irregularitas 2.* Tabiena *1. §. 2.* Gaspar Hurtado *de irregular. disputat. 2. difficultat. 9. numero 34.* asserunt requiri necessariò aliquem influxum positiuum in homicidium, vt irregularitati locus sit. Ducuntur, quia ex solo concursu morali nemini alteri à mandante, & consulente irregularitas in iure indicta est. 3

Nihilominus etsi hæc sententia videatur probabilis, quia tamen contraria communis est & receptissima, sustineri debet, & ad fundamentum oppositum respondemus efficientiam moralem sufficientem esse ad irregularitatem inducendam, ex textibus relatis 23. q. 3. Vnum tamen est necessariò aduertendum, quod & aduertit Cardinalis in *cap. quæstum de pœnitent. & remiss.* Suar. *disp. 45. sect. 4. num. 8.* Bonac. *disp. 7. qu. 4. punct. 8. num. 37.* hanc omissionem debere esse directè voluntariam mortis periculo præuiso, aliàs non impediens homicidium irregularitatem non incurres: colligitur ex *cap. quæstum de pœnitent. & remissionib.* vbi parentes ex quorum culpa filij in cunis mortui sunt, iudicantur irregulares, si de facto suffocationem procurauerint, vel studiosè neglexerint eam impedire, non tamen si ex eorum incuria filij mortui fuerint. Vox autem *incuria*, non solùm comprehendit quamcunque negligentiam, sed etiam latam, & grauem culpam modò affectata non sit. Vt tradit *ibi* Cardinal. & Glossa *cap. ex parte de consuetud. vers. incuria*, & constat ex ipso Textu, vbi sola procuratio mortis, vel studiosa negligentia eam vitandi irregularitatem inducit. 4

Ex his infertur primò, si te rixante cum Ioanne superueniant tui consanguinei, vel amici, & Ioannem occidant irregularis es, si pro viribus non impediſti, quia consensisse censeris, reputarisque illius homicidij causa impulsiua, & moriua. Vt colligitur ex *cap. Petrus de Homicidio. & cap. quia prælatus 1. quæst. 4.* Secus si impediuisti saltem affirmans tibi id gratum non fore, vt ex supradictis textibus infertur, & tradit Glossa *cap. fin. 23. q. vlt.* Hentiq. *lib. 14. cap. 13. num. 4.* Auila *7. p. disp. 6 sect. 3. dub. 5.* Quod si te absente consanguinei tui de inferenda Ioanni morte tractauerint, & ad tui notitiam peruenit, neque impediſti non obinde irregularis es; quia solùm aduersus charitatem peccasti; vt aduertit Auila *suprà.* Cum hoc tamen stat irregularem fore illum à quo fœmina concepit, si ipsa dicente illi se velle aborsum causare ipse taceat, quia per eam taciturnitatem censetur fœminæ determinationem approbare, eámque animosiorem reddere ad maleficium patrandum. Sicuti docuit Rodrig. *verbo irregularitas cap. 178. post 10. conclus.* Auila *7. p. disp. 6. sect. 2. dub. 7. vers. sequitur quarò.* Debet tamen fœtus saltem sub dubio animatus esse.

Secundò sequitur, si volenti ex charitate defendere innocentem ab occisione persuadeas ne defendat, non obinde es irregularis, quia non peccasti contra iustitiam, sed contra charitatem. Secùs verò si per iniuriam, violentiam, vel fraudem retraheres illum à defensione præstanda, quia eo casu tibi homicidium imputatur, vt expressè notauit Auila *7. p. disp. 6. sect. 2. dub. 7. vers. sequitur primò.* 5

Superest dubium, an irregularitas quæ contrahitur ob non impediendum homicidium censenda sit irregularitas ex homicidio voluntario, vel casuali? Breuiter respondeo id sumendum esse ex intentione qua moueris ad non impediendum. Si enim ex odio in personam non impedis, manifestum est te esse irregularem ex homicidio voluntario; quia ea omissione vis eius mortem euenire. Si autem non ex odio in personam, sed ex alio respectu scilicet ex humano timore, negligentia, vel auaritia cessas homicidium impedire, nullatenus censendus es irregularis ex homicidio voluntario, sed casuali; quia præter tuam voluntatem euenit. Vtrectè tradit Suar. *disp. 44. sect. 3. ad finem.* & *disp. 45. sect. 4. n. 9.* Bonac. *disp. 7. q. 4 p. 8. n. 41.* 6

Circa dispensationem huius irregularitatis ex homicidio casuali, seu mutilatione communior sententia est, posse Episcopum si occulta sit dispensare, vt probauimus *hoc punct. §. 1.* Nam cùm in Conc. Trid. *sess. 24. c. 6.* sola irregularitas ex homicidio voluntario excipiatur, & exceptio à potestate tradita strictè interpretanda sit, non debet extendi ad irregularitatem ex homicidio casuali, vel mutilatione incursam. 7

Præterea potest Episcopus cum hoc homicida casuali etiam notorio dispensare ad ordines minores, & beneficium simplex

simplex non ex vi Conc. Trident. sed ex *cap.2. & cap. ad audientiam de Homicidio*, quæ potestas à Concil. Trident. restricta non est, sicuti tradit Nauarr. *cap.27. num.240.* Sayrus *lib.7. cap.7.n.20.* Henriq. *lib.14.cap.19. num.2.* Auila *disp.6. sect.5.dub.2.* Layman. *lib.3.sum.sect.5. tract.3.part.3. cap.12. assert.6.* vbi relatis Nauarr. & Auila, subiungit posse Episcopum dispensare cum huiusmodi homicida ad retinendum beneficium curatum antea obtentum.

§. VIII.

Qua ratione tui, & tuorum bonorum defensio te ab irregularitate homicidij excuset?

1 *Defensio persona propria ab hac irregularitate excusat.*
2 *Aliquibus plures te ab irregularitate excusari, si occidas in tui defensionem, tametsi occasionem aggressori per iniustitiam dederis. Sed probabilius videtur oppositum.*
3 *Quando te defendere potes mutilando, si occidas irregularis es.*
4 *Communis sententia affirmat, si occidas inuasorem potentem eius aggressionem declinare fugiendo, te irregularem esse.*
5 *Oppositum probabile est, cùm fuga tibi est ignominiosa.*
6 *Negant plures defensionem directam bonorum temporalium ab irregularitate excusare*
7 *Verius videtur oppositum.*
8 *Satisfit fundamentis contrariis.*
9 *Quoties licitum est aggressorem interficere non est locus irregularitati.*
10 *Irregularitas contracta ex excessu defensionis, non est censenda irregularitas ex homicidio voluntario, sed casuali.*

1 QVamuis spectato iure antiquo controuersum fuerit, an defensio excuset ab irregularitate: certum tamen est post *Clement. si furiosus de Homicidio*, defensionem personæ propriæ ab illa excusare, quia ad irregularitatem contrahendam ex homicidio priuata authoritate facto requiritur culpa, vt *suprà* probauimus, & sæpè repetit Couarruu. *in expos. pradicta Clement.* præcipuè *3.p.in fine.* Sed cùm necessarium tibi est occidere aggressorem, vt propriam vitam, vel partem tui corporis defendas, nullam culpam committes illum occidendo.

2 Aliquibus placet inter quos est Sylvest. *verbo homicid.8.q.4.* Armilla, *verbo irregularitas num 42.* Tabiena *num.24* Soto *lib.5.de iustit.q.1.art.9. col.5.* Henriq. *lib.14.cap.10.numero 3. in fine.* Mercado *lib.6.de contract.c.4.pag.11. vers. este priuilegio.* Petr. Nauarr. *lib.2 de restit.cap.3. par.3. dub.14.* Auila *7.p. disp.5.sect.3.dub.1. in fine.* & *dub.3.conclus 1.* Gaspar Hurtado *disp.2.de irregular.difficul.10.num.36.* existimant te ab irregularitate excu ari occidens in tui defensionem, tametsi occasionem aggressori per iniustitiam dederis verbi gratia alapa eum percutiendo, vel adulterium cum eius vxore committendo, vel contumeliis afficiendo, quia iniuriatus volens etiam in continenti se propria authoritate vindicare, teque occidere iniustitiam committit; ac proinde licet tibi eam iniustitiam propulsare, quod si alia via non potes nisi illum occidendo, licebit tibi illum occidere. Ergo illa occisio non est tibi peccaminosa. Ergo non potest inducere irregularitatem ex homicidio iniusto. Quod verum est, inquit Auila, etiamsi hoc periculum præuidisses; quia ea præuisio non tollit potestatem te ab iniusto aggressore defendendi. Neque est simile de ebrio, & amente qui ante ebrietatem vidit periculum occisionis futuræ, neque illud cauit; quia ebrius est totalis causa, & iniusta homicidij. Tu verò adulterium committens, vel contumeliosis verbis aggressorem afficiens non es causa homicidij ipsius, sed ipse iniuriatus aggrediendo censetur causa suæ mortis, cùm cessans ab aggressione, quod facere tenebatur, posset mortem vitare. Sed quamuis hæc probabilia sint, probabilius est quod *superius §.5.principio* docui ex communi sententia te fore irregularem, si præuidisti periculum homicidij, nec præcauisti; nam esto homicidium illud in se, & immediatè licitum sit, est tamen in causa illicitum, & iniustum, concurrere autem ad homicidium iustum apponendo causam iniustam reus homicidij censendus est, & consequenter irregularis.

3 Dixi te non contrahere irregularitatem, quando occisio necessaria est ad tui defensionem, nam si te ab aggressore defendere posses illum mutilans, vel tantùm debilitans, & occideres, irregularis esses; quia ea occisio necessaria non est, ac proinde esset illicita, & iniusta, vt notauit Sylvest. *verbo homicidium. 3.q.4. in princ.* Henriq. *cap.10. num.2.* Suar. *disp. 46.sect.1.numero 8.* Auila *7.p.disput.5.sect.3. dub.2. conclus.3.* Gaspar Hurtado *disp.2.de irregular.diffic.10.n.35.* & colligitur ex Conc. Trid. *sess. 14.c.7.de reformat.*

4 Ex his venit decidenda quæstio, an si occidas inuasorem potens eius inuasionem declinare fugiendo irregularis sis? Affirmant Glossa *Clement. si furiosus verbo non valens.* Immola *ibi.* Panormit. *cap.olim el.1.de restitut. spoliator num.18.* Sylvest. *verb.excommunicatio 6 q.9.* Nauarr. *lib.5.consilior.tit. de homicidio cons.7.n.4. edit.2.* & *cap.27. n.211.* Maiol. *lib.5. de irregular.cap.48.n.6.* Henriq. *cap.10.num.3* Auila *7.part. disp.5.sect.3.dub.2.vers. ex dictis.* Layman. *lib.3.sum.sect.5. tract.3.par.3. c.9.assert.3.* Mouentur quia *in dicta Clement. si furiosus* solùm excipitur ab irregularitate qui suum inuasorem occidit non valens aliter aggressionem declinare. Hæc sententia procedit casu quo fuga tibi periculosa non sit; nam si probabili te periculo vitæ exponas fugiendo, iam fuga non est medium ad declinandam aggressionem & illius periculum, si quidem fugiendo in simile incidis, vt rectè Sylvest. & Auila *suprà* notarunt.

5 Verùm etsi hæc sententia probabilissima sit, & communi Doctorem consensu recepta, censeo valde probabilem oppositam, scilicet te non incurrere irregularitatem occidendo inuasorem, eramsi te indemnem seruare posses fugiendo, si tamen fuga tibi esset ignominiosa. Quod docuit Couarruu. *Clem. si furiosus 3.p.§. vnico, num.1.* & 4. Petr. Nauarr. *lib.2. de restit.cap.3 num 418.* Suar. *disp.46.sect.1.n.6.* Coninch. *disp.18. dub.9 in fine.* Gasp. Hurtado *de irregular. disput.2. difficult.10.num.37.* Moueor quia non peccas occidendo, siquidem non tenetis fugere cum tanto tui honoris detrimento. Dixi *si fuga tibi sit ignominiosa*, sicuti solet esse militi, vel nobili sæculari publicè prouocato. Nam si clericus es, vel religiosus, quibus nullo modo indecora est fuga, absque dubio irregularis esses occidens, si mortem fugiendo vitare posses. Vti aduertit Glossa *in dicta Clement. si furiosus.* & *cap. suscepimus de Homicidio.* Panormit *cap. olim el.1.de restitut. spoliator.* Aragon. *2.2.q.64.art.6.col.13.* Sotus *lib.5.de iustit.q.5. art.8.circa finem corpor.* Suar. *disp.46.sect.1. numero 5.* Auila *disp.5 sect.3. dub.2.* Coninch. & Gaspar Hurtado *loc.allegg.* Idem inquit Sotus, Suar. & Coninch. est, si tu sis ignotus, vel infimæ sortis, vel aggressio nocte contingit, nam in his euentibus fuga non est notabiliter indecora; ideóque leue illud honoris detrimentum sustinendum est, ne proximus occidatur. Et ob eandem rationem meritò Suar. & Coninch. existimant, si tu occasionem rixæ, & aggressioni dedisses, vel verbis contumeliosis, vel adulterio aliáve iniuria te occidere non posse inuasorem si fugiendo vales te defendere, quia fugiens nullum, vel leue detrimentum honoris pateris, quod ob iniuriam datam sustinere debes, media namque iniuria in illud discrimen te constituisti.

Neque obstat aduersus hanc doctrinam *Clement. si furiosus*; nam esto *ibi* non excipiatur occidens inuasorem qui non potest absque ignominia mortem vitare, excipitur tamen in communi regula, quæ solùm homicidio illicito, & iniusto hanc irregularitatem imponit. Præterea ob similitudinem rationis hæc exceptio honoris admittenda est, sicuti admittitur exceptio de ebrio, tametsi *in Clement.* solus furiosus excipiatur. Adde *in prædicta Clement.* appositam esse exceptionem quæ certa erat, & apud Doctores indubitata, aliæ verò exceptiones disputationi relinquuntur, vt ex dicendis constabit.

6 Grauior dubitatio est. An defensio directa bonorum temporalium, quorum iacturam vitare alia via non potes quàm occidendo aggressorem, ab hac irregularitate homicidij te excuset? Negant graues Doctores, Panormit. aliique Canonistæ in *cap.2.de homicidio.* S. Antonin. *3 p.tit.4.c.3.§.2.* Sylvest. *verb.homicidium 2.* Nauarr. *cap.15. num.4.* & *cap.27. n.211.* & *seqq.* Henriq. *lib.14.c.11.n.3.* Gutierr. *canon.qq.lib.2. cap.6.num.61.* Molina *tract.3.disp.72.num.3.* Salon. *2.2.q.64. art.8. controuersia 2.* Auila *7.p.disp.5. sect.3. dub.4. in conclus.* vbi oppositam sententiam parum probabilitatis habere censet Paul. Layman. *lib.3.sum.sect.5.tract.3.par.3.cap.9.assert.3.* & alij apud Petrum Nauarr. & Suar. aliósque Doctores pro nostra sententia referendos. Ducuntur primò, quia *in dicta Clement. si furiosus* solùm excipitur ab irregularitate occidens in defensionem propriæ vitæ, non autem occidens in defensionem rerum temporalium. Secundò in *cap. interfecisti de Homicidio* excusatur ab irregularitate qui se suáque defendens occidit. Ergo si non se defenderet, non excusaretur. Tertiò in *cap.si perfodiens eodem tit.* licitè posse interfici, secùs diurnum; quia potest constare quod ad furandum, & non ad occidendum venisset. Indicatur ergo pro furto impediendo non posse latronem interfici, bene tamen pro defendenda vita. Quartò in *c.suscepimus de Homicidio* imponitur irregularitas ei qui latrones furantes occidit, & subditur ratio. Quoniam expediebat post tunicam relinquere pallium, & rerum sustinere iacturam, quàm pro conseruandis rebus vilibus, & transitoriis in alios tam acriter exardescere. Quinto in *c.significasti el.2.de homicidio*, iudicatur irregularis clericus in defensionem rerum Ecclesiæ latronem percutiens.

6

si vulnus inflictum lethale fuit, ergo fortiori iudicaretur irregularis, si illud vulnus in defensionem suarum rerum inflixisset. Ratio autem sumitur ex eo, quòd irregularitas contracta in defensionem iustam rerum temporalium non est irregularitas ex delicto, sed ex defectu; deficit namque occidens à perfecta repræsentatione Christi, qui pro aliorum salute se & sua obtulit. Et licèt ab hac significatione deficiat occidens in defensionem propriæ vitæ, nihilominus excusari ab irregularitate debuit ob grauem, & strictissimam necessitatem propriæ vitæ conseruandæ. Deindesi ab irregularitate excusat propriorum bonorum defensio, etiam consulentes, & cooperantes huic defensioni excusabuntur. Hoc autem non videtur admittendum, aliàs milites in bello defensiuo propria manu occidentes excusabuntur ab irregularitate incurrenda contra textum *in cap. petitio de Homicidio.*

7 Nihilominus propriorum bonorum defensionem ab irregularitate hac homicidij, & mutilat onis accusare verius existimo, & in praxi tutum, & securum. Sicuti docuit Alfonsus de Castro *lib. 2. de lege pœnali. cap. 14.* Inclinat Couarruu. *Clement. si furiosus 3. p. num. 6. circa finem.* Fauet Sotus *lib. 5. de iustit. q. 1. art. 8.* Et defendit absolutè Petr. Nauarr. *lib. 3. de restitut. cap. 4. num. 418.* Sayrus *lib. 6. cap. 17. à num. 22.* Suar. *de censur. disp. 46. sect. 2. à num. 4.* Lessius *lib. 2. ne iustit. cap. 9. dub. 11. num. 73.* Coninch. *disp. 18. dub. 9 num. 80. & 88.* Filliuc. *tract. 20. cap. 5. q. 6. num. 146. & q. 7. num. 149.* Bonac. *de irregular. disp. 7. q. 4. p. 6. num. 10.* Gasp. Hurtado *de irregular. disp. 2. difficult. 10.* & alij. Et colligitur ex *cap. quia te 50. dist.* vbi quidam Episcopus à Sarracenis captus aliquos ex illis vt libertatem defenderet interfecit, de quo casu Vrbanus II. inquit: *Sed quoniam non tua sponte id fecisse cognoscens, inde canonicè nullo modo iudicaris.* Infertur ergo manifestè non solùm pro defendenda vita, sed pro defendenda libertate licitam esse interfectionem absque periculo canonici impedimenti. Ratio verò desumitur ex eo quòd irregularitas ob defectum significationis tantùm imposita est occidentibus, & mutilantibus authoritate publica, non autem illis qui priuata authoritate mutilant, vel occidunt; his autem irregularitas indicitur non præcisè in defectum significationis, sed in pœnam delicti commissi. At qui proprium honorem, bonáque fortunæ alia via defendere non potest, nisi occidendo inuasorem, nullam culpam in ea occisione committit. Ergo non subiicitur irregularitati ob culpam indictæ.

8 Neque obstant contrariæ sententiæ fundamenta. Ad primum fateor *in Clement. si furiosus* solùm excipi defendentem propriam vitam, quia id certum, & indubitatum est, sed nõ inde infertur defendentem propria bona excusari non posse, aliàs non excusaretur defendens se à mutilatione, vel vulnere non lethali; siquidem hæc defensio in dicta Clementin. non excipitur, cùm tamen communis sententia hanc defensionem vt legitimam excusationem admittat.

Ad secundum ex *cap. interfecisti*, respondeo *ibi* excusari ab irregularitate qui se, suáque defendens occidit inuasorem, non tamen inde licet, colligere defendentem res suas si occidat, esse irregularem, aliàs foret irregulari s defendens se tantùm, & non sua. Quocirca existimo illud signum & non copulatiuè, sed disiunctiuè accipiendum esse, ita vt faciat hunc sensum: Qui se defendit, & etiam qui defendit sua, non est irregularis occidendo. Quam explicationem colligit Suar. *supra n. 3.* & Coninch. *num. 90.* ex Textu in *cap. verum de iureiurando*: vbi absoluendus dicitur à vinculo iuramenti qui illud fecit inuitus pro vita, & rebus seruandis.

Ad tertium desumptum ex *c. si perfodiens*, dicito cum Couarruu. *3. p. relect. §. vnico. num. 6. vers. Septimò*, te posse regulariter impunè, & absque irregularitatis timore occidere furem nocturnum; quia tibi non constat, an possis furtum impedire absque occisione, vel quia non constat, an venerit ad furandum tantùm, an etiam ad te occidendum. Secùs procedit in fure diurno. Hic enim statim cognoscitur, an impedire eum possis à furto sine tuo periculo. Differentia ergo furis nocturni à diurno sita est in eo, quòd fur nocturnus regulariter absque illius occisione non potest à furto impediri, quia telo inuadit impedientes, secùs diurnus, ac proinde nocturnum interficiens præsumitur cum moderatione inculpatę tutelæ interfecisse secus interficiens diurnum, ideóque probare debet non posse aliter furtum impedire.

Ad quartum ex *cap. suscepimus*, dico manere clericum in illo casu irregularem, quia ob vanum timorẽ mortis occidit latrones, quos iam ligatos habebat, & in vindictam furti iam recuperati. Vnde meritò præcepit Pontifex à ministerio altaris abstinere, quia tam grauiter ob furtum factum rerum temporalium, quæ iam recuperatæ erant exarsit in latrones, cùm potius expediret post tunicam relinquere pallium, & rerum sustinere iacturam, quàm ita grauiter exardescere. Notandum enim est verbum *exardescere*, quod vindictam, & non defensionem significat. Neque enim ibi necessaria erat defensio, siquidem latrones ligandi erant, & authoritate publica coercendi, si aliquod damnum ex illis solutis timeretur.

Ad quintum ex *c. significasti*, eodem modo respondemus meritò iudicati Presbyterum illum irregularem, si vulnus læthale inflixit, quia poterat facile furtum vociferatione impedire, vt constat; nam statim parochiani accesserunt, & latronem absque difficultate interfecerunt. Ex nullo ergo textu constat ex occisione ob defensionem rerum temporalium contingentem cum moderatione inculpatæ tutelæ irregularitatem induci. Ad argumentum ex ratione petitum respondeo hanc irregularitatem non induci ob defectum tantùm, sed in pœnam delicti, quia sola ea irregularitas quæ à ministris iustitiæ, & à militibus contrahitur imposita est ob defectum perfectæ significationis.

Ex dictis colliges in omnibus his casibus, in quibus licitum est aggressorem interficere, irregularitati locum non esse. 9
Quapropter cùm communis sententia defendat ob defendendam patriam, bonáque communia, propriam Ecclesiam, consanguineos, quinimo extraneos innocentes, licitum esse aggressorem interficere, si alia via aggressio auerti nequit, sufficitur sanè nullam inde irregularitatem contrahi. Quod docuit Couarruu. *Clement. si furiosus 3. p. §. vnico, num. 5.* Suar. *disp. 46. sect. 3. num. 2.* Filliuc. *tract. 20. num. 106.* Saa, *verbo irregularitas. num. 2.* Bonacina *pun. 6. num. 11.* Coninch. Gaspar. Hurtado & alij *locis citatis.*

Est tamen maximè aduertendum irregularitatem contractam ex excessu defensionis vitæ, honoris, vel bonorum temporalium non esse nuncupandam irregularitatem ex homicidio voluntario, sed casuali, etiamsi excessus sit ex proposito & calore pugnæ, imo etiamsi quis iam fugientem prosequatur & occidat, vt rectè notauit Nauarr. *cap. 27. num. 240.* & *cons. 36. de homicidio edit. 2.* Henriq. *lib. 14. cap. 19. num. 3.* Suar. *disp. 46. sect. 1. num. 13. in fine.* Auila *7. p. disp. 6. sect. 5. dub. 5.* Paul. Layman. *lib. 3. sect. 5. tract. 3. par. 3. cap. 12. assert. 3.* Gaspar Hurtado *de irregul. diffic. 20. num. 66.* Et colligitur ex Conc. Trident. *sess. 14. cap. 7. de reformat.* vbi homicidium voluntarium definit esse, quod fit ex proposito, & ex industria. Hoc autem homicidium cum ex rixa originem duxerit, & illa durante factum fuerit casu contigisse censendum est, ideóque pœna ordinaria hoc homicidium non punitur, vt optimè probat Couarruu. *3. p. Clem. si furiosus. §. vnico num. 3.*

PVNCTVM XVI.

De irregularitate contracta ob iteratonem baptismi.

1 *Ministrans ex officio rebaptizanti, irregularis est.*
2 *Rebaptizatio occulta irregularitatem inducit ex communi sententia.*
3 *Contrarium non videtur improbabile, scilicet requiri delictum publicum esse.*
4 *Non est locus huic irregularitati, si rebaptizes, quem credebas baptizatum non esse.*
5 *Verius est te non fore irregularem rebaptizando sub conditione, eo tamen temerè, & absque vlla præmissa diligentia rebaptizes.*
6 *Qui se culpabiliter rebaptizari permisit, irregularis est.*
7 *Aliqui affirmant ignorantes hanc irregularitatem contrahere.*
8 *Communior sententia hos ab hac irregularitate excusat.*
9 *Satisfit oppositis.*
10 *Eandem irregularitatem incurrunt liberè, & absque vrgenti necessitate baptismum ab hæreticis declaratis suspectos.*
11 *Qualiter differentes baptismum, quousque periculum mortis habeant, irregulares sint.*
12 *Pro iteratione aliorum Sacramentorum imprimentium characterem, aliqui existimant eandem irregularitatem contrahi.*
13 *Verius est oppositum.*
14 *In hac irregularitate si delictum secretum sit, poterit Episcopus dispensare.*

CErtum est ministrantem ex officio ei qui rebaptizat scienter 1
irregularem ex *cap. ex litterarum 2. de Apostatis.* Quæ irregularitas non est absoluta, & totalis, cùm non priuet vsu & exercitio ordinis habiti. Sed solùm ascensu ad superiores ordines, vt ex ipso *cap. ex litterarum* constat, & aduertit Suar. *t. 3. in 3. p. disp. 31. sect. 6. vers. sed ad hæc.* Bonac. *de irregularit. disp. 7 q. 3. pun. 3. n. 1. & 7.* Layman *lib. 2. sum. tract. 1. par. 5. cap. 2. n. 1.* Coninch. *disp. 18. dub. 5. n. 34 & seqq.* Gaspar Hurtado *de irregular. disp. 2. diffic. 1.* Hanc irregularitatem prædicti Doctores extendunt ex communi omnium sententia ad rebaptizantem; eo quòd ministro rebaptizantis irregularitas indicitur, quia rebaptizationi cooperatur. Tacitè ergo supponitur præstanti rebaptizationem irregularitatem indictam esse. Sicuti præter supradictos Doctores docent Nauarr. *c. 27. n. 246.* Henriq. *lib. 2. c. 31. n. 1. & lib. 14 cap. 4. n. 4.* Auila *7. p. de irregular. disp. 7. dub. 1.*

Sed

Sed an hæc rebaptizatio solemnis esse debeat, vt ministet rebaptizantis, & ipse rebaptizans irregularitatem incurrant? non est constans sententia. Nam communis sententia quam tradit Hostiens. *in d.cap. ex litterarum.* Scotus *in 4.dist.6.q 8.* Auila *dicta disp.7.dub.1.* Henr. *lib.14.c.4.n.5.* & *c.20.n.3* Sayr. *lib.7.thesauri,c.8.n.6.* Coninch. *disp.18.dub.5.n.36.* & supponit Bonac. *de irregul.disp.7.q.3.pun.3.n.9.* & asserit occultam rebaptizationem sufficere maximè in rebaptizante. Ducuntur, quia *c.qui in qualibet 1.q.7.* & *c.qui bis.* & *c.eos quos.de cons.d.4.* nullatenus publicitatem criminis requirunt. Et licèt in *d.cap. ex litterarum de apostatis* dixerit Alexand. III. de ministro illo rebaptizationis, quod ad Ordines superiores, si publicum est, quod proponitur promoueri non valeat, nisi ad religionem transierit, si verò occultum fuerit, permittitur promoueri: id intelligendum est ex dispensatione Episcopi.

4 Cæterùm etsi prædicta sententia in praxi consulenda sit; contraria tamen scilicet debere delictum publicum esse, vt huic irregularitati sit locus, probabilitate non caret. Nam Textus in *cap.ex litterarum* absolutè decidit, si crimen occultum sit ordinari acholytum illum posse, neque dispensationis mentionem fecit. Ergo absque fundamento dispensatio exigitur. Alij verò textus non de rebaptizante, sed de rebaptizatis loquuntur, præterquam quod explicari debent iuxta hunc Textum in *cap.ex litterarum*, vbi Pontifex apertè locutus est, atque adeo in rebaptizatione occulta non contrahi à rebaptizante irregularitatem docuerunt Panormit. *dicto cap.ex litterarum num.1.* Sylvest. *verbo irregularitas q.4.* Paludan. *in 4.dist.6.quæst.4.art.1.concl.2.* Tolet. *lib.1. cap.70. §.quarto.* Laym. *lib.1.sum.tract.5. par.5. c.2.numero 1.* Gaspar Hurtado *de irregular. disp.2. difficult....* Coninch. *disput.18. dub.5.in 3.p.disp.31. sect.6. dub.3.1. num.1.* inclinat Suar. *t.3. num.36.*

5 Non est autem locus huic irregularitati, si rebaptizes eum quem credebas baptizatum non esse; quia comparatione tui non fuit rebaptizatio; siquidem probabiliter existimasti baptizatum non esse, neque enim dici potest iteratum quod factum esse nescitur. *Cap. solemnitates de consecrat. dist.1. Cap. vn.de clerico per saltum promoto.* Quapropter ab hac irregularitate quælibet ignorantia modò non sit crassa, & supina excusat, quia requiritur dolus, seu lata culpa. Sicuti advertit Bonac. *d.p.3.numero 3.* Layman. *dicto cap.21 numero 1. vers.3.*

6 Si verò temerè, & absque vlla præmissa diligentia rebaptizes, tametsi sub hac conditione si non est baptizatus, affirmant Sotus *in 4. dist.3.q.vnica.art.9.* Corduba *in sum.quæst. 37.* Vgolin. *de irregular.cap.3 5.§.3.* Sayrus *lib.7. cap.8. num. 23.* te fore irregularem, quia conditio apposita habetur pro non adiecta, quod Pius V. docuit in *Catechismo Romano tract. de baptismo, capit. de effectibus baptismi in fine.* Oppositum tamen probabilius docuerunt Nauarr. *capit.27. numero 246.* Henriq. *lib.14.cap.4.num.4.* Suar. *disp.31.sect.6.dub.5.* Auila *7.p.dispur.7.dub.3.* Bonac. *disp.7.q.3.pun.3. num.4.* Layman. *de irregular.cap.2.num.1.vers.4.* Gaspar Hurtado *disp.2.difficult.1.* Coninch. *disp.18.dub.5.num.38.* & alij, apud ipsos quia ex vi illius conditionis appositæ actus suspenditur, ac proinde exterior illa ablutio non est rebaptizatio, & consequenter neque irregularitati subiecta. Idem est si absque intentione rebaptizandi aliquem exterius rebaptizares; quia ea actio non est absolutè, & perfectè rebaptizatio, vti Coninch. Layman. Hurtado, & Bonac. *locis allegatis* notarunt.

7 Deinde qui se culpabiliter rebaptizari permisit absque dubio irregularis est simpliciter, & absolutè, ideóque non solùm impeditur à susceptione ordinum, sed etiam à susceptorum vsu. Vt colligitur ex *cap. confirmandum 50.dist.* & *cap.si bis de consecrat.dist.4.* Placet tamen aliquibus grauibus Doctoribus, S. Antonino, *3.par.tit.14.cap.13.§.12.* Paludano *in 4. dist.6.q.4.art.1. concl.2.* Sylvestro, *verbo baptismus 5.q.3.* Vivaldo *tract.de irregular.num.40.* Maiolo *lib.3.de irregular.c.14.* ab ignorantibus, & nullam culpam committentibus hanc irregularitatem contrahi, eo quòd hæc irregularitas non in pœnam delicti à rebaptizatis commissi, sed in detestationem rebaptizationis, & in reuerentiam tanti sacramenti videatur esse imposita. Argum. *cap.qui in qualibet 1.quæst.7.* vbi inquit Pontifex eos qui in qualibet ætate aliis quàm in Ecclesia Catholica aut baptizati, aut rebaptizati sunt ad Ecclesiasticam militiam prorsus non permittuntur accedere. Et *cap. qui bis de consecrat. distinct.4.* ibi: *Qui bis ignoranter baptizati sunt, non indigent pro eo pœnitere, nisi quòd secundùm canones ordinari non possunt, nisi magna aliqua necessitas togat.*

8 Sed communior sententia ab hac irregularitate excusat eos qui ignoranter rebaptizati sunt. Sicuti post alios antiquiores tradit Sotus *in 4.dist.3.q.vnica art.9.ante finem.* Couarruu. *Clement.si furiosus.1. par.in principio n.8.* Nauarr. *cap. 27.num.246.* Henriq. *lib.14.cap.4. num.3. & 4.* Suar. *t.3.in 3. p.disp.31.sect.6. ante finem.* & *de cens.disp.42.sect.1.n.10.* Greg. de Valen. *t.4.disp.7.q.19.punct.3.§.5.* Sayrus *lib.7. thesauri, cap.8. num.8. & seqq.* Tolet. *lib.1. cap.70.* Eman. Saa, *verbo irregularitas ex iteratione baptismi num.1.* Auila *7. part.disp.7. dub.2.* Paul. Layman. *lib.2.sum.tract.5. p.5.c.2. n.3.* & alij, & colligitur apertè, ex *cap.placuit. Cap. qui apud 1.q.4.* Etenim cùm ex nullo iure manifestè constet hanc irregularitatem indictam esse ex defectu alicuius significationis, asserendum est in pœnam delicti commissi esse appositam; quia id naturæ irregularitatis magis congruit. Stante autem ignorantia nullum delictum committitur. Ergo nullus est huic irregularitati locus.

Neque textus in contrarium relati vrgent. Nam *cap. qui* 9
in qualibet, intelligitur de his qui in qualibet ætate adulta, & dolo capaci rebaptizantur. Caput verò *qui bis*, non est alicuius Pontificis, aut concilij generalis, sed cuiusdam Theodori Archiepiscopi Cantuarensis, ideò vim legis habere non potest, vt aduertit Couarruuias, Sayrus, Suar. Layman. & alij *loc.cit.*

Eandem irregularitatem incurrunt qui liberè, & absque 10
vrgenti necessitate baptismum ab hæreticis taliter declaratis suscipiunt; eo quòd censeantur hæreticis commisceri, & eorum erroribus communicare; vt decisum est *cap. Afros.98. dist. c.veniens est 1.q.1.* & *c.qui in qualibet 1.q.7.*

Qui verò differunt baptismum, quousque ægritudine la- 11
borent, & periculum mortis habeant in Presbyteros ordinari non debent ob defectum probatæ fidei. Sicuti habetur *cap. vnico 57.dist.* Quapropter vt ab hac irregularitate liberentur, probare debent fidem rectæ vitæ testimonio, neque Episcopus aliter eos ordinare poterit, nisi sacerdotum penuria vrgeat. Sicuti aduertit Suar. *de censur.dispur.42.sect.1. num.5.* Sayrus *lib.7. de irregular. cap.8. num.30.* Laym. *lib.1.sum. tract.5.part.5. de irregular. cap.2. assert.3.* Maiol. *lib.3.de irregular. cap.10.* Gaspar Hurtado *disp.2. de irregular. difficult.1. num.2.* Bonac. *part.3.num.11.* Quam irregularitatem probabiliter extendit Maiol. Suar. & Laym. ad eos qui metu, aliàve necessitate coacti baptismum suscipiunt, quia defectum probatæ fidei habent, cùm non voluntariè, sed quasi necessitate coacti illam susceperint.

Pro iteratione aliorum sacramentorum imprimentium 12
characterem, qualia sunt Confirmatio, & Ordo, aliqui existimant eandem irregularitatem contrahi quæ in iteratione Baptismi contrahitur. Quod docuerunt Richard. *in 4.dist.7. art.6.q.1.* Maiol. *ibi* Hostiens. *in summ lib.1.tit. de sacram.non iterandis §.vlt.n.12.* Archidiacon. *in cap. dictum de consecrat. dist.5.* & *ibi.* Glossa, *verbo amplius.* Nauarr. *cap.27. n.247.* & *lib.1.consil.tit.de temporib.ordinat.consil.36.* Maiol. *lib.3.c.15.* Jacob. de Graffis *lib.4.c.27.n.15.* Philiarc. *lib.4.c.14.* Vivald. *de irregular.44.* & alij. Ducuntur ex *dicto cap. dictum de consecrat. dist.5.* vbi eodem modo prohibetur Confirmationis iteratio ac iteratio Baptismi, & sub eadem pœna religiosi obsequij sub habitu regulari, vel clericali.

Sed ob hanc iterationem nullam irregularitatem contra- 13
hi, verius docuerunt Scotus *in 4. dist.5.q.5.* Paludan. *dist.7. q.2. art.1.concl.2.* Sotus *dist.7. q. vnica. art.5.* Sylvest. *verbo irregularitas,q.4.* Alphons. de Castro *lib.1. de potest. legis pœnalis cap.7.docum.3.* Couarruu. *Clement.si furiosus 1.p.in princip. num.8. vers.sed & illud* Gregor. de Valentia, *t.4. disp.7.q.19. p.3.§.5.* Sayrus *lib.7.thesauri,cap.8.num.28.* Suar. *de sacram. disp.38. sect.1.2.* Coninch. *q.72.art.5.in fine.* Auila *7.p.disp.7. dub.5.* Filliuc. *tract.19. cap.7.q.1.* Reginald. *lib.30. tract.2. num.178.* Bonac. *de irregul.disp.7.q.3.num.7.* Layman. *cap.2. circa finem.* Gaspar Hurtado *disp.2. de irregul.difficul.1.num.3.* eo quòd nullo iure hæc irregularitas expressa sit, nam esto in *dicto cap.dictum* caueatur non posse iterari Confirmationem; sicut nec Baptismum, pœna tamen quæ *ibi* apposita est (vt rectè notarunt Scotus, de Castro, & Sayrus) potiùs probat sic iterantes ab irregularitate esse immunes; siquidem clerici famulatus, cui iterantes addicuntur exercitio ordinum consistit, & maximè in Eucharistiæ consecratione. Hinc à fortiori constat pro iteratione aliorum Sacramentorum nullam irregularitatem apposita esse.

Quoad dispensationem huius irregularitatis ex iteratio- 14
ne Baptismi, certum est spectato iure communi solùm Pontificem dispensare posse. At si ex delicto secreto proueniat, poterit Episcopus virtute Concil. Trident. *sess.24. cap.6. de reformat.* Sicuti aduertunt Sayrus *lib.7. thesauri, cap.8. in fine.* Auila *7.p.disp.7 in fine.* Bonac. *de irregular.disp.7.q.3.pun.3. num.9.* & 10. Occultum autem delictum censetur, quoties publicè ignoratur rebaptizationem fieri.

PVNCTVM XVII.

De irregularitate contracta ob illicitam Ordinum susceptionem.

1 *Irregularis est qui Ordinem furtiuè susceptt, & quis dicatur Ordinem furtiue suscipere.*

2 *Ob receptionem sacri ordinis absque confirmationis receptione, verius est nullam irregularitatem contrahi.*

3 *Suscipiens sacros Ordines post Matrimonium extra casus à iure permissos, irregularis est.*
4 *Qualiter in hac irregularitate dispenset Episcopus.*

1 CErtum est irregularitatem contrahi ab eo qui Ordinem furtiuè suscepit. Sicuti habetur *cap.1. De eo qui ordinem furtiuè suscepit*, vbi prohibetur ei qui diaconatu furtiuè initiatus est, ne ad sacerdotalem ordinem ascendat. Multipliciter autem contingit hæc furtiua ordinatio. *Primò* si ordineris sacris sine vero titulo. *Secundò* si absque dimissoriis litteris. *Tertiò* non seruatis interstitiis. *Quartò* per saltum. *Quintò* sine ætate. *Sextò* sine approbatione, & admissione Episcopi, vt contingit quando admissus, neque vocatus te cum aliis ordinandis ingeris, vel si vsurpato nomine alterius personæ examinatæ, & approbatæ ad Ordines locum illius occupas, vel si sub nomine tuo facis alium examinari, & approbari, & postea ipse proprio nomine vocatus ad ordines accedis.

Dicendum igitur est furtiuam ordinationem solùm hoc sexto modo propriè contingere, & irregularitatem saltem quoad superiores Ordines suscipiendos inducere, nam aliæ furtiuæ ordinationes potius suspensionem, quàm irregularitatem indicunt. Sicuti notauit Glossa *in dicto cap.1.* Sayrus *lib.7.thesauri, cap.9. num.37.* Suar. *disp.42. sect.3. numero 5.* Coninch. *disp.18. dub.5. num.43.* Bonac. *de irregular. disp.7. q.3. p.4. num.6.* Gaspar Hurtado *disp.2. difficult.1. num.3.* Layman. *de irregular. cap.3. num.1.* & alij.

Solùm obiici potest *caput vltimum. De eo qui furtiuè ordinem suscepit*: vbi sic ordinatus furtiuè diconatu, & subdiaconatu eodem die prohibetur in susceptis Ordinibus ministrare, quæ pœna suspensionis, & non irregularitatis videtur esse. Sed optimè respondet Suar. *loco citato* comm ssa ibi esse duo delicta, vnum recipiendo Ordinem furtiuè, alterum recipiendo eodem die duos sacros Ordines. Propter primum delictum incurrit irregularitatem latam in *cap.1.* & 2. *eodem tit.* Ob secundum verò pœna suspensionis afficitur.

2 Ob receptionem sacri Ordinis absque confirmationis receptione, etsi Maiol. *lib.4. de irregular. cap.12. num.9.* censeat irregularitatem incurri ob decretum Concil. Trident. *sess.23. cap.4. de reformat.* statuentis, ne Ordines recipiantur non præmissa Confirmationis receptione, longè verius est nullam irregularitatem contrahi. Vti docuit Vgolin. *de irregular. cap.38. §.1.* Henriq. *lib.14. cap.6. num.3.* Sayrus *lib.7. cap.9. ad finem num.42.* Suar. *t.3. de sacram. in 3.p. disp.38. sect.3.* & *de censur. disp.... sect.3. in fine.* Filliuc. *tract.20. num.205.* Bonac. *de irregular. disp.7. q.3. punct.4. num.8.* quia nullibi inuenitur hæc pœna expressa. Quinimo satis probabiliter existimant Nauarr. *cap.22. num.9.* Henriq. *lib.4. cap.6. num.3.* Suar. & Sayrus *locis citatis* non peccare mortaliter suscipientem, neque exercentem Ordinem sacramento Confirmationis non susceptо, quia *in dicto* Conc. Trid. *decreto*, neque alibi continetur præceptum illius recipiendi.

3 Deinde suscipiens sacros Ordines post matrimonium contractum extra casus à iure permissos, irregularis est ex *Extrauag. Antiquæ concertationi, De voto*, & tradunt omnes.

4 Quoad dispensationem verò irregularitatis ex furtiua Ordinis susceptione contracta constat *ex dicto cap.1. De eo qui ordinem furtiuè suscepit* posse Episcopum dispensare, nisi sub excommunicatione ipso facto incurrenda interdictum sit, vti plerunque ab omnibus Episcopis interdicitur. Quo casu si dispensatio summo Pontifici reseruatur, excepto si reus fuerit religionem ingressus, & ibi aliquandiu laudabiliter vixerit, vt in *dicto cap.1.* habetur. Verùm si crimen occultum sit, potest Episcopus virtute Concil. Trident. *sess.14. cap.6. de reformat.* dispensationem concedere. Sicuti aduertit Sayrus *lib.7. thesauri, cap.9. num.30.* Bonac. *de irregular. disp.7. quæst.3. pun.4. n.7.* Quoad irregularitatem contractam ab eo qui indebitè post matrimonium Ordinatus est, solus Pontifex dispensare potest, nisi postmodum religionem approbatam profiteatur. Vti cauetur *in dicta Extrauag. Antiquæ*, aut delictum occultum fuerit.

PVNCTVM XVIII.

De irregularitate contracta ob iniquam Ordinis administrationem.

1 *Ministrans in Ordine non habito seriò, solemniter, & ex officio, irregularis est.*
2 *Explicantur verba in propositione apposita.*
3 *Irregularis is, si in solemni Missa officio Epistolam cum manipulo cantes.*
4 *Item si Baptismum solemniter ministres.*
5 *Item attentans conficere Eucharistiam, illamue ministrans.*
6 *Idem est de absolutione sacramentali, præstita ab eo qui ordinatus non est.*
7 *Negant plures exercentem officium Ordinis quem non habet non fore irregularem, si illud præbat absque intentione vsurpandi Ordinis vsum.*
8 *Verius videtur oppositum.*
9 *Prædicta irregularitas comprehendit tam clericos, quam laicos ex plurium sententia.*
10 *Verius est solos clericos, & non laicos afficere.*
11 *Qualiter ob indignam Ordinis habiti administrationem irregularitas incurratur. Remissiuè respondetur.*
12 *Quis in hac irregularitate dispenset.*

MInistrantem in Ordine non habito seriò solemniter, & ex officio irregularem esse decisum est *capite 1. de clerico non ordinato ministrante*: nam *ibi* dicitur: *Si quis baptizauerit* (intellige solemniter) *aut aliquod officium exercuerit non ordinatus, propter temeritatem abiiciatur de Ecclesia, & nunquam ordinetur.* In quo Textu aliquibus placet excommunicationem ferendam statui, cùm dicitur Abiiciatur de Ecclesia; aliis suspensionem, seu depositionem à clericali statu; quæ depositio, seu suspensio temperata est *c.2. eodem tit.* vt solùm sit per biennium, vel triennium ab ordine qui inter susceptos fuerit præcipuus, irregularitas autem qua parte impedit Ordinum susceptionem ipso iure fertur tam in *d.c.1.* & 2. *de cleric. non ordin. ministr.* 1

Noranda sunt verba in propositione apposita, vt huic irregularitati locus sit. *Primò* namque exercere debes ordinem non habitum seriò, nam si per iocum seu ludum ad aliquam historiam repræsentandam Ordinem exerceas, in hanc irregularitatem non incidis; quia non censeris ordinem exercere, sed illius exercitum repræsentare. Quod intercedente honesta causa, & secluso rerum diuinarum contemptu licitum est, ac proinde nequit irregularitati subiici. Sicuti tradit Sylueſt. *verbo irregularitas q.12.* Nauar. *cap.27. num.241.* Sotus *in 4. disp.25. p.1. art.3.* Henriq. *lib.14. cap.6. num.1.* Sayrus *lib.7. thesauri, cap.10. n.2.* Suar. *disp.42. sect.4. numer.16.* Bonac. *disp.7. de irregular. q.3. pun.6. num.1.* & alij communiter. *Secundò* debes exercere solemniter, & ex officio vt aduertunt prædicti Doctores. Nam si hoc modo Ordinem non exerceas, non censeris officium Ordinis exercere. Hoc enim ex sua natura postulat, vt solùm ab ordinatis exerceri possit. Quapropter cùm vsus minorum ordinum communiter à non ordinatis exerceatur, & Epistola, & Euangelium sæpè in Missa solemni canatur cum dalmatica absque manipulo, vel stola ab iis qui eo Ordine initiari non sunt, quinimo etiam cum stola, seu manipulo à Clericis inferioribus Subdiacono in Ecclesiis fratrum Minorum teste Nauarro *cap.27. n.241.* Auila *7.p. disp.9. sect.2. dub.13.* Ob has actiones hæc irregularitas non contrahitur. Requiritur ergo ad hanc irregularitatem contrahendam, vt illud officium Ordinis exercea quod secundùm Ecclesiæ institutionem, & consuetudinem exerceri nequit ab iis qui eo Ordine carent. Sicuti docent ex communi S Antonin *3.p.tit.28. cap.1. §.1.* Sylueſt. *verbo irregularitas, num.14.* Nauarr. *cap.27. num.232.* Henriq. *lib.14. cap.6. num.1.* Sayrus *lib.7. cap.10. num.3.* & 4. Auila *7.p. disp.9. sect.2. dub.13.* Layman. *lib.1. sum. tract.5. par.5. cap.3. n.1.* Coninch. *disput. 18. dub.6.* Bonac. *disput. 7. de irregular. quæst.3. p.6. numer.1.* & 2. Hinc fit te irregularem fore si in solemni Missæ officio Epistolam cum manipulo, vel Euangelium cum stola decantes, vbi non est priuilegium, aut consuetudo, vt ea solemnitate de cantetur ab iis qui eo ordine non fuerint insigniti, vt prædicti Doctores specialiter Sayrus, Suar. Coninch. Layman. Bonac. *locis allegatis* notarunt. 2

Secundò eidem irregularitati subiiceris, si baptismum solemniter ministres; quia baptismus solemniter ministratus ordinis sacerdotalis vsus, & exercitium est. Vt decidit *dicto cap.1. de clerico non ordinato ministr.* Secùs est dicendum de baptismo non solemni qui sæpè à laicis præstatur: vt aduertunt Nauarr. *cap.22. num.7.* & *cap.27. num.241.* Henriq. *lib.2. de baptismo. cap.29. num.2.* & 3. & *lib.14. de irregular. cap. num.2.* Sayrus pluribus relatis *lib.7. cap.10. num.5.* Auila *7.p. disp.9. dub.14.* Bonacina *disput.7. de irregular. q.3. p.6. num.5.* 3 4

Tertiò attentans conficere Eucharistiam, illámue ministrans, aut ministrans Ordinem, Confirmationem, extremam Vnctionem cùm Sacerdos non sis, absque dubio irregularis es; quia Officium Ordinis quem non habes exerces. Secùs esset si matrimonio assisteres tanquam parochus, cùm tamen parochus non esses; quia Matrimonij assistentia non est actus Ordinis, sed iurisdictionis, & propter vsum iurisdictionis, non habitæ non est irregularitas imposita. Vt benè aduertit Suarez *disputat. 42. sect.4. numero 19.* Coninch. *disputat. 18. dub.6. num.48.* Gaspar Hurtado *disput.2. de irregular. difficult.2. n.5.* Et idem est de officio concionandi, nam esto illicitè non ordinatus illud vsurpares; quia tamen non est officium per se Ordini sacro annexum ex de causa illud vsurpantes irregularitatem non incurrunt; vt notauit Laym *lib.1 sum. tract.1. par.5. cap.3. n.3.* 5

De absolutione Sacramentali præstita ab eo qui Ordinatus non est, existimat Sylueſt. *verbo confessor.1. initio.* Ledesma *1.p.4.q.7. art.3. dub.1.* & reputat valdè probabile Auila *7.par.* 6

de irregular. disp. 9. dub. 15. irregularitatem non inducere; quia absque vlla solemnitate exercetur, ac proinde inter officium Ordinis reputanda non est. Sed contrarium meritò docent cum communi sententia Nauarr. *cap. 27. num. 242.* Henriq. *lib. 14. cap. 6. num. 1.* Sayrus *lib. 7. thesauri, cap. 10. n. 5.* Suar. *disp. 42. sect. 4. num. 19.* Bonac. *disp. 7. q. 3. pun. 6. num. 4.* Coninch. *disp. 18 num. 48.* Layman. *de irregularit. cap. 3. n. 2. vers. his adde,* & alij. Et colligitur ex *cap. 1. de clerico non ordinato ministr.* Etenim absolutio Sacramentalis quantumcumq; secreta sit actus est, & exercitium sacerdotalis Ordinis, sicuti est celebratio, ac proinde sicut vsurpatio celebrationis à non sacerdote irregularem efficit, sic absolutionis vsurpatio facere debet, falsumque est sub officio Ordinis prædictam absolutionem non contineri.

Superest tamen duplex difficultas. Prima: an exercens seriò officium Ordinis quem non habes, v. g canendo solemniter Epistolam, aut Euangelium; celebrando, vel ministrando aliud sacramentum absque intentione tamen vsurpandi Ordinis vsum, irregularitatem incurras? Negant specialiter loquentes de officio subdiaconi, & diaconi Nauarr. *cap. 27. n. 242.* Tabiena, *verbo irregularitas. 4. §. 3.* Auila *7. p. disp. 9 sect. 2. dub. 13. vers. quinto.* Bonac. *de irregular. disput. 7. q. 3. pun. 6. num. 2.* Cum Vgolino *de censur. capit. 37. num. 10.* Gaspar Hurtado *disput. 2. difficult. 2. num. 5.* Mouentur quia in *cap. 1. de clerico non ordinato ministrante*, statuitur hæc irregularitas, eo quòd non ordinatus solemniter baptizauerit, vel aliud officium ordini annexum exercuerit. Sed qui sine intentione celebrat, vel absoluit, re vera nõ celebrat, neque absoluit. Ergo non exercet officium Ordini sacro annexum, quia illud officium, seu officij simulatio non annectitur Ordini, sed ab ordine excluditur. Et confirmo: ad incurrendam hanc irregularitatem opus esse videtur, vt officium Ordinis exerceat, si non verè, saltem quantum est ex se: at qui intentionem non habet illud officium exercendi, etiam quantum est ex se non exercet, cùm deficiat in intentione. Ergo non subiicitur irregularitati. Et confirmo secundo exemplo rebaptizantis exteriùs absque intentione, quem diximus irregularitatem imposítam aduersus rebaptizantes non incurrere, quia quantum est ex se non rebaptizauit.

Nihilominus verius existimo te fore in hoc casu irregularem, quod docuit Suar. *de censur. disp. 42. sect. 4. à num. 18.* Coninch. *disp. 18. dub. 6. num. 47.* Paul. Layman. *de irregular. lib. 1. sum. tract. 5. par. 5. cap. 3. num. 1. vers. tertio.* Ducor, nam si hæc pœna irregularitatis non afficit exercentem exterius officium Ordinis cum illo ritu, solemnitate, qua communiter exercetur, neminem comprehendet qui hæreticus non sit, vel crassissima ignorantia non laboret; alius enim non potest habere voluntatem exercendi officium Ordinis quasi ex officio. Cùm enim Ordinem non habeat, impossibile est velle ministrare tanquam ordinatum, nisi ex eo quod velit exteriùs exercere officium. Sicuti exercet ordinatus. Quod apertiùs constat in Sacramentis, quæ non nisi à legitimo ministro confici possunt, in quorum confectione sciens se non esse legitimum ministrum, nullo modo potest habere voluntatem ea Sacramenta conficiendi. Relinquitur ergo, vt solùm habeat voluntatem, & intentionem exercendi in exteriori foro ea quæ ordinatus potest exercere. Ergo cùm hæc irregularitas imposita sit ad comprimendam audaciam eorum qui diuina officia Ordinum non ordinati vsurpant, efficitur comprehendere quoscunque exercentes seriò ea officia, etiamsi verè illa non exerceant. Ex qua ratione solutum est contrariæ sententiæ fundamentum. Ille enim ministet qui cùm non sit ordinatus officium Ordinis in exteriori foro exercet solemniter, sine dubio facit quantum ex parte sua facere potest ad officium sacrum exercendum; quia habere aliam intentionem est ei fere impossibile, vt probatum est. Exemplum autem de rebaptizante non vrget: nam illa irregularitas imposita fuit hæreticis rebaptizantibus; ac proinde supponitur illos habere intentionem rebaptizandi, & iudicare dari posse rebaptizationem. At hæc irregularitas, de qua in præsenti, instituta est ad puniendos sacrilegos, qui cùm ordinati non sint, Ordinis officium vsurpant.

Secunda difficultas est, An hæc irregularitas solùm aduersus clericos vsurpantes officium Ordinis quem non habent iudicta sit, an etiam efficiat laicos simile officium vsurpantes? Affirmant comprehendere æquè laicos, ac clericos Syluest. *verbo irregularitas q. 13.* Nauarr. *cap. 27. num. 242. vers. septimo.* Sotus *in 4. dist. 18. q. 4. art. 1. §. inducium.* & *dist. 25. q. 1. articul. 3. post conclus. 4.* Gregor. de Valen. *tom. 4. disput. 4. quæst. 2. pun. 1.* & *disputat. 7. quæst. 10. punct. 1.* Maiol. *lib. 4. de irregular. cap. 13. num. 4.* Francisc. Suar. *tom. 3. de sacram. disputat. 31. sect. 4. circa finem.* & *de censur. disputat. 42. sect. 4. numero 3.* Auila *7. p. disputat. 9. dub. 10.* Coninch. *disp. 18. dub. 6. numero 45.* Auila *7. p. disputat. 9. sect. 2. dubit. 13.* Filliucius *tractat. 20. capite 7. quæst. 8. numero 208.* Gaspar. Hurtado *disputat. 2. de irregularit. difficultat. 2. numero 4.* & alij. Ducuntur ex *capite 1. de clerico non ordinato ministr.* vbi generaliter statuitur, ne ordinetur, qui cum ordinatus non sit baptizauerit, officiúmve sacrum exercuerit, qui textus cùm sit antiquior Rubrica, nequit ex Rubrica restringi. Præterquam quòd verbum illud *de clerico* in titulo appositum, fortè ex inaduertentia appositum fuit, cum in antiquis codicibus non habeatur. Adde grauiùs peccare laicum vsurpantem Ordinis officium, quam clericum. Non igitur expediebat clericum hac irregularitatis pœna punire, & liberum laicum relinquere. 10

Cæterùm etsi hæc sententia probabilis sit, veriorem existimo, quæ asserit hanc irregularitatem solos clericos, & non laicos comprehendere. Vti docuerunt Angel. *verbo irregularitas 1. num. 38.* Rosella *num. 2. in princip.* Auila *num. 65.* Tabiena *4. num. 2.* Henriq. *lib. 2. de baptismo. cap. 29. num. 5.* & *lib. 14. cap. 6. num. 2.* Sayrus *lib. 7. cap. 10. num. 6.* Bonac. *de irregular. disp. 7. q. 3. p. 6. num. 1.* Paul. Laym. *lib. 1. sum. tract. 5. par. 5. cap. 3. num. 3.* Mouetur, quia esto Textus in *cap. 1. de clerico non ordinato ministr.* generaliter videatur loqui, & tam laicos, quàm Clericos comprehendere: at cùm sub titulo, & Rubrica de clerico non ordinato ministrante constitutus sit, indicatur manifestè pro Clericis tantum latum esse. Neque verum est in antiquis codicibus omissum esse verbum illud *de clerico*: nam Sayrus testatur se in septem manuscriptis codicibus legisse titulum, & Rubricam sicut in his editionibus castigatioribus continetur. Præterquam quòd textus hanc irregularitatem indicentes apertè significant solis clericis indici. Nam *cap. 2.* expresè loquitur de ordinato, cui vltra prohibitionem, ne ad superiores Ordines ascendat, suspensio infligitur per biennium, vel triennium ab Ordine præcipuo quem habet. In *cap.* verò 1. si sequamur probabilem intellectum Panormit. *ibi.* Syluestri, & Sayri *locis allegatis* asserentium illis verbis Abiiciatur ab Ecclesia suspensionem, seu depositionem ferendam indici, manifestè constat de Clericis tantum esse sermonem, nam laici nec suspendi, nec deponi possunt. Et licèt grauius peccet laycus quàm Clericus officium Ordinum vsurpans; quia tamen Clerici frequentius quàm laici illud vsurpare solent, ea de causa aduersus Clericos vsurpantes dictum officium statuta est irregularitas, & non aduersus laicos. 11

Qualiter autem ob indignam Ordinis habiti administrationem irregularitas contrahatur; satis explicatum est *disp. 1. 2. 4. 5.* & *6. huius tractatus*, loquentes de censuris in communi de excommunicat. suspensione, & interdicto. Et sæpè resoluimus ob nullam iniquam Ordinis administrationem incurri irregularitatem præter illam in qua censura excommunicationis, suspensionis, vel interdicti violatur.

Tandem de dispensatione huius irregularitatis prouenientis ex vsu, & officio Ordinis quem non habes, dicendum est, solum Pontificem eam posse concedere, vt ad superiores Ordines ascendas. Sicuti tradunt Innocent. *cap. dilectus. num. 3. de temporib. ordinat.* Panormit. *cap. 2. num. 3. de clerico non ord. ministrante.* Syluest. *verbo irregularitas qu. 12. in fine.* Angel. *ibi. num. 28.* Maiol. *lib. 4. cap. 13. num. 3.* Nauarr. *cap. 27. num. 243.* Suar. *de censur. disputat. 42. sect. 4. num. 3.* Sayrus *lib. 7. cap. 10. num. 11.* Auila *7. part. disp. 9. dub. 15.* Bonac. *de irregular. disputat. 7. qu. 3. punct. 6. num. 10.* & alij. Vt verò possit in susceptis Ordinibus ministrare, asserunt præcitati Doctores posse Episcopum recum dispensare ex *dicto cap. 2. de clerico non ordin. ministr.* vbi hæc suspensio arbitrio Episcopi remittitur. Verùm si rectè aduertatur solum in præcitato Textu Episcopo committitur, an sis biennio, vel triennio suspendendus; moderari autem tempus biennij nullo modo videtur concessum, ac proinde imposita suspensione biennij nequibit Episcopus illam tollere. Semper tamen subintelligenda est concessio Conc. Trident. *sess. 24. cap. 6.* pro irregularitate ex delicto occulto proueniente. Sicuti præsenti aduertunt Suar. & Bonac. *suprà.* 12

PVNCTVM XIX.

De irregularitate prouenientente ex crimine hæresis.

§. I.

De hæreticis, & fictè apostatantibus, & hæreticorum fautoribus, hæresíque suspectis.

1 *Communis sententia affirmat crimini hæresis etiam occulto, irregularitatem annecti.*

2 *Contrarium probabile est.*

3 *Plures censent posita hac irregularitate extendi ad eos qui exteriùs fidem abnegant, tametsi interius retineant.*

4 *Satis probabile oppositum est.*

5 *Fautores hæreticorum ab irregularitate excusantur ex pluriúm sententia, etsi alij contrarium censeant.*

6 *Hæresis suspecti irregulares sunt, dum non purgant suspicionem.*

1 COmmunis sententia affirmat irregularitatem annecti crimini hæresis etiam occulto, sicut annectitur excommunicatio. Vti docuerunt aliis relatis Pegna *director. inquisit. 3. p. comment. 162. q. 113.* & *comment. 175. q. 146.* Nauarr. *cap. 27. num. 205.* vers. *tertiò.* Sylvest. *verbo irregularitas q. 5.* Tolet. *lib. 1. cap. 64.* Suar. *t. 5. de censur. disp. 43. sect. 1. num. 3.* & *tract. de fide. disput. 21. sect. 5. num. 1.* & *2.* Thom. Sanch. *lib. 2. in decalog. cap. 25. num. 2.* Fatinac. *de hæresi. q. 189. num. 43.* & *q. 192. num. 67.* Filliuc. *tract. 20. cap. 9. num. 117.* Bonac. *disput. 7. de irregular. q. 3. p. 7. in prine.* Coninch. *disp. 18. dub. 7. à nu. 50.* Mouentur ex *cap. si qui Presbyteri.* & *capit. saluberrimum.* & *capite conuenientibus. 1. quæst. 7.* & *cap. nos consuetudine. distinct. 12.* vbi Clerici apostatantes à fide prohibentur ad vlteriorem gradum ascendere, licet in susceptis Ordinibus postquam conuersi sunt, permittantur ministrare. Sicuti habetur in *cap. saluberrimus*, ibi enim redeuntibus ad fidem adimitur spes promotionis, & pro magno beneficio conceditur in susceptis Ordinibus perseuerare: nisi iterata vnctione, hoc est Baptismi Sacramenti iteratione fuerint maculati. Quod si in *cap. voluerint. 1. q. 7.* dicatur de nouatianis redeuntibus ad Ecclesiam posse ordinari, intelligi debet ex dispensatione iuxta *cap. maximum*, & *cap. Donatum*: vel saltem intelligendum de laicis, quibus non est ita certum, hanc irregularitatem esse impositam, cùm omnes textus, qui hanc irregularitatem indicere videntur, de Clericis loquantur. Præterea in *c. 2.* & *15. de hæreticis in 6.* redduntur hæretici inhabiles ad beneficia Ecclesiastica, & officia publica. Ergo signum est irregulares esse.

2 Nihilominus etsi hæc sententia communis sit, existimo tamen contrariam nempe irregularitatem crimini hæresis occulto non annecti, esse valde probabilem. Vti tradiderunt Perez *lib. 8. ordin. tit. 4. lib. 3. fol. 98. ad finem.* Henriq. *lib. 14. c. 4. num. 6.* & *cap. 5. num. 2.* Cosmas Philiarc. *lib. 4. cap. 15.* Sayrus *lib. 7. cap. 11. numero 16.* Saa, *verbo irregularitas ex defectu animæ, num. 2.* Auila *7. p. de irregular. disput. 4. dub. 2.* Paul. Layman. *de irregular. cap. 4. num. 13.* Gaspar Hurtado *disput. 2. disc. 4. num. 14.* & alij relati ab August. Barbosa *in remissionib. concilij sess. 24. cap. 6. verbo hæresis.* Ducor quia textus hanc irregularitatem indicentes notorietatem criminis exigunt; siquidem sermonem dirigunt non ad ipsos hæreticos, sed ad Ecclesiæ pastores, quibus præcipitur, ne hæreticos ad Ordines admittant.

Prætera *cap. saluberrimum*, quod meo iudicio est præcipuum, & vnicum ad hanc irregularitatem probandam, loquitur de peccato; siquidem mandatur fieri abiuratio solemnis quæ fit in scriptis. Item in *cap. 2. de hæreticis in 6. §. hæretici*, apertè supponitur notitia communis. Prohibetur enim *ibi*, ne hæretici, & eorum fautores ad beneficium, vel officium publicum admittantur, quod nisi delictum sit publicum præstari nequit.

3 Posito hæreticos irregulares esse, dubitant primò Doctores; an hæc irregularitas extendatur ad eos qui exteriùs fidem abnegant, tametsi interiùs illam retineant? Tuentur affirmatiuam partem Maiol. *lib. 5. de irregularit. cap. 34. nu. 2.* Viuald. *candelab. sacrament. tit. de irregular. num. 88.* Suar. *de censur. disput. 43. sect. 2. num. 2.* Thom. Sanch. *lib. 2. in decalog. cap. 25. num. 6.* Farinac. *de hæresi. q. 192. num. 75.* Bonac. *disp. 7. de irregular. q. 3. pun. 7. num. 2.* Mouentur ex *cap. presbyteros 50. dist.* vbi de Presbytero qui ex timore fidem abnegauit subditur sacerdotale officium non posse ministrare, neque offerre, neque sermonem ad populum habere. Diaconis verò, & aliis Clericis inferioribus impeditur ascensus ad superiorem gradum, & in susceptо nequeunt ministrare, nisi de consensu Episcopi, cui in hac parte committitur potestas, & illam vrgenti causa tantùm exercere debet. Sponte verò fidem negantibus etsi sustentatio tribuatur, non tamen conceditur ad altiores Ordines ascensus. Deinde qui exteriùs fidem abnegat apostata est verbo & opere. At apostata pœnis hæreticorum subiicitur. *cap. Non potest 2. q. 7.* & *cap. contra Christianos de hæreticis lib. 6.*

4 Verùm etsi prædicta sententia communior sit, mihi tamen probabilis videtur assereas neque in *suprad. cap. Presbyteros*, neque alibi contineri irregularitatem aduersus fictè negantem fidem. Nam in *dicto cap. Presbyteros* nullum est verbum, ex quo colligatur Presbyterum illum fictè à fide apostatasse, poterat enim timore duci, & nihilominus fidem ex animo abnegare. Deinde casu quo Textus loqueretur de fictè negante solùm comprehendit delinquentes publicè, nam in conclusione dicitur eos, quorum crimina manifesta sunt ante, vel post ordinationem à sacris Ordinibus deiiciendos esse; quorum tamen peccata secreta sunt, secreta satisfactione secundùm sacerdotis edictum in propriis Ordinibus remanere posse. Ex quibus verbis etiam roboratur superioris sententiæ *num. 2.* relatæ probabilitas. Textus autem relati in *cap. non potest. Cap. contra Christianos*, in quibus apostata à fide hæresis pœnis subiicitur, intelligendi sunt de vero apostata qui fidem ex animo negauit: secùs qui solùm verbis, vel factis negationem significauit. Atque ita defendit Azor. *t. 1. lib. 8. c. 11. q. vlt.* & *c. 21. q. 8.* Nauarr. *lib. 5. consilior. tit. de hæres-conf. 3 alias 9.*

Secundò dubitatur, an fautores hæreticorum (intelligе quatenus hæretici sunt) receptatores, & defensores ea irregularitate afficiantur, qua afficiuntur hæretici; Sanch. Suan. Coninch. Bonac. & alij *locis allegatis*, affirmant ducti ex *cap. 2. §. hæretici de hæreticis lib. 6.* vbi ij, & eorum filij vsque ad secundam generationem prohibentur, ne ad Ecclesiasticum beneficium, aut officium publicum admittantur. Nomine autem officij videtur intelligendum officium Ordinis, ergo ab Ordine excluduntur, ergo sunt irregulares. Cæterùm Henriq. *lib. 14. cap. 4. n. 6.* Eman. Saa, *verbo irregularitas ex defectu anima, num. 2.* negant hos fore irregulares, quia neque ex *dicto cap. 2. de hæreticis in 6.* neque ex *alio cap.* id colligitur. Nam esto in *dicto cap.* fautores hæreticorum ab officio publico excludantur, nomine officij publici non officium Ordinis, sed officium iurisdictionis vti est Magistratus, Notariatus, &c. intelligendum est, vt de facto Glossa intelligit ex Textu in *cap. fœlices §. quod si quis de Pœnis lib. 6.* Illud enim vocatur officium publicum quod ad publicam vtilitatem, & regimen populi ordinatur. Aliàs si nomine officij publici officium Ordinis etiam intelligeretur, prius Pontifex debebat hos fautores hæreticorum ab officio publico, quàm à beneficio excludere; quia Ordinis collatio beneficiorum collationi præsupponitur. Vt aduertit Gaspar Hurtado *de irregularit. disp. 2. difficult. 3. num. 7.* Sed concessio irregularitatem ab his fautoribus contrahi; deberet fautoria publica esse, quia de ea vt publica loquitur textus; siquidem prohibentur ordinarij hæreticorum fautores ad publica officia admittere, quod fieri nequit, nisi ipsis ordinarius fautoria nota perfectè sit.

Quoad suspectos hæresis attinet, an irregulares sint; Respondet optimè Henriq. *lib. 14. cap. 4. num. 6. in fine.* Suar. *disp. 43. sect. 2. num. 9.* & *10.* Sanch. *lib. 2. in decalog. cap. 25. num. 10.* Farinac. *de hæresi. q. 192. num. 81.* Coninch. *disp. 18. dub. 7. n. 55.* esse secundùm quid irregulares, id est, dum non purgauerint suscipionem, nam illa purgata absque dispensatione poterunt ad ordines promoueri. Quocirca, qui propter vehementem suscipionem hæresis coactus est ab inquisitoribus de vehementi abiurare, facta abiuratione non manet irregularis, neque inhabilis ad beneficia, & officia publica; quia non fuit tanquam hæreticus damnatus, sed tanquam de hæresi suspectus, quam suspicionem abiuratione illa facta se nunquam in hæresim incurrisse, neque vnquam incursurum sufficienter purgat; ac proinde neque infamis, neque inhabilis ad beneficia, vel officia manet, neque eorum beneficia habita vacare debent. Sicuti notarunt Nauarr. *lib. 5. consilior. tit. de hæreticis cons. 5.* & *6.* aliàs *8.* & *19.* Flamin. *de resignat. lib. 4. q. 3. num. 17.* Henriq. *lib. 13. cap. 56. num. 1.* Saa, *verbo hæresis num. 5.* Sanch. *lib. 2. in decal. cap. 25. num. 12.* Farinac. *d. q. 192. num. 80.*

§. II.

De filiis, & nepotibus hæreticorum.

1 *Prædicti irregulares sunt.*
2 *Vt hanc irregularitatem contrahant debent nasci post parentum delictum.*
3 *Insuper debet delictum parentum notorium esse, & in vt decessisse.*
4 *Negant plures probabiliter filios illorum qui ob crimen hæresis repetitum comburuntur, quique signa contritionis dederunt, irregulares fore.*
5 *Communior sententia eos irregulares censet.*
6 *Extenditur doctrina ad filios illorum qui comburuntur, qui probatam hæresim negant.*
8 *Insuper requiritur ad hanc irregularitatem, vt parentes decedentes hæretici, infames ob hæresim reputentur.*
8 *Filij denunciantes parentes hæreticos ab irregularitate excusantur.*

FIlios, & nepotes hæreticorum, & eorum fautores, & receptatores irregulares esse si per viam virilem descendant, si verò via fœminea filios non nepotes docet ex communi sententia Nauarr. *cap. 27. num. 205.* Simancas *de catholic. institut. tit. 9. num. 14.* Suar. *de censur. disp. 43. sect. 3. num. 1.* Valen. *disp. 7. q. 19. pun. 3. in 3. specie irregularitatis.* Sanch. *lib. 2. in decalog. cap. 28. num. 7.* Coninch. *disp. 18. dub. 7. n. 56.* Bonac. *disp. 7. de irregularit. q. 3. pun. 7. num. 9.* Ducuntur ex *c. statutum de hæreticis in 6.* vbi ij filij excluduntur ab officio, & beneficio, & nomine officij officium Ordinis intelligunt. Hanc irregularitatem extendunt Doctores cum Glossa in *dicto c. statutum. verbo volumus.* Couarruu. *2. variar. cap. 8. n. 1.* Pegna *3. p. direct. comment. 163.* Suar. Azor. & alij plures relati à Sanch. *lib. 2. in decalog. cap. 27. n. 1.* ad filios illegitimos, & spurios, quia nulla est ratio ob quam ij speciali priuilegio quàm filij legitimi gauderent, maximè cùm textus generaliter de filiis loquatur.

Sed

Sed quamuis sententia asserens filios, & nepotes hæreticorum irregulares esse communis sit, eius tamen fundamentum inefficax est; siquidem vt superius probatum est, nomine officij publici non officium Ordinis, sed iurisdictionis temporalis intelligit Glossa *ibi*, cui alij Doctores adhærent. Quapropter Toler. *lib.1. sum. cap.25.num.8.* Sayrus *lib.5. thesauri, cap.10.num.40.* censent hos filios irregularitati non subijci, quia nullibi aduersus illos statuta est.

2 Sed concesso cum communi sententia hos filios irregulares esse ad incurrendam hanc irregularitatem requiritur primò, vt ipsi filij nati fuerint post parentum delictum, nam si antequam parentes deliquerint, ipsi fuerint nati nullatenus irregulares sunt censendi. Vt rectè tradit Nauarr. *cons.27. de hæreticis.* Simancas *de Catholic.institut.tit.23.* Henriq. *lib.14. cap.5.num.4.* Lessius *lib.2.cap.34.num.121.* Coninch. *disp.18. dub.7.num.53.* Sanch. *lib.2.cap.27.num.14.* Bonac. *disputat.7. q.3. pun.7. nu.10.* Gaspar Hurtado *disp.2. difficult.3. num.8.* quia eo casu non sunt formaliter filij hæreticorum, sed potiùs Catholicorum; cum à parentibus Catholicis concepti, & nati sint. Præterea non est credendum velle Ecclesiam ob parentum delictum priuare filios iure quæsito, & habilitate possessa ad Ordines suscipiendos, vel illos exercendos. Si autem filij ante hæresim parentum nati irregulares forent ob hæresim parentum postmodum contingentem, sine dubio priuarentur prædicto iure quæsito, & habilitate possessa, quod dicendum non est.

3 Secundò est necessarium, vt delictum parentum notorium sit, & insuper manifestum in eo decessisse, vt cauetur in *dicto cap. statutum.* & aduertit Sayrus *lib.6. thesauri, cap.10.num.40.* Neque satis est, vt de hæresi suspecti parentes decedant; quia textus filios hæreticorum damnat, non autem filios illorum, qui de hæresi suspecti sunt, quia hi non sunt formaliter hæretici. Sicuti notauit Sanch. *lib.2. in decal. cap.27.num.29.* Pegna *director.3 p.q.115. comment.164. versnam filij.* Farinac. *de hæresi.q.191.num.67.*

4 Circa hanc conditionem dubitant Doctores de filiis eorum parentum qui ob crimen hæresis repetitum comburuntur, quippe ab hæresi ante mortem ob data pœnitentiæ signa sunt absoluti, an sub hac irregularitate comprehendantur; Negant & satis probabiliter plures Doctores, Simancas *de Catholicis institut.tit.29 num.17.* Henriq. *lib.14. de irregular. cap.5.num.4.* Ægid. *disp.18. dub.7. num.51.* Gaspar Hurtado *disp.2. de irregular. difficult.3. num.8.* & alij relati à Sanch. & Pegna statim referendis. Mouentur, quia Textus in *cap. statutum* hanc irregularitatem filiis hæreticorum indicens exigit, vt in hæresi decedant parentes à delicto non emendati, neque Ecclesiæ reincorporati; quod de iis parentibus non videtur verificari posse, cùm de facto ab hæresi absoluantur, decedántque parati pœnitentiam adimplere, & Ecclesiæ præceptis obedire. Neque obest quòd solemniter eis non præstetur absolutio: satis enim videtur esse, quòd de facto concedatur. Hac enim absolutione quantumuis priuata Ecclesiæ reconciliantur, & reincorporantur. Neque Textus reconciliationem, & reincorporationem solemnem exigit, & cùm simus in materia odiosa, & pœnali, non est restrictio facienda.

5 Cæterum communior sententia, & praxi obseruata horum parentum filios irregularitate damnat. vti docuit Suar. *de censur.disp.43. sect.3. num.4.* Rosas, *tr.de hæreticis 2.p. n.337.* Pegna *director. inquisitor. 3. par. comment.164.* Azor. *t.1. instit. moral.lib.8. cap.13. post q.8.* Molin. *t.3. disp.658. n.19.* & alij plures quos refert, & sequitur Sanch. *lib.2. in decalog.c.27. à n.22.* Ratio est, quia sic conuersi præsumuntur in hæresi decedere, & ficte conuerti timore, potius ne viui comburantur, quàm fidei amore; ideóque nec iuridicè admittuntur ad pœnitentiam, nec solemniter absoluuntur, quæ solemnis, & iuridica absolutio videtur requisita, vt ab Ecclesia iudicentur decedere ipsi reconciliati, & reincorporati.

6 Extendunt præfati Doctores hanc irregularitatem ad filios illorum qui comburuntur, quia probatam hæresim negant. Cùm enim de hæresi conuicti sint, & eam confiteri noluint, præsumuntur in ea perseuerare, atque adeò hæretici. Item ad filios illorum qui in absentia condemnantur, eorúmque statuæ comburuntur; quia eorum contumacia hæresim probat *c.cum contumacia de hæreticis in 6.* Ab hac tamen contumacia censebuntur liberi, si constiterit ante mortem signa contritionis dedisse, & absolutionem postulasse, vt bene aduertit Pegna *dicto comment.164. col.4.* Sanch. *lib.2. de cas.c.27.num.19.*

7 Tertiò requiritur ad prædictam irregularitatem, vt eorum parentes decedentes hæretici infames ob hæresim reputentur. Quod cùm non contingat in illis regionibus, vbi passim hæretici cum Catholicis sunt permixti, videlicet Anglia, & Germania, filij horum parentum, quos constat in hæresi decessisse irregulares non sunt; quia hæc irregularitas in filios deriuatur ob infamiam parentum ex hæresi contractam; vt aduertit Henriq. *lib.14. capite 5. numero 4.* Eman. Saa, *verbo irregularitas ex defectu animæ. numero 4.* Sanch. *lib.2. in decalog. cap.27. num.28.* Bonac. *disput.7. de irregular. q.3. p.7. num.9.*

Ad extremum aduertunt Sanch. *dicto cap.27. numero 31.* Pegna *2.p. director. inquisitor. cap.14. com.15. vers. hoc. addiderim.* & *3.p. com.164. versán filiis.* Alphons. de Castro *lib.2. de iusta hæreticor. punit. cap.26.* Simancas *de catholic. institut. tit. 29 n.47.* Rosas *in singular. fidei singul.12. n.3.* Farinac. plures referens *de hæresi. q.191. n.37.* ex priuilegio Pontificis excusari filios ab irregularitate, aliisque pœnis iure statuis, si parentes hæreticos Inquisitoribus denuncient.

§. III.

De Neophytis qualiter irregulares sint?

1 *Neophytus dum sit censetur ab Ordinibus excluditur.*
2 *Determinare tempus pro quo Neophytus censendus sit, Episcopi arbitrio relinquitur.*
3 *Qui in infamia baptizatus est, non est neophytus, etiamsi ex patre Iudæo, vel Sarraceno descendat.*
4 *Soluitur aliquibus obiectionibus.*

NEophytus dicitur qui nouus est in baptismo in ætate adulta suscepto, vt constat ex *c. sicut neophytus 48. dist.* Hunc autem interim dum neophytus est irregularem esse; seu arceri ab Ordinibus suscipiendis constat ex *c.1. & 2. dicta distinct.* cuius decisionis ratio redditur a Paulo *1. ad Timoth.3.* ne in superbiam elatus in iudicium incidat diaboli, existimans Ecclesiam suo ministerio indigere, ideóque in *c. constituit 17.q.4.* redditur incapax ad officia publica. Nam vt inquit Innocent relatus in *c. miserum 61. dist.* miserum est, cum magistrum fieri qui nondum esse discipulum didicit. 1

Determinare tempus, pro quo neophytus censendus sit, arbitrio Episcopi relinquitur, vt aduertunt Suar. *dis.43. sect.3. num.6.* Sayrus *lib.6. thesaur. cap.13. num.10.* Coninch. *disp.18. dub.7. num.55.* Bonac. *disputat.7. de irregular. q.2. punct.1. num.6.* Qui iuxta qualitatem personæ, & debitam illius institutionem coarctare, vel prolongare tempus poterit, dummodò decennium non excedat. nam transacto decennio post baptismum Neophytus non cesset, vt notarunt ex communi Sayrus, & Bonac. *suprà.* Quocirca si intra biennium, vel triennium à Baptismo suscepto sufficientia probatæ fidei, & religionis signa dederit ad Episcopi arbitrium, poterit absque vlla dispensatione ad ordines promoueri, vt aduertit Coninch *dub.7. n.55.* quia cessat hæc irregularitas, vt docuit Ambros. *in c. Neophytas 61. dist.* ibi: *Neophytus prohibetur ordinari, ne extollatur in superbiam; sed si non deest humilitas competens sacerdotio, vbi causa non adharet, vitium non imputatur,* fauétque *cap. si quis 57. dist.* Vide Couarruu. *Clement. si furiosus 1.p. §.2.n.8. conel.3.* Auila *7.p. disp.4. dub.4.* Sanc. *lib.2. in decal. c.28. n.12.* Bonac. *d. pun.1. num.5.* 2

Ex hac doctrina infertur minimè esse neophytum, neque irregularem qui in infantia baptizatus est, etiamsi descendat ex patre Iudæo, vel Sarraceno, neque esse inhabilem ad obtinendas dignitates, & Ecclesiastica beneficia, quia nullibi contrarium cauetur; & facit *lex 6. tit.24. par.7.* & notarunt Couarruu. *Clement. si furiosus 1.p. §.2. num.8 conclus.6.* Sanch. *lib.2. in decal. cap.28. num.11.* Nauarr. *cap.27. num.205.* Salcedo *pract. cap.22. num.8.* Suar. *disputat.43. sect.3. num 8.* Sayrus *lib.6. cap.13. num.10.* & alij apud ipsos. Qui rectè monent in hac parte nihil esse à concilio Conc. Trident. mutatum *sess. 23. cap.7. de reformat.* vbi præcipitur Episcopis inquirere ordinandorum genus &c. quia hac inquisitione tantùm voluit Concilium, vt ea, quæ sunt à iure statuta exactè obseruarentur. Quapropter cùm à testibus exigitur iuramentum, an ordinandus sit Christianus veteranus, intelligendum est iuramentum, an sit ita Christianus veteranus, vt non sit neophytus, neque filius ancillæ, neque hæretici vt taliter condemnati. Vnde esto descendat ex patre Iudæo, vel ad fidem reconciliato, poterunt in prædicta depositione testes iurare absolutè illum esse Christianum veteranum, neque à Mauris, aut Sarracenis descendentem, quia non descendit eo modo quo impediatur ab Ordinibus, beneficiis Ecclesiasticis, & officiis publicis. Sicuti notauit Sanchez *d. cap.28. numero 16.* 3

Sed obiiciunt aliqui constitutionem Pauli IV. relatam à Nauarro *lib.5. consil. tit. de Iudæis, & Sarracenis. cons.1.* in qua descendentes ex Iudæis, & hæreticis vsque ad quartam generationem prohibentur sacris Ordinibus initiari: quam constitutionem Gregor. XIII. extendit ad descendentes ex Sarracenis. Hæ tamen constitutiones, vt aduertunt Auila *7.p. de irreg. disp.4. dub.3.* Gasp. Hurtado *disp.2. diffic.3. nu.9.* vsu receptæ non sunt. Præterquam quòd latæ sunt pro ordine D. Francisci ad quem prohibentur admitti sic descendentes; vt dixit Sanch. *lib.2. in decal. c.27. n.3.* Rodrig. *qq. regul. t.1. q.14. art.1. & 2. & in sum. t.2. c.5. n.21.* Quinimo Sixtus V. vt præfati Doctores referunt, prædictas constitutiones restrinxit ad secundam generationem paternam, & primam maternam. 4

Secundò obiiciunt *cap. constituit.* 17. q. 4. vbi Iudæi, aut ij qui ex Iudæis sunt ab officiis publicis excluduntur, ergo quomodocunque descendant censendi sunt inhabiles; sed facilè respondetur cum Suar. *disp.* 43 *sect.* 3. *num.* 9. Sanch. *lib.* 2. *in decalog. cap.* 28. *num.* 15. intelligi de iis qui sunt ex Iudæis nouiter ad fidem conuersi, non de illis qui ab infantia fidem susceperunt. Secundò respondeo nomine eorum, qui sunt ex Iudeis, intelligi eos, qui sunt ex Iudæorum familia, & in Iudaismo perseuerant: nam in *supra d. c. constituit.* Iudæi, & ij qui ex Iudæis sunt nominantur distincti à Christianis. Supponit ergo Textus illos in suo Iudaismo perseuerare.

Supradicta doctrina procedit secundùm ius commune, nam si particularia statuta à Pontifice confirmata spectemus; certum est, descendentes à Iudæis, Mauris, vel Sarracenis excludi etiam vsque millesimam generationem ab aliquibus beneficiis, & capellaniis, vt in Ecclesia Toletana, & Legionensi, & ab aliquibus officiis publicis, vt in tribunali sanctæ Inquisitionis.

§. IV.

De dispensatione irregularitatis ex hæresi prouenientis.

1 *Cum hæreticis ad fidem reduentibus solus Pontifex dispensat, vt Ordinibus initientur, vel ad superiores ascendant.*
2 *Vt in Ordinibus habitis ministrent etsi aliqui nullam dispensationem requirant, verius est Episcopi dispensatione indigere.*
3 *In hac irregularitate occulta plures censent non posse Episcopum virtute* Conc. Trident. *dispensare.*
4 *Verius videtur oppositum.*
5 *Aliquibus grauibus Doctoribus placet posse quemlibet ex inquisitoribus dispensare in foro conscientiæ. Sed oppositum est verius.*
6 *In irregularitate ob apostasiam à fide fictam si aliqua sit, Episcopus dispensare poterit.*
7 *In irregularitate, quam filij, & nepotes hæreticorum contrahunt, solus Pontifex dispensat.*

1 CVm hæreticis ad fidem reduentibus solum Pontificem dispensare posse, vt Ordinibus initientur, vel si initiati sunt, vt ad superiores ascendant, testatur pluribus relatis Suar. *disputat.* 43. *sect.* 1. *num.* 6. Sanch. *lib.* 2. *in decalog. cap.* 25. *numero* 13. & 14. Bonac. *disputat.* 7. *punct.* 7. *quæst.* 3. *numero* 12.

2 Vt verò in Ordinibus iam habitis ministrent. Gaspari Hurtado *disp.* 2. *de irregular. difficult.* 3. *in fine*, & aliis quos tacito nomine refert Coninch. *disp.* 18. *dub.* 7. *num.* 52. placet dispensatione non indigere, sed liberè eos Ordines exercere posse; eo quòd in *cap. saluberrimum.* 1. *qu.* 7. & *cap. Nos consuetudine dist.* 12. id videatur permissum. Sed rectiùs docuerunt Suar. *dicta sect.* 1. *num.* 6. Sanch. *num.* 14. Coninch. *num.* 52. Episcopi dispensatione indigere, vt colligitur manifestè ex *cap. Presbyteros* 50. *dist.* idque indicatur in *cap. saluberrimum*, quatenus dicitur eos habere debere pro beneficio, vt in susceptis Ordinibus ministrare possint. Si igitur loco beneficij, & gratiæ ea ministratio habenda est, ergo non est illis iure debita. Quinimo existimat Suar. *disp.* 43. *sect.* 1. *num.* 6. Coninch. *num.* 52. Bonac. *disp.* 7. *q.* 3. *p. un.* 7. *num.* 13. Sanch. *lib.* 2. *in decalog. cap.* 25. *num.* 14. neque Episcopum dispensare posse quoad sacerdotij vsum, & satis indicatur in *dicto cap. Presbyteros* 50. *dist.* Et fortè ob hanc causam Pius V. anno 1567. prohibuit generali Hispaniæ Inquisitori, ne habiles redderet presbyteros hæreticos, vt in altari deseruirent, prout refert Pegna *direct. Inquisitorib.* 3. *part. quæst.* 126. *commen.* 157.

3 Difficultas autem est, An possit Episcopus virtute Conc. Trident. *sess.* 24. *cap.* 6. *de reformat.* in hac irregularitate occulta, neque deducta ad forum contentiosum dispensare? Ratio difficultatis est, quia communior sententia affirmat esse reuocatam Episcopo facultatem absoluendi ab hæresi in eo decreto concessam. Ergo etiam est illis reuocata potestas dispensandi in irregularitate inde proueniente. Tum quia hæc irregularitas est accessoria hæresi. Tum præcipuè quia in *cap. cum illorum de sententi. excommunicat.* dicitur Episcopos non habere potestatem dispensandi in casibus, in quibus eorum absolutio est illis interdicta, cùm maiora intelligantur illis prohibita, quibus vetita sunt minora. Absolutio autem minus est quàm dispensatio, vt sentit Glossa *ibi*, Abbas *n.* 2. *notab.* 3. Felin. *num. vnico.* Ergo denegata Episcopis potestate absoluendi ab hæresi, consequenter censetur denegata potestas dispensandi in irregularitate ex illa prouenientе. Atque ita vt probabilissimum tradit Suar. *disp.* 43. *sect.* 1. *n.* 15. Tolet. *lib.* 1. *cap.* 46. Filliuc. *tract.* 20. *num.* 231. Bonac. *de irregular. disp.* 7. *q.* 3. *p.* 7. *num.* 12.

4 Nihilominus verius censeo, posse Episcopum dispensare, prout aliis relatis docuit Sanch. *lib.* 2. *decalog. cap.* 25. *num.* 18. Farinac. *de hæresi q.* 194. *n.* 79. quia hæc dispensatio dici nequit maioris considerationis, quàm absolutio à crimine hæresis, & illius excommunicatione; quia hæc irregularitas non est certa, sed dubia; ac proinde etiamsi intelligamus negatam Episcopis esse potestatem absoluendi ab hæresi, non inde infertur esse negatam potestatem dispensandi in illius irregularitate, quæ dubia est. Quando autem dicitur potestatem dispensandi maiorem esse potestate absoluendi, intelligitur de potestate dispensandi in impedimento certo non dubio, quale est hæc irregularitas. Neque dispensatio huius irregularitatis est annexa excommunicationis absolutioni, cùm sint potestates omnino distinctæ, & separatæ.

Porrò aliquibus grauibus doctoribus Mandosio *de signatura gratia, verbo absolutio ab hæresi initio.* Vmberto Locato *in iudicial. inquisitor. verbo irregularitas numero* 2. Lelio Zecho *tract. de fide. cap.* 11. *num.* 16. *in duodecima pœna hæretic.* Henriq. *lib.* 14. *cap.* 18. *num.* 2. placet posse quemlibet ex Inquisitoribus saltem pro foro conscientiæ dispensare in hac irregularitate ex constitutione Clement. VII. relata à Pegna *in directior inquisit. ad finem.* Sed verius est oppositum, prout defendit Suar. *disp.* 43. *sect.* 1 *num.* 5. Pegna *direct.* 3. *p. q.* 126. *comment.* 175. Sanch. *lib.* 2. *decalog. cap.* 25. *num.* 19. Farinac. *de hæresi quæst.* 192. *num.* 76. Quia prædicta constitutio vsu, & consuetudine censetur reuocata. Præterquam quòd lata videtur pro personis quæ eo tempore aderant, neque ad alios extendi.

6 Quoad irregularitatem verò incursam ob apostasiam à fide fictam, si fortè aliqua sit, si timore aliquo delictum commissum est, poterit Episcopus dispensare cum Clericis Presbytero inferioribus, vt in susceptis Ordinibus ministrent, ac cum presbytero vt officium sacerdotale. & munus prædicandi exerceat solus poterit Pontifex sicut & facultatem concedere, vt ad Ordines promoueatur, vel ad superiores ascendat. Cum his verò qui à fide sponte apostatarunt, neque ad ascensum ad Ordines, neque ad susceptorum vsum potest alius præter Pontificem dispensationem concedere. Quæ omnia constant ex *capit. Presbytero* 50. *dist.* Et tradit Suar. *disputat.* 43. *sect.* 2. *numero* 4. & 5. Sanch. *lib.* 2. *in decalog. cap.* 25. *numero* 21.

7 Si autem de irregularitate, quàm filij, & nepotes hæreticorum contrahunt, loquamur; penes Pontificem tantùm est potestas dispensandi, neque in Conc. Trident. conceditur hæc facultas. Tum quia hæc non potest ex delicto occulto prouenire. Tum quia hæc non est irregularitas ex delicto immediatè prouenіens, etiamsi ex delicto ortum habeat, sed ex indecentia, quam filij contrahunt ob parentum delictum. In susceptis autem Ordinibus antequam delictum paternum declaretur, & notorium fiat bene possunt huiusmodi ministrare nulla dispensatione requisita, quia iure acquisito non priuantur filij ob parentum delictum. Colligiturque ex *dicto cap.* 2. *de hæreticis in* 6. vbi huiusmodi filij ab officiis habitis non deiiciuntur, tametsi inhabiles fiant ad alia obtinenda. Sic Glossa *cap. satis peruersum* 56. *dist. in princ.* Maiol. *lib.* 5. *de irregular. cap.* 47. *n.* 6. Suar. *disp.* 43. *sect.* 3. *n.* 2. Sanch. *lib.* 2. *in decal. c.* 28. *num.* 10.

Punctum XX.

De irregularitate prouenіente ex infamia.

1 *Infamia quæ sit, & quotuplex?*
2 *Explicatur infamia quæ ex delicto proprio nascitur.*
3 *Requiritur delictum esse notorium.*
4 *Ex condemnatione delicti publici infamia nascitur.*
5 *Ex delicto alieno nascitur infamia.*
6 *Item ex officio.*
7 *Explicatur infamia nata ex facto ipso secluſa omni lege.*
8 *Quod discrimen sit inter infamiam iuris, & facti?*
9 *Infames siue iuris siue facti, irregulares sunt.*
10 *Infames excluſi sunt à dignitatibus obtinendis.*
11 *Hos infames ita esse excluſos ab huiusmodi dignitatibus, vt earum prouiſio irrita sit docuerunt plures. Tametsi contrarium non videatur improbabile.*
12 *Si infamia poſſeſſioni officiorum, & beneficiorum dignitatumque superueniat, non obligat infamem ea à ſe abdicare.*
13 *Qualiter infamia iuris aboleatur quoad effectus iure canonico inductos?*
14 *Infamia facti emendatione vitæ aboletur.*
15 *Nulli vitio præter dicta, irregularitas annexa eſt.*

1 INfamia est boni nominis, rectæque existimationis diminutio; nam cùm fama sit status dignitatis, id est humanæ conditionis legibus, & moribus comprobatus, vt colligitur ex *leg. cognitio.* §. *existimatio. ff. de varijs, & extraordinar. cognition.* Et ex *l. regia* 1. *tit.* 6. *p.* 7. infamia quæ hinc famæ opponitur erit diminutio, seu priuatio huius status. Hæc infamia prout ad præsens spectat duplex est, alia iuris, alia facti. Infamia

mia iuris triplex est, alia ex delicto proprio, cui iure ipso infamia annectitur, alia ex delicto alieno, alia ex officio.

Rursus infamia ex delicto proprio duplex est, alia quæ annectitur ipsi delicto tantùm, alia quæ prærequirit delicti condemnatoriam sententiam. Infamia iuris annexa delicto tantùm oritur ex delicto cui ius ciuile, vel canonicum infamiam annectit. Hoc delictum multiplex est. Primò refertur lenocinium, quod censetur committere qui ex consuetudine fœminam, seu virum prostituit, vel suadet, vt eum alio fornicetur. *Leg. 1. & leg. Athletas. §. ait prætor. ff. de his qui notantur infamia. Leg. palam. §. lenocinium. ff. de ritu nuptiar. & leg. regia 4. tit. 6. part. 7.* Secundò qui bina sponsalia, seu matrimonia contrahit etiam inualida propria authoritate; secùs si alterius iussu, cui subiicitur. Nam tunc infamia in præcipientem refunditur, *leg. 1. in fine. & leg. quid ergo in princ. & tribus §§. sequentib. ff. de his qui notantur infam. Cap. nuper de Bigamis.* Tertiò locans suas operas, vt cum bestia fera pugnet, nisi bestia aliis perniciosa esset. Vti habetur *leg. 1. §. item senatusconsulto. & §. bestias ff. de postulando.* Quartò descendens in certamen priuatum cum alio homine quæstus causa, seu pretio accepto, *leg. 2. §. vlt. ff. de his qui notantur infamia. & leg. regia 4. tit. 6. part. 7.* Non autem qui causa fortitudinis ostendendæ etiam proposito præmio in certamen descendit, quique athleta dicitur, vt habetur *leg. 2. Cod. de Athletis lib. 10. & ibi* Glossa. Quintò miles, seu dux ab exercitu dimissus ob delictum ibidem commissum, vel si ob eam causam militaribus insigniis priuaretur ex *leg. 1. & 2. ff. de his qui notantur infamia. & leg. regia 4. tit. 6. par. 7.* Sextò miles prædia aliena negociationis causa conducens. *leg. vlt. ff. de locato. & leg. regia 4. tit. 6. par. 7.* Septimò vsurarius, seu ex officio fœnus exercens, *leg. improbum fœnus Cod. ex quibus causis infamia irrogetur. Leg. 4. tit. 6. par. 7. & leg. vlt. tit. 6. lib. 8. nouæ collect. regiæ.* Octauò non implens cùm iuramentum promissorium, quo tenebatur. *Leg. si quis maior Cod. de transactionib. Leg. quoties Cod. de dignitatib. lib. 12. & leg. regia 4. tit. 6. part. 7.* Ex iure nostri regni subiicitur infamiæ non adimplens homagium (hoc est *pleito menaie*) cùm posset, & deberet tametsi ea promissio iuramentum non includeret. Vti habetur *leg. regia 2. tit. 5. par. 7.* Item nobilis palinodiam recantans in iudicio vulgò *se desdice en Iuicio, o por corte, leg. regia 2. tit. 5. part. 7.* Præterea sodomita, quem etsi iure communi verius sit infamem non esse, at iure nostro regni certissimum est ex *leg. 4. tit. 6. part. 7.* vt *ibi* Gregor. Lopez adnotauit. Ex iure autem canonico læsæ maiestatis tum diuinæ, tum humanæ rei, eorúmque fautores, Cardinalium sanctæ Romanæ Ecclesiæ hostiliter insectores infamia notantur, vt constat ex *cap. fœlicis de pœnis lib. 6.* Item raptores mulierum iuxta Conc. Trident. *sess. 24. cap. 6. de reformat. matrimonij.* Præterea in duellum descendentes, eorúmque patrini, vt habetur *sess. 25. cap. 19. de reformat.* ac tandem omnes illi qui iure ciuili infamiam incurrunt infames iure canonico censentur, vt dixit Adrian. *cap. omnes 6. q. 1.* ibi: *Omnes infames esse dicimus, quos leges seculares infames appellant.*

Sed an ad incurrendam hanc infamiam debeat esse delictum notorium; non constat inter Doctores. Nam Antonin. *3. p. tit. 28. c. 6. §. 7.* Syluest. *verbo irregularitas q. 14.* Suar. *disp. 48. sect. 1. num. 7.* indicant ex delicto etiam occulto infamiam incurri. Quod inde probatur, nam infamia non incurritur ex delicti manifestatione, sed ex ipso delicto. Verùm quamuis ex ipso delicto infamia proueniat, attamen illius manifestatio, & publicatio requiritur, vt infamiam irroget. Sicuti docuit Glossa *in cap. inquisitionis de accusationib.* Abbas *in cap. ex tenore de temporib. ordinat.* Nauarr. *cap. 27. n. 248.* Couarruu. *3. var. resolut. cap. 3. num. 2.* Henriquez *lib. 13. capite 36. & lib. 14. capite 5. numero 2.* Auila *7. p. disp. 4. dub. 7. concl. 1.* Sanch. *lib. 2. in decalog. cap. 26. num. 1.* Coninch. *disp. 18. dub. 7. num. 56.* Layman. *de irregular. cap. 4. num. 8.* quia infamia est famæ, & bonæ æstimationis diminutio. At dum crimen ignotum est bonum nomen delinquentis non diminuit. Ergo ex crimine dum occultum est, infamia oriri non potest. Cum hoc tamen stat, si timetur delictum esse publicandum, & consequenter infamia contrahenda obligatum esse delinquentem abstinere ab omnibus illis actibus à quibus infames abstinent; aliàs exponitur periculo depositionis, & annullationis à iudice faciendæ. Sicuti aduertit Suar. *disp. 48. sect. 1. n. 16* Laym. *de irregul. c. 4. n. 9. concl. 1.*

Altera infamia iuris, quæ ex delicto nascitur, quæque delicti sententiam condemnatoriam requirit oritur ex condemnatione delicti publici, hoc est illius delicti, de quo cuilibet de populo permittitur accusare. Vti sunt crimen læsæ maiestatis, adulterij latè sumpti, proditionis, falsi, rapinæ, homicidij. Vt habetur *instituta de publicis iudiciis. leg. 1. & leg. infamem. ff. eodem tit.* Deinde crimen furti, iniuriarum, doli mali. Nam esto hæc crimina priuata sint, subsecuta condemnatione infamiam irrogant, *leg. 1. leg. Athletas. §. vlt. ff. de his qui notantur infamia.* Quinimo pacisces ne de iis criminibus accusetur, post condemnationem infamiam incurrit ex *supradicta leg. athletas.* Præterea damnatus ob interuenientem dolum in contractu societatis, in tutela, mandato, depositio, in alicuius crimini accusatione infamiæ subiicitur, vt latè expendit Molina *tract. 4. disp. 9. num. 6. 22. & seqq.* Hæc tamen condemnatio debet esse per sententiam definitiuam; quæ transeat in rem iudicatam. Nam quousque ea sententia accedat non censetur reus damnatus. Argument. *leg. 1. ff. de his qui notantur infamia. & leg. infamem. ff. de Publicis iudiciis* Et tradit Sylvest. *verbo infamia. num. 12.* Nauarr. *c. 25. n. 73.* Castro *lib. 2. de iusta hæretic. punit. c. 9.* Molina *tract. 4. d. 9. n. 41.* Quimimo Abbati *in cap. inquisitionis. n. 2. de accusationib.* & Suar. *disp. 48. sect. 1. n. 6.* placet hanc condemnationem debere esse non ex officio iudicis, sed instigante accusatore. Illud est certum, si ob criminis notorietatem damnatus sis alicui pœnæ publicæ vti fustigationis, flagellationis, & similium, infamiam incurrit quia eæ pœnæ infamiam irrogant ex *l. ictus. ff. de his qui notantur infamia. & leg. fustibus. Cod. ex quibus causis infamia irrogetur. & leg. regia 5. tit. 6. par. 7.* Neque obstat *leg. nullam. Cod. eodem tit.* definiens non incurri infamiam, quia vt rectè explicat Molina *tract. 4. d. 9. n. 19.* hæc lex loquitur, cùm hæc pœna infligitur causa indagandæ veritatis, quo casu infamia non contrahitur.

Secundò oritur infamia ex delicto alieno. Hac enim ratione filij, & nepotes parentum violentas manus in Cardinalem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ iniicientium infames efficiuntur. *Cap. Felicis, vers. quod si quis de Pœnis in 6.* Item filij proditorum crimen læsæ maiestatis committentium iure ciuili redduntur infames, *leg. quisquis, §. filij. Cod. ad leg. Iul. maiestatis.* Aliqui hanc doctrinam extendunt ad filios hæreticorum, quibus officia publica, & beneficia prohibentur. Sed vt bene notat Suar. *de censur. disp. 48. sect. 3. & de fide. disp. vlt. sect. vlt. num. 7.* Sanch. *lib. 2. in decalog. c. 28. num. 5.* Etsi huiusmodi filij irregulares sint, non tamen infames, aliàs redderentur inhabiles ad testimonium ferendum iuxta *cap. testimonium. & cap. licet de Testibus.* Itémq; si Clerici essent, priuari deberent beneficiis, & officiis habitis, cùm tamen hæc omnia infamibus prohibeantur, quæ tamen filiis hæreticorum prohibita non sunt, vti vidimus, Filij autem histrionum, carnificum, & aliorum vilia officia exercentium nullo modo infames sunt, imò neque irregulares, quia nullibi cauetur. Vt bene notauit Suar *d. disp. 48. sect. 3. in fin.* Præterea illegitimos, id est qui non ex legitimo matrimonio nati sunt, plures censent infames esse iuxta *leg. regiam 2. tit. 6. p. 7.* sed vt rectè Couarruu. *pract. qq. cap. 19. num. 6.* Molina *tract. 4. disput. 7. num. 5.* nullatenus infames dici possunt, cum ab obtinendo, & administrando officium tabellionatus, & decurionatus munus, *leg. generaliter. §. spurios. & l. spurij. ff. de Decurionib.* & ad testimonium in iudicio proferendum, & ad ius hæreditatis ex testamento non repelluntur; tametsi iure canonico irregulares, & inhabiles ad Ordines suscipiendos, & beneficia Ecclesiastica obtinenda, aliosque effectus existant.

Tertiò infamia nascitur ex officio. Sunt enim aliqua officia ita vilia in Republica, vt ea exercentibus infamiam irrogare videantur. Huiusmodi est officium histrionum, qui olim se pretio conducebant ad spectaculum sui corporis exhibendum, siue qui obscœna publicè repræsentabant. De quibus S. August. *lib. 2. de ciuit. Dei. cap. 11. & 13.* Hi igitur ob turpes, & indignas repræsentationes infamiæ nota afficiebantur, iuxta *leg. 1. & 2. §. ait prætor.* iunctis *duobus sequentib. ff. de his qui notantur infam. c. definimus 4. q. 1. & c. aliquantos 51. dist. & leg. regia 4. tit. 6. par. 7.* Et tradit Henriq. *lib. 14. cap. 15. n. 4.* Molina *tract. 4. d. 8. n. 10.* Auila *7. p. d. 4. dub. 5. conclus. 2.* & alij apud ipsos. Præter supradictum officium histrionum, seu scenicorum, alij enumerant officium carnificum, macellariorum, lictorum, & similium; sed absque fundamento, nam esto sint officia infimæ conditionis, & notæ; nullo tamen iure scripto cauetur infames esse ea exercentes.

Altera infamia nuncupatur facti, quia ex facto ipso secluſa omni lege nascitur. Etenim cùm fama sit status dignitatis illæsæ legibus, & moribus comprobatus, efficitur sanè quolibet facto, seu opere legibus, & bonis moribus aduerso status integritatem diminui. Hæc infamia ex facto graui, hoc est ex peccato mortali orta, esto generalis sit, sufficit tamen spectato iure canonico, dum perseuerat, ab Ordinibus suscipiendis infamatum repellere, vt indicatur *cap. Testimonium de Testibus. & cap. alieni. 2. q. 7. Cap. constituimus 3. q. 5.* & aliis. Dixi *spectato iure canonico*, nam spectato iure ciuili plura sunt peccata, quæ suos patronos attento eorum statu & communitate intra quam viuunt, viles, & abiectæ æstimationis non reddunt, neque ab officiis, & muneribus communibus excludunt. Sicuti aduertit Molina *tract. 4. de iust. disp. 7. n. 6.* Quinimo non solùm graue peccatum. Sed eius vulgata opinio apud viros probos, & prudentes sufficiens est sic infamatum ab Ordinibus, aliisque officiis repellere, interim dum non se purgat iuxta *cap. quoties. & cap. inter de purgat. canonica.* Neque enim decet in clericum coaptari, & officia honorica exercere eum, cuius opinio grauata est.

Inter infamiam iuris, & facti illud est discrimen, quòd infamia iuris sola dispensatione aboleatur; quippè perseuerat post crimen commissum, & emendatum, vtpote effectus iure positiuo

positiuo inductus. At infamia facti emendatione aboletur, vt notauit Panormit. *in cap. ex diligenti de Simonia.* Nauarr. *cap. 27. numero 204.* Henriq. *lib. 14. cap. 15. num. 3.* Coninch. *disp. 18. dub. 17. num. 57.* Auila *7. p. disp. 4. dub. 5. conclus. 1. & 4.* Neque obest *cap. at si clerici. §. de adulteriis tit. de iudiciis,* vbi Alexand. III. inquit: *De adulteriis, & aliis criminibus quæ sunt minora, potest Episcopus post peractam pœnitentiam cum Clericis dispensare.* Ergo hæc infamia non fuit pœnitentia sublata. Non inquam obstat, quia ille Textus non loquitur de infamiæ iuris orta, ex sententia iudicis, vt colligitur ex *§. antecedenti.* ibi: *Si verò coram Episcopo de criminibus in iure confessi sunt, seu legitimæ probationi conuicti,* &c. His positis,

9 Dicendum est, infames siue iuris, siue facti irregulares sunt, ac proinde nec possunt ad Ordines promoueri, nec in susceptis ministrare. Vti ex communi tradit Nauarr. *cap. 27. n. 204.* Suar. *disp. 48. sect. 2.* Auila *7. p. disp. 4. dub. 3.* Coninch. *disp. 18. dub. 7. circa finem.* Bonac. *disp 7. de irregular. quæst. 3. punct. 1. à principio.* Et colligitur ex *cap. infames 6. q. 1.* & *cap. qui in aliquo 51. dist.* & *ex reg. infamibus de Regulis Iuris in 6.* Etenim in sacrum ministerium, & sortem domini puri, & immaculati omnis coaptari debent. Est tamen discrimen inter prædictos infames, quòd infames infamia iuris simpliciter sunt irregulares, siquidem eorum irregularitas perpetua est, at infames infamia facti sunt irregulares secundùm quid; siquidem emendatione vitæ eorum irregularitas cessat.

10 Secundò asseredum eodem tenore est, infames exclusos esse à dignitatibus obtinendis iuxta expressam Regulam: Infamibus portæ non pateant dignitatum, *de Regul. iuris in 6.* & *leg. 2. Cod. de dignitatib. lib. 12.* & *leg. vn. Cod. de infamibus lib. 10.* & *leg. regia 7. tit. 6. par. 7.* Quod in dignitatibus Ecclesiasticis præcipuè procedit, vtpotè quæ à puris oribus, & clarioribus administrari debent iuxta *cap. inter dilectos de excessib. Prælatorum.* Nomine dignitatum comprehenduntur personatus, & beneficia quæ liber Ecclesiastica, quinimo officia publica Reipublicæ, Iudicis, Assessoris, Aduocati, Tabellionis, similium. Vti ex communi tradit Abbas *in c. querelam de iureiurando.* Gregor. Lopez *leg. 7. tit. 6. par. 7.* Couarruu. *3. variar. c. 3. n. 3.* Ludouic. Molina *tract. 4. disp. 11. n. 3.* Paul. Layman. *lib. 1. sum. tract. 5. par. 5. de irregular. c. 4. n. 5.*

11 Ab his dignitatibus, beneficiis, & officiis obtinendis sic exclusos esse infames, vt eorum prouisio irrita, & nulla sit docuerunt Abbas *dicto cap. inter dilectos num. 8. de excessib. Prælator.* Silua *3. p. de benefic. q. 5. num. 51.* Nauarr. *cap. 27. num. 204. & 251.* Molina *tract. 4 disp. 11. num. 3* Auila *7. p. disp. 4. dub. 7.* quia Ecclesia, & respublica à suis officiis, beneficiis, & muneribus eos excludit quantum potest, vti indicat dicens: *Infamibus portæ non pateant dignitatum.* quasi diceret, *omnis via ad dignitates occlusa sit.* Si tamen validè obtinere dignitates possent, iam aliqua via ad dignitates obtinendas illis pateret.

Cæterùm etsi hæc sententia communis sit, & forum externum illam in iudicando sequatur; at non videtur probabilitate cæterè supradictorum prouisionem in foro conscientiæ validam esse, quousque à iudice rescindatur: quod docuit aliis relatis Garcia *7. p. de benefic. cap. 8. numero 47.* Nam annullatio actus vtpotè odiosa inducenda non est absque manifesto Textu. At nullus est Textus hanc annullationem inducens ipso iure, nam esto infamibus nullæ sint dignitatum portæ apertæ, sed omnes occlusæ, inde tamen solùm infertur illarum ingressum illis esse interdictum: non autem si de facto fiat, inualidum esse, sicuti est inualidus Ordo infamibus collatus, tametsi Ordinum portæ infamibus non pateant.

12 Quòd si infamia possessioni dignitatum, officiorum, & beneficiorum superueniat, tametsi iure ipso illorum priuationem inducat, non tamen tenetur infamis ea abdicare à se, quousque sententia iudicis saltem declaratoria criminis accedat. Vt docuit Sylvest. *verbo infamia num. 15.* Couarruu. *pract. qq. cap. 19. num. 5.* Molina *tract. 4. disp. 11. n. 3.* Layman. *lib. 1. sum. tract. 5. part. 5. cap. 4. num. 5.* Quinimo, si infamia facti sit, & non iuris, dignitatibus, & beneficiis ante quæsitis non priuat ipso iure, iuxta communiorem sententiam, quam tradit Henriq. *lib. 14. cap. 5. numero 3.* Garcia *7. p. de benefic. c. 8. num. 35.* Auila *7. p. disputat. 4. dub. 5. conclus. 2.* Couarruu. Mol. Laym. *loc. alleg.* quia nullo iure probari hæc priuatio potest.

Supereſt tamen dicendum qualiter infamia aboleatur. Et 13 quidem quoad effectus iure canonico infamibus indictos, certum est Pontificem dispensare posse; potest namque absolutè infames ad Ordines, & beneficia promouere. Sed quia ea promotio non expedit nisi purgata infamia, & persona in pristinum statum restituta, nunquam Pontifex id præstabit, nisi priùs infamiam aboleuerit: infamiam autem iuris à quolibet Clerico abolere potest, quia suæ iurisdictioni est subiectus; à laico autem nequaquam potest, nisi vel ipse, vel iudex infamiam irrogans sub Pontificis iurisdictione existant: vt benè notauit Molina *tract. 4. disp. 10. num. 3.* & colligitur ex *cap. cum te de sententia, & re iudicat.* Princeps autem secularis infamiam iure ciuili indictam abolere à suis subditis potest, qua abolita cessat irregularitas in ea fundata, sicuti docuit Henriq. *lib. 14. cap. 5. num. 3.* Auila *7. part. disput. 4. dub. 5.* Suar. *disp. 48. sect. 2. num. 4. & 10.* Episcopus verò nullatenus potest cum infamibus dispensare, vt ad Ordines ascendant. Vt verò in susceptis ministrent post peractam pœnitentiam dispensationem concedere, si delicta ex quibus infamia contracta est, sint adulterio minora. Vti colligitur ex *cap. at si clerici, §. de adulteriis tit. de iudiciis,* & tradit Panormit. *cap. cum te n. 15. de sentent. & re iudicata.* Henriq. & Auila *loc. cit.* Molina *disp. 10. num. 6.*

Verùm si de infamia facti loquamur conueniunt Doctores, Abbas *in c. inquisitionis num. 2. de accusationib.* & *cap. ex diligenti num. 6. de Simonia.* Sylvest. *verbo infamia num. 11.* Henriq. *lib. 14. cap. 5. num. 3.* Suar. *disp. 48. sect. 2. num. 6.* Molina *tract. 4. disp. 10. in principio.* Garcia *7. p. de benefic. cap. 8. num. 64.* & alij passim emendatione vitæ aboleri, saltem si ea emendatio per triennium continuata fuerit, vt dixit Iulius Clarus *lib. 5. sententiar. §. vlt. q. 21. num. 2.* quia infamia, quæ ex facto nascitur facto adhæret, ideóque eo facto cessante omnino cessat. Sicuti colligitur ex *capit. si duo 15. quæstion. 6.* ibi: Infames effecti donec ab inceepto crimine desistant. 14

Ad extremum aduerte Maiolum *lib. 4. de irregular. cap. 13.* 15 & *lib. 5. cap. 112. & 30.* aliósque Doctores asserere, omnia crimina depositione digna irregularitatem inducere. Sed vt benè expendunt Suar. *disp. 43. sect. 4. & 5.* Nauarr. *cap. 27. num. 248* Henriq. *lib. 13. cap. 36.* & *lib. 14. cap. 5. num. 11.* Auila *7. p. disp. 4. dub. 7.* nulli vitio præter dicta irregularitas annexa est. Vti deciditur in *cap. ex tenore de Temporib. ordinat.* Vbi dicitur ex nullo crimine depositione digno, si occultum sit, neminem à sacris Ordinibus prohibendum esse. Et in *cap. vlt. eodem tit.* inquit Pontifex: *Si proposita crimina* (scilicet adulterij, periurij, homicidij, vel falsi testimonij) *ordine iudiciario probata, vel aliàs notoria non fuerint, non debent ij* (præter reos homicidij) *post pœnitentiam in iam susceptis Ordinibus, vel suscipiendis impediri. Quando verò hæc delicta publica, vel notoria sunt, tunc non ratione delicti præcisè, sed ratione infamiæ inde ortæ ab Ordinibus arcentur,* vt *superiùs* diximus. His finem imponimus tertiæ Parti Operis Moralis de Sacramentis, & Censuris, quibus virtutem Religionis, & quæ ei annexa sunt, pro captu nostro explicuimus, correctioni sacrosanctæ matris Ecclesiæ subiecta. Quartam partem de quatuor virtutibus Cardinalibus Deo fauente explicaturi aggrediemur. Vtinam omnia cedant in laudem Omnipotentis Dei, & Beatissimæ Virginis Mariæ, & sanctissimi Patris nostri Ignatij, cuius indignus sum Alumnus.

INDEX